00078545

BOMBAY BRANCH
OF THE
Royal Asiatic Society.

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 26 June, 2018

IO. GOTTLIEB HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS A Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph. in ill. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

OPERVM

AD

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM, PHILOSOPHIAM ET LITTERAS HVMANIORES

Pertinentium,

TOMVS TERTIVS,

78545
ae

IN QVO

I. PRAEFATIONES

ALIENIS LIBRIS PRAEMISSAE,

ET

II. OPVSCVLA MINORA

VARII ARGVMENTI.

GENEVAE,

Impenſis HERED. CRAMER, ET FRATR. PHILIBERT.

CIↃIↃCCXXXXVIII.

00078545

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS
quondam a Conſil. ſanctior. Iur. ac Philoſoph. in ill. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

OPVSCVLORVM
VARIORVM
SYLLOGE II.

ACCEDVNT
INDICES LOCVPLETISSIMI.

GENEVAE,
Impenſis HERED. CRAMERI ET FRATR. PHILIBERT.

cIↄIↄCCXXXXVI.

HONORATISSIMO LECTORI
S. P. D.
BIBLIOPOLAE.

QVOD illuſtri HEINECCIO in votis erat, illeque ſine dubio, ſi Deus O. M. longioris vitae ipſi conceſſiſſet vſuram, praeſtitiſſet iam nunc, id aliquatenus facere, atque adeo mereri de publica vtilitate conſtituimus, in vnum *faſciculum* colligentes Diſſertationes *reliquas*, quae poſt primam *illam Halae ſeparatim* prodierant. Et exteris inprimis gratum hoc erit, quos ſaepiſſime conquerentes audiuimus, id Diſſertationum in academiis Germaniae habitarum fatum eſſe, vt vix ad extraneos perueniant. Quamuis vero hic faſciculus priori mole cedat, non tamen cedet materiarum vtilitate ac ſelectu, ſiquidem tales in iis pertractantur, quae quotidianum in foro vſum habent. Quod ne gratis dictum tibi, honoratiſſime lector, videatur, dabimus materiarum, quae in Diſſertationibus his ſumma cum cura pertractantur, indicem, *de pecunia in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus, alioque remedio vtentibus, de-*

ponenda: de reductione monetae ad iuſtum pretium, ad l. 1. C. de veter. numiſmat. poteſt.: de iure principis circa commerciorum libertatem tuendam: de iure principis circa ciuium ſtudia: de cauſſa ſeruitutum perpetua: de locatione conductione iuris dictionis: de venditione illicita fructuum in herbis: de dominis, ſubditos ſuos in iudicio proprio conuenientibus. Adiici curauimus indices ad vtramque ſyllogem pertinentes locupletiſſimos, alterum titulorum, alterum rerum & verborum vtriuſque ſylloges, vt vno loco commode iam inueniri poſſint, quae alias duobus locis fuiſſent quaerenda. Haec monenda habuimus: iam, lector honoratiſſime, vtere hac ſylloge, nobiſque faue. Scrib. GENEV. *a. d.* 1. *Dec.* 1745.

IO. GOT.

IO. GOT. HEINECCII, IC.

OPVSCVLORVM VARIORVM

SYLLOGE II.

Nunc primum in unum faſciculum collecta.

DE PECVNIA; IN CASVM, SI CAVSSA CECIDERINT, AB ADPELLANTIBVS ALIISQVE, SENTENTIAS IMPVGNANTIBVS, DEPONENDA.

EXERCITATIO XXVIII.

---

§. I. *Lites non oportet eſſe ſempiternas, & cauſſae tamen accurate decidendae.* §. II. *Hinc varia a Romanis inuenta ſunt remedia ſuſpenſiua & deuolutiua: veluti* INTERCESSIO. §. III. ADPELLATIO. §. IV. SVPPLICATIO & RESTITVTIO IN INTEGRVM. §. V. *Attamen temere adpellandi pruritus coercebatur, praefinito adpellationibus certo tempore.*

§. VI. *Adpellatione non niſi bis conceſſa.* §. VII. *Ea quibuſdam caſibus plane prohibita.* §. VIII. *Inſtituti ratio & conſilium agendi de pecunia, ſuccumbentiae, quam vocant.* §. IX. *Origo huius pecuniae, an ab Athenienſibus?* §. X. *An a Romanis, & quidem ex L. 5. C. quorum adpell. non recip.* §. XI. *An ex L. 6. §. 4. C. de adpell. & L. 10. C. Theod. de adpell. non recip.* §. XII. *An ex Paulli receptis ſententiis?* §. XIII. *Depoſitio illa vere eſt ex iure Germanico.* §. XIV. *Quod probatur ex legibus antiquis.* §. XV. *Itemque ex iure Saxonico.* §. XVI. *Et ex ſtatutis vetuſtioribus.* §. XVII. *Huius pecuniae ſuccumbentiae vſus, natura & indoles.* §. XVIII. *Eam, deficiente lege, exigere non poſſunt iudices.* §. XIX. *Niſi priuilegium eam exigendi acceperint.* §. XX. *Ea exigitur tum ab adpellantibus, tum ab alio vtentibus remedio.* §. XXI. *Non tamen promiſcue ab omnibus.* §. XXII. *Leges de hac depoſitione & extendi, & reſtringi poſſunt.* §. XXIII. *An, pluribus ſententiam impugnantibus, a ſingulis deponenda ſit pecunia?* §. XXIV. *Quanta deponenda ſit?* §. XXV. *An idonea cautio pro depoſitione ſit?* §. XXVI. *Quando deponenda haec pecunia?* §. XXVII. *Tempus hoc poteſt prorogari, maxime abſente prouocante.* §. XXVIII. *Victor hanc pecuniam repetit.* §. XXIX. *Eamdem amittit victus. An & is qui adpellationi renunciauit, quiue fatalia neglexit?* §. XXX. *An, qui pendente adpellatione cum aduerſario tranſegit?* §. XXXI. *Cui cedat illa pecunia pro commiſſa habita?* §. XXXII. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Lites non oportet eſſe ſempiternas, at cauſſae tamen accurate cognoſcendae.

INTEREST reipublicae, diligenter & accurate cognoſci litigantium cauſſas, nec quidquam, quod ad indagandam, excutiendamque veritatem pertinere videatur, a bono iudice praetermitti, ne vel indicta, aut non ſatis diſcuſſa cauſſa, condemnetur reus, vel actor iure ſuo praecipiti ſententia priuetur. At non minus reipublicae intereſt, lites non eſſe ſempiternas, ſed quam primum, ſi fieri poſſit, iuſta atque aequa ſententia finiri. Nam vti recte iudicat philoſophorum πολιτικώτατος, ARISTOTELES, (a) οὐδὲν ὄφελος γίνεσθαι μὲν δίκας περὶ τῶν δικαίων, ταύτας δὲ μὴ λαμβάνειν τέλος. *fruſtra iudicantur cauſſae, niſi hae demum ad finem perducantur.* Praeterea moleſta illa litium diuturnitate non modo

(a) Ariſtot. *Politic. Lib. VI. Cap. VIII.*

do hominum fortunae euertuntur, amicitiae diſtrahuntur; odiaque internecina inter cognatos & ciues gliſcunt, ſed & id euenit, vt homines tribunalia, tamquam ſcopulos, fugiant, ſibique manu ius dicere malint, ne pro vna leuiore iniuria vindicanda duplo maiorem deuorare cogantur. *Properandum* itaque recte *viſum eſt* IVSTINIANO (b), *ne lites fiant paene immortales, & vitae hominum modum excedant*: ſed nobis ita merito videtur properandum, ne accuratae cauſſarum diſcuſſioni quidquam decedat. Qua in re quaecumque ciuitates iuſtum tenuerunt modum, quaeque ita conſtituta habuerunt iudicia, vt nec accuratior cauſſae cognitio celeritati iudicis, nec haec illi obeſſet: eas demum ter quaterque beatas dicendas, exiſtimamus, quum ſolae id, cuius cauſſa homines in reſpublicas coaluerunt, ex voto conſequutae eſſe videantur.

§. II.

Hinc varia a Romanis inuenta remedia ſuſpenſiua ac deuolutiua, veluti interceſſio.

Quandoquidem vero ad diligentem atque accuratam cauſſarum cognitionem & id pertinet, vt ne ab vnius iudicis arbitrio vita, fortunæ, atque exiſtimatio hominum pendeant, ſed iis, qui ſe vel aduerſarii calumniis ac potentia, vel iudicis iniquitate, oppreſſos conqueruntur, in alterius æquitate perfugium ſit: non mirum profecto eſt, gentes fere omnes varia inueniſſe remedia, quibus cauſſa vel ad ſuperiorem, vel ad alium ſaltim deuolueretur iudicem, ſententiaque iniqua, cauſſa cognita, reſcinderetur. Talis apud Romanos erat INTERCESSIO, quae, quomodo ab adpellatione diſcernenda ſit, erudite, vti ſolent, oſtenderunt ὁ πάνυ CVIACIVS (c) & CAROLVS BRETVS (d). Solebant enim adpellantes prouocare ad iudicem maiorem (e), eo conſilio, vt retractaretur ſententia iniquior. At INTERCEDERE litigantis rogatu poterant & ii, quibus aequale vel minus erat imperium, in primis collegae, idque non faciebant eo conſilio, vt ſententiam reſcinderent, ſed vt eam executioni mandari, vimque fieri eo nomine, prohiberent. Ius enim intercedendi apud Romanos non ſolum Tribunis plebis, ſed & aliis magiſtratibus erat, vt ſaepe collega collegae decretis intercederet, idque, quod extremum in iuriſdictione eſt, impediret, ac proinde idem contingeret, quod cecinit OVIDIVS (f):

 Saepe,

(b) *l.* 13. *pr. C. de iudic.*

(c) Cuiac. *obſerv. Lib. XXI. Cap. XXXIII.*

(d) Car. Bret. *de ord. perant. iudicior. ciuil. Cap. XLII.*

(e) *l.* 1. §. 3. *ff. de adpellat. l.* 21. *ff. eod.*

(f) Ouid. *Triſt. Lib. I. eleg. II. v.* 4.

Saepe, premente Deo, fert Deus alter opem.

Exemplum habemus apud CICERONEM (g) qui Piſonem Praet. peregrinum C. Verris, Prætoris vrbani decretis interceſſiſſe, refert his verbis: *Itaque L. Piſo multos codices impleuit earum rerum, in quibus ita interceſſit, quod iſte aliter, atque vt edixerat, decreuiſſet: quod vos oblitos eſſe non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam, iſto praetore, ſolitus ſit conuenire. Quem iſte collegam niſi habuiſſet, lapidibus coopertus eſſet in foro. Sed eo leuiores iſtius iniuriae videbantur, quod erat in aequitate prudentiaque Piſonis paratiſſimum perfugium, quo ſine labore, ſine moleſtia, ſine impenſa, etiam ſine patrono, homines vterentur.* Ad quae CICERONIS verba notauit ASCONIVS: *Intercedere, vt vides, etiam praetor praetori ſolet, vt Piſo Verri, adpellatione cauſſae ad collegam facta.* Et FRANC. HOTOMANNVS, antiquitatis non minus, quam iurisprudentiae, callentiſſimus: Et *Praetor praetori, & conſul conſuli, & par denique omnis poteſtas pari, item & ſuperior inferiori intercedebat. Cicero de legibus III. Par maiorque poteſtas plus valeto.* Quin & alio, eoque eximio C. Trebonii exemplo res illuſtrari poteſt, de quo CAESAR (h); *Iiſdem temporibus Romae M. Coelius Rufus, praetor, cauſſa debitorum ſuſcepta, initio magiſtratus, tribunal ſuum iuxta C. Trebonii praetoris vrbani ſellam collocauit, &, ſi quis adpellaſſet de aeſtimatione & de ſolutionibus, quae per arbitrum fierent, vt Caeſar conſtituerat, fore auxilio, pollicebatur.* Et hoc quidem primum idemque praeſentiſſimum remedium erat, quo Romani, ſi iniqua ſententia oppreſſi eſſent, vtebantur.

§. III.

Adpellatio. Nec minus frequens apud Romanos erat ADPELLATIO. Libera enim republica litigantes modo ad tribunos plebis prouocabant, quorum vox veluti vox populi videbatur (i): modo ad conſules, qui tunc inferioribus magiſtratibus iurisdictionem abrogabant: modo ad ipſum populum, ſummum rerum arbitrum: neque quemquam magiſtratum Romani ſine prouocatione eſſe patiebantur (k). Et ſane adpellatorum Tribunorum plebis exempla exſtant apud CICERONEM (l) & VALERIVM MAXIMVM (m): conſulum apud eundem VALERIVM (n). De prouocatione vero ad populum, cui potiſſi-

(g) Cic. *in Verr.* I. *cap.* XLVI.

(h) Caeſ. *de bello ciuil. Lib. III. cap.* XX.

(i) Lipſ. *de magiſtrat. Rom. Cap. V.*

(k) Sigon. *de iure ciu. Rom. Lib. I. Cap. VI.*

(l) Cic. *pro Quinctio Cap. VII.*

(m) Val. Max. *Lib. VI. Cap. V. Exemplo IV.*

(n) *Lib.* VII. *Cap.* VII. *ex. VI.*

potiſſimum in cauſſis, ad caput ciuis Romani pertinentibus, erat locus, pluribus agunt viri docti ad LIVIVM (o) & SENECAM (p). Poſteaquam deinde in principatum declinare coepit reſpublica, varia, ac plane alia eſſe coepit adpellationum ratio. Quum enim Caeſarem Auguſtum, de reddenda retinendaue republica ſollicitum, prudenter monuiſſet Mecaenas, neminem ita ſummum merumque imperium obtinere in ciuitate debere, vt non prouocari ab eo poſſet (q): morem ei geſſit Auguſtus, *& adpellationes*, teſte SVETONIO (r), *quotannis vrbanorum quidem litigatorum praetori vrbano*, (vel, vt CASAVBONVS mauult, *praefecto urbi*,) *prouincialium conſularibus viris, quos ſingulis cuiuſque prouinciae negotiis praepoſuiſſet, delegauit.* Deinde Nero, Senatui gratificaturus, conſtituerat, vt adpellationes a iudicibus ad ſenatum fierent. (s) Denique paullatim inualuit, vt ab ordine decurionum ad praeſidem (t); a praeſidibus aliis ad praefectum praetorio (u); ab aliis ad praefectum vrbi (x); denique a praetoribus, conſulibus (y), praefecto vrbi (z), praefecto annonae (a), proconſulibus (b), ipſoque ſenatu, antequam aliud conſtitueret Hadrianus, (c) ad principem prouocaretur: quamuis & tunc ad Caeſarem extra ordinem prouocari potuiſſe in cauſſis, ad caput ciuium Romanorum pertinentibus, exemplo PAVLLI, Apoſtoli (d), luculenter poſſit demonſtrari.

§. IV.

Placuit poſtea principibus, tribunalia quaedam ea praerogatiua donare, vt ab iis nulla eſſet prouocatio: quali priuilegio praeter Senatum, cui Hadrianus illud conceſſerat (e), gaudebant praefecti praetorio. Quum enim tanta eorum eſſet auctoritas, vt ea dignitas a ZOSIMO (f) *ἡ ἀρχὴ δευτέρα μετὰ σκῆπτρα*, *magiſtratus a principatu ſecundus*; ab HERODIANO (g) vero *πρᾶξις οὐ πολὺ τῆς ἐξουσίας καὶ δυνάμεως βασιλικῆς ἀποδέουσα*, *poteſtas, non multum diſtans* *Supplicatio & reſtitutio in integrum.*

 a prin-

(o) Liu. *Lib.* I. *Cap.* XXVI. *Lib.* VIII. *Cap.* XXXIII.
(p) Seneca *Epiſt.* CVIII.
(q) *Dio Caſſ. Lib. LII. p.* 487.
(r) Suet. *Aug. Cap. XXXIII.*
(s) Sueton. *Neron. Cap. XVII.*
(t) *L. I. ff. quando adpell.*
(u) *l.* 29. *C. de adpell.*
(x) *l.* 23. *C. eod.*
(y) Iul. Capitolin. *in Marco Cap. X.*
(z) *l.* 38. *ff. de min.*
(a) *l. vlt. ff. quod cum eo, qui in al. pot.*
(b) *l. vlt. ff. de condit. & demon.*
(c) *l.* 1. *ff. a quibus adpell.*
(d) *Actor. Apoſt. XXV.* 11. 12.
(e) *l.* 1. *ff. a quibus adpell.*
(f) Zoſim. *Lib. II. Hiſt. Cap. XXXII.*
(g) Herodian. *Lib. V. Cap. I.*

a principatu vocaretur: noluerunt ab iis prouocari poſſe Imperatores, credentes, *eos, qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide & grauitate, ad huius officii magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos eſſe pro ſapientia ac luce dignitatis ſuae, quam ipſi forent iudicaturi* (h). Ne tamen & ii, qui ab horum tribunalibus triſtiores diſceſſerant, omni auxilio deſtituerentur: his in promtu erat beneficium SVPPLICATIONIS, vel ipſi praefecto praetorio intra decendium, vel Imperatori intra biennium, offerendae (i). Praeterea & ei, qui intra minorennitatem ſententia praefecti praetorio laeſus ſibi videbatur, fas erat, ab ipſo praefecto petere RESTITVTIONEM IN INTEGRVM, quia nullus aliorum magiſtratuum aduerſus praefecti ſententiam quemquam reſtituere poſſet (k). Tot remedia Romani indulgebant litigantibus, ne ſe quisquam iniqua vllius iudicis ſententia oppreſſum eſſe, iure conquereretur.

§. V.

Attamen temere adpellandi pruritus coercebatur praefinito adpellationibus certo tempore.

Enimuero vti rariſſime homines ſatis cauti eſſe ſolent aduerſus bona ſua, ſed beneficiis huiusmodi plerique in aliorum detrimentum nefarie abutuntur: ita nullum eſt dubium, quin & interceſſionibus, adpellationibus, ſupplicationibus, reſtitutionibuſque in integrum & olim ſaepenumero non ad ius ſuum perſequendum, ſed ad aduerſarios diuturnis litibus macerandos turpiter vſi ſint, & hodie quoque vtantur, ceu libello ſingulari, eoque prudentiſſime ſcripto, oſtendit vir eximius, LVDOLPHVS HVGO (l). Quam ob rem Romani nihil fecerunt reliqui, vt illum adpellandi pruritum, quoad eius fieri poſſet, compeſcerent. Eo enim merito retuleris, quod non modo arctiſſimo temporis ſpacio circumſcriberent illam prouocandi licentiam, ſed & fatalia ac peremtoria eſſe vellent interponendae, introducendae, proſequendaeque adpellationis tempora, adeo ut prouocaſſe fruſtra videretur qui non ſeruiiſſet temporibus, quibus, ceu fato ſuo, adpellandi facultas perimitur atque exſpirat. Olim ſane ſuo nomine litigans a ſententia intra biduum; alieno, veluti procurator, defenſor, tutor, intra triduum adpellationem interponere debebat, niſi excludi vellet eo beneficio (m). At IVSTINIANVS (n), laxaturus adpellandi

(h) *l. vn. §. 1. ff. de off. praef. praet.*

(i) *l. vn. C. de off. praef. praet. Nouell. CXIX. Cap. V.*

(k) *l. vn. §. vlt. ff. de off. praef. praet.*

(l) Lud. Hugo *de adpellat. abuſu tollendo. Guelpherb.* 1661. 4.

(m) *l. 1. §. 6. 11. 13. ff. quando adpell. l. pen. ff. eod. l. 6. C. de adpell.*

(n) *Nou. XIII. Cap. I. Auth. hodie C. de adpellat.*

pellandi ſpacium, omnibus promiſcue decem dies indulſit, ſiue a tempore latae ſententiae, ſiue a die notitiae, ſi quis forte non fuiſſet ad audiendam ſententiam rite vocatus, dinumerandos. Quas inducias et hodie per vniuerſum imperium litigantibus concedi, ipſa docet experientia (o). Sic et tempora petendorum apoſtolorum ſeu litterarum dimiſſoriarum, ſatis anguſta, et fatalia tamen erant, puta quinque dierum (p), quamuis id temporis ſpatium poſtea ad triginta dies prorogarint VALENTINIANVS & VALENS A. A. (q). Denique & interponendae & exercendae adpellationi certum tempus erat praefinitum, & illi quidem, ſi prouocans in eadem prouincia degeret, trium; ſin quis extra prouinciam, vel ad principis auditorium prouocaſſet, ſex menſium, vel vnius anni (r): huic anni vnius, & poſtea biennii (s). Quae adpellationum tempora tam accurate erant ab omnibus obſeruanda, vt, qui in eo fuiſſent negligentiores, ii praeſcriptione ſubmouerentur, niſi iuſtum iis obiectum eſſet impedimentum, ſiquidem tunc nouae indulgebantur induciae, quas REPARATIONEM ADPELLATIONVM vocabant veteres, (t) de qua plura viri docti, inprimis IAC. CVIACIVS (u), CAR. BRETVS (x), & IAC. GOTHOFREDVS (y). Quae omnia eo pertinebant, *vt fraena, quoad fieri poſſet, iniicerentur* litigantibus, neque *cuiuis integrum eſſet*, ſub legum praeſidio calumniari, liteſque reddere immortales.

§. VI.

Adpellatione non niſi bis conceſſa.

Ob eamdem cauſſam conſtitutum fuerat, ne liceret in eadem cauſſa tertium adpellare. Tanta enim multorum litigantium pertinacia eſt, vt PLATO (z) eos veteres palaeſtritas imitari velle, ſcribat, qui non niſi tertium proſtrati victos ſeſe eſſe profitebantur. Nam nec litigatores ſemel iterumque cadentes, victas dant manus, ſed ſubinde inſtaurant cum victoribus certamen, non prius porrecturi *herbam*, quam omni collapſi fortuna, vires ſibi deficere, neruumque inciſum eſſe rerum gerendarum, animaduertunt. Eorum

(o) Rittershuſ. *ad Nou. Part. X. Cap. I. §. IV.*

(p) Paull. *Recept. ſentent. Lib. V. tit. XXXIV. §. I. & II.*

(q) *l. 24. C. de adpell.*

(r) *l. vlt. pr. §. 2. C. de temp. adpell.*

(s) *l. vlt. §. 4. C. eod.*

(t) Symmach. *Lib. X. epiſt. LII. tit. C. Iuſtin. & Theodoſ. de tempor. & reparat. adpell.*

(u) Cuiac. *Paratitl. C. Lib. VII. tit. LXIII.*

(x) Bret. *de perant. iud. ord. Cap. XLII.*

(y) Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodoſ. Tom. IV. p. 280. ſeq.*

(z) Plato *de leg. Lib. V.*

Eorum ergo ferociam cohibendam ratus, IVSTINIANVS (a) prudenter ſanxit, *vt, ſi quis in quacumque lite iterum prouocaſſet, non liceret ei tertio in eadem cauſſa, ſuper eodem capite, prouocatione vti, vel ſententias excellentiſſimorum praefectorum retractare.* Exiſtimare quis poſſet, IVSTINIANVM hac notiſſima conſtitutione dilatare magis adpellandi licentiam, quam coanguſtare, voluiſſe, quum CVIACIVS (b) ante eius tempora vnam tantum adpellationem, veluti a duumviris ad praeſidem, permiſſam fuiſſe contendat, idque tum ex lege aliqua CODICIS THEODOSIANI (c), tum ex CASSIODORI (d) teſtimonio colligi poſſe, cenſeat. Enimuero videtur hic ſomnus obrepſiſſe magno illi Homero, vt non meminerit, ex ipſis legibus noſtris luculenter poſſe probari, ſaepe & ante Iuſtiniani tempora non ſemel, ſed iterum eſſe prouocatum. Praeterquam enim quod Aemilii Lariani heredem, Rutilianam, victam tum apud praetorem, tum apud praefectum vrbi, iterum prouocaſſe, refert IVL. PAVLLVS (e): etiam SCAEVOLA (f) teſtatur, heredem quemdam apud iudicem tutelarem victum, ad iudicem competentem, & ab eo quoque ad ipſum principem adpellaſſe. Nec lex ipſa, quam ex Codice Theodoſiano attulit vir incomparabilis, ad rem facit, quum ibi VALENTINIANVS & imperii collegae non prohibeant, gemino iudicio ſuperatum, tertium aleam experiri, ſed id tantum ſanciant, *vt, ſi iterum prouocandum eſſe duxerit, ab eo ad petitorem mox poſſeſſio transferatur*, id eſt, vt repetita illa adpellatio exſequutionem non moretur, ceu conſtitutionem illam erudite interpretatus eſt IAC. GOTHOFREDVS (g). Nec plus praeſidii CVIACIO eſt in CASSIODORI teſtimonio, quippe qui Gothorum ius deſcribit, a Romano ſaepe diuerſiſſimum. Quare potius certiſſimum eſt, poſt Iuſtiniani tempora tantum hominibus fuiſſe litigandi pruritum, vt non contenti, ſemel iterumque prouocaſſe, tertium quoque ipſum fatigare Imperatorem non dubitarent, idque impuliſſe IVSTINIANVM, vt tertiam prouocationem ſeuera lege prohiberet, quamuis recuſari iudicem, a praefecto praetorio datum, ante litis conteſtationem permitteret, neque eam recuſationem litiganti pro noua inſtantia vellet imputari.

§. VII.

(a) *l. vn. C. ne lic. in vna ead. cauſſa.*

(b) Cuiac. *paratitl. Cod. Lib. VII. tit. LXX.*

(c) *l. 1. C. Theod. de poſſeſſ. ab eo, qui bis prouoc. transferenda.*

(d) Caſſiod. *Variar. Lib. IX. Cap. XVIII.*

(e) *l. 38. ff. de minor.*

(f) *l. 122. §. 8. ff. de verbor. obligat.*

(g) Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodoſ. Tom. IV. p. 317.*

§. VII.

Et quibuſdam caſibus plane prohibita & adpellatione & ſupplicatione.

Sunt & alia huius generis, eodem conſilio a legislatoribus reperta, in primis, quod non permitterent, vt prouocaretur in omnibus cauſſis, ſed quasdam vna ſententia definitiua terminari iuberent. Sic non recipiebantur adpellationes facinoroſorum, ſi iam vel conuicti, vel ſine tormentis confeſſi eſſent (h): nec eorum, qui illi remedio vltro renunciaſſent (i): nec contumacium, quippe indigniſſimorum tanto beneficio (k). Nec magis admittendas putabant adpellationes in cauſſis alimentorum, ſimilibusque, quae moram ferre non videbantur: veluti debitorum fiſcalium, (l) & tributorum (m). Denique adpellari vetabant tum ab interloquutionibus, niſi vim definitiuarum habentibus, damnumque inferentibus irreparabile (n), tum a definitiuis in cauſſis poſſeſſionum (o), tum ab exſequutione ſententiarum, niſi forte exſequutor vel modum iudicati excederet, vel turbato ordine procederet (p). Similiter & ſupplicationis beneficium non paſſim omnibus indulgeri placuerat. Ne enim vileſceret tanti auxilii dignitas, non recipiebantur ſupplicationes in cauſſis, *in quibus nec prouocatio* erat permiſſa, veluti *in crimine perduellionis* (q), *ruptorum Nili aggerum (r), ac ſimilibus. Obiter monemus,* CAROLVM BRETVM *(s) tamquam rem notatu dignam* obſeruare, ſollemne fuiſſe Romanis, precibus, principi offerendis tamquam ex formula ſubiungere verba: VOTA PRO SALVTE TVA FACIMVS, eaque tam viſa eſſe neceſſaria, vt quum Rhodii magiſtratus illa aliquando omiſiſſent, ea adiici iuſſerit Tiberius. Sed quamuis res ipſa nota ſit ex DIONE CASSIO (t), & SVETONIO (u): nihil tamen illa facit ad ſupplicationem illam, qua ſententias, ſibi aduerſas, euertere conabantur litigantes, nec quemquam ideo illo beneficio priuatum eſſe legimus, quod verba iſta ſollemnia omiſerit: vt adeo non pertineant ad fraenum illud, quod temere prouocantibus iniiciendum eſſe exiſtimabant principes Romanorum.

(h) *l. 15. ff. de adpell.*

(i) *l. 1. §. 3. ff. a quib. adpell. non lic.*

(k) *l. 23. §. vlt. ff. de adpell.*

(l) *l. vlt. pr. ff. de adpell. recip.*

(m) *l. 4. C. quorum adpell. non recip.*

(n) *l. 36. C. de adpell.*

(o) *l. vn. C. ſi de moment. poſſ.* Symmach. *Lib.* X. *epiſt.* XLI.

(p) L. 4. *pr. ff. de adpell.*

(q) *l. 5. C. ad leg. Iul. maieſt.*

(r) *l. 1. C. de Nili agger.*

(s) *Car. Bret. de perant. iudic. ordine Cap.* XLIII.

(t) *Dio Caſſ. Lib.* LVII. *p.* 608.

(u) Sueton. *Tiber. Cap.* XXXII.

§. VIII.

Inſtituti ratio, & conſilium agendi de pecunia ſuccumbentiae.

Omittimus iam alia, quibus fraena iniici poſſe hodie credunt iis, qui remediis tam ſapienter repertis abuti, liteſque ex litibus ſerere conantur, quale etiam eſt iuſiurandum calumniae, alicubi ab adpellantibus praeſtandum. Nobis enim de PECVNIA AB ADPELLANTIBVS, ALIISQVE REMEDIIS SENTENTIAM IMPVGNANTIBVS, DEPONENDA quaedam diſſerere conſilium eſt. Neſcio enim, an ſit quidquam, quod praeceps adpellandi conſilium magis impediat, quam illa pecuniae depoſitio, quam vulgo vocant *die Succumbenz-Gelder*. Nam quum ea ſit hominum quorumdam indoles, vt illis minoris ſit fama atque exiſtimatio, quam pecunia, aliique huic ne mentem quidem recti conſciam anteponendam eſſe ſtatuant: facile eſt ad exiſtimandum, homines, quos nec pudor ac verecundia, nec religio a litigandi pruritu cohibet, non tamen ad remedia iſta temere eſſe prouolaturos, ſi certam pecuniae ſummam, cuius iacturam aequo animo ferre non poſſint, veluti aleae exponendam eſſe videant. Quamuis vero probe meminerim, in academia Ienenſi hoc thema iam occupaſſe iureconſultum olim celeberrimum, CHRISTIANVM WILDVOGEL (x), ego tamen, quantum in me fuit, operam dedi, ne actum agerem, vel viro doctiſſimo quaedam ſublegerem, ſed ea potiſſimum, quae ille vel praetermiſit, vel non ſatis expoſuit, conſectarer. Quis vero poſt meſſem prohibeat ſpicilegium?

§. IX.

Origo huius pecuniae an ab Athenienſibus?

Primum ergo, vt de ipſa rei origine ſimus ſolliciti, non nouum eſſe hoc inſtitutum, nec heri aut nudius tertius natum, ſed iam inde ab antiquiſſimis ductum temporibus, & ſapientiſſimarum gentium firmatum conſenſu, animaduerto. Iam enim a viro doctiſſimo, NIC. HERTIO (y), obſeruatum eſt, ipſis Athenienſibus illam litigandi pertinaciam cohibendi rationem non plane ignotam fuiſſe. Sane Athenis ab iis, qui in iudicio Heliaſtico de iure experiri vellent, deponendae erant certae ſummae pecuniae, quarum aliam παράστασιν, aliam ἐπωβελίαν, aliam πρυτανεῖα, aliam denique παρακαταβολὴν vocabant. PRYTANEA vero, quae vel maxime huc pertinent, ita deſcribit CAR. SIGONIVS (yy): *Prytanea Pollux cum Harpocratione conſentit pecuniam fuiſſe, quam ante iudicium actorem &*

(x) Wildvogel *Diſſ. de pecunia ſuccumbentiae Ien.* MDCCVIII.
(y) Hertius *de iudicio reuiſorio* §. XXVI.
(yy) Car. Sigon. *de republ. Athenienſ. Lib. III. Cap. IV.*

& reum deponere oportuit; qui vero iudicio facto victus eſſet, pro vtroque iudicibus perſoluit, moriſque fuiſſe, addit, vt, qui de ſumma centum drachmarum vſque ad mille contenderent, tres drachmas deponerent, qui de mille vſque ad decem millia ; triginta. Sed ſatius fuerit ipſa legere IVLII POLLVCIS (z) verba, quæ ita ſe habent: Τὰ μὲν πρυτανεῖα ὡρισμένα, ὅ, τι ἔδει καταβαλεῖν πρὸ τῆς δίκης τὸν διώκοντα, καὶ τὸν διωκόμενον. εἰ δὲ μὴ, διέγραφον τὴν δίκην οἱ εἰσαγωγεῖς· ὁ δὲ ἡττηθεὶς ἀπεδίδου τὸ παρ᾽ ἀμφοτέρων δοθὲν· ἐλάμβανον δὲ αὐτὸ οἱ δικασταί. *Prytanea definita erat pecunia, ante actionem ab actore & reo deponenda. Quod ſi non fieret, actionem hanc introductores cauſſarum debebant: victus vero vtrumque depoſitum perſoluebat, illudque cedebat iudicibus.* Quibus gemina ſunt haec SVIDAE (a): πρυτανεῖα πρόσοδος εἰς τὰ δημόσια καταταττομένη, ἣν οἱ δικαζόμενοι τισι, καὶ ἡττηθέντες κατέβαλλον, ὡρισμένην ζημίαν κατατιθέντες ἕκαστος. *Prytanea, pecunia, quae in aerarium inferebatur: quam illi, qui litigabant, & cauſſa cadebant, in iudicio depoſitam, vt ſtatutam mulctam ſoluebant.* Quamuis vero fatendum omnino ſit, haec prytanea non multum diſcrepare a pecunia illa, quam hodie in euentum litis deponi nouimus: diſcrepare tamen, nemo, qui vtrumque inſtitutum inter ſe contenderit, inficiabitur. In noſtris enim foris non in prima inſtantia, ſed in ſequentibus demum haec pecunia deponitur: apud Athenienſes ſub ipſum litis exordium. Apud nos non vtraque pars eam deponit, ſed alterutra, quae adpellatione alioue remedio ſententiam impugnat: apud Athenienſes eadem erat amborum litigantium conditio. Denique ſi vel maxime ſimillimi hac in re eſſent Athenienſium ac Germanorum mores, neminem tamen arbitramur futurum, qui hanc pecuniae depoſitionem Germanos ab Athenienſibus accepiſſe exiſtimet, qui nullam iam pridem habebant rempublicam, quum Germani Romanis innoteſcere coepiſſent.

§. X.

An a Romanis & quidem ex l. 5. C. quor. adpell. non recip.

Quare laudatiſſimus WILDVOGELIVS (b) potius a Romanis hunc morem ad Germanos permanaſſe, ſuſpicatur, eoque refert conſtitutionem VALENTIS, GRATIANI, & VALENTINIANI AAA (c). *Sciant autem prouocatores, ſe vel ab exſequutione adpellantes, vel ab articulo, ſi, eos perperam intentionem cognitoris ſuſpendiſſe, claruerit,*

(z) Iul. Pollux. *Lib. VIII. Onomaſt. Segm. XXXVIII.*

(a) Suid. *ſub. voce* πρυτανεῖα *T. III. p. 220. edit. Kuſteri.*

(b) Wildvogel *Diſſ. de pecunia ſuccumb.* §. *XV.*

(c) *l. 5. fin. C. quor. adpell. non recip.*

rit, quinquaginta librarum argenti animaduerſione mulctandos. Sed veremur, ne haec lex parum ad rem faciat. Ne enim iam non vrgeamus, pecuniam hanc non deponi in anteceſſum, ſed poſtea: non omnem adpellandi temeritatem hac pecunia coercebant Romani, ſed eam dumtaxat, quando *ab exſequutione*, vel *ab articulo* interponebatur. *Articulos* autem, quem & *praeiudicium* vocabant veteres, hic idem eſt, ac interloquutio (d): vnde & in BASILICIS (e) vel ab articulo vertitur κατὰ διαλαλιᾶς: quo vocabulo graecos interpretes ſemper deſcribere interloquutionem, vel ex DIONYSII GOTHOFREDI *gloſſario*, *Harmenopuli Procheiro ſubiuncto patet.* Denique quando poena illa quinquaginta argenti libris definitur, ne id quidem moribus noſtratibus quadrat, ac proinde non modo GROENEWEGIVS (f), ſed & alii, vllum huius conſtitutionis vſum eſſe, negant, quum depoſitionem illam pecuniae paſſim receptam eſſe, non ignorarint.

§. XI.

An ex l. 6. §. 4. C. de adpellat. & L. 10. C. Theod. de adpell. non recip.

Equidem magis ad rem facere videtur altera, quam laudatiſſimus WILDVOGEL ad partes vocat, DIOCLETIANI & MAXIMIANI conſtitutio (g), quae talis eſt: *Ne temere te paſſim prouocandi omnibus facultas praebeatur, arbitramur, eum, qui malam litem fuerit proſequutus, mediocriter poenam a competente iudice ſuſtinere.* Hic ſane non iis tantum, qui ab exſequutione vel articulo prouocauerint, ſed omnibus temere adpellantibus mulcta irrogatur: non a ſuperiore iudice, ſed ab inferiore, a quo adpellatur, ceu ex variis CODICIS THEODOSIANI locis (h) demonſtrauit IAC. GOTHOFREDVS. (i) Denique non quinquaginta libris, aliaue certa ſumma, hanc pecuniam aeſtimant principes, ſed eam mediocrem eſſe volunt, ac proinde eam iudicis relinquunt arbitrio, quem ex perſonae conditione, cauſſaeque qualitate aeſtimare oporteat, quantam a temere adpellante mulctam exigendam exiſtimet. At quum ne hic quidem vel de deponenda illa mulcta, vel de cautione eo nomine praeſtanda quidquam caueatur: ne hanc quidem conſtitutionem occaſionem huic inſtituto dediſſe, veroſimile eſt. Minime omnium vero de hac pecuniae depoſitione agit tertia, quam idem vir doctiſſi-

(d) Iac. Gothofr. *ad Cod. Theod. Tom. IV. p.* 295.

(e) Baſilic. *Lib. IX. tit. I.* §. *CXLV.*

(f) Groeneweg. *de leg. abrog. tit. de adpell. non recip.* Cypr. Regn. ab Oeſterga *Cenſ. Belgic. Cod. Lib. VII. tit. LXV.*

(g) *l. 6.* §. 4. *C. de adpell.*

(h) *l.* 10. *l.* 44. *l.* 50. *l.* 60. *C. Theodoſ. de adpell. l.* 15. *l.* 16. *l.* 30. *Cod. Theod. quor. adpell. non recip.*

(i) Iac. Gothofr. *ad Cod. Theod. Tom. IV. p.* 262.

doctiſſimus laudauit, CONSTANTII conſtitutio (k) tantum enim abeſt, vt illa mulctam irroget adpellantibus, vel eam ab his deponi iubeat, vt potius Imperator, indignatus, Proclianum, Africae Proconſulem, prouocationem aduerſus fiſcum admiſiſſe, eum quinquaginta argenti pondo poenae nomine inferre velit, *quod prouocationem contra commodum fiſci receperit, ſolutionemque vitanti praebuerit culpabilem conniuentiam.* Adpellationes enim huiuſmodi recipi grauiter vetuerat ipſe CONSTANTINVS (l) ac proinde non tam prouocans, quam proconſul, qui prouocationi contra leges locum dederat, mulctam illam commeruiſſe videbatur.

§. XII.

An ex Paulli receptis ſententiis.

Quum itaque in iure tum IVSTINIANEO, tum THEODOSIANO fruſtra quaerant pecuniae iſtius, ab adpellantibus deponendae, originem: operae pretium fuerit, diſpicere, an non ſaltim in iure vetere, quod ante Theodoſium & Iuſtinianum in foro viguit, quaedam eius veſtigia ſuperſint? Talia vero, eaque expreſſiſſima notare nobis videmur in fragmentis PAVLLI (m), qui titulum ſingularem inſcripſit *de cautionibus & poenis adpellantium.* In eo obſeruat iureconſultus, prouocantes intra quinquaginta dies vtiles, a tempore acceptorum apoſtolorum dinumerandos, cauere, aut certam pecuniam, vel pignus deponere debuiſſe in eam legem, vt ſi contra eos fuerit pronunciatum, perderent, quod depoſuiſſent. Addit (n) „ recte exprimi oportere huius mulctae quantitatem, adſertores vero, & qui in cauſſis pecuniariis adpellauerint, in iudicati partem cauere, vel eam deponere conſueuiſſe. Habes hic ſane pecuniam ab adpellantibus in anteceſſum deponendam, vel a fideiuſſoribus promittendam, & in commiſſum poſtea caſuram, ſi contra adpellantem fuerit pronunciatum; quae ipſa eſt illa depoſitio, quam hodie vocant *Succumbenz-Gelder.* Praeterea haec tam amare exigebatur, vt, ſi cui nec pecuniae, nec fideiuſſorum eſſet copia, eum ipſa egeſtas a facultate adpellandi excluderet, ceu ex teſtimonio VLPIANI (o) luculenter demonſtrauit CVIACIVS (p). Meminit eiuſdem pecuniae vel mulctae CORNELIVS TACITVS (q), ex quo ſimul diſcimus, iam ante Neronis tempora, eos tantum, qui

(k) *l.* 10. *C. Theod. quor. adpell. non recip.*

(l) *l.* 6. *l.* 8. *l.* 9. *C. Theod. quor. adpell. non recip. l.* 6. *C. de iure fiſci.*

(m) Paul. *recept. ſentent. lib. V. tit.* XXXIII. §. 1. 2.

(n) *ibid.* §. *VI. VII.*

(o) *l.* 8. *§.* 8. *ff. mandati.*

(p) Cuiac. *obſeru. Lib. XXI. Cap.* XXXIII.

(q) Tacit. *Ann. Lib. XIV. Cap.* XXVIII.

qui ad principem prouocaſſent, certam pecuniae ſummam aleae exponere coactos, poſteaque eam legem ad illos quoque, qui ad Senatum adpellaſſent, porrectam eſſe. Ita enim intelligenda ſunt auctoris grauiſſimi verba: *Auxit patrum honorem, ſtatuendo, vt, qui a priuatis iudicibus ad ſenatum prouocaſſent, eiuſdem pecuniae periculum facerent, cuius ii, qui Imperatorem appellauere, nam ante vacuum id, ſolutumque poena fuerat.* Quo tempore haec poena ad reliquas adpellationes demum porrecta ſit, nondum liquet: id vero tam certum, quam quod certiſſimum eſt, poenam hanc, quatenus in anteceſſum deponenda, vel per fideiuſſores ſpondenda erat, poſtea ſublatam, & primum in mulctam arbitrariam (r), poſtea in quinquaginta argenti libras conuerſam eſſe: vltra quam ſummam quidquam ab adpellantibus extorqueri vetuerunt Imperatores (s).

§. XIII.

Depoſitio illa vere eſt ex iure Germanico.

Quamuis vero ea, quae ex PAVLLI receptis ſententiis decerpſimus, tam gemina ſint illis, quae de pecunia ab adpellantibus ſententiasque impugnantibus deponenda in hodiernis conſtitutionibus occurrunt, vt vix ouum ouo ſimilius eſſe videatur: tamen hoc ipſum ius antiquum Romanorum huic inſtituto non magis occaſionem dare potuit, quam illa prytanea Athenienſium, de quibus ſupra diximus. In iure enim Iuſtinianeo, quod ſolum in fora recepimus, nullum eius rei vel vola vel veſtigium exſtat. PAVLLI vero receptae ſententiae non modo tardius, anno puta MDXXVIII. cura IO. SICHARDI primum in lucem prodierunt, ſed & poſtea tantum CVIACIO, paucisque aliis iureconſultis humanioribus, fuerunt in deliciis, nec umquam aliquam in foro auctoritatem ſunt conſequutae. Quumque ne ius quidem canonicum & pontificium, ex quo alioquin pleraque, quae ad litigandi rationem atque ordinem pertinent, in fora noſtra promanarunt, hanc pecuniae depoſitionem exigat: conſequens eſt, vt eius origo ex ipſo iure patrio ſit repetenda. Quidquid enim in Germanorum foro deprehendimus, quod nec in iure Romano, nec in canonico vel pontificio praeſidium reperit, id fere ex vetere iurisprudentia patria retinuiſſe poſteros, recte vidit acutiſſimus HERM. CONRINGIVS (t), ſimul obſeruans, *quamuis paſſim per Germaniae fora Romanum ius coeperit, & multae priſcae leges & conſuetudines obſeruari deſierint: non tamen vſquam locorum hoc ius ſolum receptum eſſe,*

(r) L. 6. §. 4. *C. de adpell.*
(s) L. 43. C. *Theod. eod.*

(t) Conring. *de orig. iur. Germ. Cap.* XXXIII.

eſſe, omnibus priſcis moribus atque inſtitutis abrogatis. Id quod vel inde manifeſtum fieri ait, *quod hodieque paſſim per vniuerſam Germaniam plurima edicantur, & promulgentur, quae a Romanis inſtitutis immane quantum diſſideant.* Sed hoc quidem tot exemplis in *elementis iuris Germanici* probauit PRAESES doctiſſimus, vt cauſſam omnino peroraſſe videatur.

§. XIV.

Quod probatur ex legibus antiquis.

Noua igitur ſcena hic nobis panditur, diſquiſituris, an non inſtituti huius origines multo certius ex ipſis patrii iuris fontibus deriuare liceat? Et hic vero primum incidimus in LEGEM hanc LANGOBARDICAM (u) vere Germanicam: *Si quis cauſſam habuerit, & ſculdais aut iudex ei ſecundum edicti tenorem & per legem iudicauerit, & ipſe ſtare in eodem iudicio minime voluerit: componat illi, qui iudicauit, ſol. XX.* Quae, vt rectius intelligantur, in memoriam reuocandum eſt, maiores noſtros non habuiſſe certum temporis ſpacium, quo demum elapſo ſententia vires rei iudicatae adquiſiuerit: ſed iudicem, promulgata ſententia, protinus quaeſiuiſſe ex litigantibus, vtrum in ea adquieſcere, an eam impugnare, vel, vti veteres loquebantur, BLASPHEMARE mallent? Alterutrum in continenti fieri oportebat, &, ſi tergiuerſarentur advocati, ii in vinculis publicis tantiſper habebantur, dum vel ratam haberent, vel oppugnarent ſententiam. Hinc CAROLVS M. (x): *De clamatoribus & cauſſidicis, qui nec iudicio ſcabinorum adquieſcere, nec blaſphemare volunt, antiqua conſuetudo ſeruetur, id eſt, vt in cuſtodia recludantur, donec vnum e duobus faciant:* quae totidem paene verbis in LEGE LANGOBARDICA (y) repetuntur. Iam ſi prius faciebant litigantes, eorumue aduocati, qui hic a clamore ſollemni iudiciali *clamatores* vel *reclamatores* vocantur: (z) nec cauſſam retractare fas erat, *nec flagitare iudicium, de cauſſa quae definita, vel iudicata fuerat:* (a) idque, ſiquis facere non dubitaret teſtibuſque vel certamine ſingulari conuinci poſſet, cauſſam iam eſſe iudicio terminatam, apud Alamannos XL. (b) apud Langobardos XV. ſolidis mulctabatur, immo ex horum lege, ſi ſoluendo non eſſet, totidem flagra corpore, excipere cogebatur. (c) Sin quis improbaret ſententiam, ab eaque temere prouocaret, victus XX. ſolidis mulctabatur, de eoque caſu

(u) Lex Langob. *Lib. II. tit. XLI.* §. *IV.*

(x) Capitular. *Lib. III. Cap. VII.*

(y) Lex Langob. *Lib. II. tit. LIII.* §. *XXII.*

(z) Dn. Praeſes *in Elem. Iur. Germ. Lib. III.* §. *LXXXII.*

(a) Capitular. *Lib. VII.* §. CCCLI.

(b) Lex Alam. *tit. CIV.*

(c) Lex Langob. *Lib. II. tit. XX.*

caſu lex noſtra loquitur. Equidem vtrum deponenda ſtatim haec mulcta, an eo nomine ſatis dandum fuerit, non ſatis conſtat. Poſterius tamen tanto probabilius videtur, quanto certius eſt, iudices apud Langobardos omnibus fere caſibus, quibus litigantes facere quid vel dare oportebat; vel pignora, ſeu *Vadia*, vel fideiuſſores exegiſſe (d). Itaque recte ANDR. DE BARVLO (e), hanc LEGIS LANGOB. diſpoſitionem comparat cum *L. 5. C. quor. adpell. non recip.* eamque adeo ad poenam temere adpellantium pertinere fatetur.

§. XV.

Ex iure Saxonico. Multa luculentiora ſunt, quae in medii aeui iuribus deprehendimus, huius pecuniae, ab adpellantibus deponendae, veſtigia. Nam & SAXONIBVS non erant certi dies, intra quos in rem iudicatam tranſiret ſententia: ſed illa in continenti aut rata habenda, aut impugnanda erat. Hinc ius PROV. SAXONICVM (f), *welche Gabe der Mann ſiehet vergeben wieder ſich, oder welche Vrtheil er finden hôret wieder Recht: Wiederredet er das zur Hand nicht, ſo mag ers hernach nicht wiederreden*, vbi quidem MELCHIOR KLINGIVS (g) illud *zur Hand* explicat *zu gebührender Zeit, als in zehen Tagen*, ſed perperam, & ex genio illorum temporum, quibus doctores tunc demum optime ſibi functi videbantur interpretum officio, ſi iura patria ex Romanis interpretarentur. Sane enim illud *zur Hand* non idem eſt, ac intra decendium, ſed in continenti, quandoquidem & apud Saxones interrogabantur litigantes ratamne habere, an impugnare, illa protinus pro re iudicata erat. Hinc *Gloſſa: Nach Sachſen-Recht fragt man allezeit, ob einer ein gefunden Vrtheil vollworten volle? In welches, da er alſo eins verwilliget, billig mag er es darnach nicht wieder ſchelten.* Quid ſi illud impugnare mallet? Id quoque in continenti fieri oportebat, eodem fere modo, quem deſcribit MACER, iure conſultus (h). Quemadmodum enim, *ſi quis apud acta adpellaret; ſatis eſſe videbatur, ſi diceret:* ADPELLO: ita apud Saxones is, cui iniqua videbatur ſententia, ſtans (nam qui ſedens id faciebat, mulctam debebat iudici, (i) hac ſimiliue vtebatur formula: *Das Vrtheil, dar des Mann funden hat, iſt unrecht das ſchelte ich, vnd ziehe mich des, da ich das durch*

(d) Lex Langob. *Lib. II. tit. XXI.* §. *XVIII.*

(e) Andr. de Barulo *in Leg. Langob. tit. XXIX.*

(f) *Ius prou. Saxon. Lib. II. art. VI.*

(g) Kling. *in Sachſen-Spiegel fol. LIV.*

(h) *l. 2. ff. de adpell.*

(i) Ius prou. Sax. *Lib. II. art. XII.* Ius prou. Suevic. *Cap. LXXIX. & LXXX. §. IV.*

durch Recht billig hinziehen ſoll, vnd bitte eines Antheils, wohin ich das billig ziehen ſoll? (k) Interpoſita hoc modo adpellatione, & cauſſa ad iudicem ſuperiorem, veluti Regem vel Imperatorem deuoluta, cauſſae adpellationis reddendae erant in proxima curia ſollemni, quae intra prouinciam indicebatur, ſed ita ut res ageretur inter prouocantem & iudicem, cuius officium erat, ſententiam ſuam tueri, & in curiam mittere viros aliquot ingenuos (*ſchoeppenbar-freyeleute*) eoſque cum famulitio & equis commeatu inſtruere (l). Quod, quantis cum ſumtibus coniunctum fuerit, facile vnus quiſque animaduertit. Redditis in curia cauſſis adpellationis, protinus ferebatur ſententia, neque hanc inſtantiam durare oportebat, vltra ſex hebdomades, intra quas legati ſententiam domum referre tenebantur (m). Haec, ſi eſſet reformatoria, ſcabinus prioris ſententiae auctor, & quotquot ipſi ſuffragati fuerant, argenti libram victori debebant: In confirmatoria: is, qui calumnioſe ſententiam impugnauerat, non modo ſumtus reſtituere, verum etiam mulctam & iudici & ſcabino, ſententiae auctori, exſoluere cogebatur: IVS PROV. SAXONICVM (n): *Wer das Vrtheil geſcholten hat, vollkommet er das nicht, er muſs darum wetten dem Richter, und ienem ſeine Buſſe geben, des Vrtheil er geſcholten hat, vnd dem Richter ſeine Koſt gelten, die er mit ſeinem Bothen verthan hat.* En poenam temere adpellantium, quam vel deponi in anteceſſum, vel a fideiuſſoribus ſpondendam fuiſſe, eo minus videtur dubitandum, quo certius conſtat, iudices apud Saxones, imminente mulcta, non ſequutos eſſe fidem litigantium, ſed eos fere ſemper ad cautionem eo nomine praeſtandam adegiſſe (o).

§. XVI.

Moris huius patrii poſteris quoque ſanctiſſimam manſiſſe cuſtodiam, argumento ſunt ſtatuta paullo antiquiora, quorum quaedam tantum hic euoluere iuuabit. Exſtant apud LEIBNITIVM *leges municipales Goslarienſes*, in quibus cum alia priſci moris, tum & poenae illius temere adpellantium expreſſiſſima veſtigia deprehendimus. Nam quemadmodum Goslarienſes in eo imitabantur Saxones, quod ſententiam in continenti vel ratam haberi, vel ſtante

Ex ſtatutis antiquioribus.

(k) Ius prou. Sax. *Lib. II. art. XII.* Sueu. *Cap.* CVIII. §. *IV.*

(l) Ius prou. Sax. *ibid.* Sueu. *Cap.* CVI. §. *II.*

(m) Ius prou. Sax. *ibid.* Sueu. *Cap.* CVI. §. *II.*

(n) Ius prou. Sax. *Lib. II. Art. XII.*

(o) Ius prou. Sax. *Lib. III. art. XII. & Lib. II. Art. X.*

ſtante pede (*ſtander ſtedte*) impugnari vellent (p): ita & poenam eorum exemplo irrogabant prouocantibus, ſi prior ſententia a iudice ſuperiore confirmaretur. Hinc ibidem legimus (q): *Schilt man eyn Ordel, de dat heuet geſchulden, de mot deme Voyde wedden, vnde deme Sackwolden boten deme dat Ordel to vromen geunden* is, *off he dat weder dreuen* wert, *dat he dat to unrechte geſchulden hebbe:* vti id notatu dignum videtur, quod apud Goslarienſes mulcta non iudici & ſcabino, qui ſententiam tulerat, ſed iudici & victori eſſet exſoluenda. Ceterum & in hac vrbe vnumquemque, a quo mulcta exſpectabatur, cautionem eo nomine praeſtare debuiſſe, ex alio ſtatutorum iſtorum loco patet (r). Gemina paene his ſunt STATVTA vetuſta COLONIENSIVM (s) quibus cauetur, vt impugnaturus ſententiam, id faciat per tabellionem in continenti, & ſtante pede; (*vnverwandten Fuſſes*) nudo capite, ſine armis, formula recepta, eique, quam ſupra ex IVRE SAXONICO & SVEVICO adduximus, fere per omnia ſimile. Ne vero impune quis ferat prouocantis temeritatem, adpellans ſatisdare, aut poſito pignore cauere iubetur, ſe, ſi ſuccubuerit, iudici marcam argenti & ſcabino duas marcas exſoluturum, addita comminatione, pro deſerta habitum iri adpellationem, niſi ita cautum ſatis datumque fuiſſet. Denique & IVS STATVTARIVM HAMBVRGENSE (t) neminem ab inferiore iudicio ad Senatum prouocare patitur, niſi depoſita pecunia, exigua illa quidem & coercendae prouocantium pertinaciae vix idonea, at quae tamen priſcam conſuetudinem referre videtur. *Wer von geſprochenen Vrtheil des Vntergerichts an den Rath appelliren will, der ſoll ſolches nach* ALTER GEWOHNHEIT *mit Darlegung ſechs Schilling lübiſch auf ſtehenden Fuſs alsbald thun.* Ex quibus ſane omnibus facile intelligi poſſe arbitramur, & poenam illam temere adpellantium, & eiuſdem depoſitionem non eſſe ex iure Romano, ſed patrio, & prius illam in Germaniae foris obtinuiſſe, quam ius Rom. in illa paullatim penetrarit.

§. XVII.

Huius ſuccumbentiae vſus, na-

Quemadmodum vero iuris ciuilis Romanorum, poſtquam ſemel ſibi viam in Germaniam muniuit, non eadem vbique fata fuerunt, ſiquidem alibi priſcos patriae mores paene in exſilium egit, alibi,

(p) Statuta Gosl. *tit. van Ordelen* §. CCXXI. *ſequ. ap.* Leibnit. *Script. rerum Brunſu. Tom. III. p.* 524.

(q) *ibid.* CCXXVII.

(r) *ibid. tit. wes men vveren ſchall* §. CCI. *ſequ. p.* 524.

(s) Statuta Colon. *tit.* I.

(t) Ius Statut. Hamb. *Part. I. tit.* XXXVII. §. 1.

alibi, ſaluis illis, vel pleriſque ſaltim non abrogatis in ſubſidium receptum eſt : ita idem in hac pecunia ab adpellantibus aliiſque, qui ſententias impugnant, deponenda contigiſſe animaduertimus. Alibi enim illam ignorant, alibi hodieque amare exigere ſolent. Et ſane ei locum eſſe, obſeruamus in ipſa Camera Imperii, ſi quando reuiſio actorum petitur in prouinciis Moguntinis, Pruſſicis, Palatinis, Wurtenbergicis, Haſſiacis, Saxonicis, extra Electoratum, Holſaticis, comitatu Lippiae, vrbibus item Colonienſi, Hamburgenſi, Lipſienſi & aliis, quarum magnum recenſum, ex actis ad illuſtrem ICtorum ordinem, tum Viadrinum tum Halenſem tranſmiſſis, contextum, mecum communicauit PRAESES grauiſſimus. Quamuis vero non eadem vbique ſit huius inſtituti ratio : ſunt tamen, in quibus vel omnibus vel pleriſque inter ſe conuenit. Nimirum, I. quod temere adpellantes, vel alio remedio impugnantes ſententiam, poena quadam pecuniaria mulctandos, veluti ex compacto ſtatuunt : II. Quod poenae illius quantitatem legibus, vel ſaltim ἐν πλάτει definiendam putant : III. Quod de ea pecunia vel ſatis dari, vel eam in iudicio *deponi* iubent : quamuis poſterius vel ideo *magis* *pleriſque placeat*, quod a *depoſitione* & *repraeſentatione* pecuniae *magis abhorrere ſolent homines, quam ab eiuſdem promiſſione*, quippe quam ſe variis artibus poſtea eliſuros, *nefarie* plerumque ſperant. IV. Quod, ea non praeſtita conditione, prouocandi aliiſque remediis vtendi facultas denegatur : Denique : V. quod committitur illa pecunia, ſi ex euentu conſtat, temere & calumniae cauſſa prouocatum, aliudue remedium adhibitum eſſe. Quibus poſitis, nemo non intelligit, PECVNIAM SVCCVMBENTIAE (ita enim eam vocare ſolent pragmatici) eſſe poenam pecuniariam, legibus definitam, ab iis, qui vel adpellatione vel alio remedio vſuri ſunt, *niſi* ea facultate priuari velint, in anteceſſum *deponendam*, ea lege atque omine, vt ſi eos temere illo remedio vſos eſſe adpareat, pecunia iſta in commiſſum cadat.

tura & indoles.

§. XVIII.

Quum itaque haec pecunia legibus definiatur, leges vero ferre ſit eorum, quos penes ſummum in republ. imperium eſt : merito inde colligimus, non eſſe iudicis cuiuſcumque, hanc poenam pecuniariam exigere, niſi eam exigi permittant iubeantque ipſi legislatores. Iam pridem GRATIANVS Aug. cum collegiis ſanxerat (u) : *Prouocantibus mulctas, niſi ex noſtris* DECRETIS, *non*

Eam, deficiente lege vel conſuetudine, exigere non poſſunt iudices.

(u) *l.* 4. *Cod. Theod. de adpell. & conſult.*

patimur imponi. Decretum vero ibi, obſeruante IAC. GOTHOFREDO (x) nihil aliud eſt, quam conſtitutio principum, vt merito mireris, in mentem venire potuiſſe IAC. RAEVARDO (y), ex huius conſtitutionis ſententia in iudicum ſuperiorum arbitrio fuiſſe mulctam & quantam temere prouocantibus imponere. Potius res omnis redit ad leges & ſtatuta vel conſuetudines cuiuſuis prouinciae, &, his mulctam non exigentibus, ea nullo iure exigitur a iudicibus, quibus non imperium in leges, ſed earum cuſtodia data eſt. Hinc recte MEVIVS (z): *Quum ſtatuto nihil tale introductum: non poteſt iudex adpellantem onerare, nec pars petere.* Accedit, quod haec pecuniae depoſitio, ſicubi recepta eſt, ſollemnibus adpellationum aliorumque remediorum accenſeatur. *Non vero permittendum eſt, iudici a quo*, inquit idem MEVIVS (a), *vt adpellantes oneret & adpellationes arctet, niſi cum ſuperioris adſenſu id fiat.* Vnde & paullo poſt refert, quum in Ducatu Bremenſi eiuſmodi ſollemnia introducerentur a conſiliariis, ſicque prouocantes, qui pecuniam deponere detrectauerant, a tribunali ſupremo Wiſmarienſi repelli peterent, non placuiſſe dominis, illorum adplaudere deſiderio, niſi probarent, pecuniam illam ibi ex lege vel conſuetudine eſſe deponendam.

§. XIX.

Niſi iudices priuilegium eam exigendi impetrauerint.

Quandoquidem vero & priuilegium pro lege eſt, quippe quod a ſumma poteſtate vel legiſlatore proficiſcitur, & neceſſitatem imponit ciuibus, priuilegiatum in vſu iuris ac priuilegii exercitio non turbandi: nemo temere negauerit, tunc quoque locum eſſe depoſitioni pecuniae, ſi iudici inferiori id indultum ſit beneficio principis, vt non niſi depoſita certa pecuniae ſumma, ab iis ad ſupremas curias poſſit prouocari. Tale priuilegium a potentiſſimo Brandenburgico Electore FRIDERICO III. anno MDCLXXXIV. conceſſum eſt ciuitati Magdeburgenſi, quo cautum (b), *daſs niemand künftig von Magiſtrat gedachter Stadt unter der Summa von 30. Thaler adpelliren, und wer wegen höherer Summen adpelliren würde, zuförderſt 30. Thaler in caſum ſuccumbentiae würcklich erlegen, oder an ſtatt deſſen nebſt ſeinem Aduocaten das iuramentum abſchweren ſolle*, ſimili priuilegio florentiſſimam Lipſiam, Saxoniae ocel-

(x) Iac. Gothof. *ad Cod. Theod. Tom. IV. p.* 261.
(y) Raeuard. *Varior. Lib. V. Cap. X.*
(z) Meu. *Part. IV. Dec. CCCLXIV.*
(a) Meu. *Part. II. Dec. VIII.*
(b) Mylius. *Corp. Conſt. Magdeb. Continuat. Num. II. p.* 3.

ocellum, gaudere nouimus. Quamuis enim alias in Saxonia electorali illam pecuniae depoſitionem poenae ignorent: prouocatio tamen a Lipſienſium praetorio non admittitur, ex priuilegio FRIDERICI GVILIELMI, Ducis & adminiſtratoris Saxoniae, anno MDXCVIII. conceſſo, niſi L. florenos depoſuerit prouocans. Quod priuilegium, aliquoties confirmatum ab Electoribus Saxoniae, & hodie obſeruari, exemplis & rebus iudicatis probat RIVINVS (c). Addimus & tertium exemplum priuilegii, quatuor Holſatiae ciuitatibus iure Lubecenſium vtentium, Kilonio, Itzehoae, Rendsburgo, & Oldesloae, dati, vt quatuor caſibus ab illis ad principes plane non poſſit prouocari, reliquis caſibus non aliter, quam expoſitis aleae L. Marcis Lubecenſibus (d). Quis vero dubitauerit, quin tale priuilegium, rite impetratum aeque ratum ſit, ac lex, vel alia conſtitutio principis? Hinc ex actis ſaepe ſe obſeruaſſe, retulit doctiſſimus PRAESES, magiſtratum Magdeburgenſem apoſtolis inſerere ſolere clauſulam, *ſe in honorem illuſtris Regiminis adpellationi dediſſe locum, ita tamen, vt prouocans ante omnia priuilegio ſatisfaceret, ac proinde rogare ſe, ne, priuſquam id factum eſſe probetur, recipiatur adpellatio.*

§. XX.

Ea exigitur tum ab adpellantibus, tum ab alio remedio vtentibus.

Quum porro ſupra monuerimus, hanc depoſitionem pecuniae poenam eſſe temere adpellantium, adeoque ad coercendam eorum temeritatem comparatam, ea vero ratio non minus in leuterationem, quam vocant, aliaque remedia ſuſpenſiua, quam in prouocationem cadat: non mirum eſt, in illis aeque, ac in adpellationibus eam pecuniae depoſitionem exigi ſolere. Quod de reis vulgo aiunt, *eorum eſſe fugere* (e): id de iis, aduerſus quos litem ſemel dedit iudex, iure dixeris. Semel enim ſententia parum propitia conterriti, non vano anguntur metu, ne iterum ſimili fulmine proſternantur. Itaque in eo ſibi ſolatium quaerunt, vt bellum trahant, omnibuſque, quae leges indulgent, remediis vtentes, aduerſarios, fortaſſis non admodum pecunioſos ad incitas redigant, ſi forte tunc ſe eo adduci patiantur, vt vel litem deſerant, vel admiſſa qualicumque tranſactione, quouis damno tam intolerabilem moleſtiam redimere ſtatuant. Quum igitur non modo adpellando, ſed & leuterando, ſupplicando, reſtitutionem

C 3 in

(c) Riuin. *Spec. except. forenſ. Cap. XXX. n. XVI. ſeq.*

(d) Reuidirte Land-Gerichts-Ordnung der Hertzogthumer Schleswig und Holſtein, *Part. IV. tit. VI.* §. *III. pag.* 107.

(e) *l.* 13. §. 2. *C. de Iudic.*

in integrum vel reuiſionem actorum petendo, id conſequi ſtudeant; aequiſſimum eſt, vt de his remediis non impune abutantur homines litigioſi, ac proinde in caſum ſi cauſſa ceciderint, certam pecuniae ſummam deponant. Sic in ducatu Magdeburgico non modo *de* ADPELLATIONIBVS cautum eſt, *daſs wenn von keiner gewiſſen Summa adpelliret wird, in caſum ſuccumbentiae derienige, welcher an Ihro Maieſtät adpelliret, 20. Thaler, in übrigen aber von ieden* 1000. *Thaler* 20. *Thaler deponiren ſolle* (f): verum etiam de leuterationibus & oberleuterationibus *daſs von Leuteranten und oberleuteranten, jedesmal in caſum ſuccumbentiae nach Gelegenheit der Sachen, und nachdem die grauamina der Leuterung erheblich, oder nicht, 5. bis* 10. *Thaler binnen der ihnen bemelten zeit ſub poena deſertionis deponiret werden ſollen* (g). Immo & de QVERELA NVLLITATIS, ſiue intra decendium, ſiue intra triginta annos, a lata primum ſententia inſtituatur, praecipitur, *daſs* 50. *Thaler in caſum ſuccumbentiae erleget, und ehe darauf nichts verordnet werden ſolle* (h), quod poſtremum FRIDERICVS I. Rex Boruſſiae, die XXI. Febr. MDCCVIII. ſingulari reſcripto & ad eos, qui non tam ſententiam quamdam, quam alium iudicis actum tamquam nullum impugnare conentur, extendit (i). Similiter & alibi certam pecuniae ſummam deponere coguntur *leuterantes & oberleuterantes*, veluti Altenburgici (k) & Iſenaci (l): & reuiſionem petentes, non modo in ſupremo Imperii dicaſterio (m), verum etiam Hamburgi, vbi ſententiae adpellationis, a qua reuiſio petitur, ſubſcribi ſolet a conſule: *Hievon hat beklagter reuiſion geſuchet den* 19. *Ian.* 1736. *P. R. D.* a Secretario vero: *Beklagter hat zu reuiſions-Geldern* 5. *Thaler ſpecies deponiret. den.* 19. *Ian.* 1736. *I. C. S.* Praeterea & in Marchia, patria mea iucundiſſima, pecuniam hanc deponi oportet non tantum ab ADPELLANTIBVS, ſed & a SVPPLICANTIBVS, RESTITVTIONEM IN INTEGRVM vel REVISIONEM petentibus & QVERELAM NVLLITATIS inſtituentibus, quae remedia omnia ibi EXTRAORDINARIORVM nomine venire nouimus (n). Denique & Erfurti eos, qui ſiue QVERELA NVLLITATIS,

(f) Neuverbeſſ. Proceſs - Ordnung, *Cap. XLIII.* §. *VIII.*

(g) Ibid. *Cap. XLII.*

(h) Ibid. *Cap. XLIV.* §. *I.*

(i) Myl. Corp. Conſt. Magd. *Part. II. n. XLVIII.*

(k) Altenb. Proceſſ-Ordnung, *Part. I. Cap. XIV.*

(l) Eiſenach. Proceſſ-Ordnung, *tit. XIX.* §. *VII.*

(m) Ord. Cam. *P. III. tit. LXIII.* §. *VII.* Rec. Imp. *MDCLIV.* §. *CXXVI.*

(n) Königl. Preuſſ. Cammer-Gerichts-Ord. *tit. LIII.* §. *VII.*

TIS, ſiue reſtitutione in integrum ſententiam impugnant, tres vel quatuor imperiales deponere iubet Elector Moguntinus eminentiſſimus (o). Vt adeo ex tot exemplis luculenter conſtet, in remediis tum ſuſpenſiuis, tum deuolutiuis, vti vocant, locum eſſe huic depoſitioni pecuniae, quamuis ea alibi plane exſulet, aut non niſi in vno alteroue obtineat remedio.

§. XXI.

Sed quaeri praeterea ſolet, an iis locis, vbi hic mos deponendi pecuniam viget, haec mulcta promiſcue ab omnibus, qui adpellatione ſimiliue remedio vti cupiunt, deponenda ſit? quod adfirmandum omnino, niſi ipſae leges gratiam quibusdam eius rei faciant, vel ipſa aequitas naturalis, cui plus ſemper, quam ſummo ſtrictoque iuri tribuendum eſt, mitius cum quibusdam agere ſuadeat. Sane quum hoc inſtitutum ad coercendam adpellantium temeritatem comparatum ſit: merito onere deponendi pecuniam leuantur, quos ipſa officii ratio agere, adeoque & his remediis vti iubet, veluti aduocati fiſci & magiſtratus, quia in eos non cadit vlla aduerſarium vexandi ſuſpicio. Deinde *fieri poteſt*, vt ſententia, quam quis impugnaturus eſt, *tam abſona atque iniqua ſit, vt ipſi iudices, qui fortaſſis eius auctores non ſunt*, praeuideant, eam non poſſe non, interpoſita adpellatione, euerti. Quam iniquum vero tunc eſſet, prouocantem, cuius de iure in anteceſſum conſtat, depoſitione pecuniae onerare; maxime ſi tantae non ſint eius fortunae, vt ea pecunia ſine incommodo ſuo carere poſſit? Praeterea quum & paupertae preſſi bonisque euoluti eo gaudere ſoleant priuilegio, vt, demonſtrata paupertate, eiurataque bona copia, ab omni ſportularum onere tantiſper immunes ſint, dum vel victoria potiantur, alioue modo ad meliorem fortunam perueniant, vel conuicti de litigandi temeritate, poenas dent calumniae: quidni & huius oneris gratia illis fieret? Quin vel ideo aequiſſimum eſt, illos ſuperſedere poſſe hoc onere, quod alias facile poſſet contingere, vt deſtituti pecunia in iure ſuo perſequendo impedirentur. Nec eſt, quod vereamur, ne ita facultas detur pauperibus, aduerſarios infinitis litibus vexandi: ſiquidem alia tanto acriore poena adfici poſſunt, ſi eos per calumniam doloque malo litem traxiſſe, adpareat, quemadmodum in camera imperii eo caſu obtinere poenam carceris, (*des weiſſen Thurms*) teſtatur ANDR. GAILIVS (p). Ceterum has ſimilesque cauſſas in emendata ordinatione proceſſus

Non tamen promiſcue omnibus.

(o) Erf. Gerichts-Ord. *tit.* XXII. §. XX.

(p) Gail. Lib. I. *obſeru.* CLV. n. IV.

proceſſus Magdeburgica coniunxit potentiſſimus legislator, dum ſanxit (q). *Es wäre dann, daſs wir hierunter auf einer oder der andern Parthey unterthänigſtes Anſuchen, nach Beſchaffenheit der Sachen Umſtände diſpenſiren würden; oder wenn ein Officialis oder Magiſtrat ratione officii Leuterung einwenden würde, oder die Leuteranten und Oberleuteranten arm und unuermögend wären, auf welche Fälle ſie mit angeregter diſpoſition zu verſchonen.* Quae regulae limitationes, quamuis ad leuterantes potiſſimum pertineant, procul dubio tamen, & ad alia remedia, in quibus eadem per omnia ratio eſt, ſunt proferendae. Sic & Lipſiae, quum pauper a praetorio Lipſienſi ad iudicium ſuperius prouocaret, ſenatuſque depoſitionem L. florenorum ex priuilegio paullo amarius vrgeret: Electorem Saxoniae anno MDCLIV. reſcripſiſſe, refert laudatus RIVINVS (r). *Daſs wofern Supplicant auf 50. fl. caution beſtellen, oder, daſs er über allen angewandten Fleiſs von den Seinigen, oder anderswo ſo viel an baaren Gelde nicht aufzubringen, ihm getrauete, eydlichen erhalten würde, ihm auf ſolchen Fall die gebetene Apoſtoli reuerentiales gebührlich ertheilet werden ſollen.*

§. XXII.

Leges de hac depoſitione & extendi & reſtringi poſſunt.

Nec dubium porro eſt, quin principes ſummaeque poteſtates non ſolum contra leges de deponenda iſta pecunia latas aliquid indulgere, ſed & easdem vel ad ſimiles caſus proferre, vel reſtringere ſuo iure poſſint. Hinc iam laudatus WILDVOGEL (rr). obſeruauit, quum antea hoc inſtitutum in terris Haſſiacis tantum Caſſellis obſeruaretur, non Marpurgi & Rintelae, poſtea & Rintelenſi regimine id ſingulari conſtitutione conceſſum eſſe vt a ſententiis ſuis prouocantibus depoſitionem certae pecuniae imponere poſſint. Sic & quum in conſiſtorio Ducatus Magdeburgici extra vſum eſſet ad annum MDCXCVII. poſtea & ibi adpellantes vel leuterantes id data in periculum certa pecuniae ſumma facere iuſſit Frider. I. Rex Pruſſiae (s). Contra & reſtrictionis inſigne exemplum haec prouincia vidit anno MDCXCVII. Quum enim antea leuterantes omnes ad deponendam hanc pecuniam adigerentur, ſiue in inferioribus iudiciis, ſiue in ſuprema curia, eo remedio vterentur: id tunc ad leuterationes & oberleuterationes, a regiminis ſententiis interpoſitas, eſt reſtrictum ſingulari reſcripto, quod illuſtris MYLIVS ſeruauit

(q) Neuverbeſſerte Proc. Ord. *cap. XLII.* §. *VI.*
(r) Riuin. *Specim. except. forenſ.* §. *XXXIX.*
(rr) Wildvogel *de pecun. ſuccumb.* §. *XXXIX.*
(s) Mylius *Corp. Conſt. Magdeb. Part. II. num. LIII. p. 297.*

uit (t), quamuis, quum hodie ex inferioribus tribunalibus apud nos exſulet leuterationis remedium, eius reſtrictionis nullus amplius vſus poſſit ſupereſſe.

§. XXIII.

An pluribus impugnantibus ſententiam haec pecunia a ſingulis deponenda ſit?

Ceterum quum haec pecunia a prouocantibus, leuterantibus ſimilique vtentibus remedio deponenda ſit, & aliquando tamen contingat, vt plures vnam eamdemque ſententiam impugnent: dubitari poſſet, omnibus-ne ſimul, an ſingulis ſeorſum hoc onus incumbat? Quod iam olim ita definiuit PAVLLVS; (u) *Si plures adpellant, vna cautio ſufficit, & ſi vnus caueat, omnibus vincit: quum a pluribus ſententiis prouocatur: ſingulae cautiones exigendae ſunt, & de ſingulis poenis ſpondendum eſt.* Quamuis vero hae receptae PAVLLI ſententiae, ex quibus hoc fragmentum decerptum eſt, in foro noſtro non ſint receptae: ratio tamen, qua haec deciſio nititur, etiam in iure noſtro praeſidium reperit. Quoties enim plures ab eadem ſententia eodemque illius capite ex eadem cauſſa prouocant: toties vna tantum haec adpellatio eſt (x), reſcriptumque eſſe memorat VLPIANVS (y), *in communi cauſſa, quoties alter adpellat, alter non, alterius victoriam ei proficere, qui non prouocauit, dum vna eademque cauſſa ſit defenſionis.* Quid ergo aequius eſt, quam vt vnus hoc caſu pro omnibus, vel omnes ſimul vna cautione defungi poſſint. At diuerſa ratio eſt, ſi qui ſeparatim vel vna vel pluribus ſententiis condemnati adpellent. Tunc enim plures eſſe prouocationes, idem docet VLPIANVS (z), ac proinde ne dubitandum quidem videtur, quin & ſinguli deponere legitimam pecuniae ſummam cogendi ſint, ſi vel maxime ex eadem cauſſa condemnentur. Multo magis ergo hoc adfirmandum fuerit, ſi plures ex diuerſis cauſſis, & a diuerſis ſententiis, vel diuerſis eiuſdem ſententiae capitibus prouocent. Tunc enim alter non vincit alteri, nec tam diuerſae prouocationes pro vna haberi poſſunt (a). Ex quibus principiis non adeo difficile intellectu eſt, depoſitione hac non onerandum eſſe eum, qui aduerſarii adpellationi tantum adhaeret, quum, vti recte obſeruat laudatus WILDVOGEL (b), huic non praeſumatur eſſe animus protrahendi litem, ac proinde, deficiente cauſſa, effectum quoque ceſſare oporteat.

(t) ibidem *num.* XVI. *p.* 254.

(u) Paull. *recept. ſentent. lib. V. tit. XXXIII.* §. *IV. & V.*

(x) C. 72. *X. de adpellat. l.* 10. §. *vlt. ff. de adpellat. & relat.*

(y) *d. l.* 10. *§. vlt. ff. de adpell.*

(z) *d.* L. 10. *pr. ff. eod.*

(a) *d. l.* 10. §. *vlt. l.* 17. *pr. ff. de adpell.*

(b) Wilduogel *de pecun. ſuccumb.* §. *XXXI.*

porteat. Quare STRYCKIVS (c): *Ex adhaeſione etiam id commodi habebit adpellatus, vt, ſi per ſtatutum adpellans certam pecuniae ſummam in caſum ſuccumbentiae deponere teneatur, ad id tamen non teneatur adhaerens.* Quae omnia & de leuteratione, ſupplicatione, aliiſque remediis, quae per leges prouinciales, non niſi depoſita pecunia legitima pecuniae ſumma indulgentur, repetenda eſſe, facile vnus quiſque intelligit.

§. XXIV.

Quanta deponenda ſit pecunia.

Quantitas huius pecuniae maior alibi, alibi minor eſt, plerumque tamen legibus ſaltim ἐν πλάτει definita. Ipſae enim prudentiae regulae generatim ſuadent, vt nihil, vel parum admodum permittatur iudicum arbitrio. At maxime rationem hoc iuſtiſſimam habet in iis rebus, quae ad ſportulas & rem pecuniariam pertinent. *Hinc enim eſt,* inquit CASSIODORVS (d), *quod legum reperta eſt ſacra reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu:* vbi *manum* pro arbitrio dici, erudite obſeruat V. A. CORN. VAN BYNCKERSHOEK (e). Quid vero futurum credis, ſi in iudicis cuiuſque, etiam auari & ſordidi, arbitrio poſitum eſſet, quantas adpellantibus poenas pecuniarias imponere velit? Quam multum hic amori, quam multum odio, quam multum inexplebili habendi cupiditati daturi eſſent iudices, maxime ſi ex pecunia illa, vti paſſim fieri animaduertimus, lucrum aliquod caperent? Attamen pecuniae huius ſummam aliquando ἀποτόμως & ſtricte, aliquando ἐν πλάτει ac cum latitudine quadam, legibus definiri, animaduertimus. Prioris exemplum eſt, in priuilegiis Lipſienſium, Magdeburgenſium, & quatuor Holſatiae ciuitatum, quae ſupra (§. XIX.) deſcripſimus. Poſterius ita fieri ſolet, vt vel perſonae eiuſque conditionis, vel cauſſae obiectiue litis habeatur ratio. Sane enim quemadmodum olim ſportularum hanc rationem iniri voluerant Romani, vt ſi actor quantitatem centum aureorum vel pauciorum libello complexus eſſet, a reo dimidius aureus ſportularum nomine exigeretur (*f*): ita & poenam temere adpellantium plerique legislatores ex ſumma, libello comprehenſa, aeſtimari iuſſerunt. ORDINATIONE CAM. MARCH. (g) cautum eſt, vt, ſi nulla certa ſumma libello comprehendatur, XX. impe-

(c) Stryck. *Introd. ad prax. Cap.* XXIII. §. XX.

(d) Caſſiodor. *Lib. IV. var. Cap. X.*

(e) Bynckershoeck *praetermiſſ. ad L. 2. ff. de orig. iur. pag.* 16.

(f) Theophil. §. 24. *Inſt. de act.* Franc. Iuret. *ad Symmach. Lib. IV. epiſt.* LV.

(g) *Ord. Cam. March. tit. LII.* §. X.

imperiales; alioquin totidem pro ſingulis millibus deponantur: quod & in ORD. MAGDEB. PROC. (h) repetitur. Ex Haſſiacis quoque actis obſeruaſſe ſe, mihi retulit ILLVSTRIS PRAESES, ibi interpoſita, introductaque adpellatione vel reuiſione, iudicium aeſtimare ſolere, quantum pecuniae deponendum ſit, quod & in CAM. IMPERII fieri ſolere a reuiſoribus, teſtantur BENDERVS (i), BLVMIVS (k), & HERTIVS (l). Denique aliquando arbitrio iudicum aliquid relinqui ſolet, ſed ita, vt ſimul quouſque ſe illud porrigere debeat; lege exprimatur. Quale quid factum animaduertimus in Conſtitutionibus MOGVNTINIS (m) & MAGDEBVRGICIS (n), quarum illae imperiales tres vel quatuor, hae quinque vel plures ad decem vſque exigi patiuntur. Vbi rationem habendam eſſe tum perſonarum, tum cauſſarum, nemo non animaduertit.

§. XXV.

An non idonea cautio pro depoſitione ſit?

Operae porro pretium fuerit, diſquirere, neceſſario-ne illa pecunia deponenda ſit, an & ii ſatisfeciſſe officio videantur, qui de illa in poſterum praeſtanda ſatisdederint, vel pro pecunia aliud quid eiuſdem pretii depoſuerint, vel denique, *non repertis pignoribus* vel fideiuſſoribus, iureiurando cauerint? Negat celeberrimus WILDVOGEL (o), *partim quia lex vltra mentem legislatoris ad alia non ſit proferenda (p)*: partim quod conſtitutiones de hac pecuniae depoſitione ſint correctoriae, ac proinde tam ſtricte omnino interpretandae (q), vt quidquid in eiuſmodi legibus non exprimatur, id pro omiſſo ſit habendum (r): partim denique, quod finis legislatorum, qui ad coercendam litigantium pertinaciam eſt comparatus, vix obtineretur, ſi cautio hic ſolutionis vel depoſitionis vice fungeretur, quum ſemper poſſit quaeſtio oriri, an cautio ſit idonea? ſuper qua dum contendant litigatores, fieri non poſſit, quin ipſa cauſſa principalis in longius tempus ducatur. *(s) At quum priores rationes ſint ſatis generales, ac totidem fere exempla proferri poſſint, quibus leges, ſiue correctoriae ſint, ſiue confirmatoriae, ad alios caſus proferantur*: nec intelligere nos

(h) *Ord. proc. Magd. emend. cap. XLIII.* §. VIII.

(i) Bender *de reuiſione Concl. V. num. XIII.*

(k) Blum. *Proceſſ. Cameral. tit. LXXIX.* §. XXVI.

(l) Hertius *de iudicio reuiſor.* §. XXVI.

(m) *Ord. iud. Erfurt. tit. XXII.*

(n) *Ord. proc. Magd. emend. Cap. XLII.* §. I.

(o) Wilduogel *Diſſ. de pecun. ſuccumb.* §. *XXIV.*

(p) *l. 16. ff. de legibus.*

(q) Meu. *Part.* I. *Deciſ.* CC. *n.* IV.

(r) *l. 64.* §. *9. ff. de ſolut.*

(s) Meu. *Part. II. Deciſ.* LXXI.

nos fateamur, cur cautio, maxime per fideiuſſores & pignora praeſtanda, non aeque moleſta accidere poſſit adpellantibus, quam ipſa paratae pecuniae depoſitio; vel cur denique mora ac litis protractio, datis prouocanti breuibus induciis non aeque euitari poſſit, ac depoſitione pecuniae: potius ad leges & mores ſingulorum iudiciorum, nec non ad perſonas, a quibus ea depoſitio exigitur; attendendum videtur. Paſſim ipſae leges ac conſuetudines hanc cautionem, ſiue fideiuſſoriam ſiue pignoratitiam admittunt, maxime ſi tanta deponenda ſit pecunia, quantam prouocans tam cito expedire nequeat. Tunc enim durum atque inhumanum eſſet; illi ideo adimi remedium iuris communis, quod non ſtatim in numerato habeat pecuniam. Ipſos Romanos hoc caſu cautionem tum fideiuſſoriam, tum pignoratitiam, admiſiſſe, teſtis eſt PAVLLVS (t), qui de fideiuſſoria: *Quoties*, inquit, *in poena adpellationis cauetur: tam vnus, quam plures fideiuſſores, ſi idonei ſunt, dari poſſunt*: de pignoratitia vero ſcribit (u): *poſſe prouocantem vel poenam*, vel ALIVD PRO EA, *deponere*. Nec minus cauere litigatorem, qui reuiſionem actorum petit, patitur ORDINATIO CAMERALIS (x), qua ſancitur: *Es ſollen ſolche anhaltende Partheyen zuvor, und ehe ſolche reviſion vorgenommen, eine ſumma Geldes, welche nach Gelegenheit der perſonen und Sachen durch die verordnete Viſitatoren gemäſſiget werden ſoll, im fall, daſs die geſprochene Vrtheil gerecht erfunden, dem Kayſerlichen Fiſco zur Straffe und zu Errichtung des Koſtens, ſo iederzeit auf ſolch Syndicat und reuiſion gehet, erlegen, und damit genugſamlich verbürgen.* Quae poſtrema verba, quamuis copulatiua, alternatiue tamen accipienda eſſe, monent iuris cameralis interpretes (y) ſimul obſeruantes, ſaepe pauperes, quibus nec fideiuſſorum, nec pignorum copia ſit, iurato tantum promittere, ſe, ſi temere eo remedio vſi in poſterum eſſe videantur, poenam illam, vel quamcunque irrogaturi ſint viſitatores, daturos (z). Denique & in Holſatia cautionem pro depoſitione eſſe, patet ex conſtitutionibus iſtius prouinciae (a), quibus de iis, qui a quatuor vrbibus, iure Lubecenſium vtentibus, prouocaturi ſunt, cauetur, *es ſolle ihnen folgender geſtalt*

(t) Paull. *recept. ſent. Lib. V. tit. XXXIII.* §. *III.*

(u) *ibidem* §. *II.*

(x) Ord. Cam. *Part. III. tit. LXIII.* §. VII.

(y) Roding. *pand. cameral. Lib. III. Tit. LXI. p.* 1017.

(z) Harprecht *de caut. iurat.* §. *XLVI.*

(a) Revidirte Land-Gerichts-Ordn. der Hertzogth. Schleſw. und Holſt. *Part. IV. tit.* VI. §. III.

geſtalt und maſſen freygelaſſen ſeyn, daſs ſie die adpellanten verborgen oder mit hingelegten gnugſamen Pfanden Verſicherung thun ſollen, da ſie der adpellation verluſtig würden, daſs ſie 5. Marck Lubiſch den vier Städten erlegen und abtreten vvollen. Und ob ſie, die Adpellanten, Bürgen nicht könten bekommen, oder auch keine gnugſame Pfande zu hinterlegen hätten, ſollen ſie die iuratoriam cautionem beſtellen. Denique & alibi aliquando inopia prouocantis mouet iudices, vt tam amare non vrgeant depoſitionem pecuniae, ſed qualicumque cautione contenti eſſe malint. Nam licet in priuilegio Lipſienſium abſciſſe requiratur depoſitio pecuniae: cautionem tamen ſiue fideiuſſoriam, ſiue iuratoriam, a paupere praeſtitam, non adſpernandam eſſe, cenſuit Sereniſſimus Saxoniae Elector apud RIVINVM (b), cuius iam verba ſupra dedimus.

§. XXVI.

Quando deponenda ſit haec pecunia?

De eo vero minus licet dubitare, quod intra certum tempus deponenda ſit huiusmodi pecunia, niſi impugnaturus ſententiam remedio ſuo priuari cauſſaque cadere velit. Spacium iſtud temporis modo laxius, modo adductius eſt, eaque in re ſingularum prouinciarum leges ſunt conſiderandae. *In camerali imperii dicaſterio, pecuniam illam reuiſionis cauſſa*, non ſtatim, petito hoc *remedio*, deponi, ſed demum, facta a viſitatoribus moderatione, quam vocant, deponenda eſt (c). Prouocantibus ad ſuprema imperii iudicia in ORD. PROC. MAGD. EMEND. (d) induciae dantur quatuor hebdomadum a die interpoſitae adpellationis, addita comminatione, pro deſerta habitum iri prouocationem, niſi pecunia intra hoc tempus deponatur. Ibidem (e) iis, qui ſibi nullitatis quaerela vtendum eſſe exiſtimant, non quidem certum tempus conſtituitur, quo deponi oporteat pecuniam, ſed additur tamen, *es ſolle ehe darauf nichts verordnet werden.* Denique eadem conſtitutione prouinciali (f) & leuterantibus iniungitur, vt definitam pecuniae ſummam die a regimine conſtituto, (*binnen der in der auf die Leuterungs-oder Oberleuterungs-Schedul ertheilten Verordnung beniemten Zeit,*) ſub poena deſertionis deponant. Nimirum inter ſollemnia adpellationis aliorumque remediorum referenda eſt haec pecunia. Sollemnibus vero illis neglectis, perinde eſt, ac

(b) Riuin. *ibid.*
(c) Blum. *proceſſ. cam. tit. LXXIX. n.* XXVI.
(d) Ord. proc. Magd. emend. *Cap.* XLIII. §. XIX.
(e) ibid. *Cap. XLIV.* §. I.
(f) ibid. *Cap. XLII.* §. VI.

ac ſi non eſſet prouocatum (g) : ſiquidem paria ſunt, aliquid non eſſe factum, & non rite, eoque, quo oportebat, modo factum eſſe (h).

§. XXVII.

Tempus hoc poteſt prorogari, maxime abſente prouocante.

Enimuero quemadmodum hae ſollemnitates, non ita comparatae ſunt, vt prorogari a iudice nequeant : ita nec dubitari poteſt, quin & ad expediendam hanc pecuniam aliquando puſillum laxamenti concedi queat. Id quod tum potiſſimum fieri memini, ſi prouocante procuratore, vel aliud interponente remedium, abſente domino, locisque tam diſſitis, ſperari vix poſſet, pecuniam tam cito ſubmiſſum iri. Quamuis enim exiſtimet beatus WILDVOGEL (i), ſyndicos quoque & procuratores non minus, quam ipſos mandantes, ad deponendam hanc pecuniam eſſe obſtrictos, eamdem tamen illos ideo, quod officium ſuum nemini damnoſum eſſe debet (k), iure repetere : tamen, quum procuratores hodie non ſint domini litis, nec vlterius, quam quatenus mandatum ſuſceperunt, teneantur, denique non adpareat eos ſuſcepiſſe mandatum, impenſas pro domino faciendi : vix arbitramur, quemquam ſiue ſyndicum, ſiue procuratorem, inuitum cogi poſſe ad pecuniam illam pro vniuerſitate vel domino deponendam, niſi forte ab his ei certa pecunia data vel adſignata ſit, *zum künftigen Vorſchuſs*, eaque ad exſoluendam hanc ſummam ſufficiat. Tunc enim tantum abeſt, vt ab hoc onere immunis ſit, vt ad reſarciendum omne damnum teneatur domino, ſi mora ac tergiuerſatione ſua effecerit, vt remedium, quod interponi oportuit, pro deſerto haberetur : quamuis & hoc caſu beneficium reſtitutionis in integrum domino non ſit denegandum, ſi excuſſo procuratore, inanem aduerſus illum actionem eſſe adpareat (l). Neque obſtat, ad pecuniam hanc deponendam teneri negotiorum geſtorem, tutorem, maritum. Quum enim hi omnes abſentium pupillorum vxorumque bona adminiſtrent, ac proinde & inde pecuniam petere ſoleant : id dici non poteſt de procuratore, cui ſolum id negocii datum eſt, vt cauſſam in iudicio peragat. Ceterum & procuratorem, ſi ſine mandato calumnioſe prouocarit, & tutorem curatoremue damnum ferre debere, nec regreſſum habere aduerſus dominum, pupillum, vel minorem, ſatis patet ex loco VLPIANI : *Si procurator tuus, vel*

(g) Meu. *Part. II. deciſ.* VIII.
(h) *l. 6. ff. qui ſatisd. cog.*
(i) Wilduogel *de pecun. ſuccumbent.* §. *XXXII.*
(k) *l. 7. ff. teſt. quemadm. aper.*
(l) *l. 8. §. 1. ff. mand. l. 13. §. vlt. ff. de iud.*

vel tutor vel curator ius dicenti non obtemperauerit, ipſe punitur, non dominus vel pupillus (m). Neque enim alia ratio eſt poenae, a contumace, quam a temere prouocante ſoluendae, quia vtrobique plectitur litigantis peruicacia.

§. XXVIII.

Haec de depoſitione huius pecuniae dicta ſunto. Quod ad effectum iſtius depoſitionis attinet, ille ex fine elucet. Quum enim ideo deponenda ſit haec pecunia, vt poenam & damnum ſentiat is, qui calumnioſa prouocatione, alioue remedio abuſus, litem immortalem reddere ſtuduit: conſequens eſt, vt ei, qui iuſtam adpellandi ſententiamue impugnandi rationem habuerit, & ſecundum quem litem dederit tribunal ſuperius, pecunia illa reſtituenda. Neque enim ſine delicto poena intelligitur (n). Et quamuis mulctae, ſemel depenſae, repeti non ſoleant (o): id tamen tunc demum verum eſt, ſi culpa vel fraus anteceſſit (p), ſine qua poena eſſe non poteſt (q). Et hinc diſerte praecipiunt legislatores quidam, vt prouocanti, alioue remedio impugnanti ſententiam, ſi victoria potiatur, depoſita pecunia reſtituatur. Veluti in ORD. PROC. HASSIACA: *Da denn daſelbſt vor den Appellanten geurtheilet vvird, ſoll ihm ſolch deponirt Geld vvieder gefolget und erſtattet vverden.* Et in ORD. CAMERALI (r): *Vnd im fall, da die urtheil aus überſehen der Richter als nichtig oder ungerecht reformiret vvürde, ſoll der Parthey ihr erlegt Geld vviederum zugeſtellet, und mit der execution ſolcher reformirten Vrtheil an dem Cammer-Gericht vollfahren vverden.* Sufficere autem ad repetendam pecuniam videtur, ſi ſemel ſequuta ſit ſententia reformatoria, quamuis poſtea, interpoſita ab aduerſario leuteratione, vel alio remedio, cauſſa poſtea ceciderit prouocans. Quia enim vt in poenam temerariae prouocationis cedat, deponi ſolet haec pecunia: in eum ſane cadere non poteſt calumnioſae prouocationis ſuſpicio, pro quo lata eſt ſententia, quamuis ea poſtea nouo remedio euerſa ſit. Quare quum & expenſae ſoleant compenſari, ſi pars vtraque litigans pro ſe habeat ſententiam (s), idque ex ea ratione, quod

Victor hanc pecuniam repetit.

(m) *l. vn. §. 2. ff. ſi quis ius dic. non ob. temp.*

(n) *l. 2. §. pen. l. 6. ff. de decurion. l. 22. C. de poen.*

(o) *l. 42. l. 49. ff. de condictione indebiti.*

(p) *l. 1. §. 2. ff. ſi is, qui teſtam. lib. eſſe iuſſ.*

(q) Auguſtin. *Retractat. Lib. I. Cap. IX.*

(r) Ord. Cam. *Lib. III. tit. LXIII. §. XII.* Lynck. *Deciſ. DCCCCXXXV.*

(s) Gail. *Part. I. obſeru. CLII. n. IV. ſequ.*

quod pro temere litigante non videatur habendus : cur quaeſo temere videretur prouocaſſe, ſecundum quem lis ſemel data eſt? Idem multo magis dicendum fuerit de eo caſu, ſi qui prouocauit, alioque remedio impugnauit ſententiam, ſaltim vnum alterumue grauamen tam iuſtum habuerit, vt in quibuſdam capitibus prior ſententia reformetur. Solent enim adpellantes etiam iniqua petere, vt aequa obtineant : & tunc ſatis purgaſſe pudorem videntur, ſi in vno alteroue capite vicerint, vt temere & per calumniam prouocaſſe haud videantur (t).

§. XXIX.

Eamdem amittit victus, an & is, qui adpellationi renunciauit, & qui fatalia poſtea neglight?

Contra nullum eſt dubium, quin in commiſſum cadat haec pecunia, ſi male ceſſerit adpellatio, ſententiaque prior confirmata ſit. Hinc enim in caſum ſuccumbentiae, ceu vulgo loquuntur, deponi dicitur, vt poena in hunc caſum depoſita procul dubio committatur, ſi ex euentu conſtet, male ac temere eſſe prouocatum (u). Quum vero aliquando prouocationem ſuam miſſam faciant, eique renuncient adpellantes: aliquando ea, neglectis fatalibus, pro deſerta habeatur : denique aliquando tranſactione lis finiatur : merito diſquiritur, an tunc quoque pro commiſſa ſit pecunia illa depoſita? Primam quaeſtionem adfirmat laudatiſſimus WILDVOGEL, (x) ex ea ratione, quod adpellatione interpoſita iudici ratione poenae ius quaeſitum eſſe videatur (y), quod illi auferri nequeat, (z) nec poenitentiae facile locus relinquatur, quum res non amplius ſit integra (a). Enimuero ſi rationem huius poenae conſideres, ea, vti iam ſupra monuimus, in eo conſiſtit, vt adpellandi temeritas, quae cum iudicis inferioris iniuria quodammodo coniuncta eſt, coerceatur. Quis vero eum ſemper temere adpellaſſe vel iniuria adfeciſſe iudicem dixerit, qui prouocationi ſuae renunciat, quum id aliquando ex verecundia potius & odio litis faciat, quam quod depoſitam conclamatamque cauſſam ſuam eſſe, exiſtimet? Verum deinde eſt, ius quaeſitum nemini, adeoque nec iudici, eſſe interuertendum : ſed iudici vllum in poena ius quaeſitum eſſe, vbi delictum non admittitur, vix crediderim; neque id leges a Dno WILDVOGELIO adlatae probare videntur. Denique quidni hic poenitentiae locus ſit, quum in fauorem adpellantium inducta ſit adpellatio, & quiſque iuri in fauorem ſui introducto licite renunciet?

(t) Meu. *Part.* VII. *Deciſ. CCXLI.*
(u) Arg. *l.* 12. §. 1. *ff. rem rat. hab.*
(x) Wilduogel *de pecunia ſucc.* §. *XLII.*
(y) *l. vlt. pr. C. de adpell.*
(z) *l.* 11. *ff. de reg. iur.*
(a) *l.* 13. *ff. de recept. arbitr.*

renunciet? Quod obſeruans vir doctiſſimus, ipſe demum concedit, diſtinguendum eſſe, fueritne ante citationem ad cauſſas adpellationis reddendas inſinuatam, an, ea iam inſinuata, prouocatum, & priore caſu id impune fieri; poſteriori poenam depoſitam merito pro commiſſa haberi, exiſtimat. Idque rectiſſime ob Conſtitutionem ARCADII & HONORII AA. (c) *ſi quis libellos adpellationis ingeſſerit, ſciat, ſe habere licentiam arbitrium commutandi, & ſuos libellos recuperandi, ne iuſta* POENITVDINIS *humanitas amputetur.* Cuius vero rei licentiam indulgent leges, id nec pro delicto, ne poena dignum poteſt exiſtimari. Magis de adpellatione deſerta dici poteſt, ob eam committi pecuniam depoſitam, quum omnino vel malitiam, vel culpam quandam prouocantis inuoluat, eaque merito coercenda ſit (d). Vno quidem caſu & deſertionem a poena immunem eſſe ſtatuit laudatus WILDVOGEL (e), ſi iuſta adpellandi cauſſa ſit, ſiquidem tunc deſertio potius ex odio atque exſecratione litium, laudanda potius, quam vituperanda (f), facta eſſe intelligatur. Sed quum tunc ſuper grauaminibus non pronuncietur, nec proinde conſtare poſſit, iuſtaene ſint prouocandi cauſſae, an iniuſtae, vix vmquam fortaſſis ab eo recuperabitur pecunia, cuius adpellatio ob neglecta tempora adpellationis pro deſerta habetur.

§. XXX.

An is, qui cum aduerſario transegit pendente adpellatione?

Eamdem diſtinctionem ac διαίρεσιν & tunc ſeruandam eſſe cenſet vir doctiſſimus (g), ſi pendente adpellatione tranſactum fuerit. Id enim ſi factum ſit, antequam citatio decreta, impune factum videri: ſin citato adpellato, pecuniam depoſitam merito pro commiſſa habendam eſſe. Sed malim ego ipſam tranſactionem expendere. Si quis enim, qui antea a ſententia prouocauit, poſtea dato aliquo, vel relicto, liti & cauſſae renunciarit: quis dubitet, quaeſo, quin ipſe quaſi confeſſione ſua ſe condemnari, ſeque temere & litigaſſe & prouocatione ſimilibusque remediis vſum eſſe, agnouerit? Quid vero ſi aduerſarius pendente adpellatione vel vltro, vel ſuadente iudice, prouocanti huiusmodi offerat conditionem, vt accepto aliquo vel retento a proſequenda adpellatione deſiſtat, & hic, ſimiliter perſuaſus a iudice, liti & cauſſae renunciet? Quis, quaeſo, hunc temere prouocaſſe contendat? An non ipſe potius euentus oſten-

(c) *l. 28. C. de adpell. & conſult.*

(d) *l. vlt. C. quando prou. non eſt neceſſ.*

(e) Wilduogel *de pecun. ſuccumb.* §. XLIV.

(f) *l. 4. §. 2. ff. de alien. iudic. mut. cauſſ.*

(g) Wilduogel *ibid.* §. XLIII.

dit, ponderis haud exigui fuiſſe grauamina, quae metuens adpellatus tam iniquis conditionibus tranſegit? Praeterea, ſi iudice conciliante, ei tranſactioni locum dedit prouocans: qui fieri poſſit, vt id tamquam delictum & calumnia habeatur, quod auctore iudice factum eſt, cuius ad religionem atque officium pertinet, dare operam, vt quouis modo lites finiantur (h)? Tranſactio ſane non modo, quod ad auctoritatem & effectum attinet, ſed & quod ad deciſionem, vim rei iudicatae obtinet (i). Hinc qui tranſigunt cauſſam DECIDERE dicuntur, eaque loquutio in iure noſtro vbique obuia eſt (k). Quemadmodum ergo non decidi poteſt cauſſa, quin vel ſecundum vnam, vel alteram partem lis detur: ita nec tranſigi fere vmquam poteſt, quin adpareat, vtrius cauſſa ſit iuſtior, niſi forte ea lege fiat tranſactio, vt rem litigioſam aequa lance inter ſe diuidant: quamuis & hoc caſu prouocatio non videri poſſit temere interpoſita, qua tantum lucrum is, qui prouocauit, eſt conſequutus.

§. XXXI.

Cuinam cedat pecunia illa, ſi pro commiſſa habeatur?

Ceterum operae pretium fuerit, ſub finem adhuc quaerere, cuinam pecunia illa commiſſa cedat? Eam vero fiſco vindicat saepe laudatus WILDVOGEL (l), quippe cui regulariter mulctae debentur (m). Quamuis enim alioquin mulctae, tamquam fructus iurisdictionis, ei, cuius eſt iurisdictio, competant: id tamen de ordinariis tantum iurisdictionis fructibus, non de his extraordinariis, intelligendum eſſe, monet. Quamuis vero nondum me intelligere fateor, cur magis pro extraordinario fructu iurisdictionis habenda ſit mulcta illa temere adpellantium, quam aliae: veriſſimum tamen eſt, leges ac conſuetudines quarumdam prouinciarum ac tribunalium hanc pecuniam ſiue totam, ſiue pro parte, fiſco vindicare. Sic ORD. CAM. IMP. (n) ſaltim partem pecuniae ab iis, qui reuiſionem petunt, deponendae fiſco addicit, dum diſponit: *Daſs im im fall, daſs die geſprochene Urtheil gerecht erfunden würde, das erlegte Geld dem Kayſerlichen fiſco zur Straffe und Erleichterung der Koſtens &c. verbleiben ſolle.* Eodem exemplo & in

(h) Meu. *Part. III. deciſ.* CCXLV. *n.* III.

(i) *l.* 2. *C. de tranſact. & ibi Brunnemannus.*

(k) *l.* 46. *ff. de rei vind. l.* 29. §. 1. *ff. de inoff. teſt. l.* 23. *C. de tranſact. l.* 7. *ff. de condict. furt. l.* 3. *ff. ad L. Falcid. l.* 13. *C. de furt. l.* 7. *l.* 19. *l.* 14. *C. de tranſact.*

(l) Wilduogel *ibid.* §. *XLI.*

(m) *l.* 5. *C. de modo mulct. quae a iud. inflig.*

(n) *Ord. Cam. Imp. Part.* III. *tit.* LXIII. §. VII.

in Haſſia fiſco cedere hanc pecuniam commiſſam, ex ipſis conſtitutionibus Haſſiacis iam obſeruauit Dn. WILDVOGELIVS (o). At ſicuti in aliis, ita & hac in re, diuerſae ſunt diuerſarum prouinciarum leges & conſuetudines. Alicubi enim pecunia illa, non fiſco, ſed illi, qui acta recenſuit, ſententiamque concepit, quem vocant *den Referenten*, cedit. Alicubi pauperibus, aliiſque piis cauſſis, adplicatur. Saltim in tribunali eccleſiaſtico Magdeburgico poſterius obſeruari voluit legislator potentiſſimus, dum anno MDCCIX. reſcripſit (p): *Daſs in Zukunft bey dem Conſiſtorio die Succumbentz-Gelder, gleichwie bey der Regierung geſchiehet, bey denen eingewandten leuterationen erleget, und die davon fallende Gelder zur Armen-Caſſa verwendet werden ſollen.* Vbi municipiis id per modum priuilegii conceſſum eſt, vt adpellari ab eorum ſententiis non poſſit, niſi depoſita pecunia: ibi commiſſam hanc mulctam eorum aerario inferendam eſſe, ſatis conſtat, idque ipſa priuilegia ſupra a nobis recenſita, loquuntur. Itaque res redit ad ſingularum prouinciarum leges ac conſuetudines, vt nihil, quod in vniuerſum & vbique obtineat, ſtatui poſſe videatur.

§. XXXII.

Concluſio diſſertationis. Plura, eaque non inutilia, dici poſſent de hac pecunia in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus, alioue vtentibus remedio deponenda, niſi & temporis & ipſius chartae, huic exercitationi deſtinatae, habenda eſſet ratio. Enimuero, quum non niſi ſpicilegium eorum, quae iam laudatus Dn. WILDVOGEL delibauit, dare decreuerim: ego, ne illud in iuſtam meſſem euadat, calamum pono, Deoque optimo maximo pro gratia, qua ſtudia mea adhuc proſequutus eſt, gratias, quas poſſum concipere, maximas ago.

(o) Wilduogel *ibid.* §. *XXXIX. XL. XLI.*
(p) *Myl. Corp. Conſt. Magdeb. Part. II. n. XIII. pag.* 29.

DE MONETAE REDVCTIONE AD IVSTVM PRETIVM.

AD LEG. I. COD. DE VET. NVMISM. POTEST.

EXERCITATIO XXVIIII.

§. I. *Numi vel pecuniae neceſſitas.* §. II. *Eiuſdem requiſita.* §. III. *Ad pretium & valorem numorum conſeruandum pertinet Lex I. C. de vet. numiſm. poteſt.* §. IIII. *Legis huius chronologia & hiſtoria.* §. V. *Pars eius prior de numis principum non detrectandis.* §. VI. *Quinam in illa dicantur,* NVMOS DISTRAHERE? §. VII. *Lex noſtra ad collybiſtas, menſarios, collectarios, pertinuit, & in oriente diu viguit.* §. VIII. *Similes leges & in occidente latae.* §. VIIII. *Poena eorum, qui probum numum reiecerint.* §. X. *Pars legis poſterior de improbis numis reiiciendis.* §. XI. *Cuiusnam apud Romanos iudicium de bonitate numorum fuerit?* §. XII. *Axiomata ex hac lege. In magnis imperiis principum numi non reiiciendi ſunt a ſubditis.* §. XIII. *An idem & in Germania ſeruari poſſit? Leges Germ. de re numaria ſaluberrimae.* §. XIIII. *Saepe numi in Germania ad iuſtum pretium reducendi. Quae cura laude digniſſima.* §. XV. *Ius hoc initio fuit penes priuatos.* §. XVI. *Poſtea ad publicam curam reuocatum eſt.* §. XVII. *Partim ſingulorum Imperii ordinum.* §. XVIII. *Partim circulorum, ſiue ſingulorum, ſiue foederatorum, &, qui iis praeſunt, Directorum.* §. XVIIII. *Laus decreti de re monetaria nuper a variis Circulis editi.* §. XX. *Partim totius Imperii.* §. XXI. *Numorum emendatio & reductio ad iuſtum pretium requirit morbi cognitionem.* §. XXII. *Statuenda certa norma, quae vocatur der Müntzfuſs.* §. XXIII. *Ea attemperanda auri argentique pre-*

tio. §. XXIIII. *Quae fuerit auri argentique analogia apud Hebraeos & Graecos?* §. XXV. *Quae apud Romanos?* §. XXVI. *Quae apud Germanos veteres & recentiores?* §. XXVII. *Ob diuerſitatem pretii norma haec aliquoties mutata.* §. XXVIII. *Pretium hoc maxime intenditur ob luxuriam.* §. XXVIIII. *Nec non ob licentiam aurum argentumque diſtrahendi, promiſcue conceſſam.* §. XXX. *Conſtituta rite norma, cogitandum eſt de ſurrogato.* §. XXXI. *Tunc reliqua facile obtinebimus. Votum pro felice publicorum conſiliorum exitu.*

§. I.

POSTEAQVAM, aucto in immenſum genere humano, dominia diſtinguere, agris terminos ponere, commercia denique & obligationes inſtituere placuit: nihil vnquam ab ingenio humano excogitatum eſt praeſtantius, nihil ſalutarius, quam numus, quo, tamquam communi menſura atque eminente rerum omnium pretio, aeſtimare res omnes, eaſque, quibus indigemus, nobis ſine vllo damno poſſimus comparare. Quanta enim cum vtilitate inſtitutum hoc coniunctum ſit, non facilius quiſquam intelliget, quam comparatis inter ſe commerciis, qualia ea ante inuentum numum eſſe oportuit, & qualia ſunt ab eo tempore, quo inſtitutum iſtud paene communi omnium gentium ſuffragio probatum eſt. Quod dum facit PAVLLVS noſter (a), ſummam ille hanc cogitationum ſuarum facit: *Origo emendi vendendique a permutationibus coepit. Olim enim non ita erat numus, neque aliud merx, aliud pretium: ſed vnusquiſque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum vtilibus inutilia permutabat, quando plerumque euenit, vt, quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper & facile conueniebat, vt, quum tu haberes, quod ego deſiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt, cuius publica ac perpetua aeſtimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis ſubueniret, eaque materia, forma publica percuſſa, vſum dominiumque non tam ex ſubſtantia praebet, quam ex quantitate, nec vltra merx vtrumque, ſed alterum pretium vocatur.* Quo loco, ex ARISTOTELE (b), vt videtur, expreſſo, prudenter monet iureconſultus, principio rerum homines auri argentique, maximarum peſtium,

Numi vel pecuniae neceſſitas.

(a) *L. 1. princ. D. de contrah. emt.*
(b) Ariſtotel. *Ethic. ad Nicom. Lib. V. Cap.* VIII. & *Polit. Lib.* I. *Cap.* VI.

ſtium, ignaros, vice rerum commercia exercuiſſe, hoc vero commerciorum genus id praecipue difficultatis incommoditatiſque habuiſſe, quod nec ſemper alteri ſupereſſet, quod deeſſet alteri, & ſaepe alter id, quod alter dare vellet, adipernaretur, & ipſarum denique rerum, quas inter ſe permutare vellent, tam lubrica atque incerta eſſet aeſtimatio, vt non poſſet non alteruter damni incurrere periculum, immo plerumque contingeret, quod de permutatione Glauci ac Diomedis memoriae prodidit HOMERVS (c), vt permutarent

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων

Aurea aereis, centena nouenariis.

Quare demum ipſam neceſſitatem inuexiſſe numi vſum, eoque vno his difficultatibus potuiſſe ſubueniri, quum is non ſubſtantia, ſed quantitate, aeſtimetur, & recipiatur ab omnibus ob pretium, quod publica auctoritate illi tributum eſt, & aequalitas *denique, ac mutua inter res & pretium relatio in numo, vt in quantitate, facillime poſſit reperiri. Et haec quidem eſt PAVLLI ſententia, quam erudite, vt ſolet, expoſuit V. C. PERIZONIVS, (d) minime omnium vero ceperunt GVIL. BVDAEVS (e), & CLAVD. SALMASIVS (f), quorum ille textum ſollicitat, & pro *ex quantitate* reſcribi iubet *ex qualitate*, vim hanc iniuſtam merito prohibente FRANC. DVARENO (g), hic autem per quantitatem intelligit numerum, quum manifeſtum ſit, quantitatem iureconſulto eſſe aeſtimationem vel pretium, quod numo veluti ex compacto ſtatuerunt gentes, inter quas intercedunt commercia.

§. II.

Eiuſdem requiſita. Quantacumque vero ſit numi vel pretii eminentis vtilitas: manifeſtum tamen eſt, eam ſperari non poſſe, niſi de duobus capitibus inter omnes conueniat, puta, vt numo probo iuſtum ab omnibus pretium ſtatuatur, deinde vt numis, quibus in commercio vtimur, ſua conſtet bonitas interna, & pondus legitimum. Nam quemadmodum nullus numi vſus eſt inter gentes, quae nihili faciunt pecuniam, quod ſua adhuc aetate de maioribus noſtris obſeruauit TACITVS (h), de Satarchis, Scythiae Europaeae populo,

(c) Homer. *Iliad.* II. *v.* 236.

(d) Iac. Perizon. *de aere graui* §. II. *p.* 6. *ſequ.*

(e) Guil. Bud. *ad l.* 1. *ff. de contrah. emt.*

(f) Cl. Salmaſ. *de Vſur.* *Cap.* XV. *p.* 443.

(g) Duaren. *Diſput. anniuerſar. Lib.* I. *Cap.* VI.

(h) Tacit. *de morib. German. Cap.* V.

lo, POMP. MELA (i), de Colchis BVSBEQVIVS (k), de gentibus Americanis tantum non omnibus ſcriptores, qui de illarum moribus atque inſtitutis exſtant, plurimi, de Lapponibus denique OLAVS (l): ita ſi interna ſua bonitas ponduſque non conſtat numo, reperiri non poterit illa aequalitas, ob quam ille inuentus eſt, ac proinde alterutrum contrahentium non parum detrimenti capere oportebit, quin id potius continget, quod de ſua aetate refert CICERO (m): *Iactatur numus, ſic, vt nemo poſſit ſcire, quid habeat.* Hinc antiquiſſimis temporibus, quum adhuc rude aurum, argentum, aes pro pecunia daretur, vel certe nondum ad eam perfectionem perducta eſſet ars ſignandi monetam, vt numis certa & aequalis forma, certumque pondus eſſet, mercatores non ſolum explorabant metallum, probumne, an adulterinum eſſet, verum etiam illud ſibi inuicem non adnumerabant, ſed adpendebant. Quem ritum iam ab Abraami temporibus obſeruatum eſſe, nouimus (n): idemque de Iobi aetate pluribus demonſtrauit FRIDERICVS SPANHEMIVS (o). Et quis ignorat, ipſos etiam Romanos, multo poſt, quum iam numo vterentur, vetuſtum illud commercii genus adumbraſſe per aes & libram in mancipationibus, eoſdemque & *pendere* & *adpendere numos* dixiſſe pro adnumerare (p), quin ne tunc quidem, quum gentes omnes arte cudendi numiſmata ſuperarent, a vetere illo ritu prorſus abſtinuiſſe (q)? Quae omnia argumento ſunt luculentiſſimo, gentes vetuſtas nihil prius, nihilque habuiſſe antiquius, quam vt numi probi tantum iuſtique ponderis expenderentur.

§. III.

Ad pretium & valorem numorum conſeruandum pertinet l. 1. C. de

Quapropter vtrumque illud caput ad curam ſuam pertinere ſemper exiſtimarunt boni principes, dederuntque operam, vt nec probi numi ab hominibus callidis & lucricupidis temere reprobarentur, nec furtim ſub lectorum bonorumque ſchemate vel adulterini, vel iuſto pondere internoue valore deſtituti, magno reipublicae malo iactarentur. Argumento ſunt eorum leges, etiam hodie ſuperſtites, ex quibus iam vnam ſeligere iuuat VALENTINIANI

(i) Pompon. Mela *de ſitu orb. Lib.* II. *cap.* I.

(k) Busbequ. *Epiſt.* III. *p.* 205.

(l) Olaus *Lib.* IV. *Cap.* V.

(m) Cicero *de Offic. Lib.* III. *Cap.XX.*

(n) *Geneſ. XXIII.* 16.

(o) Frider. Spanhem. *Hiſt. Iob. Cap. XI.* §. *XIII. & XIV.*

(p) *L.* 34. *D. de iur. dot. l.* 52. §. 15. *D. pro ſoc.* Ezech. Spanhem. *de vſu & praeſt. numiſm. Diſſ. I. pag.* 13. *Tom. I.*

(q) Caſſiodor. *Variar. Lib.* VII. *cap. XXXII.*

vet. numiſm. poteſtate. NIANI & VALENTIS Imperatorum (r), cuius occaſione de iure monetas ad iuſtum valorem vel pretium reducendi quaedam diſſeramus: non, quod talia iuris publici vel vniuerſalis, vel Germanici, capita ex iure Romano cum IO. OTTONE TABORE cenſeamus eruenda: ſed vt vel eo exemplo demonſtremus, principia, quibus hodie in conſtituenda re numaria vtuntur principes ceterique Imperii ordines, tam eſſe ipſi rectae rationi conſentanea, vt nec olim vlla fuerit gens paullo ſapientior, quae non iisdem vſa ſit iam pridem, facemque praetulerit poſteris, ne, quid factu opus ſit, ignorarent. Verba autem legis noſtrae ita ſe habent: *Solidos, veterum principum veneratione formatos, ita tradi ac ſuſcipi ab ementibus & diſtrahentibus iubemus, vt nihil omnino refragationis oriatur: modo vt debiti ponderis ſint, & ſpeciei probae: ſcituris vniuerſis, qui aliter fecerint, haud leuiter in ſe vindicandum.* Quamuis vero haec lex abſit a CODICE THEODOSIANO: tamen & illi geminam paene CONSTANTINI M. conſtitutionem inſertam reperimus (s), nec abſimilis ipſius Valentiniani lex inter eius NOVELLAS (t) occurrit. Praeterea & multo poſt Valentiniani tempora eadem paene conſtituit non modo IVSTINIANVS, ſanctione illa pragmatica, quam ad Vigilii, Epiſcopi Romani, petitionem edidit (u): verum etiam LEO Sapiens Imperator (x); cui & noſtra haec, quam expendere iam decreuimus conſtitutio, digna viſa eſt, quae tamquam lex perpetuo valitura in vaſto illo ac aeterno opere ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ (y) integra legeretur.

§. IIII.

Legis huius chronologia & hiſtoria. Anni, quo haec VALENTINIANI & VALENTIS conſtitutio edita eſt, nullum prope exſtat veſtigium, quia cum in reliquis huius tituli conſtitutionibus, tum in hac quoque, ſubſcriptiones plane deſiderantur. Attamen indemnes nos quodammodo praeſtat inſcriptio: IMPP. VALENTINIANVS ET VALENS AA. GERMANO P. P. Ex ea enim colligimus, editam eſſe hanc conſtitutionem inter annum erae Chriſtianae CCCLXV. qua praefectura praetoriana Galliarum fungi coepit *Germanianus*, vti in Codice Theodoſiano &

(r) LEX I. C. DE VET. NVMISM. POTEST.

(s) *l. 1. C. Theod. ſi quis ſolidi circ. exterior. incid.*

(t) *Nouella Valentiniani XXV.*

(u) Iuſtinian. *ſanctio pragm. ad petit. Vigilii cap. XX. de mutatione ſolidorum, i. e. monetae.*

(x) *Nouell. Leon.* LII.

(y) Baſilic. *Lib.* XIV. *tit.* XVIII. *lege* I.

(z) & apud AMMIANVM MARCELLINVM (a) vocatur, vel *Germanus*, vti perpetuo adpellatur in codice Iuſtinianeo (b), & annum CCCLXVII. quo, iam alius, nomine Florentius, ad ſublime iſtud honorum faſtigium adſpirauerat. Nec minus ea inſcriptio nos docet, conſtitutionem illam non tam ad orientem, quam ad occidentem, cuius pars haud poſtrema erat praefectura Galliarum, pertinuiſſe. Tanta enim, obſeruante IAC. GOTHOFREDO, (c) in illo imperii tractu tum erat rei metallicae ac numariae perturbatio, tanta confuſio, vt Valentinianus Imp. qui in rem praeſentem venerat, totumque paene annum haeſerat Remis in Gallia, (d) morbo iſti peſtilentiſſimo mederi ſtuderet pluribus conſtitutionibus, quarum quaedam adhuc in CODICE THEODOSIANO (e) exſtant. Earum vero haud poſtrema fuit haec noſtra, quae cui ad hunc Germanianum potiſſimum miſſa ſit, intellectu non adeo difficile eſt, quum ex illis codicis Theodoſiani fragmentis pateat eum non tantum praefectura praetoriana functum eſſe, ſed & *comitem* fuiſſe *ſacrarum largitionum* (ee) cuius ad diſpoſitionem & metallorum omnisque rei pecuniariae & commerciorum cura pertinebat (f). Vnde in NOTITIA IMPERII ORIENTALIS (g) & OCCIDENTALIS (h) ſub eius diſpoſitione eſſe dicuntur *comites commerciorum*, *comes metallorum per Illyricum*, *procuratores monetarum*, *comes auri*, *procuratores brambaricariorum ſiue argentariorum*, & ſimiles. Et CASSIODORVS (i) inter alia id quoque negotii datum eſſe teſtatur ſacrarum largitionum comiti, *vt figura vultus principalis metallis vſualibus imprimeretur*; *monetamque faciendam curaret*, *de ſuis temporibus futura ſaecula commonituram*: vt dubitare non liceat, quin & rei monetariae curam geſſerit ille ſacrarum largitionum comes, adeoque ad Germanianum noſtrum iure meritoque mitti debuerit illa de re numaria conſtitutio,

(z) *l. 9. C. Theod. de diuerſ. offic.*

(a) Ammian. Marcellin. *Hiſtor. Lib.* XXVI. *cap. V.*

(b) *l. 1. C. de vet. num. poteſt. l. 39. C. de decurion.*

(c) Iac. Gothofred. *Chronol. Cod. Theodoſ. ad ann.* CCCLXVII. *p.* LXXIX. *ſeqq.*

(d) Ammian. Marcell. *ibid.*

(e) *l. 4. C. Theodoſ. de metall. l. 13. C. Theod. de ſuſceptor.*

(ee) Quod neſcio cur in dubium vocarit Tillemont. *Hiſt. des Empereurs Tom. V. Part. I. p. 336. ſequ.*

(f) Iac. Guther. *de Offic. dom. Aug. Lib. III. cap. XVI. pag. 655. ſequ.*

(g) Notit. imp. orient. *p.* 117.

(h) Notit. imp. occid. *p. 64. ſequ. edit. Panciroli.*

(i) Caſſiod. *Var. Lib. VI. Cap. VII.*

§. V.

Pars eius prior de numis principum non detrectandis.

Eius vero, vt ad rem ipſam progrediamur, duae potiſſimum partes ſunt. Altera enim Imperatores probam monetam veterum principum reiici ac detrectari in commercio vetant; altera, quae exceptionis loco eſt, numos, quibus iuſtum pretium & pondus deeſt, eximunt commercio. Quod ad priorem attinet: *Solidos*, inquiunt, *veterum principum veneratione formatos, ita tradi ac ſuſcipi ab ementibus & diſtrahentibus iubemus, vt nihil omnino refragationis oriatur.* Solidi ſunt numi aurei, de quorum interno valore ac pondere ſub Conſtantino M. & Valentiniano ſeniore aduerſus IAC. GOTHOFREDVM (k) ſubtiliter diſputat IO. FRID. GRONOVIVS (l). Quum enim olim Romanis vna eſſet forma numi ex auro, ac proinde huiusmodi numus non niſi aureus vocaretur: poſtea Alexander Seuerus, teſte LAMPRIDIO (m), cudit aureos, primum ſemiſſes, ac poſtea tremiſſes, etiam quartarios facturus, ſi per rationem temporum licuiſſet. Quum ergo ex eo tempore circumferrentur aurei diuerſi pretii & ponderis: magnus ille, qui aſſem aereum pondere aequabat, *ſolidus* coepit adpellari, quaſi integer, vt ab aureis ſemiſſibus & tremiſſibus diſtingueretur, ceu luculenter oſtendit vir, quem paullo ante laudauimus, in his litteris incomparabilis, IO. FR. GRONOVIVS (n). Non omnes autem ſolidos ſine diſcrimine valere iubent Imperatores, ſed *veterum principum veneratione formatos*, id eſt, *ἐὰν ἐχέτωσαν τύπον βασιλέως*, *ſi imperatoris alicuius* eorum, qui ante Valentinianum & Valentem floruerant, *formam vel vultum praeferrent*, vti haec verba exprimi videmus ab auctoribus ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ. (o) Id enim ſufficere videbatur ad auctoritatem numis conciliandam, ſi ſignati eſſent Caeſarum Auguſtorum charagmate, dum nulla cauſſa eſſet, quamobrem pro adulterinis haberentur. Hinc illa CHRISTI interrogatio: *Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη ἡ ἐπιγραφή; cuius eſt imago haec & inſcriptio?* (p) Elicit enim a Iudaeis confeſſionem ſeruitutis, dum reſpondent: *Καίσαρος.* Si ergo, inquit, numi Caeſaris Auguſti ſignati imagine, a qua alioquin tantopere abhorretis, in ciuitate veſtra vbique ſine detrectatione recipiuntur, qui

(k) Iac. Gothofred. *Diſſert. de mutat. & augm. mon. aur.* Gen. 1654.

(l) Io. Frid. Gronou. *de vet. pec. Lib. IV. cap. XIII.*

(m) Lamprid. *Alex. cap.* XXXIX.

(n) Gronou. *ibid. Lib. IV. cap. XIII. p.* 798.

(o) Baſilic. *Lib. LIV. tit.* XVIII. §. I.

(p) *Matth. XXII.* 20.

qui dubitare quaeſo poteſtis, vobis imperare Caeſarem? *Reddite ergo Caeſari, quae ſunt Caeſaris, &, quae Dei, Deo.* Eodem pertinet inſignis ARRIANI (q) locus: Τὸ τοῦ καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, οὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ, ἀλλ' ἂν δείξῃς, θέλει, οὐ θέλει, προέσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ' αὐτοῦ πωλούμενον. *Numulario non licet pro adulterina reiicere monetam Caeſaris, aut, qui vendit olera: ſimul ac enim effigiem oſtenderis, ſiue velit, ſiue nolit, mercem tradere eum oportet.* Idem ergo & hac conſtitutione cauetur, ne fas ſit vlli mortalium reiicere vel reſpuere ſolidum, in qua veteris alicuius principis vultus conſpiciatur, ſed ille *ita tradatur ac ſuſcipiatur ab ementibus & diſtrahentibus, vt nihil omnino refragationis oriatur.* Recte enim CASSIODORVS (r): *Quidnam erit tutum, ſi in principis peccetur effigie, &, quam ſubiectus coede venerari debet, manu ſacrilega violare ſuſtinet?*

§. VI.

Quinam dicantur diſtrahere numos?

Enimuero id mirum alicui videri poterat, hanc legem, vt numi hi ſine refragatione ſuſcipiantur, dici non modo *diſtrahentibus*, id eſt, venditoribus, quorum omnino eſt, numos vel pretium pro re vendita recipere, verum etiam *ementibus*, qui non recipiunt numos, ſed tradunt. Quis vero emtor tam eſſet inepte ſtolidus, vt *numis veterum principum veneratione formatis*, minus, quam per leges licet, pretium ſtatuere non dubitet? Hoc quemquam mortalium facturum, adeo non ſit veroſimile, vt emtores potius vel maxime iniuriam ſibi fieri querantur, ſi qui numos, quos offerunt, tamquam minoris pretii, reiiciant. Ac inde factum arbitramur, vt auctores ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ, nulla facta vel *ementium*, vel *diſtrahentium* mentione, generatim huiuſmodi numos ἀδιαστρόφως καὶ πιπράσκεσθαι, καὶ ἀγοράζεσθαι, *ſine omni refragatione tradi ac ſuſcipi debere*, tradant. Iam recte equidem obſeruatum eſt a viris doctiſſimis (s), non raro in iure noſtro confundi emtorum venditorumque nomina, eamque obſeruationem veram ac ſolidiſſimam eſſe, exemplis probari poteſt quamplurimis: (t) ſed ne hoc quidem colore vti licebit huius conſtitutionis interpreti, quia Valentinianus & Valens Imperatores non *ſuſcipi* tantum ſine refragatione iubent numos, quod eſt venditoris, ſed

(q) Arrian. *Epictet. Lib. III. cap. III.*

(r) Caſſiodor. *Var. Lib.* VII. *Cap. XXXII.*

(s) Radulph. Forner. *Rer. quotid. Lib. IV. Cap.* VIIII. *& Lib. III. cap. XXVIII.* Schulting. *Iuriſpr. vet. anteiuſtin. p.* 492.

(t) §. *vlt. Inſt. de vſucap. l.* 13. §. 25. *D. de act. emt. l.* 26. *l.* 66. §. *pen. D. de Aedil. edict.*

& *tradi*, quod manifeſto emtoris eſt. Vere ergo & emtoribus & venditoribus hanc legem tulerunt Valentinus & Valens Imperatores, vt non detrectarent proba veterum principum numiſmata, ac proinde facturi nobis videmur operae pretium, ſi genuinam huius ſanctionis ſpeciem paullo diligentius eruerimus.

§. VII.

Lex noſtra ad collybiſtas, menſarios, collectarios pertinuit, & in oriente diu viguit.

Nimirum lex noſtra non modo ad regulares emtiones venditiones, verum etiam ad negotiationem collybiſtarum, menſariorum, numulariorum, & argentariorum, id eſt, ad emtionem pecuniae, vel maxime pertinet. Solebant enim, qui numos veteres maiores ac probos habebant, eos vendere collybiſtis, vt aliquantulum lucri facerent, ſi creditoribus minoribus ſatisfacerent numis, maioribus paullo maiore pretio venditis. Hinc ZONARAS: (u) collybiſtas definit, τοὺς τὰ λεπτὰ νομίσματα πωλοῦντας, *qui vendunt minuta aera*. Minuta ergo aera dabant pro maioribus, & quidem pretio paullo maiore, quod hodie vocamus *agio*, olim vero *collybum* vel *aſpraturam* adpellabant. Hinc *collybus* HIERONYMO (x) eſt *munus, quod pro cambio datur*. Et gloſſae: *Aſpratura negotiatio argentariorum*. De vtroque vero vocabulo plura paſſim obſeruauit vir rei trapeziticae veterum peritiſſimus, CLAVD. SALMASIVS (y). Iidem homines, qui pro minimo illo lucello, quod venditoribus maiorum numorum dabant, multo maius ſolebant adfectare, inſequente aetate dicti etiam ſunt *collectarii*, quorum certum Romae corpus fuiſſe teſtatur SYMMACHVS (z). Hos eleganter deſcribit SVIDAS (a): κολλεκτάριος ἀργυραμοιβὸς, ἤτοι κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος, τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης. *Collectarius, qui numos viliores & minutiores argento permutat, menſarius, argentarius.* Et in voce, ἀργυραμοιβὸς (b) ἀργυραμοιβός· ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος ὁ τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης κολλεκτάριος. *Argentarius, qui monetam minorem, vel aeream argentea permutat, trapezita, numularius, collectarius.* Hi ergo collectarii, trapezitae, argentarii, numularii, dici non poteſt, quam multis variiſque fraudibus circumuenerint illos, quos maiora numiſmata minoribus permutare cogebat neceſſitas. Modo enim

(u) Zonar. *ad Synod. Trullenſ. can.* CLXXVI.

(x) Hieronym. *Comment. ad Matth. Cap. XXI.*

(y) Claud. Salmaſ. *de vſur. p.* 454. 492.

(z) Symmach. *Lib. X. Epiſt. XLII.*

(a) Suid. *voce* κολλεκτάριος. *Tomo II. pag.* 338. *edit. Kuſteri.*

(b) Idem *ſub* ἀργυραμοιβός. *Tomo I. p.* 312.

enim cauſſabantur, nimis veteres eſſe numos, modo, eos iuſto minores videri, modo diuturno vſu ita detritos eſſe clamabant, vt ſine damno emi non poſſent, niſi de pretio legitimo aliquid ab emtore remitteretur. Cui numulariorum cupiditati cum aliis legibus, tum hac noſtra conſtitutione occurſum eſt, cautumque, vt ſolidi, veterum principum vultu ſignati, neque ſi emerentur, neque ſi venderentur, alio pretio, quam quod iis ſemel ſtatutum eſſet, ſuſciperentur traderenturue, nec vel forma, vel magnitudo, vel aetas ſpectaretur, ſed ſola eius bonitas ponduſque legitimum. Sic iam anno CCCXVII. CONSTANTINVS M. (c) *Omnes ſolidi in quibus noſtri vultus veneratio una eſt, vno pretio aeſtimandi ſunt, atque vendendi, quamquam diuerſa formae menſura ſit. Nec enim, qui maiore habitu faciei extenditur, maioris eſt pretii: nec, qui anguſtiore expreſſione concluditur, minoris haberi credendus eſt, quum pondus idem exiſtat.* Paullo poſt Valentiniani tempora THEODOSIVS (d): *Vniuerſos auctoritas tua propoſito edicto commoneat, obryzatorum omnium ſolidorum vniforme pretium poſtulare.* Hinc Valentinianus III. (e): *Frequens ad nos, Quirites, temerarii auſus querela peruenit, vt in parentum noſtrorum contumeliam inſigniti ſolidi eorum nominibus, ab omni emtore recuſentur. Quod diu eſſe impunitum non patimur.* Porro & IVSTINIANVS (f), *Quum autem ſcimus, veterum Romanorum principum ſolidos per illa loca facile inueniri, comperimus autem, negotiatores, vti alios quoſdam, propter mutationem ſolidorum diſpendium aliquod collatoribus noſtris inferre: ſancimus, ſolidos, Romanorum principum forma ſignatos, ſine permutationis diſpendio per omnes prouincias ambulare, & per eos celebrari contractus.* Et hoc ius etiam poſt Iuſtinianum ad tempora Phocae viguiſſe, teſtem habemus GE. CEDRENVM (g), qui inter huius imperatoris vitia & hoc maxime reprehendit, quod numiſma attenuauerit, tetartero excogitato, quumque eo modo duplex eſſet numus, pro publicis penſionibus grauiorem exegerit, minorem in ſumtibus faciendis diſſiparit, *νόμου καὶ ἔθους ὄντων, πάντα χαραχθῆναι βασιλέως, εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἐλαττοῖτο, δύναμιν εἰσφέρειν καὶ ἔχειν ἰσότιμον. quum autem eſſet lege & conſuetudine receptum, vt omnes numi, imagine imperatoris alicuius ſignati, modo ponderi iuſto nihil deeſſet, idem valerent.* Quae ipſa eſt conſtitu-

(c) *l. vn. C. Theod. ſi quis ſol. circ. ext. circumcid.*

(d) *l. 3. C. de vet. num. poteſt.*

(e) *Nouell. Valentin. XXV.*

(f) Iuſtinian. *Sanct. pragm. ad petit. Vigilii Cap. XX.*

(g) Cedren. *in Nicephoro Phoca* p. 546. *edit. Guil. Xylandri.*

ſtitutionis noſtrae, quam iam exponimus, diſpoſitio. Quamuis vero illa infauſtis Nicephori Phocae temporibus aliquamdiu exoleſceret, quin & poſtea in maxima illa rerum per orientem perturbatione rem etiam numariam valde perturbatam fuiſſe, probabile ſit: veterem tamen ſanctionem ſaeculo nono in vſum reuocauit LEO Imp. (h) qui grauiter inuectus in anteriorum principum ſordes, qui depreſſo veterum numorum pretio, nouis & a ſe cuſis tanto maius attribuerint, (quod ipſum Phocam feciſſe CEDRENVS obſeruauit,) demum grauiter ſancit, *vt ſecundum benignum maiorum reique publicae commodiſſimum iudicium numiſmatis omne genus, quod quidem formam materiamque non adulteratam & plenum pondus habeat, ſiue vetuſtioris cuiuſdam principis, ſiue recentioris ſit, aequaliter & aeſtimetur, & in republica tractetur.* Atque ita nos luculenter demonſtraſſe exiſtimamus, legis noſtrae ad ſaeculum vſque nonum in oriente ſanctiſſimam manſiſſe cuſtodiam, & quamuis illam peſſimo exemplo Phocae Imp. aliquamdiu euerterit auaritia, Leonem tamen eam reuocaſſe in vſum. Quum ergo his nouellis Leonis, quamdiu Byzantinum ſtetit imperium, ſua conſtiterit auctoritas: dubitare nefas eſt, quin & conſtitutioni iſti ad illa extrema imperii tempora ibi non fuerit ab vllo ſucceſſorum derogatum.

§. VIII.

Similes leges & in occidente latae.

Quid vero de occidente, in cuius gratiam conſtitutionem hanc ediderat Valentinianus, dicamus? In eum ſane iam ab Honorii Imp. temporibus ſeſe infundere coeperant gentes barbarae, quae non modo exitium paullatim attulerunt potentiſſimo imperio, praeſtantiſſimaſque prouincias ſub ſuam redegerunt poteſtatem, ſed & omnem litterarum, humanitatis, legumque ſplendorem, tamquam caligine quadam ſubito exorta, extinxerunt. Hinc non ſane mirum videretur, ſi & conſtitutionis noſtrae tam infelicibus temporibus nec vola nec veſtigium ſuperfuiſſet. Et ſuperfuit tamen inter ipſos barbaros, quibus ſe illa ſua aequitate adeo commendauit, vt eam in leges ſuas, quas paullatim exemplo Romanorum ſcribere coeperunt, recipere non dubitarint. LEX ſane WISIGOTHORVM (i), quam pleraque cum Romanis communia habere, iam CVIACIVS (k) obſeruauit, iſtam manifeſto reuocauit in vſum, ſtatuitque, *vt ſolidum aureum integri ponderis, cuiuſcumque monetae*

(h) Leon. *Nouell.* LII.

(i) Lex Wiſigoth. *Lib.* VII. *tit.* VI.

(k) Cuiac. *ad 2. Feud. II. pag.* 1248. *Tom. II. Oper.*

tae ſit, ſi adulterinus non fuerit, nullus audeat recuſare, nec pro eius commutatione, aliquid monetae requirere, propter hoc, quod minus forte penſauerit. Nec minus LEX GVNDOBADA, vel BVRGVNDICA (l), hanc ſanctionem Valentiniani non modo probat, ſed & ſolidos quoſdam, qui iuſto pretio ac pondere deſtituantur, recenſet. Ait enim legislator: *De monetis ſolidorum praecipimus cuſtodire, vt omne aurum, quodcumque penſauerit,* (id eſt, quodcumque iuſti ponderis eſt) *accipiatur, praeter quatuor tantum monetas Valentiniani Gennauenſis, & Gothium, qui a tempore Alarici Regis adaerati ſunt, & Ardaricanos.* Quales hi fuerint ſolidi, quos e republica ſua proſcribendos putarunt Burgundiones, pluribus alibi diſputauit ILLVSTRIS DOMINVS PRAESES (m), oſtenditque *Valentinianos* eſſe ab hoc ipſo Valentiniano noſtro Imp. cuſos, quem anno CCCLXVII. nouam λογαριαστικήν inſtituiſſe obſeruat DION. PETAVIVS (n): Gothios aureos ab Alarico potiſſimum, Gothorum Rege, cuſos: de Genauenſibus nihil pro certo adfirmari poſſe: Ardaricanos denique non ab Alarico, quod CAR. DV FRESNE (o) ſuſpicatus eſt, ſed ab Ardarico, Gepidarum Rege, nomen inueniſſe (p). Sic & barbari illam Valentiniani legem ſequuti ſunt: idque tanto notatu dignius eſt, quod illa, vti ſupra diximus, in Codice Theodoſiano non exſtat, cuius alioquin ſolius notitiam vſumque aliquem habuiſſe dicuntur populi iſti Germanici (q).

§. VIIII.

Sed vt ex hoc diuerticulo redeamus in viam: expendenda iam porro erit ſanctio poenalis, quam conſtitutioni huic ſubiecerunt Imperatores. Eo enim pertinent verba: *Scituris vniuerſis, qui aliter fecerint, haud leuiter in ſe vindicandum.* Poenam ergo ſtatuit non fixam & definitam, ſed arbitrariam, conſilio ſatis prudente, quod plura incidere poſſint, ob quae poena vel mitior vel acerbior ſit infligenda. Et hac in re a veteribus legibus quodammodo diſcrepat conſtitutio noſtra, quae certam, eamque ſatis atrocem poenam comminatae ſunt illis, qui probos ſolidos reiecerint. *Poena eorum qui probum numum reiecerint.*

(l) Leg. Burgund. *Additam. II.* §. *VI.*

(m) *Elem. Iur. Germ. Lib. II. Part. II.* §. CCCXII. *

(n) Dionyſ. Petau. *ad Epiphan.* p. 436.

(o) Car. du Freſne. *Gloſſar. med. & inf. Latin. voce Ardaricanus.*

(p) Hadr. Valeſ. *Hiſt. Franc. Tom. I.* p. 408.

(q) Herm. Conring. *Orig. Iur. Germ. cap. IV. & V.* Io. Selden. *Diſſ. ad Flet. V. 2. ſequ.* Innoc. Ciron. *Obſeru. iur. Can. V. 2.*

cerint. Et ſane ex PAVLLI (r) ſententia *lege Cornelia de falſis tenetur, qui vultu principum ſignatam monetam, praeter adulterinam, reprobarit.* Poena vero legis Corneliae olim erat aquae & ignis interdictio: poſtea honeſtiores deportabantur in inſulam; humiliores autem in metallum damnabantur, aut in crucem tollebantur: Serui etiam, poſt admiſſum facinus manumiſſi, capite puniebantur, ceu idem PAVLLVS (s) teſtatur. Atrocius poſtea ſupplicium ſtatuit CONSTANTINVS M. (t) quippe qui hanc ſanctionem poenalem ſubiecit conſtitutioni ſuae: *Quod ſi quis aliter fecerit, aut capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia poena mortifera.* Vbi non male IAC. GOTHOFREDVS (u): *Atrox haec poena valde in crimine, vt videri poteſt, non adeo atroci.* Et ſane quis igne expiandum credat facinus, ſi numus, veteris alicuius principis vultu ſignatus, ab aliquo reprobetur, niſi forte cum Stoicis omnia delicta paria exiſtimet? At haec quidem philoſophia non eſt publici ſaporis, de eaque recte iudicauit HORATIVS (x):

Nec vincet ratio hoc, tantumdem vt peccet, idemque,
Qui teneros caules alieni infregerit horti,
Et qui nocturnus ſacra Diuum legerit. Adſit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas:
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.
Nam, vt ferula caedas meritum maiora ſubire
Verbera, non vereor: quum dicas eſſe pares res,
Furta latrociniis, & magnis parua mineris,
Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum
Permittant homines.

Attamen cur repudiantibus aureos tam dirum ſupplicium ob tam leue delictum irrogatum voluerit CONSTANTINVS M. intellectu non adeo difficile eſt, ratioque in ipſis verbis: *noſtri vultus veneratio* latitat. Principum enim imagines veteres diuinis proſequebantur honoribus, vocabantque *vultus aeternales* (y), immo & *diuinos* & *ſacros*, veluti PAPINIVS STATIVS (z):

Quae Diuum in vultus igni formanda liqueſcat,
Maſſa, quid Auſoniae ſcriptum crepet igne monetae.

Quare non modo crimen maieſtatis, ſed & ſacrilegium, admiſiſſe vide-

(r) Paull. *Recept. Sent. Lib. V. tit. XXV. §. I.*

(s) Idem *ibid.*

(t) *l. vn. Cod. Theod. ſi ſolidi circ. exter.*

(u) Iac. Gothofr. *Comment. in Cod. Theodoſ. Tomo III. p.* 181.

(x) Horat. *Lib. III. Serm. ſat. III. v.* 115. *ſequ.*

(y) *l. vlt. C. de vet. num. poteſt.*

(z) Papin. Stat. *Lib. III. ſilu. III. v.* 104.

videbatur, qui principis imaginem parum reuerenter habuerat, cuius rei inſignia exempla ſunt apud SENECAM (a), aliosque ſcriptores antiquos, qui infeliciſſima Tiberii, Neronis & Domitiani tempora viderunt. Nec exiſtimandum eſt, in Conſtantinum M. tantam non cadere ſuperſtitionem, vt violationem ſacri vultus pro ſacrilegio habuerit. Eum enim, etiam ex quo Chriſto nomen dederat, multa retinuiſſe ex priſtinis moribus, quae Chriſtiano vix digna videntur, cum alii ex eius numis, marmoribus, conſtitutionibus luculenter probarunt, tum inprimis illuſtris SPANHEMIVS (b). Inde ergo atrox haec poena, quam poſtea conſtitutione ſua ratam habuerunt THEODOSIVS (c) & VALENTINIANVS iunior (d), & ipſi capitale ſupplicium interminati illis, *qui aeternales vultus, dum fraudibus ſtuduerint, duxerint violare.* Reliqui tamen Principes paullo mitiores ſe ſe oſtenderunt, poena arbitraria vel pecuniaria contenti, exemplo Valentiniani ſenioris. IVSTINIANVS enim *eum, qui diſpendium aliquod permutationi ſolidorum inferre praeſumſerit, pro vnoquoque ſolido alterum tantum eis, cum quibus contraxerit, inferre cogit.* LEO Sapiens (e) eum, *qui rebelli animo decretum ſuum contemſerit, flagris caeſum, cute tenus tonderi, inſuperque tres auri libras dependere* iubet. Ex LEGIS WISIGOTHICAE (f) praeſcripto a iudice diſtrictus is, qui probum ſolidum reſpuerat, alteri cuius ſolidum recuſauerat, tres ſolidos exſoluere tenebatur. Denique apud BVRGVNDIONES (g) idem rem venalem perdebat. Adeoque pleriſque Imperatoribus regibusque diſplicuiſſe animaduertimus illam CONSTANTINI M. truculentiam, magisque ſe probaſſe prudentiam VALENTINIANI I. cui, tamquam paullo mitioris ingenii principi, *pro magno peccato paullulum ſupplicii ſatis eſſe*, videbatur.

§. X.

Pars poſterior de improbis numis reiiciendis.

Hactenus de priore conſtitutionis noſtrae capite, quod omnes ſolidos, anteriorum principum vultu ſignatos, in commercio eſſe, iuſtoque pretio tradi ac ſuſcipi iubet. Sequitur poſterius, quod exceptionem ſuggerit his verbis: *Modo vt debiti ponderis ſint, & ſpeciei probae*: quae totidem verbis expreſſa animaduertimus in BASILICIS: *μόνον ἵνα τὸν σαθμὸν καὶ τὸ εἶδος καλὸν ἔχῃ.* Per *σαθμὸν*

 vero

(a) Seneca *de Benefic. Lib. III. Cap. XXIII.*

(b) Ezech. Spanhem. *de vſu & praeſt. numiſm. Diſſ. XII. p.* 415.

(c) *L.* 3. *C. de vet. numiſm. poteſt.*

(d) *Nouell. Valentin. XXV.*

(e) Leon. *Nouella LII. fin.*

(f) Lex Wiſigoth. *ibid.*

(g) Lex Burgund. *ibid.*

vero vel *pondus* hic merito intelligimus id, quod ii, qui auro, argento, aeri flando feriundo praeſunt, vocare ſolent *Schrot* vnd *Korn*, id eſt, metalli bonitatem iuſtamque quantitatem. Per εἶδος vero vel *ſpeciem* ipſam γνησιότητα, vt numus non ſit falſus vel adulterinus. Ita enim ſpeciem interpretantur leges quaedam & anteriores, & inſequentes. Nam & CONSTANTINVS reprobari patitur *ſolidum adultera imitatione figuratum*, & LEO conſtitutione ſua diſerte excipit numos, *qui formam materiamque adulteram, nec plenum pondus habeant*. Itaque iure reiiciebantur adulterini, ſiue probum eſſet metallum, ſiue male temperatum. Iure etiam reiiciebantur iuſto leuiores, quamuis non adulterini. Variae enim erant falſariorum artes circa monetam etiam publicam; quam modo conflabant, quod prohibetur titulo CODICIS THEODOSIANI: *ſi quis pecunias conflauerit* (h), modo ſeparato ab aere argento pretio iuſto ſpoliabant, quod maiorinae potiſſimum pecuniae, id eſt ex argento & aere conflatae, contigiſſe obſeruat IAC. GOTHOFREDVS (i), qui & de ipſa hac arte deteſtabili fuſius ibidem diſſerit: modo, exteriore numi circulo abraſo, iuſtum illi pondus detrahebant, quod facinus eodem viuicomburii vel alio capitali ſupplicio expiari iuſſerat CONSTANTINVS (k): quemadmodum iam antea libera adhuc republica poenae legis Corneliae de falſis locus erat aduerſus eos, qui monetas abraſerant (l), vel vti eleganter vocabant Graeci, aduerſus παραψαλιστάς. Eſt enim ψάλις *forceps*, qua ad abradendum numi circulum vtebantur falſarii. Quum enim ea forcipe dexterrime vteretur Alexander quidam impoſtor, eum a Byzantinis eleganter cognominatum eſſe ψαλίδιον, ſeu forcipulam, ſcribit PROCOPIVS (m). Sed ne hodie quidem proh dolor hanc artem dedidicerunt falſarii, & Iudaei maxime, qui non minus ingenioſa manu numos aureos, quam pueros ſuos, circumcidunt, eoque rem redigunt hac digniſſima quouis ſupplicio ſolertia, vt ad priſtinum aureos non adnumerandi, ſed adpendendi morem dudum redierimus. Quis vero vitio vertat hominibus diligentioribus ſi & hos reprobent numos, quibus abraſo circulo detractum eſt pretium, quum recte obſeruarit

CHRY-

(h) Cod. Theodoſ. *Lib. IX. tit. XXIII.*

(i) Iac. Gothofred. *ad l. 6. C. Theod. de falſa mon. Tomo III. p. 176. ſequ.*

(k) *l. 1. C. Theod. ſi quis. ſol. circ. exter. circumcid.*

(l) *l. 8. D. ad Leg. Corn. de falſ.* Paull. *Recept. ſent. Lib. V. tit. XXV. §. I.*

(m) Procop. *de bello Goth. Lib. III.* Cuiac. *Obſeru. Lib. XIX. Cap. XXV.*

CHRYSOSTOMVS (n). ἐν τοῖς βασιλικοῖς νομίσμασι τὸν μικρὸν τοῦ χαρακτῆρος περικόψαντα ὅλον τὸ νόμισμα κίβδηλον ἐργάζεσθαι, *eum qui ex Caeſaris numo vel minimam partem abraſerit, totum numum videri corrupiſſe?*

§. XI.

Cuiusnam apud Rom. iudicium de numorum bonitate fuerit?

Ceterum hoc de aureorum probitate iudicium praecipue ſibi adrogabant ipſi argentarii vel numularii, qui & praeceptis magiſtrorum, & diuturna exercitatione, eam ſibi dexteritatem atque εὐστοχίαν in exploranda numorum bonitate adquiſiuerant, vt eos non temere quiſquam falleret, ſed ſtatim veluti ex tripode dicerent, probusne ſit numus, an dubius, ſuſpectusue, ponderisne legitimi, an maligni, integer an adroſus, circumciſus vel ſtrictus, obryzus an inquinatus, vel ſubaeratus. Omnia enim haec non modo oculis, pondere, lapide Lydio, ſed & tinnitu deprehendebant, probe attendentes,

Si qua ſubaerato mendoſum tinniat auro:

vti ait PERSIVS (o). Variis THEOCRITI (p), ARISTOTELIS (q), PHILONIS (r), MAXIMI TYRII (s) & LVCIANI (t) teſtimoniis hoc probauit iureconſultus eximius, MARQV. FREHERVS (u): quibus nos addimus vnum elegantiſſimum ARRIANI (x): ὁρᾶτε ἐπὶ τοῦ νομίσματος, ὅπου δοκεῖ τι εἶναι πρὸς ἡμᾶς, πῶς καὶ τέχνην ἐξευρήκαμεν, καὶ ὅσοις ὁ ἀργυρογνώμων προσχρῆται κατὰ δοκιμασίαν τοῦ νομίσματος· Τῇ ὄψει, τῇ ἁφῇ, τῇ ὀσφρησίᾳ, τὰ τελευταῖα τῇ ἀκοῇ, ῥίψας τὸ δηνάριον τῷ ψόφῳ προσέχει. καὶ οὐχ ἅπαξ ἀρκεῖται ψοφήσαντος, ἀλλ' ὑπὸ τῆς πολλῆς προσοχῆς μουσικὸς γίνεται. *Videtis, vt in numiſmate, quum pertinere ad nos videatur, & artem inuenerimus, & quot rebus argentarius ad eius explorationem vtatur, vt viſu, tactu, olfactu, auditu, denique proiecto denario ſonitum obſeruat, neque vnico ſonitu contentus, prae crebra attentione ſit quodammodo muſicus.* Sed hi quidem priuata auctoritate, & in ſuam potiſſimum rem hanc artem faciebant, ac proinde ſi quando de numorum bonitate & pondere incideret controuerſia, ad numularios ibatur, ceu & AFRICANVS noſter (y), obſeruat, & varia apud veteres exempla docent

(n) Chryſoſtom. *homil. ad Galat. I. p. 972. edit. Comelin.*

(o) Perſius *Sat. V. v. 106.*

(p) Theocrit. *Eidyll. XII. v. 35.*

(q) Ariſtot. *Rhetor. Lib. I. Cap. XV.*

(r) Philo *de iudice p. 722.*

(s) Maxim. Tyr. *Serm.* VIII.

(t) Lucian. *in Paraſito Tom. II. p. 242.*

(u) Marqu. Freher. *Parerg. Lib. I. c. XIV.* Theſaur. *iur. Tom. I. p.* 880.

(x) Arrian. *Diſſ. Epictet. Lib. I. cap. XX.*

(y) *l. 39. pr. D. de ſolut.*

docent (z). Enimuero quum poſtea intereſſe videretur reipublicae, publica potius auctoritate has lites dirimi: primus IVLIANVS Imp. (a) anno CCCLXIII. per omnes ciuitates *conſtitui iuſſit zygoſtatas, qui pro ſua fide atque induſtria neque fallerent, neque fallerentur, vti ad eorum arbitrium & ad eorum fidem, ſi qua inter vendentem emtoremque in ſolidis exorta fuerit contentio, dirimeretur.* Ita enim ſe ſe in CODICE THEODOSIANO (b) habent verba IVLIANI, quae non integra in CODICE ſuo IVSTINIANVS exhibuit. Ceterum zygoſtatas iſtos vocabant etiam *ponderatores*, ad eoſque pertinere videtur formula apud CASSIODORVM (c), qua alicui monetae cura committitur. Vnde titulus vtriuſque codicis *de ponderatoribus & auri inlatione*, ad quem multa interpretes, quae hic, aliis intenti, non repetimus.

§. XII.

Axiomata ex hac lege. In magnis imperiis principum numi non reiiciendi ſunt a ſubditis.

Sic defuncti nobis videmur labore pulcherrimo explicandi conſtitutionem, quam plerique interpretes non adeo dignam iudicarunt induſtria ſua, quidam etiam male, vti fieri ſolet ſunt interpretati. Iam proximum eſt, vt ad rem ipſam, cuius cauſſa hanc operam in nos ſuſcepimus, progrediamur. Duo nimirum quum hic inculcari videamus axiomata, alterum, *numos principum ſiue veterum, ſiue nouorum, ſi probi ac iuſti pretii ſint, non poſſe a ſubiectis ſine principis iniuria repudiari, eamque detrectationem eſſe poena digniſſimam*: alterum, *intereſſe reipublicae vt numi adulterini & quibus iuſtum pretium deeſt, & detegantur, & vel proſcribantur penitus, vel ad iuſtum pretium reducantur*: neutrum horum ita comparatum eſt, vt non ipſi rectae rationi reguliſque prudentiae ciuilis conueniat, neque adeo ſit mirandum, vtrumque vbique obſeruari, ſi vel maxime ipſius huius conſtitutionis tamquam ad ius publicum Romanorum pertinentis, vſum aliquem hodie eſſe, negemus. Et quidem in magnis imperiis, vbi raro numi alii, quam ab ipſis imperantibus cuſi, viſuntur: nullum eſt dubium, quin haud leui delicto ſeſe obſtringant, qui numos illos, publica auctoritate ſignatos, repudiant reiiciuntue. Quum enim inter cetera iura maieſtatis & hoc ſit, vt rectores ciuitatum poſſint numos non ſolum cudere, ſed & iuſtum iis valorem pretiumue imponere, (quod quibus cautionibus fieri oporteat, iam ab aliis traditum

(z) Apulei. *Lib. X. Metamorphoſ. p.* 243. *edit. Elmenh.* Hieron. *in Epiſt. ad Epheſ. Lib. III. Cap. IV. fol.* 184.

(a) *l. 2. C. Theod. de ponderator.*

(b) *l. 2. C. eod. tit.*

(c) Caſſiodor. *Var. Lib.* VII. *Cap.* XXXII.

ditum eſt (d): fieri non poteſt, quin is ipſum principem eiuſque iura contemtui habere, commerciaque ſimul mirifice turbare videatur, qui eius numos probos & iuſti ponderis temere reiicit. Non enim conſiſtunt exempla, vbi coeperunt, ſed latius euagandi viam ſibi faciunt. Hinc quod numorum genus vnus repudiat, ab eo & alii, tum rurſus alii, abhorrere incipiunt, donec vniuerſam rempublicam peruagetur id malum, & vbique ſuſpecti fiant numi, non ſine grauiſſima principis iniuria. Omnis ergo tunc cura in eo ſita eſt, ne adulterini iactentur, ne probis ſuum pondus detrahatur, ne peregrini nequiores & ſubaerati inuehantur in rempublicam, iiſue pretium idem, ac probis domeſticis, ſtatuatur. Id enim ſi impune fiat, prohiberi non poteſt, quo minus probae numorum ſpecies ad vicinos migrent, & in eorum locum ſuccedant nequiores, ac proinde ciues tanto pauperiores fiant, quanto probi numi noſtri fuerunt peregrinis meliores: qua de re egregia ſunt, quae monuit laudatus CONRINGIVS (e).

§. XIII.

An idem & in Germania ſeruari poſſit? Leges Germ. de re numaria ſaluberrimae.

At miſera eſt in eo Germanici imperii conditio; quod quia eius territoria & reſpublicae ſpeciales pleraeque non adeo late patent, & tamen ius cudendi monetam cum pluribus non modo imperii ordinibus, ſed & cum mediatis quibusdam quas vocant, ciuitatibus eſt communicatum, fieri non poſſit, quin vicinorum ordinum monetae ſaepius non minore numero expendantur quam domeſticae, ac proinde aegre impediri queat, quo minus & improbi & nequiores numi paullatim inundent Germaniam. Equidem prudentiſſimas leges huic malo oppoſuit Imperium, quibus ſi ſua conſtaret auctoritas, non poſſet profecto tam perturbata eſſe res numaria: at impares fere huic malo eſſe leges, ipſa ſatis iam pridem docuit experientia. Quales enim paſſim iactantur numi? quam leues? quam improbi & ſubaerati? Quam pauci adparent veteres & probi? Nimirum ad tantas ſordes prolapſum eſt ſaeculum, vt id vere, ſi non ferreum, at aeneum ſaltim, dixeris; ad cuius infelicitatem ipſi numi veluti erubeſcunt. Prudenter cautum eſt in COMITIIS AVGVSTANIS anno MDLXVI. (f), vt quisquis iure cudendi monetas abuſus, aduerſus leges publicas peccet, is iure ſuo priuetur: idemque repetitum anno MDLXX. in COMITIIS

 SPIREN-

(d) Herm. Conring. *de re num. in quauis rep. recte conſtit.* §. *X. XXXV.* *ſequ.* Pufend. *de Iure Nat. & Gent. Lib. V. Cap. I.* §. *XIV.*

(e) Conring. *ibid.* §. XXI.

(f) Receſſ. Imp. Auguſtan. MDLXVI. §. CLIV.

SPIRENSIBVS (g), eique grauiſſimo decreto & id adſtructum eſt, vt ne poenitenti quidem ius ſemel ereptum reſtituatur. Quin vt eo magis legis illius ſaluberrimae vigeret auctoritas, ea ab anno MDCXII. migrauit in CAPITVLATIONEM MATTHIAE IMP. (h) & inſequentes omnes (i), quin in poſtrema (k) noua addita eſt ſanctio poenalis, vt ordines, qui improbis numis cudendis iure ſuo abutantur, non modo iure illo auri, argenti, aeris, flandi feriundi priuentur, ſed & iiſdem de communi ordinum ſententia iure comitiorum & ſuffragii interdicatur. Huc pertinent & aliae imperii leges ciuibus imperii, ſi adcuratius obſeruarentur, admodum ſalutares futurae: veluti vt nemini id ius monetam cudendi de nouo concedatur, niſi de Electoralis collegii ſententia, & circuli, cuius intereſt, conſilio (l): vt auream monetam nemo, niſi ſpeciali priuilegio munitus, vel propriis aurifodinis beatus, ſignet, (m) vt vnciales octo vna argenti marca dependantur (n): quamuis is valor internus poſtea in tractu Germaniae inferiore partim anno MDCLXVII. per *pedem*, quem vocant *Zinnenſem* (o), partim anno MDCXC. per *Lipſienſem* mutatus ſit (p): porro vt imperio praeter certas officinas monetarias, circuli cuiuſuis auſpiciis inſtitutas, non tolerentur aliae, a ſingulis ordinibus inſtitutae, quae vocantur *Heckemunzen* (q): vt ne numi maiores in minores mutentur, poteſtaſque minutiores cudendi numos, (*Landmunzen*) certis legibus certaque λογαριϰῇ circumſcripta ſit (r): ne monetae ius vlli vel vendatur, vel locetur (s): monetarii & zygoſtatae, (*die waradeins*) in leges iurent (t): vt ab ordinibus vel ſingulorum circulorum, vel plurium ſimul, quos vocant *correſpondirende creyſe*, bis quotannis inſtituantur conuentus, explorandae monetae cauſſa, & res numaria conſtituatur, prout id leges imperii & circulorum

(g) Receſſ. Imp. Spir. MDLXX. §. CXXVII.

(h) Capitul. Matthiae §. XXXIV.

(i) Capitul. Ferdinandi II. *art. XXXIII.* Capitul. Ferdinandi III. *art. XXXVII.* Capitul. Ferdinandi IV. *art.* XXXV. Capitul. Leopoldi *art. XXXIV.* Capitul. Ioſephi I. *art. XXXIII.*

(k) Capitul. Caroli VI. *art. IX.*

(l) Capitul. Caroli VI. *ibid.*

(m) Receſſ. Imp. *MDXLI.* §. *XLVIII.* & *MDLXXVI.* §. LXXVIII.

(n) Receſſ. Imp. *ann.* MDLXVI. §. *CL.*

(o) Lunig. *Reichs - Archiu. Part. Spec. IV. Sect. II. p.* 200.

(p) Idem *ibid. p.* 235.

(q) Receſſ. Imp. *ann.* MDLXVI. §. *CLXXII.* & *ann. MDLXX.* §. *CXXXIII.*

(r) Receſſ. Imp. MDLXVI. §. *CLIV.* & *CLXII.* & *MDLXX.* §. *XXXIII.*

(s) Receſſ. Imp. *ann. MDLI.* §. *XLVI.* & *MDLXX.* §. *CXXXII.*

(t) Receſſ. Imp. *MDXCIV.* §. *CIII.*

culorum exigere videatur vtilitas (u). Quis ergo tam praeclaras ac ſalubres leges non ſufficere exiſtimet conſeruandae rei numariae, omnibuſque fraudibus, quas turpis lucri cupiditas quotidie excogitat, coercendis? Sed nuſquam tamen magis peccatur inter ipſas leges, quam in Imperio Rom. Germanico, vbi, legum repagulis fortaſſis ab vno potentiore ſtatu ruptis, & reliqui ſibi licere exiſtimant, quod huic libuit, ac ſic non gradu, ſed praecipiti curſu, ad eas decurritur, ſordes, vt conflatis probis, nequiſſimi numi vbique circumferantur. Hinc pudor angit bonos imperii ciues, dum legunt querelam HERMANNI CONRINGII (x), viri profecto patriae amantiſſimi: *omnia haec prudenter legibus in Germania eſſe conſtituta, at leges illas minus ſancte obſeruari.*

§. XIIII.

Saepe numi in Germania ad iuſtum pretium reducendi. Quae cura laude digniſſima.

Quandoquidem ergo ea eſt Imperii Romano-Germanici conditio, vt acriora illa legum ſaluberrimarum vincula vix ſufficiant recte conſtituendae conſeruandaeque rei monetariae: id vnum ſupereſſe videtur, vt ea perturbata rite emendetur, numique nequiores & leuiores partim proſcribantur, quod vocant *verruffen*, vel ad iuſtum reducantur pretium, quod vocant *die Munz-valuation* vel *devaluation*, procul dubio a valuis publicis, in quibus edicta illa monetaria, tamquam in albo, proponuntur. Eſt vero haec deualuatio ius cum Imperatori & Imperio, tum circulis iiſdem competens, numos, vel materia vel pondere improbos, inſtituto eorumdem examine, ad iuſtum pretium reducendi, irrogandique poenas omnibus, qui vel illos iniquo pretio aliis obtrudere, vel priſtinum eorum valorem reducere conantur. Quo iure, ſi illud rite & adhibitis prudentiae regulis, exerceatur, nihil poteſt eſſe ſalubrius. Proditum eſt memoriae (y), extremis liberae reip. temporibus re numaria Romae mirifice corrupta, Tribunos plebis, adhibito in conſilium Praetorum collegio, & in primis M. Mario Gratidiano, qui artem nouam probandi denarios inuenerat (z), rem monetariam de communi vtriuſque collegii ſententia emendaſſe, conſcriptoque communiter edicto, conſtituiſſe, vt omnes ſimul in roſtra poſt meridiem deſcenderent, & ceteros quidem alium alio digreſſos. Marium a ſubſelliis recta iuiſſe in roſtra, idque quod communiter compoſitum fuerat, ſolum

(u) Receſſ. Imp. *ann. MDLI.* §. *XL.* & *ann. MDCIII.* §. *LI. ſequ.*

(x) Herm. Conring. *de re num. in rep. recte conſtit.* §. *LXI.*

(y) Cicero *de offic. Lib. III. cap. XX.*

(z) Plin. *Hiſt. nat. Lib. XXXIII. cap. IX.*

lum edixiſſe : eamque rem ei tanto fuiſſe honori, vt omnibus vicis ſtatuae ponerentur, ad easque tus & cerei collucerent. Iam quidem CICERO recte reprehendit id facinus cognati ac municipis ſui, quod collegis tribuniſque plebis popularem hanc gratiam eripuerit : at monere tamen nos illud poteſt, conſtitutionem illam rei monetariae, qua numi ad verum pretium reducuntur, eſſe rem & vnice neceſſariam, & vniuerſae reipublicae ſaluberrimam. Quid enim magis neceſſarium, magiſque e republica eſt, quam ciuium opibus veluti circumponere praeſidium, eos ab exterorum fraudibus tutos praeſtare, commercia reſtituere in integrum, quin publicum dedecus a republica prudenter amoliri ? Quae omnia, re numaria ſemel perturbata, ſperari non poſſunt, niſi numis nullius pretii proſcriptis e ciuitate, ceteriſque ad iuſtum pretium reductis.

§. XV.

Ius hoc initio fuit penes priuatos.

Ceterum ex definitione illa, quam ſuperiore paragrapho praemiſimus, facile intelligitur, quem penes ſit ius numos improbos ad iuſtum reducendi pretium ? Imperatores Romanorum, vti ſupra oſtendimus, id negotii dederant argentariis & zygoſtatis, vel ponderatoribus, publica auctoritate per ſingulas ciuitates conſtitutis, quorum arbitrio priuati ipſi ſuſpectis numis iuſtum pretium ſtatuebant. Quin & ipſis Imperatoribus & Regibus Rom. ſimile inſtitutum placuiſſe animaduertimus ſaeculis vndecimo & inſequente. Paſſim enim in vrbibus celebrioribus florebat corpus monetariorum, cui ius erat, non modo priuatis auſpiciis cudendi monetas, verum etiam ab aliis cuſas examinandi, iiſque iuſtum ſtatuendi pretium. Tales monetarios fuiſſe Argentorati, patet ex iure vetere Argentoratenſium, (*den alten Stadt-Articuln,*) edito a SCHILTERO (a), quod vir doctus ex aliis vetuſtis monimentis paſſim illuſtrat. Sed & alibi, veluti Francofurti, Weiſſenburgi, Spirae, Wormatiae, huiusmodi floruiſſe collegia, teſtes ſunt HERZOGIVS (b), & CHR. LEHMANNVS (c), quorum poſterior, ipſis productis diplomatibus, eo pertinentibus, Spirae corporatos illos anno demum MCCCXLVII. eo ſe iure abdicaſſe, docet. Id vero & alibi paullatim factum eſſe, veroſimile eſt, quum & Colonienſibus monetariis, anno MCCLVIII. hoc ius, cauſſa cognita, ademiſſe Conradum Archiepiſcopum, argumento ſit diploma

(a) Schilter. *ad Iac. Königsh. Chron. cap. IV. & Lib. X. Cap. VII. p. 707. 813. 836. 842. 856.*

(b) Hertzog. *Chron. Alſat. Lib. VIII. Cap. XIV. p. 277. ſequ.*

(c) Lehmann. *Chron. Spir. Lib. IV.*

ma apud LVNIGIVM (cc). Simile quid de Goſlarienſibus conſtat. Exſtat enim inſigne diploma FRIDRICI II. anno MCCXIX. III. Id. Iul. datum (d), quo primum cauetur, vt *nulla ſit in vrbe coniuratio, nec promiſſio, vel ſocietas, quae Teutonice dicatur Eyninge vel Ghilde, niſi ſolum* MONETARIORVM, *ea de cauſſa, vt* CAVEANT de FALSIS MONETIS : deinde, ne hi homines iure tam eminente abuterentur, inſerta eſt ſanctio poenalis : *Si ſub monetario falſi numi fuerint deprehenſi, vbi eos alicui dat, ſi non poterit exhibere illum, qui eoſdem numos ſibi dederit, de falſo conuictus eſſe iudicatur : quod ſi gratiam apud iudicem inuenerit, auro, argento vel cupro, ſeu quocumque cenſu poterit, manum redimat, quod tamen non ſaepius, quam ſemel, ei facere licebit. Quod ſi falſarius ſemel manum redemerit, exlex vel infamis erit, quod vulgariter echtloſs dicitur, ac ſi pro falſo manum perdidiſſet.* Quae omnia ex hoc priuilegio in ipſas LEGES GOSLARIENSES, a viro illuſtri, GOTFR. GVIL. LEIBNITIO editas (e), translata eſſe, iam beatus HEINECCIVS (f) obſeruauit. Ibi verba adduntur notatu digniſſima: *Diſſe vare ne dreget neman, ſunder de müntere, de van Sülver penninge maken kan.* Hoc periculum nemo ſubit praeter monetarium, cui ius eſt, numos argenteos cudendi. Et ſic ſuperioribus ſaeculis, nondum fortaſſis excogitatis gliſcentibusque tot fraudibus, tanti non viſa res numaria, quam ad curam ſuam reuocaret vniuerſum imperium, ſed ſufficere credita eſt illa monetariorum, in praecipuis Germaniae vrbibus huius rei ſatagentium, ſollertia, quos adeo, tamquam oracula, adire oportuit eos, qui ſibi conſulere vellent.

§. XVI.

Poſtea ad publicam curam reuocatum eſt.

At demum animaduerſum eſt, maioris momenti eſſe rem numariam, eamque propius attingere rempublicam, quam vt eius cura priuatis poſſit demandari. Quum enim circa rem numariam, vt recte obſeruat HERM. CONRINGIVS (g), duo poni neceſſe ſit quaſi fundamenta, quibus illa vniuerſa nititur, primum, vt numus quilibet probus cedat in commercia, & loco omnium, id eſt, rerum omnium pretium eminens ſit: alterum, vt numus in poteſtate ſit maieſtatis ciuilis, eaque omnia circa rem numariam conſti-

(cc) Lunig. *Spicil. archiui Imp. Tom. II. p.* 343.

(d) Io. Mich. Heineccius *Antiquit. Goslar. Lib.* II. *p.* 218. *ſequ.*

(e) Leg. Goſl. *Lib. II. tit. van Vredebracke* §. LVIIII. *apud* Leibnit. *Script. Rer. Brunſu. Tom. III. p.* 500.

(f) Heineccius *Antiqu. Goſl. Lib.* II. *p.* 212.

(g) Herm. Conring. *ibid.* §. X.

conſtituat ac dirigat: neutrum ſane obtineri poſſe docuit experientia, ſi priuatis tantum id negotium demandetur. Hinc quamuis ius cudendi monetam non omnibus imperii ordinibus commune ſit, immo ne illis quidem proprium, ſed plures etiam mediati id ius vel praeſcriptione vel priuilegio adquiſiuerint (h): ipſius tamen monetae cura & ius eamdem ad iuſtum pretium reducendi proprium eſſe coepit ordinibus imperii immediatis, ita tamen, vt pars quaedam huius poteſtatis ad ſingulos, pars ad circulos eorumque directores, pars ad Imperatorem & imperium pertineat (i), quorum ſingulorum iura paullo accuratius expendere operae pretium fuerit, maxime quum haec parum accurate vulgo diſcerni ſoleant.

§. XVII.

Partim ſingulorum ordinum Imperii.

Ordines imperii omnibus ſuperioritatis territorialis iuribus gaudere, nemo eſt, qui ignoret, de eoque vel ipſae imperii leges, & maxime celeberrima illa PACIS OSNABRVGENSIS ſanctio (k) neminem dubitare patiuntur. Quum vero ſuperioritas illa iura omnia, quae ad conſtituendam, ordinandam conſeruandamque rempublicam pertinent, ſuo ambitu complectatur: conſequens eſt, vt nec poteſtas numum ad valorem & pretium legitimum reuocandi, principibus ordinibusque imperii denegari poſſit (l). Et ſane iam olim eo iure vſos eſſe animaduertimus Bauariae Duces. Nam anno MCCLV. *Dux Bauariae, Henricus, cum Epiſcopo Ratisbonenſe plene concordans, monetam Lantshutenſem, quam pater ſuus fabricari iuſſerat, caſſauit: & innouatam monetam Ratisbonenſium denariorum dari, ſicut prius, per ſuum diſtrictum permiſit & praecepit:* inquit auctor CHRONICI AVGVSTENSIS (m). Sed poſtea ipſis imperii legibus excitati ſunt Imperii ordines, darent operam, ne quid prouinciae ſuae caperent detrimenti. Nam anno MDXCIV. in comitiis Ratisbonenſibus non tantum circulis, ſed & ſingulis Imperii ordinibus, id negotii datur, vt edictis in ſuo quiſque territorio propoſitis, rem numariam conſtituant, dum ne quid ex legibus imperii deminuatur: (n) *Darneben ſollen die Creyſſe vnd eine iede Obrigkeit ſchuldig ſeyn,*

(h) Arniſ. *de iure Maieſt. Lib. II. Cap.* VII. *n.* VI. Ill. Henric. a Bunau *de iure circa rem monetar. in Germ. cap. II.* §. XLVI.

(i) Idem *cap. III.* §. *XV. ſequ.*

(k) Inſtrum. Pacis Oſnabr. *Art.* VIII. §. *I.*

(l) Hert. *de ſuperiorit. territ.* §. XX. *p.* 238.

(m) Chronic. Auguſt. *ad an. MCCLV. apud Freher. Script. Rer. Germ. Tom. I. p.* 531. *edit. nou.*

(n) Rec. Imp. Ratiſp. *an. MDXCIV.* §. *CIV.*

ſeyn, damit der ſchaedlichen Einſchleichung oder Einführung der boeſsen Müntze abgewehret vnd vorkommen werde, in den Creyſſen, auch ieder Obrigkeit vnd Gebieten, ſonderbare Edicta, Gebot vnd Verordnungen, welche gleichwohl dem Müntz-Edict nicht zuwieder ſeyn, fürzunehmen, vnd ins Werck zu richten. Itaque dubitari non poteſt, quin ſinguli imperii ordines, quoties monetas vel adulterinas, vel improbas in prouincias ſuas inferri animaduertunt, dare debeant operam, ne quid ciues inde detrimenti capiant, ac proinde eas vel proſcribere e territorio ſuo, vel iuſtum iis pretium ſtatuere poſſint tantiſper, dum de communi Imperatoris & Imperii ordinum ſententia certum quid, & in vniuerſum valiturum, ſtatuatur. Quod & ſingulari circuli Saxonici ſuperioris decreto anno MDCLXVII. ſingulis eius circuli ſtatibus permiſſum eſſe, memoriae prodidit IO. SEB. MVLLERVS (o). Deinde quum & mediati quidam Status ius cudendi monetam iam antiquitus nacti ſint: quis territorii dominis negauerit facultatem inueſtigandi numorum, ab iis cuſorum, valorem, eoſque, ſi improbi ſint, vel proſcribendi, vel ad iuſtum reducendi pretium, quin & Status illos mediatos, iure illo abuſos, ex legum praeſcripto coercendi? Sane & id permittunt leges publicae, etiam nouiſſimae, puta CAPITVLATIO CAROLI VI. Imp. Auguſtiſſimi (p), qua cautum, *daſs wofern ſich dergleichen miſsbräuche der Muntz Gerechtigkeit bey mediat-Staenden vnd andern ſo dem Reich immediate nicht vnterworffen, begaeben, alsdann durch dero Landes-Fürſten vnd-Herrn wieder ſie, wie ſichs gebühret, verfahren; vnd ſolche Muntz-Gerechtigkeit ihnen gaentzlich geleget, caſſiret, vnd ferner nicht ertheilet werden ſolle.* Multo magis ergo eo caſu, quando ipſum Imperium de communi ſententia ſtatuit, vt certae numorum ſpecies prohibeantur, Principum ordinumque imperii eſt, propoſitis edictis monere ciues, vt intra certum tempus illos numos expendere ſtudeant, ne deinde publicata imperii lege tanto maius capiant detrimentum. Quod itidem imperii ordinibus concedit RECESSVS IMP. AVGVSTANVS (q): *Nachdem dann wie vor geordnet, die geſchwächten geringen Munzen vnſerer vnd des Reichs verordnung vngemäſs geſchlagen, laenger nicht auf ihrem in angeregter valuirung geſezten Werth, dann ſechs Monath nach dato dieſes vnſers Reichs-Abſchieds gangbar ſeyn ſollen: damit dann nach ausgang*

(o) Io. Sebaſt. Muller. *Annal. Sax. ad ann. MDCLXVII. p.* 472.

(p) Capitulat. Caroli VI. *Art. IX.*

(q) Receſſ. Imp. Auguſt. *an. MDLXVI.* §. *CLXVI.*

gang der benannten ſechs monat dieſelbige vntüchtige Munz gänzlich abgeſchafft, aus ihrem Gang, vnd den gemeinen haenden kommen, ſo ſoll eine iede Obrigkeit ihre Vnterthanen deſſen zeitlich verwarnen, auch aufferlegen vnd befehlen, daſs ſie dieſelbige verworffenen vnd verbothenen Munzen, immittelſt der ſechs Monathen, nach Gelegenheit ausgeben, verhandthieren vnd fortbringen. Et ſane quum in vniuerſum ius leges ferendi Imperii ordinibus denegari nequeat; quo, quaeſo, obtentu iis denegaretur ius & circa rem numariam ea ſtatuendi, quae e republica videantur, maxime ſi ipſum imperium rem non reuocet ad curam ſuam, publicoque malo non ea, qua par erat, ſollicitudine quaerat remedium?

§. XVIII.

Partim circulorum, ſiue ſingulorum, ſiue foederatorum, & qui iis praeſunt Directorum.

At ſaepe tamen contingit, vt parum ad rei ſummam proficiant ſinguli imperii ordines. Aliorum enim tam anguſtum eſt imperium, vt vix pares videantur conſtituendae rei numariae, ſed vicinorum numis illud in commerciis ſtatuere cogantur pretium, quod iſtis attribuit vſus. Alii, vicinorum Principum ordinumque veriti potentiam, iure ſuo non vtuntur, ſexcentis obnoxii futuri vexationibus, ſi ſibi de eorum numis iudicandi arbitrium adrogarent, cuius rei exempla & noſtra tempora viderunt luculentiſſima. Itaque omnino conſultius viſum eſt, rei monetariae curam praecipue demandari circulis, tum ſingulis, tum quibuſdam ſimul, quos communis vtilitas veluti vinculo quodam coniunxit, vocatis ideo *correſpondirende Kreyſſe*, tum aliquando omnibus (r): quamuis fatendum ſit, rarius communi circulorum conſilio aliquid de re numaria ſtatui, & pleraque vel ad ſingulos vel ad conſociatos circulos (*die correſpondirende Kreyſse*) redire. Tales ſunt primo Auſtriacus, Bauaricus, Sueuicus & Franconicus: deinde Electoralis vel Rhenanus inferior, Rhenanus ſuperior & Weſtphalicus: denique Saxonici ſuperior & inferior, quamuis hi & cum Weſtphalico vetus commercium (*die alte correſpondence*) renouandi ius ſibi integrum eſſe velint (s). Saepe & ſingulorum circulorum ordines de re monetaria conſulunt in medium, idque ex lege imperii publica bis quotannis fieri deberet, quos conuentus vocant *Münz-probations-taege*: quamuis & huius ſaluberrimi moris alibi ſanctior, alibi nulla paene maneat cuſtodia, cauſſaeque, cur paſſim in deſuetudinem abierint, non adeo obſcurae cuiquam

(r) Receſſ. Imp. *ann.* MDLI. §. XL. Rec. Imp. *ann.* MDCIII. §. LI. LII.

(s) Wilduogel *Diſſ. de conuent. monetal. de trium ſuperior. correſp. circulor.*

quam eſſe poſſint. Ceterum hos conuentus indicunt ſingulorum circulorum directores (t), iiſque intereſſe ſolent non omnes circuli cuiuſque ordines, ſed quibus ius cudendae monetae eſt (u), (*ihre mit-creyſs-verwandten, ſo Münzens Freyheit haben.*) Hi ergo auditis zygoſtatis, quos vocant *waradeynen*, non modo, quid quantumque numorum quotannis a ſingulis circuli ordinibus cuſum ſit, inquirunt, ſed & ipſos numos, obſtrictis iureiurando zygoſtatis, examinant, eoſque, prout res eſt, vel probant, vel proſcribunt (x), omnia denique, quae vniuerſo concilio placuerunt, in SC. quod receſſum vocant, redigunt. Quamuis ergo nouas leges vbique valituras non condant circuli: improbos tamen numos iure reiiciunt, leges publicas aduerſus eos, qui iſtas violarunt, exſequuntur, quin & alia, quae circulo profutura cenſent, quaeque legibus imperii communibus non aduerſantur, conſtituunt, vt adeo ſatis ampla ſit circulorum poteſtas circa rem monetariam (y). Praeterea circulo electorali Rhenano ſingulare illud ius prae aliis competit, vt eius delegati vna cum commiſſario Imperatoris in nundinis Francofurtanis dent operam, ne quid ibi contra publicas de re numaria leges fiat, &, ſi quid ſecus factum viderint, id ope ſenatus illico emendent, numoſque improbos occupent. Quale ius & Electoribus Saxoniae & Brandenburgico in ſuis emporiis, Caeſari in ſuis & imperii ciuitatibus datum eſt (z). Eſt & circulorum directoribus ſua praerogatiua, puta, vt & poenas contra eos, qui iure monetandi abuſi ſint, exſequi, & officinis monetariis, quae vocant *Heckemünzen*, curam impendere poſſint (a). Vt adeo nihil reliqui feciſſe videantur Imperator & imperii ordines, quod ad valida remedia aduerſus gliſcens malum numarium inuenienda pertineat, feliciſſimamque omnino eſſe oporteret Germaniam noſtram, ſi tanta cura ſeruarentur leges publicae, quanta ſapientia feruntur.

§. XVIIII.

Et vidimus ſane, Imperii circulos non paucos miſere iam perturbatis rei numariae rationibus nuper admodum excitatos eſſe, vt *Laus decreti de re monetaria.*

(t) *Ord. monet.* Ferd. I. Imp. *ann. MDLIX.* §. CLVIII.

(u) Receſſ. Imp. *MDLI.* §. *XL. ann.* MDLXVI. §. *CLXX. & an. MDLXX.* §. CXXXVIII.

(x) Budelius *de Diaet. probat. in Actis monetariis.* Thomani ab Hagelſtein *Tom. I. p. 169.*

(y) Nitſch *ad capitulat. Ioſephi I. Act. XXXII.* §. *III. p. 527.*

(z) Receſſ. Imp. *anni MDLXX.* §. CXLVII. *ſequ.*

(a) Capitulatio Caroli VI. Imp. *Artic. IX.*

nuper a variis circulis editi. vt de re maximi momenti conſulerent in medium, & numos, qui incredibili reipublicae malo vbique circumferebantur, ad iuſtum pretium reuocarent, quoſdam etiam plane prohiberent tantiſper, dum ab Imperatore Auguſtiſſimo, ordinibuſque Imperii certi quid, & quod in vniuerſo imperio obſeruandum eſſet, ſtatueretur. Quae ſalutaria circulorum decreta quamuis turbis quibuſdam & querelis occaſionem dederint, (vt ſolent ea, quae quorumdam compendiis obſtant, non aeque omnibus probari,) ita tamen omnino comparata ſunt, vt nec legibus imperii, nec ſuperioritati vicinorum ordinum aduerſari videantur. Nihil enim egerunt Circuli, niſi quod publica Germaniae calamitas, quod leges imperii, quod reipublicae ſalus, ipſaque recta ratio efflagitauit. Nec tam noui quid ſanxerunt circulorum ordines, quam ea, quae iam pridem Imperii leges ſanxerunt, exſequuti ſunt, non minore profecto laude prouinciarumque ſuarum plauſu digni, quam quo ciues Romanos Marium Gratidianum proſequutos eſſe, ſupra diximus. Praeterea quum circuli ſinguli de decretis ſuis certiorem fecerint Imperatorem auguſtiſſimum, eumque de publice gliſcente malo grauiter monuerint, (quod fieri, ipſae imperii leges iubent,) (b) ac praeterea, ſe his decretis non officere velle conſiliis ab vniuerſo Imperio capiendis, quin potius ea tantiſper duntaxat, dum aliud viſum fuerit Imperatori & Imperii ordinibus, ſe rata habituros, profeſſi ſint: vix in illis circulorum decretis quidquam a viris reipublicae amantibus, legumque ac conſuetudinum patriarum gnaris, deſideratum iri, exiſtimamus.

§. XX.

Partim totius Imperii. At veriſſimum tamen eſt, omnia haec remedia, ſiue a ſingulis principibus, imperiique ordinibus, ſiue a circulis, vel ſingulis, vel pluribus, inuenta, vix paria eſſe morbo, qui, vt ita dicam, totum paene imperii Romani corpus inuaſit. Nullus enim eſt Germaniae tractus, qui non alterius ope indigeat: vt vere in variis Germaniae partibus contingat, quod de vniuerſo terrarum orbe cecinit VIRGILIVS (c):

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuae,
Arborei foetus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina.

In perpetuis vero tot prouinciarum commerciis fieri non poteſt, quin

(b) Receſſ. Imp. *ann.* MDLXX. §. CXXXIX. *ſequ.*

(c) Virgil. *Georgic. Lib. I. v.* 54. *ſequ.*

quin mira ſequatur rerum omnium perturbatio, niſi res monetaria de communi omnium ſententia conſtituatur. Quemadmodum igitur illuſtriſſimi ac potentiſſimi Belgii foederati ordines, quamuis ſingulis prouinciis ius cudendi monetas ſaluum eſſe voluerint, in foederis tamen VLTRAIECTINI tabulis (d) prudenter pactiſunt, vt eamdem omnes normam legemque ea in re ſequerentur, ne ſcilicet inter ſocios, tam arcto foedere iunctos, commercia turbarentur: ita idem ſibi faciendum putarunt Imperator & Imperium, vt communi omnium conſilio, quod vbique & apud omnes valeret, conſtitueretur. Id iam inde ab antiquiſſimis temporibus in pluribus Imperii comitiis factum eſſe animaduertimus. Equidem Maximilianum I. Imp. primum eam rem dignam habuiſſe, de qua ad totum Imperium referret, obſeruat celeberrimus HERTIVS (e), idque ex RECESSV IMPERII FRIBVRGENSI an. MCCCCXCVII. quem DATTIVS (f) edidit, nec non ex inſequentium comitiorum hiſtoria probat, ſimulque exiſtimat, vix quidquam, quod operae pretium eſſet, ab Imperio praeſtitum eſſe ante annum MDLIX. quo Ferdinandi I. Imp. conſtitutio de re monetaria prodierit. At vir non eruditus minus, quam illuſtris, HENR. DE BVNAV (g) multo antiquiora collegit teſtimonia, ex quibus conſtet, multo prius hanc rem numariam ad curam ſuam reuocaſſe vniuerſum Imperium. Quum enim infauſtis interregni temporibus, omnia miſcente procaciore ordinum libertate, tam miſeri prodirent numi, vt iis nec valor nec pondus legitimum conſtaret: anno MCCLXXXVII. in comitiis Herbipolenſibus vna comitiali lege omnes numos, a Fridrici II. Imp. temporibus cuſos, proſcribere placuit, teſte IO. CHRISTOPH. LEHMANNO (h). Similes totius Imperii conſtitutiones monetarias anno MCCCCII. ex comitiis Moguntinis, an. MCCCCIX. ex comitiis Spirenſibus ac Colonienſibus, anno MCCCCXXXIII. ex Francofurtanis, an. MCCCCXXXVII. ex Egranis, anno MCCCCXXXVIII. ex Noribergenſibus, denique an. MCCCCXLII. ex Francofurtanis prodiiſſe, ipſa teſtantur acta illorum comitiorum, quae ex variis archiuis depromſerunt WENKERVS (i), DATTIVS (k), & MVLLERVS (l). Nec dubitare

(d) Vnio Vltraiect. *art. XII.*

(e) Hert. *de ſuperior. territor.* §. *XX.* *p.* 234. *ſequ.*

(f) Datt. *de pace publica Lib. IV. Cap. X. n. XXXIX. ſequ.*

(g) Henr. de Bunau *Diſſ. de iure circa rem monetar. in German. Cap. II.* §. *LI. p. 76.*

(h) Lehmann. *Chron. Spir. Lib. V. cap.* CVIII. Du Mont. *Corp. Dipl. Tom. I. Part. I. p.* 273.

(i) Wencker. *Adparat. Archiu. p.* 357. *&* 359.

(k) Datt. *de pace publica Lib. I. Cap. XXVI. p.* 178.

(l) Muller. *Reichs-Tags-Theatrum Part. I. Cap. X.* §. *XIX. p.* 142.

dubitare licet, quin plura, eaque antiquiora non defutura eſſent exempla, ſi acta comitiorum plura tuliſſent aetatem, vel ex archiuis, vbi cum blattis & tineis luctantur, in lucem protraherentur. Ceterum ad Imperatorem & imperium pertinere curam rei monetariae, eo minus quiſquam negauerit, quo magis Receſſus Imperii maxime ab anno MDLIX. pleni ſunt ſaluberrimarum huiuſmodi legum. Et ſane quum publicae Imperii leges (m) & in his INSTRVMENTVM PACIS OSNABR. (n) facultatem leges, per vniuerſum Imperium valituras, condendi Imperatori & Imperio diſerte vindicent: quidni & de re monetaria, quam rite conſtitui totius Imperii intereſt, leges ferrent Imperator & Imperii ordines? Et quis, quaeſo, ignorat, hoc ipſo tempore, quo haec in chartam coniicimus, nihil paene magis occupare ſplendidiſſimum, qui in patria mea tot annos pro ſalute ac ſecuritate Imperii excubat, conſeſſum, quam rem monetariam corruptiſſimam? Quae conſilia vt vniuerſae Germaniae felicia, fauſta, fortunataque eſſe iubeat ſupremum numen, omnes boni nobiſcum precantur!

§. XXI.

Numorum emendatio & reductio ad iuſtum pretium requirit morbi cognitionem.

Sed ſupereſt, vt & de ipſis rem numariam conſtituendi emendandique mediis quaedam ſubiiciamus. Ea vero non *rectius* inueſtigabimus, quam ipſo veluti morbo, cui *hoc* remedium quaeritur, adcurate cognito. Eum vero dudum intellexit Germania, de quo quippe iam pridem in omnibus fere comitiis conqueſti ſunt Imperii ordines: immo non potuiſſet iſte ab vllo luculentius deſcribi, quam a Valentiniano I. Imp. factum eſt in lege ſupra expoſita (o): *modo vt debiti* PONDERIS *ſint, &* SPECIEI *probae.* Per PONDVS intelligendum eſſe monuimus id, quod ii, qui auro, argento, aeri, flando feriundo praeſunt, vocare ſolent *Schrot vnd Korn.* (§. X.) At pondus ſuum non conſtat numis, primo, ſi non habent tantum materiae, quantum a lege exigitur: deinde ſi illa, prohibente lege, vel miſceatur ac interpoletur alio metallo, vel plus adiiciatur aeris, quam leges publicae permittunt. Siue enim iuſto leuiores numi iactentur, ſiue iis iuſto plus metalli vilioris adiiciatur, ii, qui illos recipiunt non parum detrimenti capiunt. Quod quum probe animaduerterint Imperator & Imperii ordines, cum in RECESSV IMPERII AVGVSTA-

NO

(m) Receſſ. Imp. *anno MDLIX.* §. *XXXVIII. Ann. MDLXX.* §. *XLII. Ann. MDLXIV.* §. *XIII. Addat.* Schweder. *Iur. publ. Part. Spec. Sect. I. cap. XXV.* §. *II.*

(n) Inſtrum. Pac. Oſnabr. *Art. VIII.* §. *Gaudeant.*

(o) *l. 1. C. de vet. numiſm. poteſt.*

NO ann. MD. (p) cauerunt, vt monetae ex puro auro argentoque fiant: (*eine beſtaendige gold vnd ſilberne Müntz von feinem Gold vnd Silber, ohn allem Zuſatz,*) tum poſtea additamentum vilioris metalli ad certum modum redegerunt, legemque condiderunt: (q) *Es ſolten auf die Coelniſche Marck gehen neunzig Stück Reichs-Gülden von ſechtzig Kreuzern, vnd fein halten vierzehn Loth, ſechzehn Gren.* Qua de re & in ſequentibus Edicti Ferdinandei capitibus praeclara multa conſtituta animaduertimus. Praeterea fieri non poteſt, quin cum magno purioris monetae diſpendio conflentur maioris moduli numi, & in minores ſpecies redigantur, quod vocant *die Müntze brechen* (r), niſi forte id eo fine ac conſilio fiat, vt numi improbi peregrini in ſpecies minores in Imperio receptas mutentur (s), quum minoribus ſpeciebus plus accedat vilioris materiae, quam grandioribus, ac proinde illi minus ſoluatur, cui in minoribus, ſpeciebus adnumeratur ſumma debita. Vnde & grauiter de reipublicae detrimento, quod ex nimia numorum minutorum multitudine oriatur, conqueſti ſunt Imperii ordines, vt non ſine iuſta cauſſa lege illa publica, ſeu Ferdinandi I. Imp. EDICTO MONETARIO (t), cautum ſit: *& ſolten alle vnd iede Kreyſs-oder Müntz-Herrn fleiſſigs Aufſehens haben, damit in allen denen mindern Sorten, vnter den fünff-Creutzern, bis an die Pfennig vnd Heller dieſe Beſcheidenheit gehalten werde, damit die nicht gehäuffet, vnd die andern höhern Müntzen dadurch in Aufſteigen gebracht werden.* Denique & in eo morbus haud leuis conſiſtit, ſi SPECIES non probae ſint, id eſt, ſi tales circumferantur cudanturque ſpecies, quae nec legibus moribuſque Imperii conſentaneae ſunt, nec ad noſtram λογαριθμὸν iuſtam rationem habent. Sic ſane iam in comitiis Spirenſibus anno MDLXX. is morbus animaduerſus, ac proinde lege publica cautum eſt (u), *daſs im H. Reich keine andere ſilberne Müntz-Sorten, dann die darin beſtimmte an Schrot vnd Korn probirte Reichs gantze, halbe vnd viertheil-Thaler, auch Reichs gantze vnd halbe Gülden, Zehen-Creutzer, halbe Batzen, Creutzer, Pfenning, vnd etliche benamte Landmüntzen gemüntzt, noch im Kauffen, Verkauffen, oder andern Handlungen vnd Bezahlungen in ihrem vnterſchiedlich geſetzten Werth*

(p) Receſſ. Imp. *Ann. MD. tit. XXI. §. I.*

(q) Ferdinandi *I. Munz-Ordnung. §. III.*

(r) Receſſ. Imp. *MDLXXVI. §. LXXI.*

(s) Ferdinandi I. Imp. *Edict. monet. §. LII. LXXII. & CLXXII.*

(t) *Ibid. §. XXXII.*

(u) Rec. Imp. *MDLXX. §. CXLI.*

Werth gegeben vnd genommen werden ſollen. Gleichfals daſs auch im H. Reich nur Rheiniſche Gold-Gülden vnd Reichs-Ducaten innhalt des Edicts gemünzet, dieſelbige ſowohl, als etliche andere im Edict ſpecificirte Ducaten vnd Cronen, in ihrem Werth fur Wehrſchaft genommen werden mögen. Quae aliquoties repetita, nouisque atque acrioribus ſanctionibus munita reperimus, veluti in REC. DEPVT. FRANCOF. MDLXXI. (x) in REC. IMP. MDXCIV. (y) quamuis alibi (z) & ſpecies aliae, quam quas Imperium probauit, cudi permittantur, dummodo id fiat conſentientibus circulis conſociatis, *wann ihnen daſſelbige aus erheblichen, nothwendigen, wahren vrſachen von gemeinen Creyſs-Correſpondenz-Müntz-Staenden ſämptlich erlaubt ſey.*

§. XXII.

Statuenda certa norma quae vocatur der Müntz-Fuſs.

Tot malis vero, quae pridem ſenſit, & remedia iam olim inuenit imperium Germanicum, vt ea aliunde arceſſere minus ſit neceſſarium, modo iis viueremus temporibus, quibus remedia facilius, quam morbum, pateremur. Quum enim in eo ſe vel maxime exſerat rei numariae morbus, quod monetae tantum non ineſt auri argentique, tamquam nobilioris materiae, quantum leges publicae exigunt: (§. XXI.) ei malo aliter mederi non licet, quam ſi iuſta conſtituatur norma, quam vniuerſi, quibus ius cudendi monetam eſt, ſequantur, quam vocare ſolemus, *den Müntz-Fuſs.* Per illam intelligimus iuſtam inter pretium metalli & numorum quantitatem proportionem, vt ſtatim vnicuique, qui auro, argentoque flando, feriundo praeeſt, conſtare poſſit, quot certorum numorum ſpecies ex marca argenti cudendi ſint. Quomodo enim fieri poſſet, vt numus ſit pretium rerum omnium eminens, ſi ipſa materia, e qua percutitur, vulgari pretio deſtituatur? Verum eſt, ab impoſitione hominum pendere numorum pretium, ac proinde non defuiſſe olim integras gentes, quae inſuper habito metalli vſu, rebus etiam viliſſimis huiuſmodi pretium attribuerent. Fecerunt id ſane Carthaginienſes, aliaeque gentes, de quibus inſignis eſt locus AESCHINIS Socratici (zz): *Αὐτίκα γὰρ οὗτοι Καρχηδόνιοι νομίσματι χρῶνται τοιῷδε· ἐν δερματίῳ μικρῷ ἀποδέδεται ὅσον τε στατῆρος τὸ μέγεθος μάλιστα. ὅ, τι δέ ἐστι τὸ ἀποδεδεμένον, οὐδεὶς γινώσκει, εἰ μὴ οἱ ποιοῦντες. εἶτα κατεσφραγισμένῳ τούτῳ νομίζουσι, καὶ ὁ πλεῖστα τοιαῦτα κεκλη-*

(x) *Rec. Deput. Francof. MDLXXI.* §. XVII. *ſequ.*
(y) *Receſſ. Imp. MDXCIV.* §. CI.
(z) *Rec. Imp. MDLXXXII.* §. LXX.
(zz) Aeſchin. *dial. de diuit. Cap.* XXIV. *pag.* 78. *edit. Petr. Horrei.*

κεκλημένος, ὗτος πλεῖςα δοκεῖ χρήματα κέκτῆσθαι καὶ πλουσιώτατος εἶναι. *Nam Carthaginienſes tali vtuntur numiſmate : in pellicula exigua illigari ſolet aliquid, quod magnitudinem fere ſtateris habet ; quid vero ſit, quod illigatum eſt, nemo nouit, praeter eos, qui hoc faciunt. Deinde hoc obſignato vtuntur pro numiſmate, & qui plurima talia poſſidet, is plurima bona poſſidere, & ditiſſimus eſſe cenſetur.* Et paucis interiectis (a) : Ἐν δὲ Λακεδαίμονι σιδηρῷ ςαθμῷ νομίζουσι, καὶ τοῦτο μέν τοι τῷ ἀχρείῳ τοῦ σιδήρου. Ἐν δὲ τῇ Αἰθιοπίᾳ λίθοις ἐγγεγλυμμένοις χρῶνται. *Lacedaemone vero ferreo pondere vtuntur, pro numiſmate, & quidem inutili ferro. In Aethiopia lapidibus vtuntur inſculptis.* De ferrea Lacedaemoniorum moneta plura habes apud PLVTARCHVM (b) : quemadmodum & aliarum gentium, conchis ſimilibuſque rebus pro pecunia vtentium, inſtituta, non ſine adparatu deſcripſit PVFENDORFFIVS (c). Enimuero vti haec omnia vſum aliquem praeſtant in calamitate publica, in qua ſaepe charta, corium, ſimileſque materiae, publico ſigno notatae, pecuniae vice funguntur (d), nec non in commerciis minutis inter ciues eiuſdem reipublicae expediendis : ita nemo temere extra rempublicam, immo nec extra illam calamitatem, rebus iſtis, in quouis triuio obuiis, pretium aliquod eminens attribuerit. Itaque materia placuit gentibus prudentioribus, quae interno pretio ſuo homines alliceret, vt pro illa res quaſcumque dare non dubitarent, qualis pleriſque videbantur metalla nobiliora. Eſt ergo pecunia, ceu eleganter obſeruauit ARISTOTELES (dd), οἷον ἐγγυητὴς, *veluti ſponſor ac fideiuſſor*, quo interueniente omnia nobis vnuſquiſque crediderit. Sicuti vero nemo fideiuſſorem accipit, niſi locupletem : ita nec pecuniam quiſquam pro re, quae ipſi cara eſt, accipiet, niſi cui internum ſuum pretium conſtet, quum non ſoleant homines, niſi emotae, mentis ſuum iactare (e). Ex quibus omnibus omnino conſequitur, non eſſe quidquam de emendatione rei monetariae ſperandum, niſi certa placeat norma, ad quam pecuniae pondus & valor internus aeſtimetur. Quin tanto magis neceſſaria haec eſt, quo certius alias continget, quod de ſua aetate conqueſtus eſt CICERO (f), *vt iactetur numus ita, vt nemo ſciat, quid habeat.*

 §. XXIII.

(a) *Ibid. p.* 80.
(b) Plutarch. *Lycurg. p.* 51.
(c) Pufend. *Libr. V. de Iur. nat. & gent, Cap. I.* §. XIII.
(d) Polyaen. *Stratag. Lib. III. Cap. X.* §. I. Seneca *de Benefic. Lib. V. Cap. XIV.*
(dd) Ariſtot. *ad Nicomach. Lib. V. Cap.* VIII.
(e) *l.* 25. *D. de probat.*
(f) Cic. *de offic. Libr. III. Cap. XX.*

§. XXIII.

Ea attemperanda auri argentique pretio.

Ad inueniendam certam hanc atque aequiſſimam normam primo omnium ad auri argentique pretium, quod pro copia vel raritate ſua diuerſis temporibus diuerſiſſimum eſſe ſolet, eſt reſpiciendum. Quemadmodum enim numus, cuius interna materia ralorem externum, qui ei attribuitur, non attingit, omnibus ſordet: ita ſi leges publicae plus valoris interni exigant, quam argenti pretium ferat, vix cudi poterit numus ſine inſigni diſpendio, ac proinde tanto rarior ille erit, quanto minus principes a ſe impetrabunt, vt ius cudendae monetae non modo ſine ſpe compendii cuiuſdam, ſed & cum magno diſpendio, exerceant. Diximus, nobiliorum metallorum pretium nec vbique, nec ſemper, idem eſſe, ſed pro copia vel raritate metallorum remitti, vel intendi. Quod ſane probatu non adeo difficile, hic vero tanto iucundius fuerit, quo magis inde conſtabit, quantum pretium & olim, & poſtea extremis temporibus apud varias gentes auro argentoque ſtatutum ſit. Et multa quidem hanc in rem diſſeruerunt viri doctiſſimi, MATTH. HOSTVS (g), IO. FR. GRONOVIVS (h), GVIL. BVDAEVS (i), & TIL. FRISIVS (k), quorum obſeruationes, partim in nucleo exhibere, partim emendare ac veluti reuocare ſub limam iuuabit. Fuere primum, qui exiguum vtrique pretium ſtatuerent, veluti vetuſtiſſimi Germani, de quibus TACITVS: (l) *Argentum & aurum propitii, an irati Dei negauerint, dubito... eiuſque poſſeſſione & vſu haud perinde adficiuntur*, nec non Scythae, qui, teſte IVSTINO (m), *aurum & argentum, non perinde ac reliqui mortales, adpetebant.* Alii ſaltim vilius, ſed vſu praeſtantius metallum, quale eſt ferrum, auro argentoque vel praeferebant, vel aequiparabant, ſi abundarent illo, hoc carerent. Sic de Arabibus memoriae prodidit DIODORVS SICVLVS (n), eos pro aere & ferro aequale pondus auri dare, quia hoc abundarint, illius laborarint inopia. Immo STRABO (o) & AGATHARGIS, multo maioris pretii iis fuiſſe argentum, aes & ferrum, quam aurum,

(g) Matth. Hoſtus. *Rei num. vet. Lib. V. cap. IV. p.* 324.

(h) Io. Fr. Gronou. *de pec. vet. p.* 224. 233. 234. 235. 311. 380. 760. *edit.* 1656.

(i) Bud. *de Aſſe. Lib. IV. p.* 403. *edit. Rechenb.*

(k) Til. Friſ. *im Müntz-Spiegel. Lib. I. Cap. IX. apud* Thomam ab Hagelſtein *Actor. Monet. Tom. I. p.* 10.

(l) Tacit. *de mor. Germ. Cap. V.*

(m) Iuſtin. *Lib. II. Cap. II.*

(n) Diod. Sic. *Bibl. Lib. III. Cap.* XLV.

(o) Strabo *Geograph. Libr. XVI. p.* 1124. *edit. nouiſſ.*

rum, referunt. Πωλοῦσι δὲ, inquit STRABO, καὶ πρὸς τοὺς ἀστυγείτονας εὔωνον τὸν χρυσὸν τριπλάσιον ἀντιδόντες τοῦ χαλκοῦ, διπλάσιον δὲ τοῦ σιδήρου, καὶ δεκαπλάσιον τοῦ ἀργύρου, διά τε τὴν ἀπειρίαν τῆς ἐργασίας, καὶ τὴν σπάνιν τῶν ἀντιλαμβανομένων, ὧν ἡ χρεία πρὸς τοὺς βίους ἀναγκαιοτέρα. *Vendunt id aurum vicinis vili pretio, aeri triplum auri rependentes, ferro autem duplum, & argento decuplum, tum propter operandi inſcitiam, tum quod indigent iis, quae contra accipiunt, quorumque vſus magis eſt ad vitam neceſſarius.* Sed haec quidem rariſſima, non niſi apud illas gentes locum habere potuerunt, quae vel pecuniae vſum nullum habuerunt, mercium duntaxat permutatione vſae, vel naturam tam liberalem expertae, vt reliquorum metallorum neceſſariorum inopiam ſolo auro penſaret. Vnde & de Peruuianis ſuis ſimile quid refert YNCA GARCILLASSVS DE LA VEGA (p).

§. XXIIII.

At reliquas nationes, quae numos pro pretio eminente habuerunt, tantum non omnes magis auro, quam argento aliiſque imperfectioribus metallis, pretium ſtatuiſſe comperio. Apud Hebraeos ſane aurum ad argentum δωδεκαστάσιον, ſeu in proportione duodecupla fuiſſe, cenſet MATTH. HOSTVS (q), quamuis TILEM. FRISIVS (r) decuplam tantum in ſacris litteris ſibi reperiſſe videatur. Ad Graecos quod attinet, antiquiſſima auri argentique analogia eſt illa apud HERODOTVM (s): τὸ δὲ χρυσίον τρισκαιδεκαστάσιον λογιζόμενον τὸ ψῆγμα εὑρίσκεται, ἐὸν Εὐβοϊκῶν ταλάντων ὀγδώκοντα καὶ ἑξακοσίων καὶ τετρακισχιλίων. *Aurum autem ramentitium, ſi ramentum argento ter & decies rependatur, inuenietur talentorum Euboicorum quatuor millium ſexcentorum & octoginta.* Sed PLATONIS (t) aeuo aliquid iam deceſſerat auri pretio. Is enim argentum ad aurum facit δωδεκαστάσιον, hoc eſt *duodecuplum*, vt duodecies tantum argenti pro auro rependatur. Ait enim philoſophus: Ἐάν τις χρυσίου σταθμὸν ἥμισυ ἀναλώσας, διπλάσιον λάβῃ ἀργύρειον, ἀντὶ δωδεκαστασίου διστάσιον αὐτῷ καθίσταται τὸ χρυσίον. *Siquis, dimidiam auri libram erogans, duplum reportet argenti, pro* DVODECVPLO *duplum ſolummodo capit.* At ne hoc quidem pretium admodum fuit diuturnum. Menandri enim, poetae comici, temporibus, qui non multo poſt Platonem floruit, aurum decies tanto argento commutaba-

Quae fuerit auri argentique analogia apud Hebraeos & Graecos?

(p) Garcillaſſ. *Hiſtoire des Yncas. Liv. V. chap. VII. p.* 425.
(q) Matth. Hoſt. *ibid. p.* 327.
(r) Tilem. Friſ. *ibid. p.* 10.
(s) Herodot. *Lib. III. p.* 127. *edit. Henr. Steph.* 1570.
(t) Plato *in Hipparcho.*

mutabatur. Qua de re IVL. POLLVX (u) : Τὸ δὲ χρυσίον, ὅτι τοῦ ἀργυρίου δεκαπλάσιον ἦν, σαφῶς ἄν τις ἐκ τῆς Μενάνδρου παρακαταθήκης μάθοι· προειπὼν γάρ· Ὅλων ταλάντων χρυσίον σοι παιδίον. Ἐσήκα τηρῶν. Ἐπάγει μετὰ ταῦτα περὶ ταυτοῦ λέγων. Μακάριος ἐκεῖνος, δεκατάλαντον καταφαγών. *Aurum vero argento decuplo praeſtantius fuiſſe, manifeſto quis ex Menandri Depoſito diſcat. Praefatus enim: opes talenti aurei tibi ſunt, o puer, expenſae: his ſtatim de iiſdem loquens ſubiungit: Diues hic, decem talenta (* puta *argenti) abliguriens.* Ad quem praeclarum locum plura diſſerunt ALEXANDER SARDVS, (x) IOS. SCALIGER (y), & MATTH. HOSTVS (z), qui hanc auri argentique rationem decuplam etiam ex POLYBIO, SVIDA, HESYCHIO, & LIVIO confirmant.

§. XXV.

Sed & apud Romanos non minorem pretii, quod auro argentoque ſtatuebatur, varietatem animaduertimus. Auctor ſane eſt PLINIVS (zz), quum primum aureus numus Romae percuteretur, rationem argenti ad aurum fuiſſe quindecuplam. Quamuis hunc locum ita ſollicitent critici, vt, eorum perpenſis rationibus, multo incertior futurus ſis, quam dudum. Nec tamen mirandum fuerit, immodicum fuiſſe auri pretium, in maxima illa auri inopia. Hinc quo magis gliſcebant Romanorum opes, eo minus factum eſſe auri pretium, veteres annales docent. Teſtis enim eſt POLYBIVS (a), foederis, quod M. Fuluius cum Aetolis inierat, etiam hanc fuiſſe legem : δότωσαν Αἰτωλοὶ ἀργυρίου μὴ χείρονος Ἀττικοῦ παραχρῆμα μὲν τάλαντα εὐβοϊκὰ, σʹ τῷ στρατηγῷ τῷ ἐν τῇ Ἑλλάδι· ἀντὶ τρίτου μέρους τοῦ ἀργυρίου χρυσίον, ἐὰν βούλωνται, διδόντες, τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου χρυσίου μνᾶν διδόντες. *Argenti quod Attico deterius non eſſet, ducenta Euboica talenta in praeſentia proconſuli in Achaia agenti, Aetoli darent. Pro tertia argenti parte aurum, ſi dare mallent, darent, dum pro argenteis decem minis vnam auri penderent.* Factum hoc eſt anno V. C. DLXIV. adeoque eo tempore argentum ad aurum fuit δεκαπλάσιον, id eſt, decuplum, ceu & LIVIVS (b), dum illud foedus ex ipſo POLYBIO deſcribit, adfirmat. At in immenſum id auri pretium non ita multo poſt decreuerit;

(u) Iul. Pollux *Lib. IX. Sect. 76.*
(x) Alex. Sard. *de Num. p. 12.*
(y) Scalig. *de Re numar. p. 13.*
(z) Matth. Hoſt. *ibid. Lib. V. Cap. IV. p. 325.*

(zz) Plin. *Hiſt. Natural. Lib. XXXIII. Cap. III.*
(a) Polyb. *Excerpt. legat. c. XXVIII. p. 1157. Tom. II. edit. Gronou.*
(b) Liu. *Lib. XXXXVIII. Cap. XI.*

creuerit, ſi viri docti recte intelligunt locum SVETONII (c), vbi de Caeſaris rapinis Gallicanis: *In Gallia ſana templaque Deorum, donis referta, expilauit, vrbes diruit, ſaepius ob praedam, quam ob delictum: vnde factum, vt* AVRO *abundaret, terniſque millibus numum in libras promercale per Italiam prouinciaſque diuenderet.* Sic enim inter annos ab V. C. DCXCIV. & DCCI. quando Caeſar Gallos perdomuit, proportio inter aurum & argentum ſeptupla fuiſſet cum ſemiſſe, ceu recte calculum poſuerunt IO. BAPT. EGNATIVS (d), MATTH. HOSTVS (e), & ISAAC. CASAVBONVS (f). Sed ſiue aurum Gallicanum deterioris venae eſſet, ſiue, quod IO. FR. GRONOVIVS (g) mauult, ipſa auri inde auecti abundantia tantae vilitatis cauſſa fuerit: non diu ſane ſaeculum iſtud aureum manſit. Nam ſub Galba argenti ad aurum ratio fuit duodecupla cum ſemiſſe. Quum enim de Othone ſcribat TACITVS (h). *Quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos numos diuiſit:* SVETONIVS (i), & PLVTARCHVS (k) Othonem vnum aureum cohorti dediſſe viritim, referunt. Quum vero aureus Romanis fuerit didrachmus, C. autem numi pendeant XXV. drachmas: conſequens eſt, vt proportio argenti ad aurum tum fuerit duodecupla ſeſquipla, id eſt, vt XXV. ad duo. Nimirum tantam auri vim Nero domi ſuae aureae illeuerat, (l) vt rarius, quam antea, reperiretur, ac proinde neceſſario intenderetur eius pretium. Sed felicioribus iam temporibus ad priſtinum modum paullatim rediit auri valor, auctorque eſt PLINIVS, (m) qui ſub Veſpaſiano floruit, auri ſcripulum ſua aetate ſeſtertiis ſedecim aeſtimari conſueuiſſe. Iam quum ſedecim ſeſtertii ſint quatuor denarii: ſcripulum auri aequiparabitur quatuor denariis, tres ſcripuli XII. denariis, ac proinde illo tempore ratio argenti ad aurum denuo fuit duodecupla. Immo poſtremis temporibus, ſiue ob abundantiam ſiue ob deteriorem venam adeo euiluit auri pretium, vt demum ratio argenti ad aurum eſſet decupla. Eo enim pertinet conſtitutio haec ARCADII & HONORII (n): *Iubemus, vt pro argenti ſumma, quam quis theſauris fuerit illaturus, inferendi auri*

(c) Sueton. *Iul. cap. LIV.*
(d) Io. Bapt. Egnat. *ad Sueton. ibid.*
(e) Matth. Hoſt. *ibid. pag.* 328.
(f) Iſaac. Caſaub. *ad Sueton. Caeſ. Cap. LIV.*
(g) Io. Fridr. Gronou. *de pec. vet. p.* 905.
(h) Tacitus *Hiſt. Lib. I. Cap.* XXIV.
(i) Sueton. *Othon. Cap. IV.*
(k) Plutarch. *in Galba pag.* 1062.
(l) Suet. *Ner. Cap.* XXXI.
(m) Plin. *Hiſt. Nat. Lib.* XIX. *Cap.* I.
(n) *l. vn. C. de arg. pret. quod theſaur. infert. Lib.* X. *tit.* LXXVI.

auri accipiat facultatem, ita, vt pro ſingulis LIBRIS *argenti quinque ſolidos inferant.* Quam rationem eſſe decuplam eique & SVIDAE temporibus fuiſſe locum, ſolide demonſtrauit MATTH. HOSTVS (o). Adeo & apud Romanos non idem ſemper fuit auri argentique pretium, quum vel intendi, vel remitti coeperit, prout alterutrius metalli vel maior, vel minor eſſet prouentus, vti in annona aliiſque rebus, quarum non eadem ſemper vbertas eſt, contingere ſolet.

§. XXVI.

Quae apud Germanos veteres & recentiores?

Id vero & in Germania viciniſque prouinciis docuit experientia. Nam vt iam non eam per vetuſtiores annales, ſaeculo Chriſtiano IX. argentum & aurum in regno Francorum fuit δωδεκασάσιον, id eſt, in ratione duodecupla. Anno enim DCCCLXIV. prodiit EDICTVM PISTENSE (p), quo inter alia cautum, vt in omni regno (Caroli Calui) *non amplius venderetur libra auri, puriſſime cocti, niſi XII. libris argenti de nouis & meris denariis.* At aliquot ſaeculis poſt, ſaltim in Germania vilius pretium placuit. Nam ante ſaeculum XII. quo ius Saxonicum a REPKOVIO compilatum eſt, pretium auri, cum argento comparatum decuplum duntaxat fuiſſe videtur. *Is* enim (q) vbi de mulcta, ſingulis, qui delicto alterius laeſi eſſent, ſoluenda differit, de mulcta principibus laeſis ſoluenda ita differit. *Fürſten, Freyherrn vnd Schoeppenbarfreye Leut die ſind gleich an Buſse vnd Wehr-Geld zu nehmen. Doch ſo ehret man Fürſten vnd Freyherrn mit Gold-geben zu Buſse, vnd giebt ihnen zwoelff güldene Pfennige, der ſoll ein ieglicher drey Pfennige Gewicht Silbers wiegen. Das Pfennig-Gewicht Goldes nahm man für Zeit vor zehen Pfennige Silber.* Idem paene repetit SPECVLATOR SVEVVS (r) haud paullo recentior: *Fürſten vnd Freyen, ſind gleich an ihrer Puzz, man püſt in hieuor mit gullem Phennig, die waren pfündig, vnd der phenning nam man einen für zehen grozz ſilbrein phenning.* Sed vterque, ne quid diſſimulemus, ita loquitur, vt non tam ſuorum, quam anteriorum temporum, mores deſcribere velle videatur. Nam auctor iuris municipalis, quod WEICHB. MAGDEB. (s) vocatur, diſerte *marcam vnam auri duodecim marcis argenti valere*, ſcribit. Poſt ea tempora

(o) Hoſtus *de re numar. Lib. V. Cap. V. p.* 326.

(p) Edict. Piſtenſe *Cap. XXIV. apud Steph. Baluz. Capitular. Reg. Franc. Tom. II. p.* 185.

(q) Ius Prou. Sax. *Lib. III. Art. XLV.*

(r) Spec. Sueu. *Cap.* CCCXCVII. *p.* 336. *edit. Bergeri.*

(s) Weichb. *Art. XIII. & Art. XV.*

tempora varium denuo fuit auri argentique pretium, & hodie eſt, prout alterutrum metallum vel frequentius, vel rarius reperitur. Saltim quod TILEM. FRISIVS (t) de ſua aetate monuit, rationem vel analogiam inter vtrumque metallum non multo maiorem, quam vndecuplam, fuiſſe: id adeo non fuit perpetuum, vt & ante illa tempora, & poſtea, non minorem in illis, quam in aliis rebus, quarum inaequalis prouentus ac copia eſt, pretii diuerſitatem reperiamus. Raris enim immenſum; vulgo obuiis leue ac modicum pretium ſtatuere ſolet hominum cupiditas.

Sicuti quum primiter ficos propalam recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primum paucas.

vt ait apud NONIVM (u) LVCILIVS.

§. XXVII.

Ob diuerſitatem pretii norma haec aliquoties mutata.

Quum ergo vel haec ſola auri argentique analogia argumento ſit luculentiſſimo, non idem ſemper eſſe auri argentique pretium: conſequens eſt, vt & norma illa, ad quam monetae in Germania cudendae ſunt, (*der Muntz-Fuſs*) non eadem eſſe poſſit, ſed illa pretio argenti aurique omnino ſit attemperanda. Hinc & ea in re variatum eſſe, intelligimus. De certa norma primum conuentum in COMITIIS AVGVSTANIS anno MDLXVI. (x) eaque in Receſſu ita deſcribitur: *Demnach haben wir vns mit ihnen, vnd ſie ſich hinwieder mit vns entſchloſſen, ſetzen, ordnen, vnd wollen, daſs berührte Thaler, gantz, halb, vnd Oerter neben andern in dem Müntz-Edict angeordneten Stücken vnd Sorten, jedoch denſelben in gleicher Güte, vnd Gehalt gemünzt, geſchlagen, vnd in Bezahlungen für Wehrſchafften, inhalt vielberührter Muntz-Ordnung, gegeben vnd genommen werden ſollen. Als nemlich ein gantzer Thaler, derer ein Stuck ſechtzig acht Creüzter gelten, ſollen auf die Coelniſche Marck gehen acht Stück, vnd fein halten vierzehen Loth vnd 4. Gren, wird die fein Marck ausgebracht, vmb zehen Gulden vnd 12. Creutzer. Am andern, halben Thaler, deren ein Stuck vier vnd dreyſsig Creutzer gelten, ſollen auf die Coellniſche Marck gehen ſechzehen Stück, vn fein halten 14. Loth 4. Gren, wird die fein Marck ausgebracht, wie iezt gemeldt. Am dritten viertheil Thaler, deren ein Stuck ſiebenzehen Creutzer gelten, ſollen*

(t) Tilem. Friſ. *Müntz-Spiegel Part. I. Cap. IX. p.* 11. apud Thoman. *Act. Publ. Monet. Tom. I.*

(u) Non. *de propr. verb. Cap. II. pag.* 521. *edit. Dion. Gothofr.*

(x) Rec. Imp. *ann.* MDLXVI. §. CLI. CLII. & CLIII.

len auf die Coellniſche Marck gehen zwey vnd dreyſsig Stück, vnd fein halten vierzehen Loth, vier Gren, wird die feine Marck ausgebracht, wie obgeſetzt. Quamuis vero ſaluberrima tum videretur haec norma: magnae tamen paullo poſt auditae ſunt querelae, illam inſuper haberi, cauſſantibus pleriſque, eam non conuenire pretio argenti, nec poſſe huiuſmodi numos ſine ordinum diſpendio percuti. Itaque in Circulo Saxonico vtroque VI. Kal. Sept. ann. MDCLXVII. conſilia ſociarunt tres ſereniſſimae Domus, Saxonica, Brandenburgica & Brunſuicenſis, & Zinnae inter ſe pactae ſunt, *daſs, da zuuor die Marck fein Silber zu neun Thaler 2. Groſchen ausgemüntzt worden, hinführo dieſelbe auf* 10. *Thr.* 12. *gl. erhöhet vverden ſolte* (y). Hanc normam Zinnenſem, quippe temporibus iſtis conuenientiſſimam, paullo poſt probarunt circuli Bauaricus, Sueuicus & Franconicus, quorum decretum eodem anno ratum habuit Imperator. Enimuero ne id quidem ad rei conſummationem profuit. Paullo poſt enim viſi ſunt numi tam leues ac improbi, vt ex vna argenti marca eorum XIII. XIV. XV. vel XX. conficerentur (z). Id quod eoſdem Electores & Principes ſereniſſimos permouit, vt d. XVI. Ian. MDCXC. Lipſiae de noua norma inter ſe conuenirent, conſtituerentque, *daſs eine iede Marck* $\frac{1}{3}$ $\frac{2}{3}$ *vnd* $\frac{1}{8}$ *Stück auf* 12. *Thaler ausgemuntzet, vnd aus vielen erheblichen Vrſachen bis naechſt künfftigen Michaelis damit continuiret, immittelſt aber von keinem derer hohen Herrn Correſpondenten weiter hierunter gegangen werden ſolle, da man denn umbſelbige Zeit vvieder zuſammen zu kommen, vnd einen verhoffenden nähern vnd beſſern Muntz-Fuſs feſt zu ſtellen die Abrede genommen* (a). Et quamuis eam normam ad tempus initio conſtitui placuerit: poſtea tamen non alia vel melior reperta eſt, immo & hanc iamdudum peruertit habendi cupiditas, leuioris notae numis tanta copia cuſis, vt meliores fere omnes ab argyropolis redemti deinde in deteriores in monetis clandeſtinis (*auf denen Hecke-Müntzen,*) commutarentur.

§. XXVIII.

Pretium hoc maxi- Quum ergo emendari & ad iuſtum pretium reduci non poſſit moneta, niſi certa norma, *ein beſtaendiger Muntz-Fuſs* ab vniuerſo

(y) Lunig. *Reichs-Archiu. Part. ſpec. IV. Abth. p.* 200. *Europaeiſcher Herold. Part. I. p.* 959.

(z) Thoman. ab Hagelſt. *Act. Monet. Part. II. p.* 366.

(a) Thoman. ad Hagelſtein. *ibid. p.* 365. Lunig. *ibid. n. LXXIII. p.* 235. Ziegler. *de maieſt. Lib. I. Cap. XLIV.* §. *XIII.*

ſo Imperio conſtituatur, in eo autem conſtituendo ad argenti pretium, quale tum apud nos, tum apud vicinos eſt, reſpiciendum ſit: conſequens eſt, vt ea cura vel maxime iam iis debeat pectore fixa eſſe, qui de emendanda re numaria conſilia conferunt. At, ſiue Zinnenſis, ſiue Lipſienſis probetur, ſiue plane noua inueniatur: experientia iam pridem docuit, nihil inde vtilitatis peruenturum ad rempublicam, niſi prius ea omnia, quae pretium auri argentique intendunt, prudenter remoueantur. Eſt talis praecipue luxuria, fatale omnibus rebuspublicis & imperiis malum, quo fit vt aurum argentumque male diſſipetur, ac proinde metallis iſtis, tamquam rarioribus, immane pretium ſtatuatur. Videmus, aurum argentumque in lamellas & filamenta duci, magnam partem templis, epitaphiis, libris, ſupellectili, nec minorem veſtimentis ornandis, adhiberi. Ex illo auro argentoque vix quidquam; ex hoc parum admodum ſeruatur. Quis vero dubitet, quin demum rariora fieri oporteat ea metalla, quorum maſſa quotannis luxu humano deminuitur? Exſtat integer libellus, inſcriptus: *Schatz der Welt*, quo demonſtratum iuit auctor, non poſtremam raritatis metallorum nobiliorum cauſſam eſſe in abuſu iſtorum quaerendam, puta quod in lamellas tenuiſſimas & filamenta duci ſoleat, & ita fiat, vt maxima eius copia paullatim profundatur, abſumatur, ac plane intereat. Hoc auctor ille BONIFAC. TERMINAEVS (c), hoc alter ANONYMVS (d) &, qui primo loco nominandus erat, TOB. OELHAFFEN A SCHELLENBACH (e), luculenter demonſtrarunt, rationibuſque probabiliter ſubductis oſtenderunt, in ſex dumtaxat emporiis, puta Noribergae, Auguſtae Vindelicorum, Vratislauiae, Argentinae, Magdeburgi & Vlmae quotannis ab artificibus in lamellas duci poſſe & ſolere centum & quinquaginta ſex millia cum octogenis aureorum, quos Ducatos vocamus, adeoque intra triginta annorum ſpacium quatuor myriades & ſeptingenta ac quatuor millia aureorum. Ex qua immenſa auri mole vix centeſimam partem lucri fieri ab hominibus, & reliqua omnia male perire, nemo eſt, qui non intelligat. Cui ſi addas, quantum auri argentique in filamenta ducti depereat: adeo non miraberis horum metallorum raritatem, vt mirandum videa-

me intenditur ob luxuriam.

(c) Bonifac. Terminaeus. *von dem groſſen Schatz der Welt.* Arg. MDCXXIII.

(d) Auctor libelli: *Welcher geſtalt ein Land, ſo durch Krieg, oder in andere Weg verderbt, wiederum aufzubringen?*

(e) Tob. Oelhaffen *de rei monet. ſtatu hodierno* Cap. V. 202. *ſequ.* apud Thoman. *Tom. I. Actor. monetal.*

tur, illa non multo rariora eſſe. Quare merito mireris in alia omnia hic iuiſſe virum harum rerum peritiſſimum, PAVLLVM VELSERVM (f), ex ea ratione, quod ſatius omnino ſit, aliquid auri argentique hoc modo perire, quam huiuſmodi merces multo maiore pretio ab exteris peti. Quamuis enim inde colligi poſſit, paullo minus eſſe hoc malum, quo nunc premimur, quam ſi exteros luxu noſtro locupletaremus: non tamen inde ſequitur, vt non & illud ſit malum ſatis magnum. Sane ſiue ab exteris redimamus has merces, ſiue eas ipſi conficiamus: certum tamen eſt, permultum auri argentique perire, ac proinde fieri non poſſe, quin metallorum iſtorum pretium quotidie intendatur. Accedit, quod eo iam ſaeculo viuimus, quo priuatis etiam mediocris conditionis vix ſatis nitida videtur ſupellex, niſi argentea, immo quibuſdam ne haec quidem ſufficit. Quotusquiſque hodie non gladio argenteo? quammulti aureo cinguntur? Quotusquiſque non ſiue aurea ſiue argentea circumfert horologia, capſas argenteas aureaſue puluere ſternutatorio oppletas, fibulas argenteas aureaſue, baculos aureis argenteiſue manubriis praemunitos? Cuinam vero ſatis ſapidus videtur liquor ex herba Sinica, vel lupinis Turcicis decoctus, ſi non ex vaſis argenteis diluatur? Quot ergo aureorum argenteorum numorum millia quotidie conflari oportet, vt aurum argentumque non deſit hominum luxuriae? Eat iam aliquis, & auri argentique raritatem pretiumque quotidie gliſcens, miretur, quum & plumbea ingenia, ferreaeque frontes auro argentoque fulgeant, & ii etiam, qui Cynica traducunt tempora coena, latrantem ſtomachum argenteo aliquo vaſculo vel veſtibus auro argentoque ſplendidis placare, & genium defraudare, quam auro argentoque carere malint?

§. XXVIIII.

Nec non ob licentiam aurum argentumque diſtrahendi promiſcue conceſſam.

Praeterea ipſa quoque auri argentique negotiatio pretium eiusdem mirifice intendit. Ea enim fere ad Iudaeos, & hos quidem opulentiores, rediit, qui ſoli fere & monetis publicis aurum argentumque praebent, & metalla iſta vendunt aurificibus, iisque, qui artem illa metalla in tenuiſſimas lamellas ac filamenta ducendi exercent. Hi vero homines, quum veluti monopolium quoddam materiae iſtius nobiliſſimae ſibi iam dudum vindicarint: quid facilius eſt, quam vt omnia agant ex compacto, & tamquam in Velabro olearii mercibus ſuis pretium quodcumque ſtatuant? Itaque omnino vix ſpes vlla ſupereſt, fore, vt aurum argentumque

(f) Velſer. *Diſcurs vom Müntz-Weſen. ibid. Tom. III.* p. 13.

que ad iuſtum pretium reducatur, niſi negotiationis illius curam paullo maiorem habeant ii, quorum eſt, operam dare, ne quid respublica detrimenti capiat. Nerui autem, ſi quid video, inciderentur iniquiſſimo illi commercio, ſi qui aurum argentumque vendunt, illud non aliis, quam monetis publica auctoritate inſtitutis offerre cogerentur, ſeueriusque animaduerteretur in eos, qui priuatis monetis, quas vocant *Hecke-Müntzen*, metalla multo luculentioribus conditionibus, quam aliis, vendunt. Quo plures enim inde prodeunt numi improbi, eo magis intendi oportet auri argentique pretium, & eo certius bonae ac probae ſpecies veluti euaneſcunt, vt vere dici poſſit, quemadmodum olim vaccas pingues a macilentis deglutiri per ſomnum viderat Rex Aegyptiorum: (g) ita probas iuſtique ponderis & valoris monetas ab improbis illis ac leuioribus veluti deuorari. Vnde & nemo eorum, qui de conſtituenda emendandaque re numaria conſultationes ſuas ediderunt, quorumque non poenitendum numerum Tomo III. Actorum monetariorum inſeruit DAV. THOMANVS ab HAGELSTEIN, ſpem aliquam oſtendit, meliora nobis imminere tempora, quamdiu Imperator & Imperium leges ſaluberrimas de officinis monetariis clandeſtinis, vel auctoritate circulorum non conſtitutis, (*von Hecke-Munzen*) non maiore ſeueritate exſequantur, illaeque demum penitus maximo Germaniae bono ſupprimantur.

§. XXX.

Conſtituta rite norma cogitandum eſt de ſurrogato.

Alterum, quod conſtituta certa rei pecuniariae norma, factu opus eſt, in eo conſiſtit, vt ſtatim antequam improbi numi vel penitus proſcribantur, vel ad iuſtum reducantur pretium, inſignis quaedam proborum numorum copia publica auctoritate ad illam normam communi Imperii ſuffragio receptam, percutiatur, quae ſit loco SVRROGATI, quod vocant, & cuius bonitas efficiat, vt homines improbas illas ſpecies facile adſpernentur. Quid enim vtilitatis ex improborum numorum proſcriptione & reductione ad iuſtum pretium capiant ciues, ſi non ſint alii probi, qui pretii eminentis vice in rerum commerciis fungantur? Sane tunc alterutrum fieri oportet, vt aut commercia omnia ceſſent, maximaque inde naſcatur rerum omnium perturbatio, aut numi, publica lege proſcripti, in vſum vltro reuocentur, priſtinumque recipiant valorem, & non ſine legum contemtu a ciuibus iactentur. Fingamus, quaeſo, ruſticos Germanos ſaeculo XVI, veluti Furiis quibusdam ad bellum nefarium inſtinctos, feliciterque profligatos,

(g) Geneſ. XLI. 18. 19. 20.

vna eademque ſententia ferali capitis fuiſſe damnatos, aut ad vltimos Garamantas proſcriptos; quam miſera futura fuiſſet Germaniae facies, dum deerant, qui eorum loco agrum colerent? Nonne ipſa neceſſitas tum ad clementiam inflexit principes, ſatius fore exiſtimantes, malis agricolis parci, quam nullos ſupereſſe, qui agros colerent? Sic ſane ipſa neceſſitas etiam bonos ciues inter leges peccare coget, niſi melior ſuppetat numus, quo loco praui ac improbi vtantur, quia vnuſquiſque qualeſcumque, quam nullos, numos habere malet.

§. XXXI.

Tunc reliqua facile obtinebimus. Votum pro felice publicorum conſiliorum exitu.

Sic demum nullo negotio numi improbi ad iuſtum pretium reducentur. Si enim exſtat norma, ad quam exigantur; ſi non deſunt numi probi, quibus vtantur ciues: quam facile erit, adhibitis zygoſtatis artis ſuae peritiſſimis ſingulorum improborum pretium ac valorem internum explorare, eosque, prout res fuerit, vel plane proſcribere, vel iuſtum illis ſtatuere pretium? Sua ſponte etiam tunc ciues dabunt operam, vt intra certum tempus expendant hos numos, melioresque adquirant. Quin ipſe numus improbus, veluti oculos hominum reueritus, paullatim euaneſcet, & conflatus in meliorem commutabitur. Quin, his obſeruatis, nullo alio Germaniae opus erit remedio, praeter leges ſaluberrimas, quas iam pridem maiores tulerunt, quarum ſi diligentior manſiſſet cuſtodia, iam non laboraremus: immo nec laborabimus in poſterum, ſi eum animum Imperatori Auguſtiſſimo Imperiique ordinibus dederit ſummum, quod omnia moderatur, Numen, vt leges illas ſeuerius exſequantur. Vtinam vero ſplendidiſſimo illi conſeſſui, qui iam in vrbe patria pro ſalute vniuerſi imperii incomparabili diligentia excubat, eam gloriam deſtinaſſet prouidum Numen, vt Germaniam inueterato hoc ac deſperato morbo leuet, & his aliisque multo ſalubrioribus remediis Imperio priſtinas opes, priſtinamque fidem, qua ſola florent commercia, reddat. Quam perpetua atque immortalis ad poſteros futura eſſet tanti meriti memoria? Quam grato animo ciues tanti boni auctores, vti Romani Marium Gratidianum non quidem thure & ſuffitu, ſed incorruptis laudibus eſſent proſequuturi? Et quam felix fortunataque futura eſſet inclyta Ratiſpona, e qua tam inſignis vtilitas ad vniuerſam Germaniam, redundaret! Faxit hoc bonorum omnium auctor, Deus, conſiliaque publica, quae iam agitantur, ita ſecundet, vt Germani pro aeneo ferreoque ſaeculo aureum argenteumque ſibi rediiſſe, iure glorientur, eaque felici temporum reparatione quam diutiſſime laeti perfruantur!

DE

DE IVRE PRINCIPIS CIRCA COMMERCIORVM LIBERTATEM TVENDAM.

EXERCITATIO XXX.

§. I. *Inſtituti ratio.* §. II. *Commercii definitio, & cur illud vocetur rerum operarumque cum aliis communicatio ?* §. III. *Cur communicationem illam ex obligatione perfecta oriri dicamus ?* §. IIII. *Commerciorum neceſſitas inter ciues eiuſdem reipublicae.* §. V. *Nec non inter gentes liberas.* §. VI. *An ea ſemper libera eſſe oporteat ?* GROTII *aliorumque ea de re ſententia.* §. VII. *Eam non firmo ſatis talo ſtare, oſtenditur.* §. VIII. *Libertas commercandi qualis eſſe debeat inter eiuſdem reipublicae ciues ?* §. VIIII. *Princeps quibuſdam ius negotiandi & dare, & adimere poteſt.* §. X. *Idem definire poteſt, quaenam res in commercio eſſe debeant.* §. XI. *Nec non ipſis commerciis certum modum praeſcribere.* §. XII. *Ceſſat porro libertas commerciorum cum hoſtibus.* §. XIII. *Cum gentibus dubiae amicitiae ea admodum reſtricta eſſe ſolent.* §. XIIII. *Immo & cum gentibus amicis commercia per foedera reſtringuntur.* §. XV. *Nullo exſtante foedere, liberum eſt vnicuique genti, quid alteri concedere velit.* §. XVI. *An gens gentem commercio cum alia gente iure prohibeat ?* §. XVII. *Id negandum eſſe, probatur.* §. XVIII. *Praeterquam quibuſdam caſibus.* §. XVIIII. *Quid commerciorum libertas, a principe tuenda ?* §. XX. *Quot modis illa turbari ſoleat ?* §. XXI. *Principis eſt, illam commerciorum libertatem tueri.* §. XXII. *Quod fit legibus,* §. XXIII. *Itemque priuilegiis,* §. XXIIII. *Nec non iudiciis mercatoriis & nauticis,* §. XXV. *Foederibus,* §. XXVI. *Munimentis in ſolo extero exſtructis,* §. XXVII. *Legationibus,*

§. XXVIII.

§. XXVIII. *Claſſibus*, §. XXVIIII. *Aliquando & repreſſaliis*, §. XXX. *Ac denique bello.* §. XXXI. *Vota pro potentiſſimo Danorum Rege, optimo Principe, & libertatis commerciorum vindice acerrimo, concepta.*

§. I.

Inſtituti ratio.

SI libellis ob ſolam nouitatem raritatemque materiae pretium eſſet ſtatuendum: ſubuererer omnino, ne acturus de COMMERCIIS, & abundare ocio, &, quod ſolent ocioſi, actum agere velle videar. Siue enim de eo, quod circa commercia iuſtum eſt, ſiue de ciuilis prudentiae praeceptis, quae ad illa recte inſtituenda, conſeruanda, amplificandaque pertinent, incidat quaeſtio: adeo omnia a viris doctis occupata, & non modo diſſertationibus, ſed & iuſtis voluminibus, explicata illuſtrataque ſunt, vt poſt tantam meſſem vix vlli ſpicilegium aliquod relictum eſſe exiſtimem. Enimuero, ſi quis aliorum meditationes cum his noſtris contenderit, is profecto, nec aliorum ſcrinia a nobis expilata, nec operam in quaeſtiunculis protritis ac vulgaribus enodandis collocatam, animaduertet. Qui enim ſuperioribus ſaeculis de commerciis quaedam commentati ſunt, iureconſulti id ſibi negotii crediderunt ſolum dari, vt, quidquid de commerciis & mercaturis in iure Romano vaſtisque gloſſatorum operibus occurrit, id omne, nulla habita ordinis ratione, coaceruarent. Quo profligato labore, ab iis, qui cauſſis in foro agendis occupantur, tanto maiorem ſibi gratiam iniiſſe videbantur, quanto plus Accurſiani abſinthii vbique adſperſiſſent. Et tales profecto ſunt ſcriptores tantum non omnes, quorum opuſcula in grandi *Deciſionum variorumque tractatuum de mercatura* volumine (a) locum inuenerunt. Veluti NIDERVS, BALDVS, STRACCHA, ZVARIVS, VANDERANVS, HIPPOL. DE MARSILIIS, IAC. DE ARENA, BENED. DE PLVMBINO, DAMHOVDERVS & reliqui, qui cum in hoc opere, tum in vaſtiſſimo illo *Iuris oceano* ſeu *Tractatu tractatuum* (b) vtramque faciunt paginam, ipſis plerumque nominibus terribiles. Habes enim ibi LVPOS, CACCIALVPOS, CANES, CABALLINOS, & neſcio quae alia nominum terriculamenta, quae quidem, ne cui dirum aliquod

(a) Prodiit haec collectio *Lugduni anno erae Chriſtianae MDLXXXXII.* cura Petri Landry, typographi non indocti, in forma maiore.

(b) In primis *Tomis VI. & VII.*

aliquod carmen ordiri videamur, recitare iam nolumus. Palmam his praeripiunt, qui poſt felicem illam iurisprudentiae reparationem animum ad ſcribendum adpulerunt, CAR. MOLINAEVS (c), IO. MARQVARDVS (d), IAC. SAVARY (e), & ſimiles, ſed quorum omnium tamen induſtria magis in decidendis priuatorum controuerſiis, quam in ipſo commerciorum iure ex iuris gentium principiis explicando, eluxit. Quidam & de hoc iure, ſed non niſi generatim, diſſeruerunt, vt IO. STRAVCHIVS (f) & CASP. ZIEGLERVS (g). Alii de commerciis prudenter inſtituendis praecepta dederunt, vt HERMANNVS CONRINGIVS (h). Alii de libertate, priuilegiis, foederibus commerciorum (i), ſimilibusque quaeſtionibus, erudite commentati ſunt, taliumque libellorum ac diſſertationum inſignem prouentum debemus ſaeculo noſtro, maxime ex quo controuerſiae de libertate commerciorum inter gentes potentiſſimas gliſcere, & non ſine inſigni animorum motu agitari coeperunt (k). Horum & ego ſequutus exemplum, DE IVRE PRINCIPVM CIRCA LIBERTATEM COMMERCIORVM TVENDAM quaedam in chartam conieci, quae non omnino ingrata lectoribus fore, eo certiore augurio praeſentire mihi videor, quo magis & hodie lites illae fatigant conſilia Principum, quoque minus quisquam dubitat, quin operae facturi ſint pretium, qui ſubtiles illas & non parum ſpinoſas de libertate commerciorum quaeſtiones paullo accuratius expenderint, diuerſaſque diuerſorum ſententias inter ſe, adhibita in conſilium ratione, compararint.

(c) Car. Molinaei *Tractatus commerciorum, contractuum & vſurarum* ſaepiſſime praela fatigauit. Ad manus iam eſt editio *Pariſina MDLV.* 4.

(d) Io. Marquardi *de iure commerciorum & mercaturae* opus prodiit *Francof. MDCLXII. fol.*

(e) Iac. Sauary *Conſilia & reſponſa de praecipuis & maxime arduis commerciorum cauſſis.* *Pariſ.* MDCLXXXVIII. 4.

(f) *Diſſ. de iure commerc.* Ien. 4.

(g) Caſp. Ziegleri *Diſſ. de iure commercior. Witteb.* MDCLXVI. & *de Iur. maieſtat. Lib. I. Cap. XXXXI.*

(h) Herm. Conring. *diſſ. de commerc. maritim.* Helmſt. *MDCLXXX.*

(i) Vid. inſignis diſſertatio, *de foederibus commerciorum*, quam *Lipſ. MDCCXXXV.* ſub praeſidio viri eximii, Iac. Maſcouii, defendit illuſtris dominus Chriſt. Siegfr. de Pleſſen, Eques Danus.

(k) Quo pertinent Io. Frid. L. B. Bachoffii ab Echt *Diſſ. de eo quod iuſtum eſt circa commercia.* Ien. *MDCCXXX.* P. Mac. Neny *Refutation des argumens avancés de la part de Meſſ. les Directeurs des Compagnies d'Orient & d'Occident des provinces vnies, à Bruxelles 1723.* & Io. Barbeyraci *Défenſe du Droit de la Compagnie Hollandoiſe des Indes Orientales contre les nouvelles prétentions des Habitans des Pays-bas Autrichiens. à la Haye 1725.*

§. II.

Commercii definitio, & cur illud dicatur rerum operarumque cum aliis communicatio.

Per COMMERCIVM intelligo communicationem rerum operarumque cum aliis, non ex ſola humanitate & beneficentia, ſed ex obligatione perfecta profectam (l). Ex quo enim ipſa neceſſitas homines impulit, vt primaeuae illi rerum omnium communioni mitterent nuncium, & ſuas ſibi quiſque ſedes, ſuos agros, ſuas denique, quibus indigeret, res occuparet: fieri non poterat, vt mutua ope non indigerent, neque ea peterent aliunde, quae ſibi quiſque deeſſe animaduertebat. Multa autem deeſſe oportebat omnibus & ſingulis, quia in natura comparatum eſt, vt non omnis ferat omnia tellus, ſed quarum rerum alibi magnus prouentus eſt, earum maxima alibi ſit inopia. Notiſſima ſunt illa VIRGILII (m):

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuae:
Arborei foetus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua tura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges aeternaque foedera certis
Impoſuit natura locis:

nec non quae alibi idem poëta eruditiſſimus (n) canit de diuerſis diuerſarum prouinciarum arboribus:

Nec vero terrae omnes omnia poſſunt.
Adſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoaſque domos Arabum, pictoſque Gelonos,
Diuiſae arboribus patriae. Sola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt turea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum, molli canentia lana?
Velleraque vt foliis depectant tenuia Seres?

Quae quidem quum veriſſima eſſe non tantum in diuerſis prouinciis, ſed & in vnius diuerſis tractibus, experiamur, quumque recte obſeruarint rei ruſticae ſcriptores (o), neque in pingui terra omnia recte ſeri, neque in macra nihil, aliaque in montoſo, alia in plano,

(l) Vid. Cel. Domini Praeſidis *Elem. iur. nat. & gent. Lib. I. §. CCCXXVII.*

(m) Virgil. Georg. *Lib. I. v. 54. ſequ.*

(n) Idem *Lib. II. v.* 109. 114. *ſequ.*

(o) Varro *de re ruſt. Lib. I. Cap. XXIII.* Columella *de re ruſt. Lib. II. Cap. II.* Pallad. *de re ruſt. Lib. I. tit. VI.*

plano, alia in aprico, alia in vmbroſo agro felicius prouenire: conſequens ſane eſt, vt vnicuique regioni permulta & deſint, & ſuperſint, quibus inter ſe communicatis nihil, quod ad neceſſaria vitae ſubſidia pertinet, vlli deeſſe poteſt. Non tamen res tantum homines debent communicare cum hominibus, verum etiam operas. Quotuſquiſque enim eſt mortalium, qui poſſit omnia? Pro monſtro ſane eſt, quod memoriae prodiderunt APVLEIVS (p) & HIERONYMVS (q), Hippiam, ſophiſtam, praeter eximiam artium omnium ingenuarum cognitionem, omnium etiam opificiorum callentiſſimum, quae ſecum circumtulerit, ſua omnia manu confeciſſe, vt indumenta, tunicam interulam elegantiſſimam, baltheum, pictura Babylonica mirifice variegatum, pallium, crepidas, annulum aureum, faberrimo ſignaculo, ampullam oleariam, & quidquid reliquae haberet ſupellectilis. Quin Daedalum hunc a Iulio Caeſare Bottifanga ingenio ſuperatum dixeris, quem IAN. NIC. ERYTHRAEUS (r) refert non modo ipſum ſibi femoraliâ, thoraces, calceos, confeciſſe, ſed & omni inſtrumento muſico ceciniſſe egregie, eaque quouis artifice melius atque accuratius elaboraſſe, penicillo porro pictores, acu pingendi arte Arachnen ipſam ita prouocaſſe, vt, quae artem illam profitebantur, mulierculis ruborem excuſſerit. At tales *μυειολεχνίτας*, ſi vera ſunt, quae de iis iactantur, natura producit pauciſſimos, &

Vix totidem, quot
Thebarum portae, vel diuitis oſtia Nili.

Et ſi vel maxime plures reperirentur, quibus, vt ANT. MATTHAEI (s) verbis vtar, ingenium omne in digitos abiiſſe dixeris: tamen nec tantum ocii vlli futurum eſſet, vt ſufficeret tot laboribus illiberalibus, & pleroſque ipſa dignitas, vitaeque conditio ab operis tam ſordidis auocaret; nec virum honeſtum caminos purgare, calceos conſuere, columnas aedium nitidas praeſtare, pateretur. Indiget ergo alter alterius operis, nihilque certius eſt, quam manum a manu lauari, adeoque commercia in operarum non minus, quam rerum communicatione conſiſtere.

§. III.

Nec ſine ratione in definitione noſtra expreſſimus, communicatio- *Cur com-*

(p) Apulei. *Florid. p. 346. edit. Elmenh.*

(q) Hieron. *Epitaph. Nepotiani.*

(r) Ian. Nic. Erythr. *Pinacoth. Lib. II. Cap. XVII.* & Morhoff. *Polyhiſt. litterar. Lib. I. Cap. I. n. 6.*

(s) Ant. Matthaei *de Criminib. ad Libr. Dig. XXXXVII. tit. XI. n. 3.*

municationem illam ex obligatione perfecta oriri dicamus?

cationem illam rerum operarumque cum aliis, in qua commercium conſiſtere diximus, non ex humanitate & beneficentia, ſed ex obligatione perfecta proficiſci. Eſt enim & alia communicatio, quae ex ſolo illo humanitatis ac beneficentiae fonte promanat, quaeque efficeret profecto, vt omnibus commerciis aequo animo careremus, ſi homines omnes, naturae ſuae memores, virtutem colerent. Iam pridem Stoici, ex naturae, quae in omnibus hominibus deprehenditur, aequalitate collegerunt, *communem eſſe hominum inter homines naturalem commendationem* (t), vel, vt EPICTETI (u) verbis vtamur, *Φυσικὴν κοινωνίαν πρὸς ἀλλήλους*, *naturalem inter ſe inuicem communionem*, de qua eleganter ſuo more SENECA (x): *Natura nos*, inquit, *cognatos edidit, quum ex iiſdem, & in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Illa aequum iuſtumque compoſuit: ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam laedi.* Ex naturali illa hominum cognatione recte quidem collegit FLORENTINVS, iureconſultus (y), *hominem homini inſidiari, nefas eſſe.* At multo fertilius eſſe hoc principium, facile vnusquiſque animaduertit. Ex eo enim conſequitur, *vt hominem, ob hoc ipſum, quod homo eſt, non oporteat ab homine alienum eſſe* (z), ſed alteri, quidquid ſibi fieri cupit ab alio, quam libentiſſime faciat. Iam ſi tanta eſſet generis humani felicitas, vt omnes amore virtutis peraeque flagrarent: non vllo profecto opus eſſet commercio, quia & nihil habentibus, nihil tamen ad vitam bene beateque tranſigendam eſſet defuturum. Sane enim amicorum, (quales ſunt omnes virtute praediti,) omnia forent communia, nemoque quidquam alteri venderet vel locaret, ſed vltro & gratis concederet. Immo idem tunc omnino eueniret, quod de primo in orbe coetu Chriſtianorum ſcripſit LVCAS (a): *Οὐδὲ ἐνδεής τις ὑπῆρχεν ἐν αὐτοῖς· διεδίδοτο γὰρ ἑκάστῳ, καθότι χρείαν εἶχεν. Nemo eorum indigebat. Diſtribuebatur enim vnicuique, quod opus eſſet.* Enimuero fuere aurea illa tempora, quibus homines

Vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege, fidem rectumque colebant (b).

Nunc aliis viuitur moribus, amorque ille vel caritas, ex qua haec potiſſi-

(t) Cicero *de finib. Lib. III. Cap. XVIIII.*

(u) Apud Arrian. *Diſſert. Epict. Lib. II. Cap.* 20.

(x) Seneca *Epiſt. LXXXXV.*

(y) *l.* 3. *de iuſt. & iure* vbi vid. Merill. *Obſeru. iur. ciuil. Lib. I. Cap. XI.*

(z) Cic. *de Finib. Lib.III.Cap.XVIIII.*

(a) *Act. Apoſt. V.* 34.

(b) Ouid. *Metamorph. Lib. I. v.* 90.

potiſſimum officia, tamquam ex limpidiſſimo fonte promanant, adeo paullatim inter homines refrixit, vt vix quiſquam hodie alterius humanitate ac beneficentia poſſit fiduciam aliquam collocare. Itaque interpoſitis contractibus obligandi fuerunt homines, ad ea, quibus abundarent, cum aliis communicanda. Et ſic nata demum ſunt inter eos commercia, quae pactis ac contractibus contineri, iam pridem obſeruarunt ISOCRATES (c) & ARISTOTELES (d).

§. IIII.

Quum ergo ipſa indigentia homines ad inſtituenda cum aliis commercia adegerit: (§. II. & III.) conſequens ſane eſt, vt ea inter maxime neceſſaria generis humani inſtituta ſint referenda. Quemadmodum vero omnis neceſſitas ſuos admittit gradus: ita idem dicendum videtur de commerciis, puta, vnum illorum genus altero magis eſſe neceſſarium, gentemque vnam illis magis, quam alteram, indigere. Primo enim res ipſa docet, commercia vel inter *eiuſdem reipublicae ciues*, vel *inter gentes*, communi imperio non ſubiectas, intercedere. Prioribus nulla fere gens, quae coaluit in rempublicam, quaeque a primaeua illa rerum omnium communione receſſit, carere poteſt, quantumuis ſimplicem, & ab omni luxu alienam vitam colere dicatur: poſteriora gliſcente demum luxuria reperta ſunt. Et ſane, quod ad priora attinet, exemplo eſſe poſſunt maiores noſtri, recti exempli, vt inter barbaros, homines, qui licet ſimplici ac parabili cibo, agreſtibus pomis, recente fera, lacte concreto, ſine adparatu & blanditiis famem expellerent, nec alio potu, quam vel aqua, vel corrupto ex hordeo in vini ſimilitudinem liquore, vterentur (e), licet caſas habitarent, ex materia informi citra ſpeciem aut delectationem conſtructas (f), veſtes denique illis omnibus eſſent ſagulum, fibula aliqua vel ſpina conſtrictum, ferina pellis vel linum (g), commercio tamen omni inter ſe carere non poterant, quippe permutatione, teſte TACITO (h), vice contractuum vſi. Gemina fere ſunt, quae de Satarchis refert POMPONIVS MELA (i), eos, licet feris moribus, & ab omni cultu alienos, *vice* tamen *rerum commercia mutaſſe*. Soli fortaſſis populi nomades, quia & pleraque neceſſaria veluti in medio poſita habebant, nec plura ipſi deſidera-

Commerciorum neceſſitas inter ciues eiuſdem reipublicae.

(c) Iſocrat. *Except. aduerſ. Callimach.* p. 742.

(d) Ariſtotel. *ad Nicom. Lib. V. Cap. VIII. & Polit. Lib. I. Cap.* VI.

(e) Tacit. *de mor. Germ. Cap. XXII.*

(f) Idem *ibid. Cap. XVI.*

(g) Idem *ibid. Cap. XVII.*

(h) Idem *ibid. Cap. V.*

(i) Pompon. Mela *de ſitu orb. Lib. II. Cap. I.*

ſiderabant, paullo minus indiguiſſe commerciis videntur: veluti apud eumdem POMPONIVM (k) Sarmatae, nec non Scythae, de quibus IVSTINVS (l): *Hominibus*, inquit, *inter ſe nulli fines, neque enim agrum exercent, nec domus illis vlla, aut tectum, aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Vxores liberoſque ſecum in plauſtris vehunt, quibus coriis imbrium hiemiſque cauſſa tectis pro domibus vtuntur. Aurum & argentum non perinde, vt reliqui mortales, adpetunt. Lacte & melle veſcuntur. Lanae iis vſus ac veſtium ignotus, &, quamquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis aut murinis vtuntur. Haec continentia illis morum quoque iuſtitiam edidit, nihil alienum concupiſcentibus. Quippe ibidem diuitiarum cupido eſt, vbi & vſus.* Ita vero viuentibus Scythis, omniaque, quae ad luxum voluptatemque pertinent, adſpernantibus, quid, quaeſo, opus fuiſſet commerciis? quid mercatoribus & propolis? quid foro communi? quod primum Athenis conſpicatus Anacharſis, Scytharum ſapientiſſimus, illud *ὡρισμένον τόπον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾷν καὶ πλεονεκτεῖν*, *deſtinatum ad fallendum captandumque lucrum locum*, vocare non dubitauit (m).

§. V.

Nec non inter gentes liberas.

Quod ad ea, quae inter gentes intercedunt, commercia attinet, iis paullo facilius videntur caruiſſe gentes, quae vel ob morum ſanctitatem rerumque ad luxum pertinentium abſtinentiam, agri ſui vbertate contentae, exterorum delicias nihili fecerunt, vel ob barbariem plane inhoſpitales factae, peregrinos omnes, tamquam hoſtes, a ſe repulerunt. Quod poſtremum olim eo frequentius potuit contingere, quo minus gentes, etiam ceteris humaniores, latrocinari ac praedas agere puduit (n). Quis enim vitio vertiſſet populis, ſuo contentis, alienaque non adpetentibus, quod ad ſe aditum concedere nollent exteris, rapinae ſuſpectis, ex quibus aduenientibus quaerendum erat (o):

Ὦ ξεῖνοι τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
Ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἦ μαψιδίως ἀλάλησθε,
Οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα τοίδ' ἀλόωνται,
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες;

O

(k) Pompon. Mela *ibid. Lib. III. Cap.* IIII.

(l) Iuſtin. *Hiſtor. Lib. II. Cap. II.*

(m) Diog. Laert. *Lib. I. ſegm. CV.*

(n) Grot. *de iure belli & pac. Lib. II. Cap. XV.* §. *V.* & *de veritate relig. Chriſt. Lib. II.* §. *XII. in not.*

(o) Homer. *Odyſſ. Lib.* III. *v.* 71.

O hoſpites, quinam eſtis? vnde nauigatis humidas vias?
Vtrum ob aliquod negotium? an temere erratis
Tamquam praedones, per mare qui errant,
Animam periclitantes, malum alienis ferentes?

Interrogationem enim hanc veteribus ſollemnem, & neque interroganti, neque interrogato indecoram viſam eſſe, e veteribus THVCYDIDES (p) & PHILOSTRATVS (q), & recentiorum plurimi (r) teſtantur. An ergo vlli mirum videatur, gentes olim quasdam tanto odio perſequutas eſſe omnes exteros, vt metuerent etiam dona ferentes, eosque omnes procul faceſſere a finibus ſuis iuberent? Tales olim Scythae, accolae Ponti, quem ideo veteres non *Euxinum*, ſed ἄξεινον, id eſt, *inhoſpitalem* dictum eſſe, referunt; (s) quamuis in alia omnia eat BOCHARTVS (t), qui mari iſti potius ab Aſcenace, gentis auctore, Euxini nomen haeſiſſe exiſtimat. De aliis populis inhoſpitalibus ex inſtituto egit IO. SCHILTERVS (u), qui tamen bene ſperat de humano genere, nullamque nationem tam immanem fuiſſe putat, vt ab omni hoſpitali humanitate abhorruerit. Vt iam ad priorem cauſſam, ob quam gentes quaedam commercia exoſa habuerunt, perueniamus, eam in *ſanctioris* vitae ſtudio abſtinentiaque a rebus omnibus, ad luxum comparatis, conſtitiſſe diximus. Cuius rei vix illuſtrius aliud exſtat exemplum, quam Hebraeorum, de quibus IOSEPHVS (x): Ἡμεῖς οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὔτ' ἐμπορίαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς πρὸς ἄλλους διὰ τούτων ἐπιμιξίαις. *Quod ad nos attinet, terram habitamus, quae neque mari vicina eſt, neque negotiationibus gaudemus, neque earum cauſſa nobis conſuetudo cum aliis gentibus eſt.* Multa praeterea fuiſſe addit IOSEPHVS, quae Iudaeos negotiari cum aliis gentibus prohibuerint, veluti agri bonitatem vbertatemque eximiam, pietatis liberorumque recte educandorum ſtudium, diuerſam denique a reliquis gentibus viuendi rationem, & ſi qua ſunt eiuſdem generis alia. Attamen ſi dicendum, quod res eſt, haec omnia magis comparate, quam abſolute, accipienda eſſe, arbitramur. Neque enim nulla fuerunt Hebraeorum cum Phoenicibus, Aegyptiis;

(p) Thucydid. *Hiſtor. Lib. I. p. 4.*

(q) Philoſtr. *vit. Apollon. Tyan. Lib. II. Cap. XXVIIII.*

(r) Eu. Feith. *Antiqu. Hom. Lib. II. Cap. VIII.* Olear. *ad Philoſtr.* p. 81.

(s) Strabo Geogr. *Lib. VII.* p. 460.

(t) Bochart. *Phaleg. Lib. III. Cap.* VIIII.

(u) Schilter *Diſſ. I. de iure hoſpit.* § VI.

(x) Ioſeph. *Lib. I. aduerſ. Apion. Cap. XII.*

ptiis, ipſiſque Ophiritis (y), gente Indica, commercia. Et quum praeterea eorum terrae quaedam proferrent, quibus exteri pretium ſtatuebant, vt balſamum & bitumen: eam lucrum faciendi occaſionem praetermiſiſſe Iudaeos, nec gentis ingenium, nec veterum credere nos patitur auctoritas.

§. VI.

An commercia ſemper libera eſſe oporteat? Grotii aliorumque ea de re ſententia.

Quum igitur ex iis, quae diximus, (§. IIII. ſequ.) an & quatenus neceſſaria ſint commercia, ſatis adpareat: nec difficile ſane erit iudicium, an ea ſemper libera eſſe oporteat? Adfirmant hoc GROTIVS (z), SIG. SCACCIA (a), P. MAC. NENY (b), & alii, idque ex ea potiſſimum ratione, quod non poſſit non liberum eſſe id omne, quo genus humanum carere nequeat. Hoc praecipue telo aduerſus Luſitanos vtitur GROTIVS, dum ſcribit: *Deus hoc ipſe per naturam loquitur, quum ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis ſuppeditari a natura non vult, artibus etiam aliis alias gentes vult excellere. Quo iſta? niſi quod voluit, mutua neceſſitate ac copia humanas foueri amicitias, ne ſinguli ſe putantes ſibi ipſis ſufficere, hoc ipſo redderentur inſociabiles. Nunc factum eſt, vt gens altera alterius ſuppleret inopiam, diuinae iuſtitiae inſtituto, vt eo modo, ſicut* PLINIVS (c) *dicit, quod genitum eſſet vſpiam, apud omnes natum diceretur. Poetas itaque canentes audimus* (d):

Nec vero terrae ferre omnes omnia poſſunt.

Item (e):

Excudent alii ſpirantia mollius aera:
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius, coelique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
(Hae tibi erunt artes) pacisque imponere morem.

Hoc igitur qui tollunt, illam laudatiſſimam tollunt humani generis ſocietatem: tollunt mutuas benefaciendi occaſiones, naturam denique ipſam violant. Haec GROTIVS, ſequutus, ex mea quidem ſententia, SENECAM (f), qui & ipſe maximis laudibus proſequitur ſum-

(y) I. *Reg.* VIIII. 16. *ſequ.*

(z) Grot. *de mari libero Cap. I. & de iure belli & pac. Lib. II. Cap. II.* §. *XIII. n.* 5.

(a) Sigiſm. Scacc. *de Commerc.* §. *I. quaeſt. I. n. XXXXVII.*

(b) P. Mac. Neny *dans la refutation* §. VII. *p.* 44. & §. *VI. p.* 39.

(c) Plin. *Panegyr. Cap.* XXVIIII.

(d) Virgil. *Georg. Lib. II. v.* 109.

(e) Idem *Aeneid. Lib.* VI. *v.* 448.

(f) Seneca *Natur. Quaeſt. Lib. V. Cap.* XVIII.

ſummum illud naturae beneficium, quod & vento gentes locis diſſipatas miſcuit, & ſua omnia in regiones ita deſcripſit, vt neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium: & alibi (g), adductis, quos ſupra laudauimus, poëtae Mantuani verſibus, ſubiicit: *Iſta*, inquit, *in regiones deſcripta ſunt, vt neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium, ſi inuicem alius ab alio aliquid peteret.* Talia & apud alios, veluti ARISTOTELEM (h), PHILONEM (i), EVRIPIDEM, (k) SENECAM tragoedum (l) legimus: quos duces ſequutus GROTIVS libera, nulliſque legibus circumſcribenda, nulla vi prohibenda eſſe ſtatuit commercia. Quin, quum qui in ſtatu naturali alterum iure ſuo vti non patitur, iuſto bello in ordinem cogi poſſit: inde porro collegit, non minus iuſtam arma corripiendi cauſſam habere eos, qui ab aliis negotiari prohibeantur. Iure enim Megarenſes bellum intuliſſe Athenienſibus, quippe conqueſtos apud PLVTARCHVM (m) & THVCYDIDEM (n), *πάσης μὲν ἀγορᾶς, πάντων δὲ λιμένων, ὧν Ἀθηναῖοι κρατοῦσιν, εἴργεσθαι καὶ ἀπελαύνεσθαι, παρὰ τὰ κοινὰ δίκαια καὶ τοὺς γεγενομένους ὅρκους τοῖς Ἕλλησιν, ſe praeter ius gentium & iusiurandum, inter Graecos datum, omnibus emporiis, omnibuſque portubus, quas obtinerent Athenienſes, arceri & prohiberi.* Nec minus celebre eſſe bellum inter Venetos & Bononienſes, quod ob turbatam tantum commerciorum libertatem exarſiſſe, referat CAR. SIGONIVS (o).

§. VII.

Eam non ſatis firmo talo ſtare demonſtratur.

Haec eſt illa GROTII, aliorumque, qui eius veſtigia legunt, philoſophia de libertate commerciorum. Sed quamuis illa, ſi de commerciis generatim quaeritur, veriſſima ſit, & omnino generis humani intereſſe videatur, illorum libertatem inter homines ſaluam eſſe: tamen inter ipſos Belgas, libertatis iſtius vindices acerrimos, iam pridem viri quidam docti obſeruarunt (p), illa omnia, quod ad ſingulas gentes attinet, nimis laxe, nimiſque liberaliter pronunciari. Sane enim nimio cauſſae, quam tuetur, ſtudio ac feruore diſputandi eo abripitur vir doctiſſimus, vt hanc

 liber

(g) Idem *Epiſt.* LXXXVII.

(h) Ariſtot. *ad Nicom. Lib. V. Cap.* VIII. *Polit. Lib. I. Cap.* VI.

(i) Philo *legat. ad Caium Imp. p.* 998.

(k) Euripid. *ſupplic. v.* 209. *ſequ.*

(l) Seneca *Herc. fur. v.* 49.

(m) Plutarch. *in Pericle p.* 168.

(n) Thucydid. *Lib. I. p.* 92.

(o) Car. Sigon. *de reb. Ital. Lib. vlt.*

(p) Io. Fridr. Gronou. *Not. ad Grot. de iure belli & pac. Lib. II. Cap. II.* §. XIII. *n. V.* Barbeyrac *dans la défenſe du droit de la Compagnie Hollandoiſe Chap.* IIII. §. *III. p.* 18.

libertatem veluti inalienabilem ac nulli mutationi obnoxiam eſſe, ſtatuat, eamque vllo pacto vel lege coerceri poſſe, omnino neget. Ita ſane ille ſubducit rationes, vbi ex inſtituto demonſtrare nititur, mercaturam inter quosuis iure gentium liberam eſſe oportere. *Oportet*, inquit, *negotiationem communem eſſe iure gentium, non tantum* PRIVATIVE, *ſed &* POSITIVE, *vt dicunt magiſtri, ſiue* ADFIRMATIVE. *Quae autem illo modo ſunt iuris gentium, mutari poſſunt: quae hoc modo*, NON POSSVNT (q). Et extremo eodem capite: *Commercandi libertas ex iure eſt primario gentium, quod naturalem & perpetuam cauſſam habet, ideoque* TOLLI NON POTEST, *&, ſi poſſet, non tamen poſſet, niſi* COMMVNI OMNIVM GENTIVM CONSENSV: *tantum abeſt, vt vllo modo gens aliqua gentes duas, inter ſe contrahere volentes, iuſte impedire poſſit.* Si vero ea, quae ſupra diſſeruimus, (§. IIII. & V.) paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, expenderis: facile animaduertes, GROTIVM hic eſſe ſui quodammodo diſſimilem, nec ad libellum iſtum adornandum eum attuliſſe animum, quem prae ſe fert alibi, dum ſcribit (r): *Vere profiteor, ſicut mathematici figuras, a corpore ſemotas, conſiderant, ita me in iure tractando ab omni ſingulari facto abduxiſſe animum.* Eſt ea libertatis natura ac indoles, vt, ſi nullius, quam qui illa fruitur, intereſt, a quolibet abdicari, eique renunciari omnino poſſit (s). Quum ergo nullius interſit, commercia eſſe libera, quam ipſorum commercantium, vtilitatemque inde ſentiat, vel qui

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare, pauperiem fugiens:

vel gens, cui ob ſoli ſterilitatem idem expedit, quod olim Athenienſibus, πολλὺς καλαπλεῖν ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν, *vt in Atticam nauigarent quam plurimi* (t): quis dubitet, quin vtriſque liceat inſuper habere vtilitatem ſuam, libertatique illi vel modum ſtatuere, vel plane mittere nuncium? Sic ſane nemo ius gentium violaſſe dixerit Scythas & Sarmatas, dum nec aliarum gentium delicias & opes concupiſcerent, nec ipſi pelles ſuas communicarent cum aliis, ſed ipſi illis ad expellendum frigus vterentur (u). Nec magis id iure exprobrari poteſt Sueuis & Neruiis, quorum illos vinum ad ſe importari non ſiuiſſe (x), hos mercatoribus nullum plane

(q) Grot. *de libert. mar. Cap.* VIII.

(r) Grot. *proleg. iur. bell. & pac.* §. LVIII.

(s) *l. 29. D. de pact.*

(t) Theophil. *Paraphraſ.* §. *I. Inſt. de iure nat. gent. & ciu.*

(u) Iuſtin. *Hiſt. Lib. II. Cap. II.*

(x) Caeſar *de bello Gall. Lib. IIII. Cap. II.*

plane aditum ad ſe dediſſe, refert CAESAR (y). Illud quoque ſatis abſonum eſt, quod vir doctiſſimus eam renunciationem non niſi communi gentium conſenſu fieri poſſe contendit. Quemadmodum enim ille gentium conſenſus ius gentium non conſtituit: (z) ita nec eodem opus eſt illi, qui libertati, iure gentium conceſſae, renunciat. Quum ergo ipſa commercandi libertas in dubium vocari non poſſit, & nihil tamen impediat, quo minus abdicari, & arctioribus limitibus circumſcribatur: quouſque porrigenda ſit illa libertas, paullo diſtinctius erit explicandum.

§. VIII.

Libertas commercandi qualis eſſe debeat inter ciues eiuſdem reipublicae?

Omnis negotiatio, ceu iam ſupra vidimus, (§. IIII.) vel inter eiuſdem reipublicae ciues, vel inter gentes diuerſas, communique imperio non ſubiectas, inſtituitur. Priore caſu illam libertatem facile tolli non poſſe, vel inde patet, quod commercia ciuibus ſint neceſſaria, iiſque ſublatis illi rebus quamplurimis neceſſariis eſſent cariturí. (§. IIII.) At quum tamen non omnia perinde neceſſaria, quaedam etiam ciuibus noxia potius, quam vtilia ſint: ea ſane cura ad rectores cuiuſuis reipublicae pertinet, vt, quid in commercio eſſe, vel non eſſe debeat, legibus definiatur. Eoque ſaepenumero contingit, vt legibus ciuilibus arctioribus limitibus circumſcribatur quotidianum illud inter ciues commercium, quam iure gentium. Neque quemquam tam iniquum rerum aeſtimatorem fore arbitror, vel huiuſmodi leges iniquas eſſe, cenſeat. Qui enim in communem rempublicam coaluerunt, ciues ita voluntatem ſuam ſubmiſerunt ſummo imperio, vt, qui illud tenent libertati ciuium naturali eatenus modum ſtatuere poſſint, quatenus id exigit ſalus populi ac reipublicae. Quidni ergo imperantibus liceat, & ciuium dirigere commercia, iiſque leges, prout e republica videatur, praeſcribere? Et quis, quaeſo, hanc facultatem dirigendi commercia ad iura maieſtatis pertinere neget? (a) Permultum profecto intereſt reipublicae, florere commercia: at non minus intereſt, ea ita florere, ne cum ſummo reipublicae detrimento ipſorumque ciuium pernicie coniuncta ſint. Hoc vero quum triplici potiſſimum ratione contingat, primum, ſi omnibus promiſcue ſit negotiandi licentia: deinde, ſi res omnes ſine diſcrimine in commercio ſint: poſtremo, ſi negotio non eo modo,

 quem

(y) Idem *ibid. Lib. II. Cap. XV.*

(z) Celeb. Praeſid. *Elem. iur. nat. & gent. Lib. I.* §. LXXI.

(a) Caſp. Ziegler *de iur. maieſt. Lib. I. Cap.* XXXXI.

quem iuſtitia prudentiaque praeſcribit, inſtituatur: in his omnibus cura ſollicitudoque principis tanto magis eſt neceſſaria, quanto ea in re peccatur periculoſius, quantoque certius eſt, quod obſeruauit vir recti iudicii, CASP. ZIEGLERVS (b), *tam ingenioſe & ſubtiliter plerumque damnum a negotiatoribus dari, vt illud non prius perſentiſcat respublica, quam vbi in immenſum iſtud excreuerit, & iam deſperata ſint remedia.* Cuius rei triſte ſane experimentum noſtra memoria dedit Europa, inuento a quibusdam modo, teſſeras chartaceas, quas vocabant *Actien*, parata pecunia vendendi, &, ne nihil vendidiſſe viderentur, ſparſo rumore mendaciſſimo de aureis Miſiſippae montibus tam immenſum pretium chartulis illis conciliandi, vt homines pecunioſi, veluti peſtilenti quodam ſidere adflati, de illis redimendis inter ſe contenderent. Ita ſpes pretio emebatur, hominesque, emuncti pecunia, ad incitas redigebantur: quin tanta cum potentiſſimorum regnorum ciuitatumque clade coniuncta erat breuis illa inſania, vt ne ipſa quidem Salus illas potuiſſet ſeruare, ſi illis, qui hanc ſcenam ita inſtruxerant, diutius frui hoc ſtupore hominum, eosque ex inſanis furioſos reddere licuiſſet. Si ergo, quod inter omnes conſtare arbitror, principum eſt, dare operam, ne quid reſpublica detrimenti capiat, maximo vero detrimento illi eſſe poſſit promiſcua commercandi licentia: nemo ſane negauerit, iisdem ius eſſe, commercia ad curam ſollicitudinemque ſuam reuocandi, iisque talem ſtatuendi modum, qualem reipublicae ſuae intellexerint eſſe ſaluberrimum futurum.

§. VIIII.

Princeps quibusdam ius negotiandi dare ac adimere poteſt.

Primum ad ſummorum imperantium curam hoc pertinere diximus, vt, quibus in ciuitate perſonis negotiandi libertas concedenda adimendaue ſit, prudenter diſpiciant. (§. VIII.) Quamuis enim quibusdam reipublicae vel maxime expedire videatur, omnibus promiſcue licere negotiari, & GROTIVS (c) eo trahat illud HESIODI (d): ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι· *Bona lis mortalibus haec eſt*: male tamen conſuleretur reipublicae, ſi ciues omnes ad quaeſtum mercatura faciendum animum adpellerent. Primo enim ita non futura eſſet eorum copia, qui capeſſerent rempublicam, qui docendi munere fungerentur, qui ſectarentur militiam, & pro patriae ſecuritate ſub pellibus excubarent. Deinde fieri non poſſet,

(b) Ziegler *de iur. maieſt. ibid.*
(c) Grot. *de mari libero Cap. XII.*
(d) Heſiodi *Opera & dies v. 24.*

ſet, quin ipſa negotiantium multitudo mercaturam parum lucroſam redderet. Quod enim agris contingere animaduertimus, vt, ſi pleniore, quam par eſt, manu ſementem facias, aruum ipſa ſegete maceſcat, tantoque minor ſit prouentus, quanto plus ſeminis ſparſeris: idem in mercatura fieri docet experientia, quippe quam ipſa ſaepe commercantium multitudo euertit. Praeterea reip. ſalus aliquando non patitur, vt inter ciues eiuſdem quidem imperii, at diuerſarum prouinciarum, commercia permittantur, ſi nimirum prouinciales, victi potius, quam perdomiti, nouis rebus ſtudere videantur, ac proinde periculum ſit, ne ſub commerciorum obtentu aduerſus imperantem vel rempublicam coniurent. Sic ſane inter leges, quas L. Aemilius Paullus victis a ſe Macedonibus dediſſe fertur, & haec fuit, teſte LIVIO (e), *vt, quum in quatuor regiones deſcripſiſſet vniuerſam Macedoniam, nulli connubium, agrorumque & aedificiorum commercium extra fines regionis ſuae eſſet, neue ſale inuecto vterentur.* At non minus incommoda rebuſpublicis eſſe ſolet tum mercatorum, tum opificum, quos mercatura nutrit, paucitas, quippe quae facile degenerat in monopolium. Quemadmodum enim pauci ex compacto omnia agunt, tamquam in velabro olearii (f), & inter eos facile conuenit, vt merces ſupra pretium vendantur, ne maior importetur copia, eaque, quae in promtu eſt, clam habeatur, donec ipſa raritas pretium intendat: ita non poteſt non inde naſci monopolium, vt tota reſpublica vel vnius hominis, aliquando ſordidiſſimi, vel ſocietatis cuiuſdam exactionibus exponatur, iique homines, vt LYSIAS (g) conqueritur, non modo belli temporibus ciuibus vna cum hoſte inſidientur, ſed & in pace eoſdem turpiter diripiant. vt vero primum, quod e mercatorum multitudine oritur, vitium *polypolium*, alterum, quod ex eorumdem paucitate, *monopolium* adpellatur: ita non minus plerumque noxium eſt *propolium*, ſi qui merces praeſtinare poſſunt minore pretio, mox tanto maiore illas vendituri. Sunt hae ſane tres commerciorum peſtes (h), quibus niſi in tempore medicina paretur, ilicet actum eſt. Quis vero remedium his malis inueniat, praeter Principes, rectoreſque reipublicae? Horum ergo eſt, ſtatuere, quibuſnam in ciuitate permitti mercaturam oporteat, coërcere nimiam negotiantium multitudinem, ſi pauciores illi rei ſtudeant, plures, propoſitis prae-

(e) Liu. *Lib. XXXXV. Cap. XXX.*

(f) Eraſm. *Adag. Chiliad. III. Cent. VII. adag.* LXXX.

(g) Lyſias *Orat. XXI. contra frumentar. p.* 360.

(h) Hert. *Elem. polit. Part. II. ſect. XI.* §. III.

miis, priuilegiis, immunitatibus, vel inſtitutis ſocietatibus, ad excolenda commercia incitare, monopolia & propolia veterum principum exemplo (i) prohibere, iis, qui aduerſus leges negotiantur, vel doli & fraudis comperti ſunt, foro interdicere (k), reliquos, qui hanc operam reipublicae grauiter & incorrupta fide nauant, fouere ac defendere. Quod principis officium tanti viſum eſt Theophilo Imperatori, vt quum auguſtam coniugem quaeſtum mercatura maritima facere intellexiſſet, nauem eius, ſimul ac in portu adpuliſſet, cum ipſis, quibus onuſta erat, mercibus comburi iuſſerit, indignum hoc eſſe facinus, clamitans, quod, quum a Deo ad ſummum inter homines faſtigium euectus ſit, per vxorem nauclerus fiat (l).

§. X.

Idem definire poteſt, quae res in commercio eſſe debeant.

Deinde & in eo non minus vertitur reipublicae vtilitas, vt res non omnes promiſcue ſint in commercio ciuium. (§. VIII.) Ideoque & hoc iuſtiſſimam cauſſam praebere poteſt principi, cur commercandi libertatem arctioribus finibus circumſcribendam eſſe exiſtimet. Sunt ſane quaedam merces ita comparatae, vt vel ciuium ſanitati noceant, vel eoſdem ad ocium, luxum, aliaque vitia, quae in dedecus publicum vergere ſolent, pellicere poſſint: quas ſi quis promiſcue in ciuium commercio eſſe debere ſtatuerit, nae is, ex mea ſententia, & occidendi corrumpendique licentiam nemini adimendam eſſe ſtatuet. At iura noſtra venire recte vetant mala venena, quae adiectione alterius materiae nullo modo uſui eſſe poſſint (m). Quin & illa, quae aliis mixta materiis nocendi naturam exuunt, & ex quibus antidota aliaque ſalubria medicamenta conficiuntur, non niſi cum ſumma circumſpectione venalia eſſe patiuntur leges (n), iiſque, qui incautius talia diſtraxerint, poenam merito comminantur. Et quotuſquiſque ignorat, quam ſeuera lege nuper ſupremum Regis regnique Britannici ordinum concilium liquorum quorumdam venditionem prohibuerit, & quem in furorem ſaluberrima iſta conſtitutio egerit faecem hominum, ſuaui illi inſaniae iam pridem adſuetam. Quis vero vitio vertat bono Principi, ſi earum rerum commercium adimat ciuibus, quas hi, ſi mens non laeua eſſet, vltro & ſine lege cane peius

(i) *l. vn. C. de monopol. & conu. negot. illicit. Can.* 109. *Cauſſ. XIIII. qu.* IIII.

(k) *l.* 9. *§.* 9. 10. *D. de poen. l.* 1. §. 13. *D. de offic. praef. vrb.* Caſſiodor. *Var. Lib.* VIIII. *Cap.* V.

(l) Zonar. *Annal. Tomo III. fol.* 146.

(m) *l.* 35. §. 2. *D. de contrah. emt.*

(n) *Conſtitutio crimin. Caroli V. Imp. Art.* XXXVII. *& ibi interpretes.*

peius & angue fugerent ? Eodem iure ille reſtringit commercium earum rerum, quarum vſum, vel ſibi ſoli reſeruauit, vel reipublicae. Sic, quum apud Romanos purpura Auguſtis propria & ſummi imperii *παράσημον* eſſet: merito ſeueriſſima lege prohibuerant Imperatores, ne quis priuatorum conficeret purpuram, eamue venalem aut domi haberet (o). Et quamuis forte nimis rigida videri poſſit capitis poena, quam GRATIANVS, VALENTINIANVS & THEODOSIANVS AAA. legis iſtius transgreſſoribus interminantur: paullo minus tamen hanc ſeueritatem mirabuntur ii, qui ſeditioſos potiſſimum ciues purpura abuſos eſſe, eamque ideo detraxiſſe ſignis militaribus, non ignorauerint (p). Sic & frumentum publici canonis, populi Romani exercituſque vſibus deſtinatum, propoſita proſcriptionis, publicationiſque bonorum, immo & capitali poena, prohiberi animaduertimus ab ARCADIO & HONORIO Imperatoribus (q), quia vel maxime expediebat reipublicae, populum exercitumque non agere ferias eſuriales, ipſaque fame atque inopia ad ſeditionem conſternari (r). Quum porro incidere poſſint tempora, quibus periculoſum ſit ciues habere armatos, & illos maxime, qui nuper demum perdomiti, omnes occaſiones iugum excutiendi ſpeculantur: *non raro ciuibus cum armorum, tum ipſius ferri, vſu ac commercio interdictum eſſe, animaduertimus* (s): eoque pertinet etiam lex IVSTINIANI Imperatoris, (t) qua arma priuatis venire prohibuit, ſupplicium fabricenſibus, ea non inferentibus armamentariis publicis, emtoribus vero publicationem mercimonii interminatus. Talem enim legem tempora exegiſſe, vel inde colligimus, quod olim priuati arma promercii cauſſa habere nulla lege prohiberentur (u). Quae quidem omnia nos exempli tantum cauſſa adduximus, vt oſtenderemus, multas eſſe poſſe rationes, quae moueant bonum Principem, ne ciuibus liberum rerum omnium commercium concedat, ſed quaſdam venire plane vetet, quaſdam, non niſi certis adhibitis cautionibus, venum proſtare patiatur.

§. XI.

(o) *l.* 1. *C. quae res ven. non poſſ.* Iul. Caeſ. Bulenger. *Imperat. Rom. Lib. II. Cap. IIII.*

(p) Lindenbrog. & Hadr. Valeſ. *ad Ammian. Marcellin. Lib. XV. Cap. V. p.* 63.

(q) *l.* 3. *l.* 4. *C. quae res ven. non poſſ.*

(r) Boecl. *Diſſ. de annona ſub Imperatoribus Tom. II. p.* 512.

(s) 1. *Sam.* XIII. 22. *Plin. Hiſt. nat. Lib.* XXXIIII. *Cap.* XIIII. Flor. *rer. Rom. Lib. II. Cap.* III. *&* XVIII.

(t) *Nouell.* LXXXV.

(u) *l.* 2. *D. ad leg. Iul. de vi publica*

§. XI.

Nec non ipſis commerciis certum modum praeſcribere.

Denique & ipſum commercandi modum formamque legibus, accurate ac diligenter ſcriptis, temperari, aliquando e republica eſt. (§. VIII.) Quum enim, qui dies noctesque de lucro faciendo cogitant, eo demum prolabi ſoleant, vt nec fidei nec iuſtitiae vllam amplius rationem habeant, & hinc SYRACIDES (x), vir ſapientiſſimus, iam pridem obſeruarit, *ἀναμέσον ἁρμῶν λίθων παγήσεται πάσσαλον, καὶ ἀναμέσον πράσεως καὶ ἀγορασμοῦ συντριβήσεται ἁμαρτία*, *ſicuti clauus inter duos lapides, ita peccatum inter emtionem venditionemque fixum eſſe :* ad officium Principum pertinet, leges ferre de contractibus, iiſque hunc modum imponere, ne alteruter defraudetur contrahentium, damnumque ullum ex alterius calliditate ſentiat. Ne hic quoque deſit exemplum, tale adferre iuuabit, idque belliſſimum, cuius in marmore apud GRVTERVM (y) ſeruata eſt memoria. Mos Romae inoleuerat, vt carnes in macellis non ad trutinam, ſed per micationem digitorum venderentur. Micatio vero erat ſortitionis genus, quo per digitos, ab vtroque ſubito proiectos, ad liquidum perducebatur, venditorne emtoris, an hic illius numerum atque aeſtimationem ſequi deberet (z). Hinc VARRO apud NONIVM MARCELL. (a) *Micandum erit cum Graeco, vtrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur.* Et ſane hic ſortiendi modus apud veteres erat frequentiſſimus, adeo vt NONNVS non modo in *Dionyſiacis* (b) Cupidinem & Hymenaeum micando inter ſe contendiſſe fingat, verum etiam in *Paraphraſi euangelii S. Ioannis* (c) ſortitionem ſuper tunica Chriſti inconſutili micando factam eſſe, credat, ac milites proinde ita loquentes inducat :

Ἀλλ᾽ ὑπὲρ αὐτοῦ
Δάκτυλα χειρὸς ἀφέντες, ἑκήβολα σύμβολα νίκης,
Λαχμῷ πάντες ἴδοιμεν ἀθηρέτῳ, τίνος ἔσαι.

Sed ſuper illa
Digitos manus iacientes, procul iacta ſigna victoriae,
Sorte omnes videamus, contentionis expertes, cuius futura ſit.

Quemadmodum ergo hoc micandi ritu veteres plerumque in ſponſionibus,

(x) *Syracid. XXVII. 2.*

(y) Gruter. *Inſcript. p. DCCXXXXVII.* 6.

(z) Eraſm. *Adag. Chiliad.* I. *Cent.* VIII. *adag.* XXIII.

(a) Non. Marcell. *de propriet. ſerm. Cap.* IIII. *n.* 303. *edit. Dionyſ. Gothofr.*

(b) Nonn. *Dionyſ. Lib.* XXXIII. *v.* 77. *ſequ.*

(c) Idem *Paraphr. euangel. Ioann.* XVIIII. 24.

ſionibus, diuiſionibus, certaminibus, aliisque, quae aleam continere videbantur, negotiis vti ſolebant: ita eodem ſortiendi ritu pecora & carnes in macellis venibant, non ſine alterutrius contrahentis laeſione. Quia vero teſte VLPIANO (d), *cura carnis omnis, vt iuſto pretio praeberetur, ad curam praefecturae vrbanae pertinebat, & ideo & forum ſuarium ſub ipſius cura erat, ſed & ceterorum pecorum, ſiue armentorum, quae ad huiusmodi praebitionem ſpectant, fora ad ipſius curam pertinebant*: Turcius Apronianus, Praefectus vrbi anno erae Chriſtianae CCCXXXVIIII. (e) hunc carnes diſtrahendi modum edicto elegantiſſimo aboleuit, cuius partem e marmore huc transferre haud pigebit:

EX Φ AVCTORITATE TVRCI APRONIANI
V. C. PRAEFECTI VRBIS.

RATIO DOCVIT, VTILITATE SVADENTE, CONSVETVDINE MICANDI SVBLATA, SVB EXAGIO POTIVS PECORA VENDERE, QVAM DIGITIS CONLVCENTIBVS TRADERE, VT ADPENSO PECORE, CAPITE, PEDIBVS ET SEVO LACTANTE ET SVBIVGVLARI LANIO CEDENTIBVS, RELIQVA CARO CVM PELLE ET INTERANEIS PROFICIAT VENDITORI SVB CONSPECTV PVBLICO, FIDE PONDERIS COMPROBATA, VT, QVANTVM CARO PECORIS OCCISI ADPENDAT, ET EMTOR NORIT, ET VENDITOR. Cui edicto, paucis interiectis, ſanctio haec poenalis ſub finem ſubiungitur: QVAE FORMA INTERDICTI & DISPOSITIONIS SVB GLADII PERICVLO PERPETVO CVSTODIENDA MANDATVR. Habes elegans exemplum certae formae, venditioni carnis ac pecorum praeſcriptae, quam generali conſtitutione ratam poſtea habuit VALENTINIANVS Imperator (f): vt adeo dignum videatur hoc quantiuis pretii monimentum, cuius quaedam verba a nobis illuſtrentur. AVCTORITAS hic idem eſt ac edictum, quod ſub finem etiam FORMA INTERDICTI & DISPOSITIONIS adpellatur, vocabulo cum in illius aeui ſcriptoribus (g), tum in ipſo iure noſtro (h), paſſim obuiis. Pro DIGITIS CONLVCENTIBVS aliqui legi mallent *conludentibus*, ſed nulla vrgente neceſſitate. *Collucere* enim veteribus idem fuit, ac *micare*. GLOSSA VETVS (i): *Micat*,

(d) *l.* 1. §. 11. *D. de offic. praef. vrb.*

(e) De eo videndi Ammian. Marcellin. *Lib.* XXIII. *Cap.* I. Almeloueen *Faſt. conſular.* *p.* 306. & Lud. Ant. Muratorius *Anecdot. Tom.* I. vbi vitam Turcii Aproniani accuratiſſime deſcripſit.

(f) *l.* 4. *C. Theod. de ſuariis.*

(g) Vid. Iuret. *ad Symmach. Lib.* III. *Epiſt.* LXVIIII.

(h) *l.* 9. *C. de aquaed. l.* 3. *C. de edendo. l.* 10. *C. Gregor. de pact. & tranſact. l.* 19. *C. de annon.*

(i) Henr. Steph. *Theſaur. Graec. Tomo* VII. *p.* 238.

Micat, λαγχάνει, λάμπει, *id eſt*, *ſortitur*, *lucet*. Porro EXAGIVM eſt trutina (k), ἀπὸ τοῦ ἐξαγιάζειν, quod idem eſt, ac *examinare vel perpendere*. Quod de VENDITORE in hoc edicto dicitur, id ad *emtorem* manifeſto pertinet: ſed haec vocabula ſaepenumero & in iure noſtro vel confundi, vel promiſcue vſurpari, exemplis quamplurimis demonſtrarunt IAC. CVIACIVS (l) & RAD. FORNERIVS (m). Ceterum ſupplicii atrocitas eo minus cuiquam mira videbitur, quo notior eſt Romanorum, qui tum viuebant, peruicacia, ad tantas quippe ſordes prolapſa ciuitate, rerum olim domina, vt eam ex AMMIAN. MARCELLINI (n) iudicio *ne Epimenides quidem Cretenſis, ſi fabularum ritu ab inferis excitatus rediſſet, ſolus purgare ſuffeciſſet.* Non ſufficientibus autem poenis leuioribus, acrioribus opus eſſe, nemo negauerit. Sic vel hoc exemplum demonſtrat, circa commercandi formam & modum permulta incidere poſſe, quae legibus emendanda videantur, qualia & hodie incidere animaduertimus quotidie, veluti, quae ad rem collybiſticam, pecuniae valorem, calculum vſurarium, contractus adſecurationis, bodmeriae, auariam, ſimiliaque negotia pertinent, quae legibus prudenter definienda eſſe, neminem inficias iturum, arbitramur.

§. XII.

Ceſſat libertas commerciorum cum hoſtibus.

Quum ergo inter eiusdem reipublicae ciues tot ſint cauſſae, quae naturalem illam commercandi libertatem legibus coerceri ſuadeant: multo plures profecto erunt, cur Principes ciuium ſuorum commercia cum exteris vel lege prohibenda, vel arctioribus limitibus circumſcribenda exiſtiment. Gentes enim illae, quae cum ciuibus noſtris negotiantur, vel pacifice nobiſcum viuunt, vel iuſti hoſtes ſunt, vel ita colunt pacem, vt quamuis occaſionem belli ſpeculentur. Quod ad HOSTES attinet, cum iis omne ceſſare ſolet commercium, nec fieri profecto poteſt, vt cum illis negotiemur, quibuscum bellum gerimus, quum nec illis ad nos, nec nobis ad illos tutus acceſſus ſit, & perſonis captiuitas, rebus publicatio immineat, ſi in hoſtico deprehendantur. Quod adeo verum eſt, vt in ipſis belli indictionibus moneri ſoleant ciues, ne cum hoſtibus quidquam habeant commercii, ceu pluribus exemplis

(k) *Nouell. Theodoſii & Valentin. XXV.*
(l) Cuiac. *Lib.* XII. *Obſ. Cap. XXIII.*
(m) Rad. Forner. *Rer. quotid. Lib.* III. *Cap.* XXVIII. & *Lib.* IIII. *Cap.* VIIII.
(n) Ammian. Marcellin. *Lib.* XXVIII. *Cap.* IIII.

plis probat vir illuſtris, CORN. VAN BYNKERSHOEK (o). Fieri equidem aliquando ſolet, vt & ingruente bello commerciorum libertati pactionibus conſulatur, cuius rei exempla itidem collegit vir ille eximius : ſed tunc quoque illam libertatem non pertinere ad merces, quibus hoſtis fiat inſtructior ad bellum perſequendum, veluti ad arma, tormenta, puluerem nitratum, equos, eorumque adparatum, res ipſa docet. Quin ea de re eo minus dubitandum eſt, quo magis conſtat, flagrante inter duas gentes bello, ne ciuitatibus quidem in bello mediis licere alterutri hoſti talia ſuppeditare, quibus aduerſus alteram partem fiat validior (p). Quamuis enim hoc ius temperandum exiſtimet GROTIVS (q), ſi gentes amicae aliquid faciant, *quo is fiat validior, qui* IMPROBAM *foueat* CAVSSAM, *aut quo* IVSTVM *gerentis* BELLVM *motus impediantur*: eam tamen limitationem recte reiicit laudatus BYNKERSHOEKIVS. (r) Quis enim tantum indulgeat genti amicae, vt de bellorum iuſtitia iniuſtitiaque veluti ex tripode pronunciet ? Et quis iudex ſedebit, ſi gens, quae bellum gerit, naues & res gentis amicae, hoſti ſubuehendas, ideo interceperit, quod ſe iuſtam cauſſam armis tueri contendat ? Ius ergo illud impediendi gentes amicas, quo minus hoſtibus res neceſſarias ſubuehant, non ex iuſtitia iniuſtitiaque belli, ſed ex ipſis legibus amicitiae naſcitur, quae non permittunt, vt gens amica *bello ſe interponat*, vti loquitur LIVIVS, (s) alterique belligerantium offerat arma, quae in alterius iugulo defigat. Sed vt iam ad ciues cum hoſtibus negotiantes reuertamur : iam olim Romae capitale erat, arma, ferrum, frumenta, ſalem, hoſtibus vendere (t). Poſtea, mutata bellandi ratione, prohibitio illa ad plures res, quibus hoſtis redderetur inſtructior, prolata eſt, veluti ad vaginas, baltheos, ocreas, herbam Nicotianam, & ſimilia, de quibus conſulendi ZOVCHEVS (u) & PETR. BELLVS (x). Magnum ſane aliquando momentum in bellis habent res etiam minimi momenti, ſi hoſtis laboret inopia, nec rerum iſtarum aliunde copia ſit. Saepe vrbes munitiſſimae ob herbae iſtius combuſtibilis vel vini aduſti inopiam deditionem fecerunt,

(o) Bynkershoek *Quaeſt. iur. publ.* Lib. I. Cap. III.

(p) Vid. Cel. Dom. Praeſidis inſignis Diſſ. *de nauibus ob merc. illicit. vecturam commiſſis.*

(q) Grot. *de iure belli & pac.* Lib. II. Cap. XVII. §. III.

(r) Corn. van Bynkersh. *ibid.* Lib. I. Cap. VIIII. *p. 69.*

(s) Liu. *Lib. XXXV.* C. *XXXXVIII.*

(t) *l. 11. D. de public. & vectig.*

(u) Zouch. *de iure feciali. Part. II. ſect. VIII. quaeſt.* VIII. *ſequ.*

(x) Petrin. Bell. *de re milit. Part.* VIIII. *n. 26. ſequ.*

cerunt, & famem facilius tolerare militem praeſidiarium, quam rerum illarum deſiderium, multis exemplis compertum eſt. Quis ergo neget, tum ciues, tum exteros male mereri de republica, qui talia ſuppeditent hoſtibus noſtris, ſine quibus facile adigi ad deditionem potuiſſent? Adeo verum eſt, belli temporibus commercia non modo inter hoſtes ceſſare, verum etiam amicis & neutrarum partium gentibus non promiſcue permitti negotiationem cum hoſtibus, niſi ſibi hae ſecuritatem a belligerante vtroque ſtipulentur: qualia exempla ex ZENTGRAFIO (y) & monimentis patriis attulit illuſtris VAN BYNCKERSHOEK (z).

§. XIII.

Cum gentibus dubiae amicitiae eſt admodum reſtricta eſſe ſolent.

Sunt praeterea gentes, quibuſcum nobis numquam firma ac ſtabilis amicitia, ſed aut pax infida, aut bellum, aut belli praeparatio eſt. Tales olim Romanis videbantur omnes barbari, quibus orbis Romanus, tamquam indagine, circumdabatur, maxime quum quorumdam *tanta eſſet barbaries, vt pacem non intelligerent*, ceu de Illyriis ait FLORVS (a). Cum his negotiantibus duo potiſſimum cauenda eſſe videbantur: primum ne quid eorum, quibus Romanis viribus pares fierent, ſubueheretur, qualia erant arma (b) & aurum (c), ſub quo & argentum comprehendi, ſtatuit BENEV. STRACCHA (d): alterum ne quidquam earum rerum cum illis communicaretur, quarum admiratione ad nouas in orbe Romano ſedes quaerendas pellici poſſe viderentur. Quo pertinet inſignis VALENTIS & GRATIANI conſtitutio (e): *Ad barbaricum tranſuehendi vini, olei, & liquaminis, nullam quiſquam habeat facultatem, nec guſtus quidem cauſſa, aut vſus commerciorum.* Romanis enim praeter vinum, quod palatum per ſe ſollicitare ſolet, nihil magis erat ad guſtum, quam oleum & liquamen. Et oleum quidem quid ſit, nemo ignorat. *Liquamen* autem, quod & *garum* vocabant (f), nihil erat aliud, quam muria, ex ſanie piſcium, veluti ſcombrorum vel thynnorum, ſale maceratorum confecta, de quo menſarum Romanarum condimento praeter PLINIVM (g), alioſque

(y) Zentgraf. *de orig. verit. & oblig. iur. gent. Art.* VII. §. VIII. *p.* 296. *ſequ.*

(z) Bynckersh. *ibid. Lib.* I. *Cap. X. p.* 77.

(a) Flor. *rer. Rom. Lib.* IIII. *Cap.* XII.

(b) *l.* 2. *C. quae res export. non poſſ.*

(c) *l.* 2. *C. de commerc.*

(d) Straccha *de mercat. Part.* IIII. *n.* 15.

(e) *l.* 1. *C. quae export. non poſſ.*

(f) *l.* 3. *D. de penu leg.*

(g) Plin. *Hiſt. nat. Lib.* VIIII. *Cap.* XVII.

alioſque a BRISSONIO (h) excitatos auctores, legi meretur ille deliciarum Romanarum promus condus, APICIVS COELIVS (i), qui varios gari vel liquaminis emendandi modos fuſius deſcripſit. Ne vero barbaros, ſpecierum iſtarum ſuauitate illectos, cupido incederet, inuadendi Romanorum prouincias, in quibus res tam praeſtantes prouenirent: talia *ne guſtus quidem cauſſa*, nedum ad vſum commerciorum, ad eos transuehi patiebantur leges. Non facile equidem dixerim, an conſtitutionem hanc promulgantibus VALENTI & GRATIANO Auguſtis in animo fuerit exemplum Gallorum Senonum, quos LIVIVS (k) *dulcedine frugum, maximeque vini noua tum voluptate captos, Alpes tranſiſſe, agroſque ab Hetruſcis antea cultos poſſediſſe*, quin & *in Galliam vinum illiciendae gentis cauſſa inuexiſſe*, refert. At id tam certum eſt, quam quod certiſſimum, principes, huius conſtitutionis auctores, ea, quae multo poſt acciderunt, ceciniſſe vt vates. Proditum enim memoriae eſt, (l) Langobardos, quum a Narſete ſollicitati, diu ſatis dubitaſſent, an in Italiam irrumperent, demum ſubmiſſis Alboino Regi plurimis pomorum generibus, aliarumque rerum, quarum Italia ferax eſt, ſpeciebus illectos hanc expeditionem ſuſcepiſſe, neque prius poſuiſſe arma, quam prouinciam iſtam cultiſſimam totam ſub ſuam redegiſſent poteſtatem. Vtinam vero eadem cum circumſpectione cum Turcis & Sarracenis commercia inſtituiſſent poſteri! vtinam non ipſi Chriſtiani ſubuectis nauibus ac tormentis eos aduerſus Chriſtianos armaſſent! Staret adhuc & floreret imperium Byzantinum, ipſorum procul dubio Chriſtianorum artibus euerſum, neque iam maxima orbis pars barbarorum ſub iugo gemeret. Ceterum obſeruatu digniſſimum eſt, quod contrario plane inſtituto vtantur Hiſpani ad Americanos in officio continendos, & plurimum vini oleique Hiſpanici iis aduehant, non conceſſo vites & oleas habendi iure, vt eo magis neceſſarium illis videatur commercium cum Hiſpanis, iugumque eorum tanto aequiore ferant animo, quanto aegrius ferrent rerum tam praeſtantium deſiderium (m). Habes ergo nouas cauſſas, cur commercandi libertatem cum gentibus quibuſdam coërceri ſuadeant ciuilis prudentiae regulae, etiamſi bellum cum illis aperto Marte non geramus, immo potius illos vel ſociorum, vel ſubditorum loco habeamus.

 §. XIIII.

(h) Briſſon. *de verb. ſignificat. voce garum.*

(i) Apic. Coel. *de arte coquin. Lib. I. Cap.* VII. vbi addatur Mart. Liſter. *in Notis p.* 19. 198. 121.

(k) Liu. *Lib. V. Cap. XXXIII.*

(l) Paull. Warnefrid. *de geſt. Longob. Lib. II. Cap. V.*

(m) Larrea *Deciſ. Granat. XI. n.* 24.

78545

§. XIIII.

Immo & cum gentibus amicis commercia per foedera reſtringuntur.

Progredimur ad gentes amicas & pacificas, quibuſcum abſciſſe libera eſſe debere commercia, contendunt GROTIVS (n) & SIG. SCACCIA (o), eo in primis freti argumento, quod iam ſupra tetigimus, id quod ad conſeruandam generis humani ſocietatem ſit neceſſarium, id nulla ratione oportere prohiberi. Enimuero huic argumento, & ipſi ſupra ſatisfeciſſe videmur, (§. VII.) & idem iam pridem fecit CASP. ZIEGLERVS (p). Saepe enim contingere poſſe, docet experientia, vt principes ex iuſtiſſimis cauſſis vel hanc commercandi cum exteris libertatem adimant ciuibus, vel exterorum merces importare in prouincias ſuas prohibeant. Aut enim foedus nobis intercedit cum gente amica ac pacifica: aut nihil cum ea de commerciis pacti ſumus. Priore caſu tantum abeſt, vt ſemper nullis legibus circumſcripta ſit illa negotiandi libertas, vt potius plerumque foedera eiuſmodi eo fine percutiantur, ne gentes exterae commerciorum obtentu quiduis ſibi licere in alieno territorio exiſtiment. Hinc aliquando inter foederum leges fuit, ne gens extra certum promontorium promercii cauſſa nauigaret. Quale quid placuiſſe nouimus Romanis & Carthaginienſibus, quos inter ſe pactos eſſe refert POLYBIVS (q), τῦ καλῦ ἀκρωτηρίυ, Μασίας, Ταρσηίυ μὴ λῄζεσθαι ἐπέκεινα Ῥωμαίυς, μηδὲ ἐμπορεύεσθαι· *ne Romani vltra Pulcrum promontorium, Maſtiam & Tarſeium praedas agerent, vel mercaturam facerent.* A quo non admodum abludit foedus famoſiſſimum inter Hiſpanos & Luſitanos, quo orbem nauigabilem auctore pontifice Romano inter ſe partiti ſunt (r), nec non illud inter Romanos & Perſas (s), quo conuenerat, *ne quis vtrique imperio ſubiectus vltra Niſibin, Callinicum & Artaxatam emendi ſeu vendundi ſpecies cauſſa proficiſci auderet*, vbi & ratio redditur, *ne quis, quod nemini conueniat, alieni regni arcana ſcrutetur.* Aliquando foederatis libera conceditur nauigatio, ſed ea lege, vt naues nonniſi certo loco adpellant, nec alibi merces, quam in certo emporio, venum exponantur, qualem conditionem olim, teſte HERODOTO (t) exteris omnibus cum populo ſuo negotiantibus tulerat Amaſis, Rex Aegyptiorum, vt non ad aliud emporium, quam Naucratim, liber acceſſus

(n) Grot. *de mari lib. Cap. I. ſequ.*

(o) Scacc. *de Commerciis* §. *I. quaeſt. I. n.* XXXXVII.

(p) Ziegler. *de iurib. maieſt. Lib. I. Cap. XXXXI.* §. *XXIIII.*

(q) Polyb. *Lib. III. Hiſt. Cap. XXIIII.*

(r) Solorzan. *de iure Ind. Lib. I. Cap. VI.* & *Lib. II. Cap. XIIII.*

(s) *l. 4. C. de commerc. & mercat.*

(t) Herod. *Lib. II. Cap.* CLXXXVIII.

acceſſus eſſet, & qui alibi adpuliſſent, ii iurarent, eo ſe veniſſe inuitos, ventis compellentibus, & tunc nauigare liceret ad Canopium oſtium, vel, ſi id fieri non poſſet, onera fluuialibus nauigiis Naucratim portare. Nec hodie exemplo carent huiuſmodi foedera, notumque eſt, reges Indicos Europaeorum naues non vbiuis admittere, ſed in certis portubus, nec ipſos mercatores, vbicumque velint, ſed in certis tantum emporiis negotiari permittere (u). Exſtant foedera, quibus & certum iter exteris praeſcribitur, quale eſt illud Luſitanorum, cum Anglis percuſſum anno MDCLXXXXVI. quo ſibi ſtipulati ſunt Luſitani, ne Angli via recta nauigent in Braſiliam, ſed in itu redituque ad Portum Callenſem adpellant, vectigalque idem, quod Luſitani pendant. (x) Sed maxime frequens eſt illa pactio, ne certas merces exportare vel importare liceat exteris: quemadmodum de Sueuis & Neruiis ſupra vidimus, quod vinum ad ſe importari non ſiuerint, eius vſu animi corporisque vires elangueſcere rati, de Nabataeis vero refert STRABO (y), εἰσαγώγιμα ἐῖναι τὰ μὲν τελέως, τὰ δ᾽ ὐ παντελῶς. *Importare ad eos quasdam res licere, quasdam non item*: vt iam non dicam de foedere, quod anno MDCLXII. inter Hiſpanos & Anglos percuſſum, quoque cautum eſt, ne Hiſpani ex Anglia numos Anglicanos, vel lanam & terram fullonum; Angli ex Hiſpania aurum argentumue ſiue ſignatum, ſiue non ſignatum, exportarent (z). Talia pacta ac foedera, quantumuis libertati commercandi quodammodo inimica, religioſe tamen ſeruanda eſſe, quis, quaeſo, negauerit? Ex quibus ſimul patet, quam parum accurate GROTIVS (a) & ex parte PVFENDORFFIVS (b) commerciorum foedera accenſeant iis, quae parum, vel nihi ſuperaddant iuri naturali; quum iis commerciorum libertas magis plerumque reſtringatur, quam firmetur, & nulla omnino gens, vti ſupra demonſtrauimus, obligetur iure gentium ad promiſcuam commercandi licentiam reliquis concedendam, & ipſe GROTIVS alibi (c), *cuilibet liberum eſſe debere*, fateatur, *ſtatuere, quid velit adquirere, aut non.*

§. XV.

(u) Tauernier *Itinerar. Indic. Lib. I. Cap. I.*

(x) Maſcou. *Diſſ. de foed. commerc. §. XVII.*

(y) Strabo *Geogr. Lib. XVI. p.* 1130. *edit. nou.*

(z) Maſcou. *ibid.* §. *XVIII.*

(a) Grot. *de iure belli & pac. Lib. II. Cap. XV.* §. *V. n.* 3.

(b) Pufendorff. *de iure nat. & gent. Lib. VIII.* §. *II.*

(c) Grot. *de iure belli & pac. Lib. II. Cap. II.* §. *XX.*

XV.

Nullo extante foedere liberum est vnicuique genti, quid alteri concedere velit.

Sunt denique gentes, nullo vmquam foedere de commerciis mutuis inter ſe inſtituendis quidquam pactae, quibus adeo & nulla cum aliis negotiandi, exterorumque merces admittendi neceſſitas incumbit. Quemadmodum enim in cuiusuis patrisfamilias arbitrio poſitum eſſe animaduertimus emere ac vendere velit, nec ne, itemque, cum hoc, an cum alio, contrahere malit: ita multo magis cuiusque reip. ac ciuitatis eſt, ſtatuere, an, & quibuscum, commercia inſtituere, quas admittere merces, quibus ad ſe acceſſum denegare velit. Et ſane in eo maxima elucet imperantium prudentia, ſi prouinciis ſuis inferri non patiantur quasuis res futiles, ſuperfluas, ad ſolum luxum voluptatemque comparatas, niſi ciuibus ſuis tantum ſuperſit exportandarum mercium, vt eae importandarum pretium haud parum excedant. Niſi enim id fiat, nihil impedit, quo minus argentum e ciuitate noſtra paullatim migret ad exteros, adeoque veluti neruus incidatur reipublicae. Praeterea materiam rudem ab exteris exportari non patiuntur prudentiae ciuilis praecepta, quum ita interuertatur lucrum, quod ex ſpecierum elaboratione ac diſtractione tot ciues noſtri capere potuiſſent. Nemo profecto ignorat, quam tenues fuerint Britannorum opes, quamdiu lanam illam, quam eorum oues ferunt, praeſtantiſſimam ad Belgas exportari patiebantur, & quantum illis diuitiarum acceſſerit, ex quo, animaduerſo illo errore, ciues lanificio ac texturae adſuefacere coeperunt (d). Accedit, quod vulgus communi mortalium vitio, exterorum tantum bona mirari, ſua contemnere ſoleat, adeoque vitio id vertendum non ſit bono principi, ſi non faueat iſti ciuium ſuorum inſaniae, nec res illas ab exteris peti patiatur, quae domi, ſi non meliora, at non multo deteriora naſcuntur. Praeterquam enim, quod ita exteris non eſt occaſio, pecuniam intercipiendi, hoc interdicto non parum exacuitur ciuium induſtria, vt illa, quae patria producit, tanto magis curent, & colant eo diligentius, quanto maius inde lucrum ſperare iis licet, ſi exterorum merces ſuarum veluti luminibus non officiunt. Quae omnia profecto ita ſunt comparata, vt ea ipſa reipublicae ſalus, quae bono Principi pro ſuprema lege eſt, flagitet, nec ideo gens iniuriae aut inhoſpitalitatis iure poſſit coargui, quod non promiſcue omnia ad ſe patiatur deuehi, quum is, qui iure ſuo vtitur, nemini omnino iniuriam feciſſe videatur.

§. XVI.

(d) Ziegler a Kliph. *Schaupl. der Zeit p.* 318.

§. XVI.

Id vero praecipue quaeritur, an gens vna alteram, cum tertia commercium inſtituere volentem iure prohibeat? Vbi merito praemonemus, quaeſtionem hanc non pertinere ad gentes inimicas, quarum alterutra nobiſcum bellum gerit. Quum enim hoſti in hoſtem in infinitum omnia liceant, quae ad debellandum illum ſunt neceſſaria: licebit ſane & gentem amicam impedire, quo minus hoſti res, quibus validior inſtructiorque ad bellum gerendum fiat, aduehere poſſit, ceu iam ſupra vidimus. Sin hoſtes noſtri cum gente extera nobisque amica negotiantur: eo minus dubitare licet, quin fas nobis eſſe oporteat, illa commercia turbare, & id agere, ne quid ex illis lucri ad hoſtes noſtros redeat. Recte enim obſeruauit POLYBIVS (e), iure belli non modo munitiones, portus, vrbes hoſtium, ſed & naues, fructus, &, ſi quae ſint ſimilia, comprehendi, ac proinde licere nobis ea omnia perdere, vt & res inimicorum hoc modo atteratur, & noſtra magis magiſque adaugeatur. Nihil ergo obſtat, quo minus mare claſſibus occupemus, itum reditumque hoſtilium nauium impediamus, quin eorum res & opes cum ipſis, quibus vehuntur, nauibus intercipiamus, dummodo vi illa aperta non violetur gentis cuiusdam amicae territorium (f). Quamuis enim veriſſimum ſit illud EVRIPIDIS (g):

An genti gentem commercio cum alia gente iure prohibeat?

Νόμος γὰρ ἐχθρὸν δρᾷν, ὅπου λάβῃς, κακῶς.

Vbicumque prenſum laedi iura hoſtem ſinunt,

ſemper tamen gentes cultiores legem hanc religioſe ſeruandam putarunt, vt in amicorum portubus & territoriis ab omni vi abſtinerent, adeo, vt ne Poeni quidem, teſte LIVIO (h), naues Romanorum in portu regis Numidiae adgredi auderent. Interdum tamen eo porrectam eſſe illam belligerantium licentiam nouimus, vt & integras hoſtium claſſes in amicarum gentium portubus inuaſas flammiſque abſumtas, legamus: iure, an iniuria, eleganter ſuo more diſputat V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK (i). Enimuero de hoſte, vti diximus, nulla hic quaeſtio eſt. Immo ne de eo quidem caſu diſceptatur, ſi qua gens, inito nobiscum pacto, commerciis cum extera quadam gente vltro renunciarit. Id enim vnumquemque iure facere poſſe, ſupra iam contra GROTIVM probaui-

(e) Polyb. *Lib. V. Cap. XI.*

(f) Grot. *de iure belli & pac. Lib. III. Cap. IIII.* §. VIII. *n.* 1.

(g) Eurip. *Heracl. v.* 965.

(h) Liu. *Lib. XXVIII. Cap. XVII.*

(i) Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. iur. publ. Lib. I. Cap.* VIII.

bauimus, idemque aduerſus P. MAC. NENY feciſſe meminimus BARBEYRACIVM (k). Id ergo hic vnice quaeritur, an vlla gens gentem amicam, quae nulla huiusmodi pactione renunciatiua ius ſuum abdicauit, iure impedire poſſit, quo minus cum tertia gente commercia de nouo inſtituat? Qua de re quid ſtatuendum ſit, paullo accuratius hic videtur diſquirendum.

§. XVII.

Id negandum eſſe, probatur. Qui adfirmandam eſſe exiſtimant quaeſtionem, ſuperiore paragrapho propoſitam, ii in poſſeſſione potiſſimum ac praeſcriptione iuris gentium praeſidium quaerunt, quippe qua fieri arbitrantur, vt iuri ſuo & tacite quis renunciaſſe videatur. Si enim, qui in fluminis publici diuerticulo pluribus annis piſcatus eſt ſolus, alterum ibidem piſcaturum iure prohibet (l), &, qui aquam per alterius fundum ſciente domino duxit, ſeruitutem exemplo rerum immobilium tempore quaeſiuit (m): quidni & is, qui cum gente aliqua per longiſſimum tempus, nemine contradicente, commercium ſolus habuit, ius illud commerciorum, alioſque illius vſu ac conſortio excludendi, ipſa poſſeſſione diuturna dicatur adquiſiuiſſe? Deinde maxime vrgent diſpendium illud, quod rebus ſuis non poſſit non metuere gens, ſi & aliae gentes eam de poſſeſſione deiicere, vel ſaltim vna cum illa in poſſeſſionem ire audeant. Neminem autem, qui ſibi vigilauit, aequo animo ferre, vt iuſte quaeſito lucro ab aliis ſpolietur, nec genti liberae vitio verti poſſe, quod hoc rerum ſuarum detrimentum quouis modo a ſe amoliri, ſeque in poſſeſſione iuris, quam maiorum virtuti atque induſtriae debeat, quauis honeſta ratione defendere conetur. Sed his merito obuertitur, primo eum, qui iure ſuo vtitur, nemini facere iniuriam (n). Licuit vni genti alias praeuertere, & cum extera quadam natione inſtituere commercium: licebit vero & alteri, prioris exemplum ſequi, & ad eamdem gentem negotiandi cauſſa excurrere, nec prior reliquas excludendi vllum ſibi ius poteſt adrogare. Quis quaeſo ferret mercatorem, qui prior ad nundinas vel mercatum publicum profectus alios paullo tardius eo confluentes prohibere audeat, eo obtentu, quod ipſe ſibi vigilans, ac iam in poſſeſſione conſtitutus, pati non poſſit, vt lucro ſuo quidquam propter alios, tardius aduenientes, decedat? An vero minus iniquos eſſe dixeris eos, qui gentem amicam ideo com-

(k) Barbeyrac *dans la défenſe. Chap. III. §. III.*

(l) *l. 7. D. de diuerſ. temp. praeſcript.*

(m) *l. 2. C. de ſeru. & aqua.*

(n) *l. 55. D. de reg. iur. l. 1. §. 12. D. de aqua & aquae pluu. arc.*

commercio cum gente extera prohibere conantur, quod ipſi illud commercium prius non ſine inſigni quaeſtu exercuerint? Nec ſolidi quidquam ineſt argumentis, quibus freti aliqui id ſibi ius cum ſumma aliorum iniuria vindicant. Si enim vel maxime largiamur, praeſcriptioni inter gentes eſſe locum, (de quo tamen non ſine idoneis rationibus dubitant viri doctiſſimi:) ei tamen locus eſſe non poteſt in rebus arbitrii noſtri, meraeque facultatis. (o) Quemadmodum ergo via publica eundi ius non vtendo nemo amittit (p), etiamſi alii ante eum via iſta vſi ſint, & adhuc vtantur: ita nemo ideo iure ac libertate ſua cum aliis negotiandi excidit, quod alii eo iure ante ſe vſi ſint. Accedit, quod praeſcriptio nulla ſine poſſeſſione, poſſeſſio nulla ſine animo ſibi rem habendi intelligitur: is vero, qui cum gente extera negotiatur, nihil vel vere vel quaſi poſſidet. Prudenter PAVLLVS (q) noſter negat, *eum, qui iure familiaritatis fundum amici ingreditur, poſſidere videri, quia nec eo animo ingreſſus ſit, vt poſſideret, licet corpore in fundo ſit.* An vero qui cum extera gente negotiantur, alio iure negotiantur, in eiuſque portus & emporia ingreſſi ſunt, quam iure familiaritatis? Ergo vti nec portus nec emporia poſſident, ita neque ius commercandi, neque facultatem alios illo iure excludendi quaſi poſſeſſione ſeſe vmquam adquiſiuiſſe dicere poſſunt, niſi frons e rebus perierit. Aeque ficulneum eſt alterum, quo vtuntur argumentum, quod genti, quae alteram praeuertit, non poſſit non multum de quaeſtu ac lucro ſuo decedere, ſi & aliae cum eodem populo negotiari coeperint. Primo enim eum, qui iure ſuo vtitur, nemini facere iniuriam, paullo ante monuimus, idque non modo Hiſpanis & Luſitanis, Belgas eo colore commercandi cum Indis libertate priuare auſis, opponit GROTIVS (r), ſed & VASQVIVS (s), ipſe licet Hiſpanus, verum eſſe, candide agnoſcit. Deinde ne de damno quidem conqueri poſſunt, quorum lucro per alios iure ſuo vtentes, aliquantulum decedit. Eſt ſane haec PROCVLI philoſophia, quam, tamquam ſolidam veriſſimamque probat VLPIANVS (t), *non debere eum damnum facere videri, qui eo veluti* LVCRO, *quo adhuc vſus ſit, prohibeatur: multumque intereſſe, vtrum* DAMNVM *quis faciat, an* LVCRO, *quod adhuc fecerit prohibeatur.* Senſus iureconſulti eſt,

O 2 eum

(o) Interpretes *ad l. 41. D. de adqu. vel amitt. poſſeſſ.*

(p) *l. 2. D. de via publ. & itin. publ.*

(q) *l. 41. D. de adquir. vel amitt. poſſ.*

(r) Grot. *de mari libero* Cap. XII.

(s) Vaſqu. *Controuerſ. illuſtr.* Cap. *X. n. XI.*

(t) *l. 26. D. damni infect.*

eum qui damni infecti nomine repromiſerit, teneri, ſi alter e re ſua damnum paſſus ſit (u), at ob lucrum alteri ſine iniuria interceptum teneri neminem, ſi vel maxime damni infecti nomine cautum repromiſſumue ſit, quia inter damnum datum, lucrumque ſine iniuria interceptum permultum interſit: quam διαίρεσιν & VASQVIVS (x) probat, controuerſiiſque inter gentes adplicat prudenter. Quo iure enim gens conqueratur de gente amica, iure ſuo libertateque naturali vſura, quod per eam ſibi quid de lucro deminutum ſit, quum ne priuatus quidem, cui damni infecti nomine repromiſſum eſt, de lucro ſibi intercepto vllam habeat actionem?

§. XVIII.

Praeterquam quibuſdam caſibus.

Attamen aliud dicendum videretur, ſi gens, cum gente extera inſtitutura commercium, tranſitum liberum per territorium noſtrum peteret, & nos ipſi cum illa negotiantes lucrum noſtrum hoc ipſo deminutum iri vereamur. Tunc vix dubitandum videtur, quin in arbitrio noſtro futurum ſit, vtrum concedere tranſitum, an denegare eumdem, malimus. Quamuis enim in alia omnia eat GROTIVS (y), exiſtimans, eum tranſitum omnibus veluti natura deberi: iam ab aliis tamen obſeruatum eſt, eum hic iuſto eſſe liberaliorem, ſibique nimium in coërcendis principum iuribus indulgere (z). Intereſt enim plerumque reipublicae, per cuius territorium tranſitus petitur, ipſam potius lucro, quod ex commercio cum gente extera ſperari poteſt, frui, quam gentem vicinam. Quo iure ergo tunc alii a nobis peterent, quod non niſi cum incommodo noſtro praeſtare poſſemus? Eleganter iura noſtra obſeruant, iure gentium feram captam ſtatim fieri capientis, nec intereſſe, feras beſtias & volucres vtrum in ſuo fundo quis capiat, an in alieno. Et tamen ſtatim additur: *Plane qui* ALIENVM FVNDVM *ingreditur venandi & aucupandi gratia, poteſt a domino, ſi is praeuiderit,* PROHIBERI, *ne ingrediatur* (a). Quod, paucis interiectis, de apibus quoque & examine, in alienum fundum euolante, repetitur. Nulla vero ratio eſt, cur cuilibet priuato plus iuris in fundo ſuo eſſe ſtatuamus, quam Principi in territorio ſuo, aut cur illi quidem fas eſſe exiſtimemus, alium, cum ſuo incommodo ingreſſurum, prohibere, huic vero non licere, tranſitum negare

(u) *l. 7. §. 1. & 2. D. damn. inf. & de ſuggrund.*

(x) Vaſqu. *controu. illuſtr. Cap. IIII. n. 3.*

(y) Grot. *de iure belli & pac. Lib. II. Cap. II. §. XIII. n. V.*

(z) Ziegler. *Not. ad Grot. h. t.*

(a) *§. 12. Inſt. de rer. diuiſ. l. 3. §. 1. D. de adqu. rer. dom.*

negare iis, qui cum reipublicae ſuae incommodo negotiari cum gente vicina velint. Quod ſane prudenter ſuperiore ſaeculo animaduertit FRIDERICVS, Dux Sleſuici & Holſatiae, qui id agens, vt ſubditi ſui cum Perſis negotiarentur, nihil prius, nihilque antiquius habuit, quam vt Ruſſorum monarchae, cuius per prouincias proficiſcendum erat mercatoribus, conſenſum, miſſa legatione ſatis ſplendida, impetraret (b). Quod vero in ſuo cuique licet, nempe vt poſſit ingredientes prohibere; id non pertinet ad eam quaeſtionem, quam ſupra propoſuimus, de gente, quae ita cum alia gente extera negotiari cupit, vt vel per oceanum, cuius

Herum natura nec vllum,
Nec me nec quemquam ſtatuit (c),

vel per aliam viam, intacto noſtro territorio, ad exteros excurrat. Tunc enim non magis vlli ius prohibendi eſt, quam ne quis aere communi fruatur, neue per vicini fundum, domino non prohibente, ambulet.

§. XVIIII.

Quid commerciorum libertas; a principe tuenda;

Et hactenus quidem, quouſque porrigatur illa a tot grauiſſimis ſcriptoribus celebrata commerciorum libertas, luculenter, vt opinor, oſtenſum eſt. Quemadmodum enim omnes homines tam liberos natura producit, vt quidquid nec iure prohibitum, nec pactis conuentis aliter definitum eſt, id iis facere omnino liceat: ita, qui quid contra leges vel pacta agit, is non libertate, ſed licentia, vti intelligitur. Hinc PLVTARCHVS (d): τῷ λόγῳ τὺς ἑπομένυς ἄξιόν ἐςι μόνυς ἐλευθέρυς νομίζειν, μόνοι γὰρ ἃ δεῖ βύλεσθαι, μαθόντες, ὡς βύλονται, ζῶσι. Τοῖς δὲ ἀπαιδεύτοις καὶ παραλόγοις ὁρμαῖς καὶ πράξεσιν ἔνεςι καὶ μικρὸν ἐν πολλῷ τῷ μεταvοῦντι ἑκύσιον. *Rationi qui parent, ſoli digni ſunt, qui pro liberis habeantur. Soli enim hi viuunt, vt volunt, qui, quid velle debeant didicerunt. Ineruditae autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones exilem quamdam ignobilemque voluntatis libertatem, multa cum poenitentia coniunctam, habent.* Quod pluribus argumentis, more ſuo, demonſtrauit EPICTETVS apud ARRIANVM (e). Sic ſane & liberis gentibus non tam abſoluta nulliſque legibus circumſcripta commercandi libertas tribuenda eſt, quantam illis a GROTIO, aliiſque, tribui animaduertimus: ſed talis, quae nec legibus, & in-

(b) Olear. *Itin. Moſcou. Perſ. Itin. I. p.* 1.

(c) Horat. *Serm. Lib. II. ſat. II. v.* 129.

(d) Plutarch. *de audit. p.* 37.

(e) Arrian. *Diſſ. Epictet. Lib. I. Cap. XII.*

in primis gentium iuri, nec pactis ac conuentionibus, refragetur. Ac proinde per LIBERTATEM COMMERCIORVM hic nos quidem intelligimus ius vel facultatem tum ſingulorum, tum integrarum gentium, commercia cum aliis hominibus gentibusque, quatenus per leges & pacta licet, inſtituendi.

§. XX.

Quot modis illa turbari ſoleat?

Quam multis vero modis ſaluberrima haec libertas & poſſit turbari, & turbetur quotidie, ipſa rerum omnium magiſtra experientia ſatis ſuperque docet. Quum enim totum illud commercium ad parandas opes comparatum ſit, nulla vero re homines magis, quam inſatiabili accumulandarum opum cupiditate, adficiantur: quis dubitet, quin mille artes excogitaturum ſit ingenium humanum, quibus lucrum vel intercipiatur aliis, vel ſaltim deminuatur? Saepenumero haec fuit cauſſa alios laceſſendi, nulla iniuria vlli cognitos; & neſcio, an non multa, quae Romani geſſerunt, bella haec ipſa habendi cupiditas conflarit. Saltim de iis ſcribere non dubitauit PETRONIVS (f):

Si quis ſinus abditus vltra,
Si qua foret tellus, fuluum quae mitteret aurum:
Hoſtis erat, fatiſque in triſtia bella paratis
Quaerebantur opes.

Et iam pridem grauiſſimus auctor, TACITVS (g) obſeruauit, opes & *praecipuam belli cauſſam, & belli praemia victoriae* eſſe. Haec fabula & hodie luditur, mutatis tantum perſonis. Saepe enim nihil aliud reſpublicas florentiſſimas collidit, quam concepta ex alterius opibus commerciiſque lucroſiſſimis inuidia. Ea vel vi, vel dolo euertere, vel ſibi vindicare, adeo non iniuſtum quibusdam videtur, vt potius magnam prudentiae laudem in eo poſitam exiſtiment, ſi vberrimum illum diuitiarum fontem vel turbare, vel plane in ſuum veluti fundum deriuare poſſint. Alii id agunt, vt certarum rerum monopolia ſibi vindicent, &, vt ZENO Imp. (h) loquitur, *inter ſe coniurent, ac paciſcantur, vt ſpecies diuerſorum corporum negotiationis, non minoris, quam inter ſe ſtatuerint, venumdentur.* Quod quanto cum commerciorum detrimento coniunctum, quamque eorum libertati inimicum ſit, nemo non intelligit. Aliquando vel perditorum quorumdam hominum colluuies, vel integra ciuitas operam dat piraticae & latrociniis, & vel nauibus, vel mercibus,

(f) Petron. *Satyric. Cap.* CXVIIII.

(g) Tacit. *Hiſt. Lib. IIII. Cap. LXXIIII. & lib. XI. Annal. Cap. XVIII.*

(h) *l. vn. C. de monopol.*

mercibus terra transferendis, inſidias ſtruit, veluti olim inſulani in mari Aegeo (i), Cilices (k), aliae que gentes, de quibus ex inſtituto egit GROTIVS (l). Quamuis non opus eſſe videatur petitis ex antiquitate exemplis, quum & hodie iniuſtiſſimo illi lucro inhient Afri, Tartari, Arabes, gentes commerciis inimiciſſimae, quibus hoc perpetuo, ſi non in ore, at in animo eſt:

Trux ventilet ignes
Tiſiphone, quatiatque ſuos irata colubros:
Prouehimur, quo lucra vocant.

Quid vero magis turbat commerciorum libertatem, quam viui illi ſcopuli, piratae, qui *ſic maria bello, quaſi tempeſtate, praecludunt?* (m) Quid magis horrent mercatores, quam audaciſſimorum graſſatorum globos, a quibus & in continente naufragium metuunt? Non minus ſaepe contingit, vt ciues noſtri, cum exteris negotiantes, a publicanis vexentur, ſiue diripientibus naufragos, (quod ſe ſuosque a publicanis inſularum Cycladum paſſos eſſe, conqueritur Eudaemon Nicomedienſis apud VOLVSIVM MAECIANVM (n), ſiue vectigalia immodica ab illis exigentibus. *Quantae enim audaciae, quantae temeritatis ſint publicanorum factiones, nemo eſt*, ex VLPIANI (o) ſententia, *qui neſciat.* Fieri porro poteſt, vt leges reipublicae cuiusdam, quae alioquin commercandi libertatem ciuibus noſtris non negat, commerciorum libertati aduerſentur, veluti ſi cautum ſit, ne cui, niſi ritu ſuo, Deum apud ſe colere liceat, neue cadauera eorum, qui a religione ſua abhorrent, terrae mandentur: vt illas iam omittam leges, quae tantis ambagibus iudicandi ordinem inuoluunt, vt tolerabilius plerisque videatur, breuem deuorare iniuriam, quam ius longa ac ſumtuoſiſſima lite experiri. Hoc enim cum omnibus peregrinis, tum praecipue mercatoribus, ſub alio coelo, alioque veluti ſole commerciorum cauſſa peregrinantibus, moleſtiſſimum eſſe ſolet, quippe quibus non eſt tantum ocii, vt pro rerum venalium foro, fora litigioſa petere velint. Denique hanc commerciorum libertatem omnium maxime turbat inuidia gentium lucricupidarum, quales olim Phoenices, *φιλοχρήματοί τε καὶ τρῶκται, pecuniarum auidi, & voraces*, vti vocantur a PHILOSTRATO (p). Hae enim

(i) *Nepos vit. Themiſtocl. Cap. II.*
(k) Diod. Sic. *Lib. XVI.*
(l) Grot. *de verit. relig. Chriſt. Lib. II. p. 12. in not.*
(m) Flor. *Lib. III. Cap. VI.*
(n) *l. 9. D. ad Leg. Rhod. de iactu.*
(o) *l. 12. pr. D. de publican.*
(p) Philoſtrat. *Heroic. p. 660. edit. nou.*

enim non contentae lucro, quod ipſae faciunt, omnium ſe ducunt miſerrimas, ſi vllam aliam habeant huius fortunae ſociam; nihilque faciunt reliqui, vt aliarum quaeſtum vi ac dolo intercipiant. Quod denuo olim erat Syrophoenicum vitium, de quibus HIERONYMVS (q): *Vſque nunc*, inquit, *permanet in Syris negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate excurrunt, & tantam mercandi habent veſaniam, vt occupato nunc orbe Romano inter gladios & miſerorum neces quaerant diuitias, & paupertatem periculis fugiant.* Et fingamus, tantas non eſſe gentis cuiuſdam vires, vt aliorum negotiationes aperto Marte impedire poſſit: at non deerunt artes, aemulis apud gentes exteras conflandi inuidiam, lucrumque qualecumque intercipiendi. Hae vero artes numquam turpes videntur hominibus, ſolum lucrum anhelantibus, omnesque, quos quaeſtui ſuo obſtare exiſtimant, hoſtium loco habentibus. Hoſtibus vero quis nocere dubitat?

Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat? (r)

§. XXI.

Principis eſt, libertatem commerciorum tueri.

Atqui ea omnia, ſine quibus ciues ſalui eſſe, iuribusque ſuis frui non poſſunt, ad boni Principis officium pertinent: recteque obſeruauit AMMIANVS MARCELLINVS (s), *nihil aliud eſſe imperium, quam curam ſalutis alienae.* Si ergo populi ſalus bono principi ſuprema lex eſt: quid illum prius, quidque antiquius habere decet, quam ne ciues libertate commercandi, legibus pactiſque firmata, aut ipſo iure gentium conceſſa, ab vllo priuentur: Quamquam reipublicae rector, dum ciuium lucra ac commoda tuetur, ſuam quoque & reip. rem agere merito videtur, quum numquam ciuium ſalus ac felicitas a ſalute ac felicitate reipublicae ſeiuncta ſit, tantumque ſemper ipſi Principi, quantum ciuibus, decedat. Tolle commerciorum libertatem, & ſublatam ſimul eſſe animaduertes rerum neceſſariarum adfluentiam, ſublata vectigalia & portoria, ſublatum id omne, in quo neruum rerum gerendarum poſitum eſſe prudentes obſeruant. Quum Mithridates Ponticus omnes Romanos, per Aſiam negotiantes, & publicanos vltra centies & quinquagies mille vno die eodem edicto occidi iuſſiſſet, ac inaudita illa truculentia commercium omne turbaſſet (t): CICERO

(q) Hieronym. *ad Ezech. XXVI.*

(r) Virgil. *Aeneid. Lib. II. v.* 390.

(s) Amm. Marcell. *Lib. XXVIII. Cap. II.*

(t) Vellei. Paterc. *Hiſt. Lib. II. Cap. XVIII.* Plutarch. *in Sulla p.* 467. Appian. *de bello Mithridat. p.* 206. Valer. Max. *Lib. VIIII. Cap. II. exempl. extr. III.*

CERO, bellum aduerſus Mithridatem ſplendidiſſima oratione ſuadens (u), nullum argumentum habere ſibi videbatur potius, & in quo magis excurreret oratio, quam vt oſtenderet, quantam aerario eluuionem intulerit Mithridates, dum tot per Aſiam negotiatores & publicanos vita rebusque ſuis nefarie ſpoliarit: *Delenda vobis eſt, inquit, illa macula, Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta, quae penitus iam inſedit atque inueterauit in populi Romani nomine, quod is, qui vna die tota Aſia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atque vna litterarum ſignificatione, ciues Romanos necandos trucidandosque denotauit, non modo adhuc poenam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum iam tertium & viceſimum regnat, & ita regnat, vt ſe non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, ſed emergere e patrio regno, atque in veſtris* VECTIGALIBVS, *hoc eſt, in Aſiae luce verſari.* Idem paullo poſt (x) multo vehementius vrget, defendendam eſſe imperii dignitatem, praeſertim quum de maximis populi Romani vectigalibus agatur. Ceterarum enim prouinciarum vectigalia eſſe tanta, vt eae ad ipſas tutandas prouincias vix ſufficiant: ſolam Aſiam tam opimam eſſe, ac fertilem, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae expetantur, facile terris omnibus antecellat. Tum porro demonſtrat, eo tumultu factum eſſe, vt pecora relinquerentur, agricultura deſereretur, mercatorum nauigatio conquieſceret, atque ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura, vectigal conſeruaretur. Denique praeclare ſubiicit (y) memoria retinere debere Romanos, calamitate doctos, quum in Aſia res magnas permulti amiſiſſent, ſolutionem & fidem concidiſſe: *neque enim poſſe vna in ciuitate multos rem atque fortunas amittere, vt non plures in eamdem calamitatem trahant.* Quum ergo illa turbatio libertatis commercandi, ceu hactenus demonſtratum eſt, non modo cum ciuium iniuria ac pernicie, ſed & cum eluuione aerarii, & cum reipublicae, ipſiusque Principis incredibili detrimento coniuncta ſit: quis negauerit, quaeſo, non ſolum ius eſſe Principi, verum etiam ad eius officium pertinere, vt hanc negotiandi libertatem, quatenus neque legibus publicis, neque pactis reſtricta eſt, defendat, nihilque faciat reliqui, vt illa auctoritate ac prouidentia ſua in tuto collocetur? Fuit haec olim laus Themiſtoclis, qui maritimos praedones conſectando, mareque tutum reddendo, patriam

(u) Cicero *pro lege Manil. Cap. III.*
(x) Idem *ibid. Cap. VI.*
(y) Idem *ibid. Cap. VII.*

triam cum diuitiis ornauit, tum peritiſſimos belli naualis fecit (z). Non minorem ſuſcepta commerciorum defenſione gratiam a ciuibus ſuis inierunt Hippias Athenienſis (a), Pompeius Romanus, (b) quin & fulmen illud belli, Alexander Macedo (c), qui omnes, licet tot grauiſſimis diſtricti negotiis, inter arma de ſecuritate commerciorum cogitarunt, vt quidquid praedonum per maria vagabatur, inſtructiſſimis claſſibus opprimerent. Vt iam non enumerem exempla ſimilia, quae inſequentium temporum annales nobis ſufficiunt, quaeque ſatis oſtendunt, prudentiſſimos potentiſſimosque principes hanc curam ac ſollicitudinem non indignam habuiſſe magnitudine ſua, eaque re immortalem ſibi gloriam vel maxime peperiſſe.

§. XXII.

Quod ſit legibus, At praecipua quaeſtio eſt, quibus potiſſimum modis tuenda ſit illa commerciorum libertas? Vbi facile vnuſquiſque animaduertet, aliis omnino mediis aduerſus ciues, aliis aduerſus exteros, quibus illae negotiationes noſtratium ſudes in oculis ſunt, vtendum eſſe. Ciuibus quum in obſequio gloria relicta ſit, ii non rectius ac facilius, quam LEGIBVS & POENIS, eo adiguntur, ne conciues in illa, a principe conceſſa libertate turbare audeant. Nec quidquam iuſtius eſt huiuſmodi legibus ac ſanctionibus, quia vti recte obſeruat PLATO (d), iuſtitiae fruendae cauſſa conſtituti ſunt Reges & principes, finiſque ciuitatum haud poſtremus eſt *μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι, nec facere, nec pati iniuriam.* Eo pertinent leges omnes, quae de fide a mercatoribus religioſe ſeruanda, de re collybiſtica, de rebus nauticis, de bodmeria, adſecurationibus, hauariis, ſimilibuſque negotiis feruntur, quippe ad tuendam non modo libertatem, ſed & ſecuritatem, ac laetiora incrementa commerciorum prouehenda vnice comparatae. Hinc laudem ſibi incredibilem pepererunt Rhodii, populus nauticus, & aliquando *θαλασσοκρατῶν* (e), de quo STRABO (f): *Θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία τῆς Ῥόδου, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ περὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον. Admiranda eſt & legum Rhodi optimarum conſtitutio & induſtria, cum in aliis reipublicae partibus,*

(z) Corn. Nepos *Themiſtocl. Cap. II.*

(a) Polyaen. *Stratagemat. Lib. V. Cap.* XIIII. *p.* 492.

(b) Flor. *Lib. III. Cap. VI.* Plutarch. *n Pompeio p.* 630. *ſequ.* Dion. *Lib.* XXXVI. *p.* 9.

(c) Curt. *Lib. IIII. Cap. VIII.*

(d) Plato *de Republ. Lib. II.*

(e) Florus *rer. Rom. Lib. II. Cap. VII.* Euſeb. *Chron. n. MC.*

(f) Strabo *Geograph. Lib. XIIII. p.* 448.

tibus, tum circa rem nauticam, qua effectum, vt imperium maris diu teneret. Et neſcio ſane, an ullum praeſtantius exſtiturum eſſet ius nauticum, & an alio hodie vtendum exiſtimaturae ſint gentes Europaeae, quam quod ipſi Romani in fora ſua admittere non dubitauerant (g), ſi vti ad CICERONIS (h) memoriam diſciplina naualis & gloria Rhodiorum permanſerat: ita ipſa lex Rhodia integra ac genuina aetatem tuliſſet. Quae enim a SIM. SCHARDIO, (i) IOANNE LEVNCLAVIO (k) & IO. LAVRENTIO (l) edita eſt, tantum abeſt, vt miram illam Rhodiorum ſapientiam & in omni re nautica prudentiam redoleat, vt eam, tamquam foetum ſuppoſititium, editumque ab ocioſo aliquo Graeculo ingenii abortum, reiecerint viri, harum rerum intelligentiſſimi (m). At iacturam hanc paullo tolerabiliorem reddiderunt gentes partim ſeptentrionales, partim quae nauigationibus per ſeptentrionem aliaſque orbis partes opes famamque quaeſiuerunt, ciuitates Hanſeaticae. Quemadmodum enim ſaeculo XII. in lucem prodiit ius nauticum WISBYENSE, ceu docet eius a LEIBNITIO (n) e vetuſto codice ſeruata praefatio: ita haud paullo poſt circa annum MDXCI. ipſae quoque ciuitates Hanſeaticae ius ſuum maritimum, cuius non exigua paſſim eſt auctoritas, condiderunt (o). Et vt iam non dicam de tot legibus ſaluberrimis, quae a Regibus rebuſque publicis florentiſſimis de omni re maritima, de adſecurationibus cambiiſque perſcriptae ſunt, quarum magnam farraginem in *conſulatu maris* (p), nec non a IO. MARQVARDO collectam nouimus: vix eſſe arbitramur gentem, quae aequioribus ac prudentioribus legibus ea in re vtatur, quam eae, quae Danorum imperio reguntur, quippe in quorum corpore Legum, quod ſub inſcriptione *des Daeniſchen Loo-Buchs* celebratur, totus *Liber IIII.* de omni re ac diſciplina nautica ita agit, vt neſciamus, an quidquam de re, tam multis implicata ſubtilitatibus, aequius prudentiuſque conſtitui potuiſſet, & vere ſcripſiſſe videatur IO. IS. PONTANVS (q), nuſquam

P 2 in

(g) *l. 9. D. ad Leg. Rhod. de iactu.*

(h) Cicero *pro lege Manil. Cap. XVIII.*

(i) Schardii *leges Naut. georg. & militares. Baſil.* 1561. 8.

(k) Leunclau. *Iur. Graec. Rom. Tom. II. p.* 165.

(l) *Graec. & Lat. Lugd.* 1647. & *Amſt.* 1668.

(m) V. A. Corn. van Bynkersh. *ad l. l. 9. D. ad Leg. Rhod. Cap. V.*

(n) Leibnit. *Script. rer. Brunſuic. Tom. III. p.* 750.

(o) Io. Marquard. *de iure merc. Lib. III. Cap. V. §. XXXVI.*

(p) Poſt varias editiones Italice prodiit cum commentariis Caſaregii, *Florent.* 1718. ad fin. *diſcurſ. Legal. de commerciis.*

(q) Pontan. *Deſcript. Chorogr. Dan. p.* 773.

in Europa, modo officium iudex faciat, aut citius quemquam, aut minore cum impendio finem litis adſequuturum, quam in Dania, vbi tanto ſalubriores ſint leges patriae, quanto breuiores ſint, quantoque minus iuris peregrini laciniis deformentur, vt habeant omnino prouinciae, quae iure illo viuunt, cur ſibi hanc felicitatem veluti peculiarem gratulentur.

§. XXIII.

Itemque priuilegiis. Quemadmodum vero leges & principum conſtitutiones vel ad omnes in vniuerſum ciues, vel ad certas tantum perſonas, pertinent, quae priuilegia (r), quaſi *priuae leges* (s) vocantur: ita & leges ad tuendam commerciorum libertatem comparatas, vel GENERALES, vel SPECIALES eſſe oportet. Fieri enim ſolet, vt princeps aliquando certis perſonis vel collegiis plus, quam reliquis ciuibus, indulgeat, quo plures impendiorum molem conſociatis viribus eo facilius ferant, ſocietatem aliquam eximiis quibusdam priuilegiis muniant, quae vocabulo iam vbique vſitato OCTROYEN ſolent adpellari, a voce ſiue Belgica, ſiue ex Gallica lingua petita, *octroye*, quam CORN. KILIANVS (t) inter vocabula peregrina interpretatur *beneficium*: quemadmodum *octroyen* vel *octroyeren* illi eſt *indulgere, adnuere, aliquid tribuere.* Quod vero id facere non liceat principi, nulla profecto idonea exiſtimandi ratio eſt. Quum enim id omne principi non modo liceat, ſed & ad ſummum iſtius officium pertinere videatur, quod in publicam vtilitatem vllo modo vergit: quid regno vel reip. vtilius eſſe poſſet, quam ſi commercia a pluribus iunctis viribus collataque pecunia inſtituantur, atque ita efficiatur, vt vtilitas ad omnes, periculum ad paucos perueniat, vt merces noſtrae hoc modo optimis conditionibus diſtrahantur apud exteros, & res exterae, quas immodico pretio adhuc ab aliis coemere coacti ſunt ciues, iam a ciuibus ipſis multo viliore pretio vendantur, vt denique ita rei nauticae ſtudium acuatur, vectigalia augeantur, ipſumque locupletetur aerarium? Quod quum vix aliter, quam inſtitutis maioribus ſocietatibus, priuilegiisque illis liberaliter conceſſis, poſſit obtineri: neminem profecto dubitaturum arbitramur, quin & iure ſuo vtatur, & de republica praeclare mereatur Princeps, qui huiusmodi ſocietates & inſtituit, & iisdem priuilegia, ſine quibus vel conſiſtere, vel florere non poſſent, concedit. Hinc iam olim

(r) §. 6. *Inſt. de iure nat. gent. & ciu.*
(s) Gell. *Noct. Attic. Lib. X. Cap. XX.*
(t) Kilian. *Dict. Teuton. Lat. Gall.* p. 689.

olim SOLON (u) ſodalibus ἐπὶ λείαν, ἢ εἰς ἐμποϱίαν οἰχομένοις, *ad praedam vel mercaturae cauſſa exeuntibus*, quodcumque placeat, inter ſe conſtituere patiebatur, illudque ratum eſſe iubebat, dummodo non obſtarent decreta publica. Et quam feliciter, quantoque cum lucro ac compendio olim negotiatae ſint ciuitates Hanſeaticae, & hodie commercia inſtituant ſocietates maiores in Anglia, Gallia, & Belgio, nemo ignorat. Immo e ſocietate Belgarum Indica tantum vtilitatis in remp. redundabat, vt GROTIVS (x) adfirmare non dubitarit, *a ſaeculi XVII. initio ſocietatem illam, magnam reip. partem haberi coepiſſe*, & Zeelandi, quae poſt futura eſſent, ceciniſſe videantur, vt vates, dum cuſi eo anno numi anteriore parte ſculpſerunt leonem Zeelandicum, e tribus fluminibus emergentem, cum lemmate: LVCTOR ET EMERGO. 1602. in poſtica nauem vela facientem cum perigraphe: IMPERATOR MARIS, TERRAE DOMINVS. Vere enim contigit, quod ſcripſit BIZOTVS: (y) *Ziet daar den Oorſpronk van die doorluchtige Maatſchappy, welke Koningkryken verovert, Koonigen cynsbaar gemaakt, en geſantſchappen aan de Keizers van China en Iapan geſtuurd heft.* Quumque nihil non his in rebus liceat Principi, ac reipublicae, ſi ſe iure ſuo, interpoſitis pactis & foederibus, numquam abdicarunt: quidni & alii poſſint, quod gentes illae potuerunt? & quis populos quosdam, immiſſa ſemel falce in meſſem tam vberem, ita veluti ſua feciſſe commercia dixerit, vt aliis ne ſpicilegium quidem relinquendum putent?

§. XXIIII.

Neç non iudiciis mercatoriis & nauticis,

Porro iam ſupra obſeruatum eſt, non ferre mercatorum rationes, vt diuturnis litibus vacare, & rabulis veluti deuorandos ſeſe dare aut velint aut poſſint. Quod eo magis de cauſſis nauticis repetendum, quum, vti iam a CAESARE obſeruatum eſt, *res maritimae celerem & inſtabilem motum habeant*, & hinc ipſi Romani (a) cauſſas de ſubmerſis nauibus & naufragiis leuato velo cognoſcendas eſſe, prudenter monuerint. Hinc plerique principes, quibus commerciorum libertas atque incrementa curae cordique ſunt, id agere ſolent, vt lites, quae de rebus ad mercaturam vel rem nauticam pertinentibus incidunt, leuato veluti velo & ſine ambagibus iudicentur. Inter maxima ſane reip. Athenienſis

P 3 vitia

(u) *l. 4. D. de colleg. & corporib.*

(x) Grot. *Hiſt. Belg. Lib. X. ad ann.* MDCII.

(y) Bizot *Medaliſche Hiſtorie der Republyk van Holland p. 85. 86.*

(a) *l. 5. C. de naufrag.*

vitia fuit litium diuturnitas, quàm licet in ſpeciem excuſet XENOPHON (b), commerciis tamen, quibus vnice ſtudebant, eam fuiſſe exitioſiſſimam, nemo non intelligit. Satis quidem non modo breue, ſed & praeceps erat iudicium, in quo quidam, ſimul ac adpellerent, cauſſam dicere cogebantur, quodque Phraeattaeum vocabant, de quo IVL. POLLVX (c): Ἦν δὲ ἐν θαλάττῃ τὸ δικαστήριον καὶ τὸν ἐν αἰτίᾳ προσπλεύσαντα, τῆς γῆς οὐ προσαπτόμενον, ἀπὸ τῆς νεὼς ἐχρῆν ἀπολογῆσθαι, μήτε ἀποβάθραν, μήτε ἄγκυραν εἰς τὴν γῆν βαλλόμενον. *Erat & in mari iudicium, & reum quidem adnauigantem, & non tangentem terram, a naue defenſionem ſui dicere oportebat, neque ſcalam, neque ancoram terrae iniicientem.* Cuius miri dicaſterii mentionem etiam faciunt DEMOSTHENES (d), ARISTOTELES, (e) SVIDAS (f) & alii. Sed hoc iudicium tantum ad crimina, non ad cauſſas maritimas, pertinuit. Eos enim, qui ſolum verterant ob caedem, non patiebantur cauſſam, niſi ex naue, dicere. At de criminibus eo breuiora erant iudicia Athenienſium, quo magis ibi plebs caedibus ac ſuppliciis delectabatur ac veluti oculos paſcebat. Quanto prudentius alibi res nauticae tractantur in collegiis archithalaſſicis, quae vocantur *Admiralitaeten*; cauſſae mercatorum in iudiciis mercatorum, *in Kauff-oder Handels-Gerichten?* Horum enim iudiciorum ea indoles eſt, vt & viris iurisperitis adiunguntur homines rei naualis iuriſque omnis maritimi, & conſuetudinum nauticarum, & inter mercatores receptarum, periti, & iis praeſcribitur modus, cauſſas has breuiter, & ſine taedioſis ambagibus cognoſcendi, quem in cauſſis maritimis & ad mercaturam pertinentibus maxime neceſſarium eſſe, recte ſemper ſtatuerunt iuris interpretes (g). Qua in re denuo admiranda eſt Danorum iuriſprudentia, qui quamuis fora multiplicare noluerint, in cauſſis tamen nauticis celerrimam obſeruant iuris dicundi rationem, adeo vt eorum legibus ſapientiſſime cautum ſit (h), *vt omnes, quae ex re nauali ſuam ducunt originem, vel ex iure hoc maritimo pendent, cauſſae tum ciuium, tum exterorum ſtatim, ab ordinario cuiuſque loci iudice cognitae, tres intra ſoles ſecundum legitimam cauſſae dictionem ex praeſcripto iuris maritimi decidantur, & nautis;*

(b) Xenoph. *de rep. Athen. Cap.* III. *Tom. V. Op. p.* 119. *ſequ.*

(c) Iul. Pollux Onomaſt. *Lib.* VIIII. *Segm.* 120.

(d) Demoſth. *in Ariſtocrat. p.* 737.

(e) Ariſtot. *Politic. Lib.* IIII. *Cap.* XVI.

(f) Suid. *voce* ἐμφερεῖτον

(g) Peck. & Vinn. *ad l.* 5. *C. de naufrag. p.* 402. Meu. *ad Iur. Lubec. Lib.* III. *tit.* VII. *art.* VII. *n.* 1. *ſequ.* Loccen. *de iure marit. Lib.* III. *Cap.* X. §. II.

(h) Ius Danic. *Lib.* IIII. *Cap.* VIII. *art.* I.

nautis, ſi non habeant, aduocatus detur. Quam curam mercaturae habuiſſe veteres, non animaduertimus, niſi huc referre velis iuriſdictionem Aedilium & agoronomorum, tum Romae, tum in municipiis, ad quam tamen non niſi forum rerum venalium, cum contractibus ibi initis, videtur pertinuiſſe (i).

§. XXV.

Foederibus. Enimuero hae libertatem commerciorum tuendi rationes *inter ciues* duntaxat locum habent. Quid enim facilius eſt, quam ciues, aliis iure ſuo vſuris iniuriam intentantes, legibus, poenis & iudiciis in ordinem cogere, fidem in contractibus legibus poenalibus ſancire, denique dare operam, ne quis de iuſtitia non adminiſtrata iure conqueratur? At non aeque facile exteris ciuium noſtrorum libertatem turbantibus fraena iniiciuntur. Quum enim inter gentes non ſit, qui iudex ſedeat, earumque controuerſias iure diſcernat: nihil ſupereſt, quam vt lis vel conſenſu vtriusque gentis rectorum, vel vi & armis, finiatur. At ipſa recta ratio facile vnicuique perſuadebit, non eſſe prouolandum ad arma, quorum & vſus ſumtuoſiſſimus, & euentus maxime anceps eſſe ſolet, ſi ſine pulueris iactu lis componi, ſuper eaque tranſigi poſſit. Sapienter enim CICERO (k): *Quum, inquit, ſint duo genera decertandi, vnum per diſceptationem, alterum per vim, quumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum: fugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore.* Hinc lucroſiſſima commercia foederibus vel inſtituta vel firmata eſſe, nouimus, iiſque ſibi ciuibusque ſuis proſpexiſſe conſtat Salomonem, Hieramum (l), Ezechiam (m), immo & integras ciuitates, de quarum foederibus ipſi veteres numi clamant (n). Hinc conſultiſſimum ſemper viſum eſt, ictis foederibus, aequas commercandi conditiones ciuibus impetrare, ſiue ne negotiantes in prouinciis foederati principis ciues noſtri laedantur, ſiue ne tranſituri impediantur, portubusque vel ipſo mari excludantur, ſiue vt periclitantibus ſubueniatur, ſiue vt vectigalia non maxima, ſed vel nulla, vel modica exigantur. Eo enim fere referri poſſe videntur, quae commerciorum cauſſa ineuntur foedera. Primum ius omnino eſt principi, foederibus obſtringere exteros, ne ciues ſuos, ad eos negotiandi cauſſa excurrentes laedant, veluti ne

(i) Euer. Otto *de Aedilib. municip.* *Cap. XIII. p. 466. ſequ.*

(k) Cic. *de Offic. Lib. I. Cap. XI.*

(l) *I. Reg. VIIII. 27. II. Paral. VIII. 30.*

(m) *II. Paral. XX. 35.*

(n) Ez. Spanh. *de vſu numiſm. Diſſ.* III. *p.* 143. *Tomo I. Orb. Rom. Cap.* IIII.

ne ob diuerſam religionis formulam vim patiantur, ne iis ibi mortuis honeſta ſepultura negetur, ne iniquis & longis angariis vexentur, ius iis denegetur, vel perperam reddatur. De his enim omnibus huiuſmodi foederibus caueri ſolere, exemplis luculentiſſimis demonſtravit laudatiſſimus MASCOVIVS (o). Quibus iam id addo, plerumque his foederibus id exprimi ſolere, vt negotiatoribus noſtris, in foederatorum ciuitatibus portubuſque commorantibus Conſules a nobis conſtituti ius dicant, ſimulque dent operam, vt omnes foederis leges religioſe obſeruentur. Vnde eleganter eos conſules dici ait MARQVARDVS (p), vt, conſulere ſe debere mercatoribus & mercaturae, ipſo nomine admoneantur: ceu & de coſſ. Romanis ſcripſerat FLORVS (q). Iam inde ab antiquiſſimis temporibus id factum eſſe, non alio luculentiore teſtimonio oſtendi poteſt, quam LEGIS WISIGOTHICAE (r), qua cautum eſt, vt *ſi tranſmarini negotiatores inter ſe cauſſam habuerint, nullus de ſedibus Wiſigothiae regum eos audire praeſumeret, niſi tantummodo ſuis legibus audirentur apud* TELONARIOS SVOS. *Telonarii* enim hic non alii ſunt, quam conſules, ſeu negotiatorum exterorum iudices, quippe qui, nondum recepto conſulum vocabulo, variis nominibus veniebant, dicti *baiuli, praepoſiti, ſeneſchalli, priores mercatorum, Court-Meiſtere* (s), & in emporiis ciuitatum Hanſeaticarum *ſeniores, Oldermannen* (t), apud Viſigothos *telonarii*. Sane & apud Francos *mercati Palatii tolonearium* fuiſſe inter dignitates palatinas, eumque non modo omnibus regni portitoribus praefuiſſe, ſed & ius dixiſſe de huiuſmodi cauſſis, ex HINCMARO (u) & ALCVINO (x) obſeruauit CAR. DV FRESNE (y). Quemadmodum vero alioquin omnis iuriſdictio in republica a ſummo illius imperante pendet: ita regulariter hos conſules conſtituunt principes territorii, ciuitatumque rectores, idque pluribus exemplis demonſtrauit MARQVARDVS. (z) Sed quum aliquando in peregrinorum aequitate integritateque non eamdem, ac in ciuium fide, fiduciam collocare poſſimus; ſaepe contingit, vt foederibus aliquid de conſulum conſtitutione caueatur. Sic apud LEIBNITIVM (a) exſtant tabulae foederis, anno

(o) Maſcou. *de foed. comm.* §. VI. VII. *ſequ.*

(p) Marqu. *de iure merc. Lib.* III. *Cap.* VI. §. XVIII.

(q) Flor. *rer. Rom. Lib.* I. *Cap.* VIIII.

(r) *Leg. Wiſig. Lib.* XI. *tit.* III. §. II.

(s) Marquard. *de iure mercat. Lib.* III. *Cap.* VI. *n.* XVIII.

(t) Idem *ibid. n.* XXXIII.

(u) Hincmar. *Opuſc.* XXXV.

(x) Alcuin. *Epiſt.* LXXIII.

(y) Car. du Freſne *Gloſſar. Lat. Tom.* III. *p.* 1081.

(z) Marqu. *ibid. n.* XIIII. *ſequ.*

(a) Leibnit. *Cod. dipl. iur. gent. Tom.* I. *n.* X. *p.* 13.

no ſaeculi XIII. trigeſimo inter Fridricum II. Imp. & Siciliae Regem, & Principem Afrorum icti, quo hic id ſibi ſtipulatur, *vt non habeant Chriſtiani in inſula Corſica iurisdictionem ſuper vllum Mahometanum, praeter Praefectum Mahometanum, miſſum a Rege Siciliae nomine ſuo, ad regendos tantummodo populos vnitatis, & ſit occupatus in negotiis populi vnitatis, quem Deus honorificet.* Itaque foedere illo placuit, primum, vt conſul ſingularis vel praefectus Mahumetanis, in Corſica inſula negotiantibus, ius diceret: deinde vt is ab ipſo Fridrico II. Imp. conſtitueretur, eiuſque nomine ius redderet: denique, vt non alii id officium demandaretur, ac Mahumetano, quippe cui ſoli nota perſpectaque eſſe poterat Mahumetanorum iurisprudentia. At poſtea eo deuentum eſt, vt ab ipſis principibus exteris mitterentur conſules, qui ciuibus ſuis, apud exteros negotiantibus, ius ſecundum leges patrias dicerent, idque illi ſibi foederum tabulis diſerte ſtipularentur, cuiusmodi conuentionum varia exempla attulit paullo ante laudatus MASCOVIVS (b). At tunc ſimul cauendum erit foederum legibus, vt conſules illi ſint immunes & ſacroſancti, quia alias & magiſtratibus eius ciuitatis, in qua degunt, ſubſunt, nec legatorum iuribus & priuilegiis fruuntur (c). *Sic ſane anno MDCXII. inter Imperatorem Turcicum & Belgii foederati ordines conuenit, ne Conſules eorumue bona detinerentur, ſed tamen in ius vocari poſſent ad tribunal Turcicum* (d). Idemque cautum eſt inter Ordines Belgii & Algerienſes (e). Saepe etiam hos conſules in vincula publica ductos legimus, veluti anno MDCXXXIIII. Venetum, qui Anconam miſſus fuerat, ab Vrbano Papa VIII. & Hollandum a Gubernatore Gaditano (f). Nec iis auxilio fuit vox, legatos eſſe iure gentium ſacroſanctos & inuiolabiles. Recte enim WICQVEFORTIVS, ſanctimoniae legatorum vindex alioquin acerrimus: (g) *Les conſuls ne ſont que des marchands, qui avec leur charge de juge des differends, qui peuvent naiſtre entre ceux de leur nation, ne laiſſent pas de faire leur trafic, & d'être ſujets à la juſtice du lieu de leur reſidence, tant pour le civil, que pour le criminel: ce qui eſt incompatible avec la qualité de Miniſtre public.*

(b) Maſcou. *Diſſ. de foeder. commerc.* §. XII.

(c) Wicquefort *de l'Ambaſſadeur Liv. I. ſect. V. p.* 92. Corn. van Bynkersh. *de foro legat. Cap. X. p.* 482. *Opuſc. min.*

(d) *Placat-Buch. T. III. Lib. I. tit. XIII. n.* 36.

(e) Aitzema *Lib. I. p.* 353.

(f) Wicquefort *de l'Ambaſſadeur ibid. p.* 92.

(g) Wicquef. *ibid.*

blic. Ex quibus conſequitur, vt niſi horum conſulum ſecuritati pactis & foederibus caueatur, nihil futurum ſit frequentius, quam vt adficiantur iniuriis, maxime ſi quando immineat bellum, aut ea onera de nouo exigantur a negotiatoribus, ad quae ſeſe minus putent eſſe obligatos. Nec deſunt exempla foederum, quibus gens a gente nautis ſuis in mari periclitantibus auxilia officiaque humanitatis ſtipulatur. Eſt enim ea quarumdam gentium indoles, vt naufragos in ſeruitutem redigant, bonisque & rebus omnibus ſpolient, ipſo mari ſaeuiores. Vixere ſane olim his moribus plures gentes, quas recenſuerunt IO. BODINVS (h), HVGO GROTIVS (i), & IO. SELDENVS (k), quarum cauſſa non confundenda cum conſuetudine bona naufragorum pro derelictis habita, & intra annum & diem non repetita a dominis, fiſco vindicandi, quale ius vbique fere olim viguiſſe in Germania (l), & etiamnum apud Danos (m), Suecos (n) & Noruagos (o) vigere, ſatis ſuperque conſtat. Quum ergo principis quam maxime interſit, ciues ſuos maris inclementia perditos, non bis perire, nec libertate rebusque ſpoliatos, in eam redigi conditionem, vt conquerendum ſit miſeris:

Heu! mare haud eſt mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi; hic elaui bonis (p).

non melior eſt id impediendi ratio, quam vt foederis tabulis obſtringantur exteri, ne naufragos laedant, neue eos in ſeruitutem detrudant, aut bonis ſpolient, ſed rebus neceſſariis liberaliter iuuent. Quale quid inter Waldemarum Daniae & Magnum Sueciae Reges anno Chriſtianae erae MCCCXXXXIII. (q) & inter Henricum VII. Angliae Regem & Philippum, Archiducem Auſtriae, anno MCCCCLXXXXV. (r) conueniſſe nouimus. Denique nihil frequentius contingere ſolet, quam vt vectigalium exactio

(h) Bodin. *de Rep. Lib. I. Cap. vlt.*

(i) Grot. *de iure belli & pac. Lib.* II. *Cap.* VII. §. I.

(k) Selden. *Mar. clauſ. Lib.* I. *Cap.* XXV.

(l) Schottel. *de ſing. Germ. iur. Cap. XX.* Hert. *de ſuper. territ.* §. LVI. Cel. Dn. Praeſes *Elem. iur. Germ. Lib. II.* §. *XXIII.*

(m) *Ius Dan. Lib.* IIII. *Cap.* IIII. *§.* IIII. *Iutic. Lib. III. Cap.* LXI. LXIII.

(n) *Leg. Prouinc. Cap.* XXXVI. & *Tit. de furt. Leg. Munic. Cap.* XIIII. *ibid.*

(o) *Iur. Norueg. Cap.* XXVI. *de iure mercandi.*

(p) Plaut. *Aſin. Act. I. ſcen. II. v.* 8.

(q) Du Mont *dans le Corps univerſ. diplom. Tom. I. Part. II. p.* 223. Loccen. *iur. marit. Lib. I. Cap.* VII. *§. X. p.* 73.

(r) Du Mont *dans le Corps univerſel Diplomatique Tom. III. Part. II. p.* 337.

exactio paullo rigidior collidat gentes etiam amiciſſimas, & commercandi libertatem mirifice turbet, maxime quod illa plerumque cum accurata perueſtigatione nauium merciumque coniuncta, ac proinde nauigantibus moleſtiſſima eſſe ſoleat. Huic quoque malo non aliud remedium quam a foederibus. Quemadmodum ergo iam olim teſte POLYBIO (s) inter ſe pacti ſunt Romani & Carthaginienſes, *τοῖς κατ' ἐμπορίαν παραγινομένοις μηδὲν εἶναι τέλος, πλὴν ἐπὶ κήρυκι ἢ γραμματεῖ, vt, qui ad mercaturam venerint, ii vectigal nullum penderent, praeterquam ad praeconis vel ſcribae mercedem*: ita & poſtremis temporibus ſaepiſſime placuiſſe nouimus Principibus & rebuspublicis, vt vel nulla, vel modica vectigalia, veluti as vnus e centum, vel ſaltim non maior, quam a ciuibus, exigatur, neue naues viſitentur, ſed publicani, viſis litteris, quas vocant *certificats*, adquieſcant, qualium foederum exempla plura quum iam adduxerit celeberimus MASCOVIVS (t), huic rei immorari nolumus, demonſtraſſe contenti, nihil ad tuendam commerciorum libertatem efficacius, nihil vtilius eſſe, quam foedera, quippe quibus pleraque definienda ſunt, quae iure illo gentium vniuerſali veluti in medio relinquuntur.

§. XXVI.

At nuſquam tuta fides. Si enim foederibus ac pactis ſua ſemper conſtaret religio: nec lites, nec bella inter mortales pullula- *mentis in*
rent, ſed ſuum cuique, prout foederum & pactorum legibus cau- *ſolo extero*
tum eſt, tribueretur. Enimuero quum ipſorum priuatorum, qui *exſtructis*
legibus, iudiciis, poenis, in ordinem cogi poſſunt, ea ſit indoles, vt pactis & contractibus ſtare nolint: quid dicamus de gentibus liberis, earumque rectoribus, quos nullum commune vinculum continet, qui ſaepe res omnes vtilitate potius, quam iure, metiuntur, quorum denique quibuſdam idem videtur, quod olim Lyſandro apud PLVTARCHVM (u): *τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις δεῖν ἐξαπατᾷν, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις· pueros taxillis, viros iureiurando decipere debere.* Non mirum itaque, principes rerumque publicarum rectores de aliis iiſque firmioribus praeſidiis ſibi circumponendis cogitare, quorum quidem nullum eſt, in quo plus fiduciae collocare liceat, quam munimenta, in exterorum ſolo exſtructa, praeſidiiſque firmiſſimis munita. Nam haec & perfugium tutiſſimum dant oppreſſis, & gentem quacum nobis negotiatio intercedit, in offi-

(s) Polyb. *Hiſt. Lib. III. Cap. XXII.*
(t) Maſcou. *Diſſ. de foeder. commerc.* §. XVIIII. XX. XXI.
(u) Plutarch. *Apophth. Lacon. p. 229.*

cio continent, & efficiunt, vt non precario, ſed perfecto & ſtabili iure, alicubi negotiemur. Iam antiquiſſimis temporibus hac arte vſi ſunt Phoenices, eorumque poſteri Carthaginienſes, qui vt commerciis per totum terrarum orbem tanto liberius tutiuſque vacare poſſent, omnem fere non modo Aſiae, & Africae, verum etiam Graeciae, Illyrici, Italiae, Siciliae, & Hiſpaniae oram maritimam coloniis, portubus, ciuitatibuſque munitiſſimis occuparunt, & ipſa Phoenicia tot vrbium nomina, quae erudite expoſuit BOCHARTVS, (x) huius originis monimenta, poſteris vbique terrarum reliquerunt. Quemadmodum ergo de iis LVCIANVS (y): ὅσων, inquit, ἐν τῷ πλῷ καὶ τῇ ἀποδημίᾳ πολλοὺς ἄν σοι θειοτέρους ἐκείνων ἀποδείξαιμι τοὺς ἐμπόρους, καὶ μάλιστα τοὺς Φοίνικας αὐτῶν, οὐκ ἐς τὸν Πόντον, οὐδὲ ἄχρι τῆς Μαιώτιδος, καὶ τοῦ Βοσπόρου μόνον ἐπλέοντας, ἀλλὰ πανταχοῦ τῆς Ἑλληνικῆς καὶ βαρβαρικῆς θαλάττης ναυτιλλομένους. ἅπασαν γὰρ οὗτοι ἀκτὴν καὶ πάντα αἰγιαλὸν, ὡς εἰπεῖν διερευνησάμενοι καθ᾽ ἕκαστον ἔτος ὀψὲ τοῦ μετοπώρου εἰς τὴν αὐτῶν ἐπανίασιν. *Quantum ad nauigationem & peregrinationem attinet, multos iſtis diuiniores oſtendere negotiatores, atque inter hos potiſſimum Phoenices, qui non in Pontum, neque ad Maeotidem vſque, aut Boſphorum, tantum enauigant, verum quaqua verſus Graecum ac Barbarum mare permetiuntur. Hi ſiquidem omnem oram, & omne littus, vt ita dixerim, quotannis ſcrutati, extremo tandem auctumno in ſuam patriam reuertuntur*: ita diſtincte demonſtrauit BOCHARTVS, eos in Cypro (z), Aegypto (a), Cilicia (b), Piſidia (c), Caria & Rhodo (d), Samo (e), Chio, Lesbo, Tenedo (f), Bithynia & Paphlagonia (g), Thracia & Thaſo (h), Samothracia, Imbro, Lemno, & inſulis circa Magneſiam Macedoniae (i), Euboea (k), Cycladibus (l), Creta, (m) Boeotica (n), Attica (o), Laconia (p), Illyrico (q), Africa (r), Melita

(x) Bochart. *in Chanaane Lib. I. Cap. II.*
(y) Lucian. *in Toxari p.* 34. *Tomo II. Op.*
(z) Bochart. *Chanaan. Lib. I. Cap. III.*
(a) *Ibid. Cap. IIII.*
(b) *Ibid. Cap. V.*
(c) *Ibid. Cap.* VI.
(d) *Ibid. Cap.* VII.
(e) *Ibid. Cap.* VIII.
(f) *Ibid. Cap.* VIIII.
(g) *Ibid. Cap. X.*
(h) *Ibid. Cap. XI.*
(i) *Ibid. Cap. XII.*
(k) *Ibid. Cap. XIII.*
(l) *Ibid. Cap. XIIII.*
(m) *Ibid. Cap. XV.*
(n) *Ibid. Cap. XVI.*
(o) *Ibid. Cap. XXI.*
(p) *Ibid. Cap. XXII.*
(q) *Ibid. Cap. XXIII.*
(r) *Cap. XXIIII. & Cap.* XXXVII. *ſeqq.*

ta (s), Sicilia (t), Sardinia (u), Corſica (x), Italia (y), Hiſpania (z), Britannia, Hibernia & Caſſiteridibus inſulis (a), Thule, (b) Gallia (c), mari rubro (d), & inſula Ceylan (e) ciuitates quamplurimas condidiſſe. Horum veſtigiis poſtea Carthaginienſes & poſtremis ſaeculis Luſitani, Hiſpani, Angli, Galli, Dani, Fridericus Guil. Elector Brandeburgicus, Belgae, quin & Curlandi inſtiterunt, qui partim in America, partim in India Orientali, conditis quamplurimis caſtris & munimentis effecerunt, vt non modo tuta ſit negotiatio, ſed & ipſi earum prouinciarum Principes bene ſecum agi, putent, ſi ſub Europaeorum clientela precario imperent. Exiſtimare quis poſſet, in barbarico tantum hoc licere, & vi ac ferro magis obtineri, quam iure & foederibus. Sed quum nihil ſit rectae rationi magis conſentaneum, quam poſſe vnumquemque ſe iure ſuo abdicare: quidni & foederibus conuenire poſſet, vt genti exterae in ſolo alieno munimenta & caſtra condere liceat? Et ſane quod Europaei ſibi in America & India orientali, ictis foederibus, adquiſiuerunt, id & in Europa ſibi ab Hiſpanis ſtipulati ſunt Britanni, puta vt vrbem Calpen, nec non portum Magonis in Minorica inſula retinerent, negotiantibus in mari mediterraneo *inſigni praeſidio futuras*, quamuis, quam aegre id ferant Hiſpani, & quam ſaepe eas vrbes recuperare ſtuduerint, nemo ignoret.

§. XXVII.

Aliquando ipſa foedera tam dubiae ſunt interpretationis, vt, ſintne eorum leges ab alterutro violatae, nec ne, vix adpareat. His caſibus profecto durum eſſet, illico ad arma prouolare, & ſibi veluti manu ius dicere, quum mitiora ſuperſint remedia, ſapientesque prius omnia tentare oporteat, quam rem nondum ad liquidum perductam dubiae Martis aleae committant (f). Quum vero tria potiſſimum media impediendi bellum commendare ſoleant viri docti & prudentes (g), colloquia, ſeu diſceptationem a- *Legationibus*,

Q 3 micam,

(s) *Ibid. Cap. XXVI.*
(t) *Ibid. Cap. XXVII. ſequ.*
(u) *Ibid. Cap. XXXI.*
(x) *Ibid. Cap. XXXII.*
[y] *Ibid. Cap. XXXIII.*
[z] *Ibid. Cap. XXXIIII. ſequ.*
[a] *Ibid. Cap. XXXIIII.*
[b] *Ibid. Cap. XXXX.*
[c] *Ibid. Cap. XXXXI.*
[d] *Ibid. Cap. XXXXIIII.*
[e] *Ibid. Cap. XXXXVI.*
[f] Cel. Dn. Praeſ. *Elem. Iur. nat. & gent. Lib.* II. §. CC.
[g] Grot. *de iure belli & pac. Lib.* II. *Cap. XXIII.* §. VII. *ſequ.* Pufendorff. *de iure Nat. & gent. Lib. V. Cap. XIII.* §. *III.* & *Lib.* VIII. *Cap.* VI. §. *III.*

micam, prouocationem ad arbitros, & ſortem: facile eſt intellectu, raro ita comparatam eſſe de commerciis controuerſiam, vt Principes rerumque publicarum rectores eam fortunae arbitrio permittere velint, nec minus difficile eſſe, reperire arbitrum aequum, & qui nobis lucrum, quod ex commerciis ſperamus, non potius interuerſum, quam firmum ac ſtabile eſſe, cupiat, ac proinde non aliud ſupereſſe remedium, quam legationes, a quibus amice diſcernantur illae controuerſiae, & dubia foederum capita ad liquidum perducantur. Multum ſane momenti poſitum eſt in legati eloquentia, prudentiaque: ſaepe & dona, quae ferunt, placant animos, ſaepius eorum ſplendor oculos foederatorum percellit, vt potentiam exterae gentis reuereantur, & mitiora conſilia capiant. Hinc recte apud GROTIVM (h) LIBANIVS: Πρῶτον μὲν τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾷν ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. *Homini eſſe conuenientius, prius verborum experimentum facere, quam ſtatim ad arma proſilire.* Et ſane quam multa olim Romani & Graeci, noſtra vero patrumque memoria Angli & Belgae legationibus a gentibus non modo humanioribus, verum etiam barbaris, impetrarint, quae ipſis fortaſſe armis numquam impetraſſent, tam notum prouocatumque eſt, vt pluribus id teſtimoniis probare ſuperuacuum videatur. Exſtant ſane iuſta volumina, quibus illae legationes earumque euentus luculenter deſcribuntur, veluti AD. OLEARII (i), GARCIAE SYLVAE FIGVERAE (k), NIEVHOFFII (l), CHAVMONTII (m), & *collectoris legationum Societatis Indicae ad Iaponiae Imperatores* (n), quibus ſimilibuſque libris euolutis, non temere quidquam, quod ad probandam huiuſmodi legationum neceſſitatem vtilitatemque pertineat, poterit deſiderari. Multa, quae a priuatis parum dextre ac feliciter adminiſtrantur, procedunt felicius, ſi principis vel reipublicae auctoritas negotio veluti pondus ſuperaddit: nec vlla eſt tam difficilis controuerſia, quae non prudentis legati diligentia poſſit definiri, ſi hic occaſiones omnes callide ſpeculetur, iniectaque ſpe, metuue in tempore incuſſo, animos in partes ſuas pertra-

[h] Grot. *ibid.* §. VII. *n.* 1. *not.* 1.

[i] Ad. Olearii *Itiner. Moſcou. Perſ. Sleſu.* 1663. *fol.*

[k] *L'Ambaſſade de D. Garcias Sylua Figueroa en Perſe*, ex verſione Wicquefortii *Pariſ.* 1667. 4.

[l] Nieuhoff. *Legatio Societatis orient. Indiae in Belgio ad Imperatorem Chinenſem. Amſtelod.* 1666. *fol.*

[m] *Relation de l'Ambaſſade de Mr. de Chaumont à la Cour du Roi de Siam. Pariſ.* 1668. 12.

[n] *Ambaſſades mémorables de la Compagnie des Indes Orientales des Prouinces unies vers les Empereurs du Japon. Amſt.* 1680. *fol.*

pertrahere didicerit. Quam difficile fuerit foedus commerciorum inter Belgas & Anglos concinnare, ex BASNAGIO (o) oſtendit MASCOVIVS (p) : & tamen impedimenta omnia perrupit legatorum Belgicorum adſiduitas, prudentia, ac conſtantia, documentumque dedit poſteris, nullam eſſe his virtutibus viam inuiam, omniaque recte procedere, ſi dextre ac ſapienter gerantur.

§. XXVIII.

Praeterea ad tuendam commerciorum libertatem permultum faciunt claſſes, bene inſtructae, quippe quae nec impugnantur facile a gente inimica, & ei metum iniiciunt, vt aequas conditiones admittat. Hae vero vel a priuatis negotiatoribus priuatiſque ſumtibus, vel Principum rerumque publicarum auſpiciis ac impenſis mari immittuntur. Prius vbi fit, naues hae, in claſſis modum conſociatae, hodie vocantur *eine Admiralitaet*, ab Arabica voce *Emir* ſeu *amira*, quod dominum denotat vel praefectum (q): olim *σύμπλοια* vel *ὁμόπλοια*, quia plures naues armatae coeunt, & ſimul ductu vnius praefecti nauigant, ad vim piratarum hoſtiumque eo facilius profligandam. Et ſane vti neceſſitas per Orientem docuit mercatores, terra continenti negotiantes, vt conſociati in modum exercitus, quem vocant *carauanam*, ſub auſpiciis alicuius ducis iter per loca inhoſpita faciant : ita hac cautione multo magis opus eſt iis, qui per mare ad diſſitas gentes negotiandi cauſſa excurrunt, vbi *Claſſibus*,

Quid quiſque vitet, numquam homini ſatis
Cautum eſt in horas : & vbi nauita Boſphorum
Poenus perhorreſcit (r).

Sic ſane huiuſmodi *ὁμόπλοια* iam antiquiſſimis temporibus placuit Salomoni & Hieramo, Regibus, ad Ophirenſes vela facturis (s); eaque vtebantur & Graeci & Romani, quoties periculi quid imminere videbatur nauigantibus. Eam enim & aliis ſuadet CICERO, (t) & ſe ipſum eo praeſidio vti conſtituiſſe ſcribit (u) : vt iam non dicam de *archiguberno claſſis Britannicae*, Seio Saturnino, cuius in ipſo iure noſtro (x) mentionem fieri nouimus. Haec ſocietas,

[o] Baſnag. *Hiſt. Belg. Tom. I. p.* 51. *&* 493.

[p] Maſcou. *Diſſ. de foed. commerc.* §. VI.

[q] Voſſ. *de vitiis ſerm. Lib. II. Cap. II.* Car. du Freſne *Gloſſar. Lat. Tom. I. p.* 387. *ſequ. edit. nou.*

[r] Horat. *Carm. Lib. II. Od. XIII.*

[s] *I. Reg.* VIIII. 27. *II. Paralip.* VIII. 30.

[t] Cicero *Lib.* XVI. *Epiſt. ad Attic. I.*

[u] *Ibid. Epiſt. IIII.*

[x] *l.* 46. *D. ad SC. Trebellian.*

cietas, ſi conſentiente principe vel republica coaleſcit: ſi fidem patriae ſibique inuicem praeſtat, ſi ingruente aliquo caſu aut periculo quisque communem ſecuritatem ſupremam ſibi legem dicit, nec ex ſocietate ante tempus diſcedit, ſi denique ſancte ſeruantur leges nauticae, quales Dani (y), Belgae (z) aliaeque gentes de ordine nauigandi, pugnaeque nauticae ratione tulerunt, dici non poteſt, quam ad quaeuis euitanda pericula ſit vtilis, quamque ſalutaris mercatoribus, qui maximam ſaepe fortunarum partem ventis ac fluctibus committere coguntur, duplici expoſiti periculo, ſi praeter breuia & ſyrtes hoſtium quoque ac piratarum vim & iniurias metuere cogantur. Sic priuati ſocietatem nauticam contrahere ſolent. Si vero tanta ſint gentis cuiuſdam in ciues noſtros odia, vt priuata illa praeſidia ſufficere non videantur: nihil ſupereſt, quam vt ipſi Principes & reſpublicae claſſibus mare tutum reddant, ſuiſque ſint praeſidio, quod ab Athenienſibus, Romanis, Hiſpanis, Luſitanis, Gallis, Anglis & Belgis tam feliciter ſaepe factum eſſe nouimus, vt lucroſa commercia ſua non modo ſalua praeſtiterint, ſed & ea ſubinde amplificarint.

§. XXVIIII.

Aliquando & repreſſaliis.

Euenit aliquando, vt gentes quaedam nullum aequitati locum concedere velint, ſed depraedationes terra marique faciant, & conquerentibus licet per legatos principibus vel ſatisfactionem praefracte negent, vel poſtulata vanis promiſſis eludant. Eo caſu moribus gentium permittitur ſpecies violentae exſequutionis, quam *ius repreſſaliarum* vocant iureconſulti recentiores, vt gentis tam iniuſtae naues merceſque, vbicumque repertae capi ac ſiſti, ex iiſque laeſis ſatisfieri poſſit (a). Quod quidem nihil, quod a iuſtitia alienum ſit, continere arbitramur. Quamuis enim ita fiat, vt & innocentibus, nullaque nobis iniuria compertis, damni quid inferatur: id tamen hi non magis deprecari poſſunt, quam cladem bellicam. Nam ciues vna cum Principe ſuo perſonam quamdam moralem conſtituunt, & hinc factum principis ciuium factum eſt, nihilque iniuriae fit ciui, qui ob reipublicae ſuae factum aliquid damni ſentit (b), quamuis ei recurſus aduerſus ciuitatem, eumue, per quem ſtetit, quo minus eo damno adficeretur, omnino

[y] *Leg. Dan. Lib. IIII. Cap.* VII.

[z] Placat-Buch. *Tom. I. p.* 323. 479. *ſequ.*

[a] Grot. *de iure belli & pac. Lib. III. Cap. II.* §. *IIII. & ſequ.*

[b] Pufend. *de iure Nat. & gent. Lib.* VIII. *Cap.* VI. §. *XIII.*

omnino patere debeat (c). Quamuis vero & nomen ſit recentius, & hanc pignorationem inter ciues eiusdem reip. prohibeant leges (d): tamen iam antiquiſſimis temporibus eam inter gentes liberas non extra vſum fuiſſe, luculentiſſimis exemplis oſtendit GROTIVS. Iam apud HOMERVM (e) Neſtorem, ob ereptos patri ſuo equos, Elidenſium pecora & armenta cepiſſe, legimus. Sed & Romanorum naues pro bonis Tarquiniorum, quorum hereditatem creuerat, Cumis retinuit Ariſtodemus (f). At poſtremis ſaeculis ob turbatam commerciorum libertatem eo remedio ſaepe vſae ſunt gentes liberae, quamuis aliquando iuſto plus ſibi induſiſſe videantur. Primo enim ipſa ratio ſuadet, id ius quod belli veluti praeludium eſſe ſolet, priuatis ſine decreto ſummi imperantis, cui ius belli eſt, non eſſe concedendum: ac proinde in Gallia nemini illo vtendi ius eſt, quam qui a Rege impetrauit *litteras marcae*, quas vocant (g), & quidem ab ipſis curiis ſupremis confirmatas (h): & in Belgio foederato id occaſionem dedit litibus non mediocribus, quod Zeelandi pro cauſſa communi repreſſalias, inuitis ceteris foederatis, decernere vellent (i). Quare tanto minus toleranda eſt audacia priuatorum, hoc iure ſine principum vel *reipublicae conſenſu auctoritateque* vtentium. *Quibus enim belli gerendi ius non eſt, iis nec repreſſalias decernere licet* (k), quidquid hic obuertant IO. BODINVS (l) & ipſe GROTIVS (m), ἀνδροληψίαν ſeu ius pignorandi exteros, ipſis priuatis concedere non dubitantes. Deinde & id cauendum, ne quid in decernendis repreſſaliis contra pacta & foedera fiat. Quia enim in ſe admodum rigida eſt haec exſequendi ratio, multis foederum legibus eius vſus eſt reſtrictus, cautumque, veluti anno MDCLIIII. inter Anglos & Belgas, ne repreſſaliae concedantur, niſi princeps, cuius ciuis ſe laeſum exiſtimat, prius principem laedentis adierit, isque intra tres menſes laeſo ius non dixerit. Et anno MDCLXII. inter Galliae Regem & Belgii foederati ordi-

[c] Grot. *de iure belli & pac. Lib.* III. *Cap. II.* §. VII. *n.* 4.

[d] *l. vn.* C. *vt null. ex vican. l.* 4. C. *de exſequutor. & exactorib. Nouell.* LII. & CLIII.

[e] Homer. *Iliad.* Λ. *v. 669. ſequ.*

[f] Liu. *Lib.* II. *Cap. XXXIIII.*

(g) Grot. *ibid. n.* 1.

(h) Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. iur. publ. Lib. I. Cap.* XXIIII. *p.* 175.

(i) Aitzema *Lib. XXIIII. p.* 717. *Lib. XXXXII. p.* 455. *Lib. XXXXV. p.* 1017.

(k) Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. iur. publ. Lib. I. Cap. XXIIII.* Ziegler. *ad Grot. Lib. I. Cap. XXXIIII.* §. 32.

(l) Io. Bodin. *Lib. I. de republ. Cap. X.*

(m) Grot. *ibid.* §. VII. *n.* 3.

nes conuenit, ne vllus eſſet repreſſaliarum vſus, niſi denegata iuſtitia, eaque denegata non cenſeatur, niſi libellus laeſi communicatus prius ſit cum legato eius principis, contra cuius ſubditos repreſſaliis vti conſtitutum ſit, & niſi intra quatuor menſes laeſo ius dictum ſit (n). Haec ergo accurate eſſe ſeruanda, nemo dubitauerit, niſi qui omnem fidem obligationemque inter gentes ſublatam cupiat. Enimuero caueri aliqua ſolent foederibus, quae vel nihili ſunt, vel exitum habere nequeunt. Cuius generis V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK merito eſſe dixit clauſulam anno MDCVIIII. induciarum (o); & poſtea pacis Monaſterienſis tabulis (p) inſertam, *ne repreſſaliae, niſi ſecundum legum Romanarum praeſcripta decernantur*, itemque, quod inter ſe anno MDCCX. pacti ſunt Imperator Maroccanus & Belgii Ordines, vt plane ceſſent repreſſaliae, ſed ſibi inuicem ius & iuſtitiam adminiſtrent. Quemadmodum enim ius Romanum repreſſalias ignorat, rem ipſam vero plane prohibet, adeoque ex eius praeſcripto illis vti nemo poteſt: ita poſterior conuentio plane eſt fruſtranea. Quid enim ſi iuſtitia non adminiſtretur? annon tunc nihilominus recurretur ad repreſſalias? Quare haec ſimiliaque pacta non obſtant, quo minus princeps laeſo ſubdito recepto hoc inter gentes remedio ſuccurrere, & honeſtam habere poſſit hanc libertatem commerciorum tuendi rationem.

§. XXX.

Ac denique bello. Sed vbi ea omnia expertus eſt Princeps, vt ſubditis ſua conſtet commercandi libertas, & tamen nihil aequi impetrauit: ibi nihil omnino ſupereſt, quam vt iuſta expediat arma, ſibique ius dicat manu, quod nulla alia ratione obtinere potuit. Quum enim iuſtificae hae ſint belli cauſſae, ſi quis ſummorum imperantium vel laedat alterum iniuria, vel ius illius interuertat, iniuria vero ciuibus vel ſubditis illata, in ipſum principem ac rempublicam redundet: quis negauerit ius eſſe ciuitatum rectoribus, vim vi repellere, vel iuſto bello cogere hoſtem ad abolendam iniuriam, & pacem aequis conditionibus faciendam? *Aequiſſima*, inquit SENECA, (q) *vox eſt, & ius gentium prae ſe ferens: redde quod debes.* Et quum ne a priuato quidem id exigatur, vt ſuo ſe iure priuari

iniuria

(n) Bynkerſh. *ibid. p.* 173. *ſequ.*

(o) *Pact. induciar. inter Albertum Archiduc. & Ordines Belg. foed.* §. *XI.*

(p) *Pax Monaſt. inter Hiſpan. & Belg.* §. *XXII.*

(q) Seneca *Epiſt.* LXXXXVI.

iniuria aequo animo patiatur : qua fronte id exigeretur a principe, vel republica ? Nec quiſquam dixerit, ad principem non pertinere illatam ſubditis iniuriam, quum & ſupra iam demonſtratum ſit, cum commerciorum flore ipſam reipublicae ſalutem eſſe coniunctam, & ideo in ciuitatem coaluerint & aliorum imperia ſubierint liberi homines, vt iuribus ſuis ſine vlla iniuria fruerentur. Et ſane ſi recte Campani ineuitabilem neceſſitatem impoſitam credebant Romanis arma pro illis capeſſendi, quod ſe ſuaque omnia illis dedidiſſent (r) : quis neget, eamdem aliquando neceſſitatem incumbere aliis principibus rerumque publicarum rectoribus, quorum ciues iure ſuo vti vi ac dolo malo prohibentur ? Et hinc iam ſupra attulimus exempla vetera aeque ac noua bellorum, ob turbatam commerciorum libertatem geſtorum, quae iniuſta nemo vmquam dixerit, niſi cui omne bellum iniuſtum videatur. Facile equidem largimur, boni principis eſſe, non ob quamlibet minimam cauſſam arma ſumere, ſed eum expenſurum prudenter, non modo an res alio leniore modo poſſit componi, ſed & an operae pretium ſit, ob leuem quamuis iniuriam confugere ad remedium, ipſo ſaepe morbo grauius futurum. *Sed quemadmodum parum prudenter, nec tamen iniuſte agere dicimus hominem, qui, ne leue damnum concoquere videatur*, ſumtuoſam litem inſtituit : ita *non ideo dixeris iniuſte agere* Principem, qui & leuem iniuriam, illatam ſubditis armis vindicat, maxime ſi talis ſit iniuria, ex qua hoſtilis alterius animus ſatis ſuperque elucet. Non enim conſiſtere ſolent talia exempla, vnde coeperunt, ſed latiſſimam ſibi plerumque euagandi faciunt viam, vt demum nihil ſuperfuturum ſit ei, qui ſibi minima quaeque extorqueri patitur. Veriſſimum tamen eſt, ſaepe prudentia ac conſiliis plus proficere bonos principes, quam bello & armis, nec vllam eſſe maiorem gloriam, quam ſi ita pacis artibus vtantur, vt nihil auctoritati ſuae, nihil reipublicae ſaluti, nihil denique ciuium iuribus atque opibus decedat, ipſeque potius ſeruaſſe rempublicam, quam aleae expoſuiſſe, videatur.

R 2 §. XXXI

(r) Liu. *Lib.* VII. *Cap. XXXI.* Flor. *Lib. I. Rer. Rom. Cap. XVI.*

§. XXXI.

Vota pro potentiſſimo Daniae Rege, optimo Principe, & libertatis commerciorum vindice acerrimo concepta.

Et haec eſt illa immortalis gloria, qua fulget Rex meus multo clementiſſimus. Haec virtus inuſitata, quam in auguſto hoc principe cum omnes exteri, tum ciues maxime, qui ſub mitiſſimo eius imperio viuunt, venerantur. Nihil optimo Regi prius, nihil antiquius eſt, quam felicia praeſtare regna ac prouincias, religionem, pietatem, optimarum artium ſtudia, commerciaque in maius prouehere, ciues non modo legibus ſaluberrimis, ſed & incomparabili exemplo, meliores reddere: ita denique pacem colere, vt reipublicae non deſint claſſes, milites, commeatus, & reliqua tuendae pacis praeſidia. Quamobrem ſicuti ciuibus omnibus, ita & mihi, hoc officium imponit pietas, vt vota pro Rege optimo concipiam, Deumque precibus flagrantiſſimis rogem, vt ſaluum praeſtet patrem patriae, religionis ac ſtudiorum ſtatorem, iuſtitiae aſylum, libertatis commercandi vindicem, ſaluam incomparabilem Reginam, ſaluum heredem paternarum virtutum, iuuentutis principem, tantisque bonis, quibus ſub auſpicatiſſimo eius imperio tot regna & prouinciae fruuntur, addat perpetuitatem!

DE IVRE PRINCIPIS CIRCA CIVIVM STVDIA.

EXERCITATIO XXXI.

§. I. *Cur Minerua in Imperatorum numis vocetur* COMES AVG. §. II. *Tranſitio ad inſtitutum diſſerendi de iure principis circa ciuium ſtudia.* §. III. *Qualia ſtudia hic intelligantur.* §. IIII. *Quid obiici poſſit huic iuri principis?* §. V. *Earum obiectionum ſolutio.* §. VI. *Ius hoc principis fluit ex natura & fine ſocietatis ciuilis.* §. VII. *Idem exigunt ſingularum rerumpublicarum formae.* §. VIII. *Nec non ipſa ſtudiorum ratio.* §. VIIII. *Exempla principum, hoc iure ſuo cum laude vtentium.* §. X. *Conſiſtit illud primo in ingeniorum delectu.* §. XI. *An princeps recte prohibeat, quo minus promiſcue omnes ad litterarum ſtudia animum adpellant?* §. XII. *Abuſus huius iuris.* §. XIII. *Per quos principem hunc delectum habere deceat?* §. XIIII. *Idem deinde ius principis ſeſe exſerit circa ſcholas & academias.* §. XV. *Vindiciae huius iuris aduerſus canoniſtas.* §. XVI. *Tertio & circa reliquas ſocietates literarias hoc ius verſatur.* §. XVII. *Itemque quarto circa itinera litteraria ciuium.* §. XVIII. *Nec non quinto circa ſtipendia litteraria & praemia diligentiae.* §. XVIIII. *Sexto circa explorandos ciuium profectus.* §. XX. *Septimo circa ſocietates, ad excolendas artes mechanicas pertinentes.* §. XXI. *Octauo circa docendi diſcendique rationem praeſcribendam.* §. XXII. *Nono circa impedimenta, quae artium incrementis obſtant, remouenda.* §. XXIII. *Felicitas reipublicae, in qua iure hoc ſuo rite vtitur princeps.* §. XXIIII. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Cur Minerua in numis Imp. vocetur COMES AVG.

PRaeclare MONETARVM nomen tuentur veteres Romanorum numi, quorum tot myriades, incredibili litterarum bono, tulerunt aetatem, maximaque cura, pro eo, ac decet, in fortunatiorum gazophylaciis adſeruantur. Quemadmodum enim *moneta*, recte hoc obſeruante ISIDORO (a), *a monendo* nomen accepit, ac proinde in gloſſa PHILOXENI vocatur μνημοσύνη. ita de tam multis iiſque praeſtantiſſimis rebus nos admonent vetera illa Romanorum numiſmata, vt quum EZECH. SPANHEMIVS *de eorum vſu ac praeſtantia* vaſtum elaboratiſſimumque opus adornarit, is tamen omnem eorum vtilitatem adeo non exhauſerit, vt poſt tantam meſſem aliis maximum ſpicilegium reliquiſſe videatur. Rem iam vnico, eoque perelegante exemplo illuſtrare iuuat, numis puta, qui exſtant, Tetrici (b), Probi (c), Diocletiani (d) & Maximini (e), Imperatorum, in quibus conſpicitur Minerua galeata, dextra praeferens oleae ramum, ſiniſtra clypeum, humi poſitum, inuerſamque haſtam, cum epigraphe: COMES AVG. His enim admoneri videmur, non poſſe principes rectoreſque rerum publicarum carere praeſidio ſapientiae, quam iam PLVTARCHVS (f) ἄρχοντι πάρεδρον, καὶ φύλακα ἐγκατοικισθέντα, *comitem principis, cuſtodem ac adſeſſorem indiuiduum eſſe* oportere, prudenter obſeruauit. Quamuis vero iis temporibus tantum non omnes, qui dignitate quadam palatina fungebantur, COMITES AVGG. (g) quidam etiam eorum ob interiorem admiſſionem AMICI ET COMITES AVGG. vocarentur (h): vix tamen Imperatores, dum Mineruae id cognomen tribuerunt, has dignitates in animo habuiſſe crediderim; nec probabile videtur, principes illos ſuperſtitioſiſſimos Deam tam magnam ſibique tam venerabilem adminiſtris ſuis aequiparare, &, uti tum loquebantur (i), *comitiuae honore ac cingulo donare*

(a) Iſidor. Hiſpal. *Origin. Lat. Lingu. Lib. XV. Cap. XV.*

(b) Anſelm. Banduri *Numiſm. Imp. Tomo I. p.* 408.

(c) Laur. Beger. *Theſaur. Brandeb. Tomo II. p.* 767. Car. Patin. *in Indice Numiſm. Imp. p.* 406. Banduri *ibid. p.* 447. 460. 489.

(d) Idem *ibid. p.* 26.

(e) Idem *ibid. p.* 68. 82.

(f) Plutarch. *ad principem inerudit. p.* 779.

(g) Barn. Briſſon. *de verb. ſignif.* voce *Comes.*

(h) Gruter. *Inſcript. p. MC,* 5. *Tomo II.*

(i) Caſſiodor. *Variar. Lib. II. Cap. XVI. l.* 6. *C. de princip. agent. in reb.*

re voluiſſe. Quare potius cogitaſſe eos arbitror de Minerua, quae adſcita Mentoris forma comitem ſe fore Telemacho, ita promittit apud HOMERVM (k):

Τοῖος γάρ τοι ἑταῖρος ἐγὼ πατρώϊός εἰμι,
Ὅς τοι νῆα ςελέω, καὶ ἅμ᾽ ἕψομαι αὐτός.
En ſocium talem; veteremque parentis amicum;
Qui tibi do nauem, ſimul & COMITABOR *euntem.*

Talem ſibi nimirum Mineruae comitatum exoptarunt illi principes, qualem Telemacho contigiſſe fabulatur poëta, vt, quemadmodum hic, eius Deae ope ac conſilio, omnes hoſtium inſidias, omniaque pericula feliciter effugiſſe dicitur, ita ipſi maximis periculis, quibuſcum coniuncta eſſe ſolent magna imperia, duce ſapientia, feliciter defungantur. Alios equidem Imperatores in numis ſuis HERCVLEM COMITEM AVG. (l) SOLEM COMITEM AVG. (m) & VICTORIAM COMITEM AVG. (n) celebraſſe comperio, iiſque emblematibus oſtendere eos voluiſſe conſtat, ſibi inuicto robore, ſumma prouidentia, victoriis denique ac triumphis opus eſſe ad tuendam amplificandamque rempublicam: at noſtri principes, exemplo Agamemnonis, qui ſibi decem, non Achilli, aut Vlyſſi, ſed Neſtori, *ſimiles* exoptabat *(o)*, *comitem ſibi adiungere malunt Mineruam*, *non ignari*, neque Herculeum robur, neque *ſplendidiſſimos triumphos*, *niſi* comes adſit ſapientia, ſeruare poſſe rempublicam, eam vero propemodum oppreſſam, ſaepenumero non modo ſeruaſſe, ſed & in integrum reſtituiſſe principum ſapientiam. Non enim haec inermis, ſuiſque deſtituta eſt praeſidiis, ſed, ſicuti in numis noſtris Minerua altera manu oleam, altera haſtam ac clypeum praefert, ita hoc ipſum ſchema docet, ſapientiam, omnibus pacis bellique artibus munitam, & vtroque reipublicae tempore COMITEM AVGVSTORVM principum eſſe fidiſſimam. Et haec quidem etiam Stoicorum fuit ſententia, dum ſolum ſapientem regem, ſolum magiſtratui gerendo idoneum, ſolum opulentum, ſublimem, fortem, eſſe, profeſſi ſunt (p): nec aliud voluit MENANDER (q), dum dixit:

Τῷ διαθέσθαι πράγματα
Ἕκαςός ἐςιν καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον,

Ἄρχων;

(k) Homer. *Odyſſ. B. v.* 286.
(l) Banduri *ibid. p.* 6. 149. 155. 297. 460.
(m) Idem *ibid. p.* 164. 174. 226. 248. 258. 269.
(n) Idem *ibid. p.* 118. 311. 318. 320. 400. 401. 402. 406. 408. & 411.
(o) Homer. *Iliad. B. v.* 371.
(p) Laert. *Lib.* VII. *ſegm.* 122.
(q) Io. Stobaeus *eclog. ethic.* Cap. III

Ἄρχων, στρατηγὸς, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος. ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ᾽ ἔχει.

Aetate in hominum nil, pater, praeſtantius
Ratione conſilioque. Nam res qui ordinat,
Viaſque agendi recte diſponit ſibi,
Princeps, & imperator, conſiliarius,
Plebiſque dux eſt. Cuncta habet, cui mens adeſt.

Id ergo monere voluerunt veteres, dum COMITEM AVG. laudarunt Mineruam: recte profecto & ſapienter, ſi pro Minerua comitem ſibi ſumſiſſent veram illam ac diuinam ſapientiam, quam ita loquentem inducit Rex ſapientiſſimus (r): *Meum eſt conſilium & ratio. Ego prudentia ſum, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant & gubernatores iuſta ſciſcunt. Per me principes imperant, illuſtreſque ſunt omnes orbis praeſides.*

§. II.

Tranſitio ad inſtitutum differendi de iure principis circa ſtudia ciuium.

Qui alterum, tamquam indiuiduum comitem in contubernium adſciſcit, is procul dubio & comitis ſui comes eſt. Adeo enim mutuum eſt hoc officium, vt alter alteri ſit praeſidio, alter alterius ope, conſilio, cuſtodia, fruatur, nec vmquam vnus ab alterius latere diſcedat, & vterque vere dicere poſſit, quod ait apud EVRIPIDEM (s) Antigone:

πόμπιμον
Ἔχεις ἐμ᾽, ὥστε ναυσίπομπον αὔραν.

Comitem
Me habes, vt ſecundum ventum comitantem naues.

Quemadmodum ergo Minerua, id eſt, ſapientia indiuidua COMES AVG. eſt: ita auguſti principes ſunt indiuidui Mineruae comites, dum honeſtarum artium ſapientiaeque ſtudia defendere, ornare, & ad ἀκμὴν magis magiſque indies prouehere, pulcrum ſibi atque honorificum eſſe, arbitrantur. Hinc quod olim ad Herculis ſui officium pertinere credebat fabuloſa antiquitas, puta, vt ſit ΜΟΥΣΑΓΗΤΗΣ, & quibuſuis optimarum artium ſtudiis praeſtet patrocinium: id ad bonum principem refert EVMENIVS (t), dum ſcribit: *Aedem Herculis Muſarum in circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia cenſoria fecit: non id modo ſequutus, quod ipſe litteris & ſummi poetae amicitia duceretur, ſed quod in Graecia, quum eſſet imperator, acceperat, Herculem* MVSAGETEN *eſſe, id eſt,* COMITEM

(r) *Prouerb. VIII.* 14. *ſequ.*
(s) Euripid. *Phoeniſſ. v.* 1706.
(t) Eumen. *panegyric. pro ſchol. inſtaur. Cap. VII.*

COMITEM DVCEMQVE MVSARVM. *idemque primus nouem ſigna ex Ambracienſi oppido translata, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecrauit; vt res eſt, quia* MVTVIS OPIBVS & PRAEMIIS *iuuari ornarique deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum.* Reliqua non addo, id monuiſſe contentus, Herculem Muſageten illi, vt ex inſequentibus patet, eſſe quemuis bonum principem, comitem ac ducem Muſarum, ſtatoremque optimarum artium, cuius ad iura ac officium vel id maxime pertinet, vt quaeuis honeſtarum artium ſtudia ſub eius cura ac patrocinio floreant, ex iiſque reſpublica fructum capiat multo vberrimum. De quo quidem IVRE PRINCIPIS CIRCA CIVIVM STVDIA dum iam diſſerere animus eſt, Deum O. M. omnis verae ſapientiae auctorem, vt id bene vertat, pia mente precor.

§. III.

Qualia ſtudia hic intelligantur?

Quum ius illud ſublime principis, quod paullo accuratius iam explicare conſtituimus, circa ciuium STVDIA ſeſe exſerat: quibuſnam de ſtudiis hic acturi ſimus, in ipſo ſtatim limine videtur exponendum. Et quidem STVDIVM generatim eſt omnis animi corporiſque exercitatio, ad habitum, in certa arte certoue vitae genere adquirendum, ſuſcepta, vel vt CICERO (r) definit, *animi adſidua & vehemens ad aliquam rem adplicata occupatio.* Vtramque eodem redire definitionem, facile patet. Quamuis enim corpori nullas ea in re partes tribuere videatur CICERO: fieri tamen non poteſt, quin adſidua & vehemens animi contentio etiam in corpore agilitatem incredibilem, motuſque fini, quem ſibi quiſque propoſuit, accommodatos producat. Vnde ipſum *ſtudii* vocabulum Latini formarunt a Graeco σπουδὴ, Graeci vero σπουδὴν ἀπὸ τοῦ σπεύδειν, id eſt, *a feſtinando* vel *properando* (s), quia omne ſtudium & mentem, & corpus, incitat, ac veluti calcaria ſubdit, vt quod quiſque concupiſcit, id eo citius celeriuſque adſequi conetur. Prout vero minus magiſue late patet illa corporis animique exercitatio: ita & ipſum ſtudii vocabulum modo ſtrictius, modo latius, accipitur. Strictiſſime iureconſulti ciuilem illam, quam ipſi excolunt, ſapientiam STVDIVM (t); & ipſos iureconſultos, etiam veteranos, & qui iam regnum aliquod foren-

(r) Cicero *de inuentione Lib. I. Cap. XXV.*

(s) Ger. Ioann. Voſſ. *Etymolog. ſub voce Spica p. 561.*

(t) *l. 1. §. 2. D. de iuſt. & iure.* Merill. *Obſeru. Lib. I. Cap. XI.*

ſe tenebant, STVDIOSOS adpellabant (u). Aliquando eo nomine veniunt omnes artes, quibus ad humanitatem ac ſapientiam inſtituimur, quaſque veteres & *litterarum* (x), nec non *diſciplinarum ſtudia* (y) vocaſſe nouimus. Et eo ſenſu poeta Venuſinus (z):

Et STVDIIS *annos ſeptem dedit.*

Nec non VELLEIVS PATERCVLVS (a): *Pacatis bellis ciuilibus, ad erudiendam liberalibus diſciplinis ſingularis indolem iuuenis, Apolloniam eum in* STVDIA *miſit.* Vbi *ſtudia* cum reliquas artes liberales, tum philoſophiam maxime, ſuo ambitu complecti, res ipſa docet. Et ſunt ſane hae artes ſingulari quodam ac praecipuo ſtudio digniſſimae, quippe quae *adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis ſolatium ac perfugium praebent; quae delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur;* (b) quae denique ſemel deguſtatae adeo animum ſui dulcedine ſuauitateque permulcent, vt nulla in re difficilius, quam in earum ſtudio, modum teneamus. Quamobrem nec mirum eſt, eam liberalium artium ἐγκυκλοπαιδείαν ob eximiam dignitatem STVDIORVM nomen κατ' ἐξοχὴν tuliſſe. At praetera latiſſima eſt vocabuli notio, quando omnia vitae genera, ad quae quis animum adpellit, STVDII vel STVDIORVM nomine veniunt. Quo ſenſu ſenex ille TERENTIANVS (c):

Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Vt animum ad aliquod STVDIVM *adjungant, aut equos*
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos:
Horum ille nihil egregie praeter cetera
STVDEBAT: *& tamen omnia haec mediocriter.*

Nimirum veteres, ceu recte obſeruat VOSSIVS (d), quasdam artium ac ſcientiarum veluti claſſes conſtituerant, aliaſque dixerant φαύλας, ἀνελευθέρους, βαναύσους, ἀγοραίους, id eſt *viles, illiberales, ſordidas*, ac veluti *circumforaneas*, in quem cenſum omnes fabriles ac ſellularias, quas opificia adpellamus, referebant: alias *populares*,

(u) *l. 1. D. de offic. adſeſſ. l. 9. D. de poen. l. 4. D. de extraord. cognit.* Gell. *Noct. Attic. Lib. XII. Cap. XIII.*

(x) Cicero *de haruſp. reſponſ. Cap. VIIII.*

(y) Quinctilian. *Inſtit. Orat. Lib. I. Cap. X.*

(z) Horat. *Lib. II. Epiſt. II. v. 82.*

(a) Vellei. Patercul. *Lib. II. Cap.* LVIIII.

(b) Cicero *pro Archia Cap.* VII.

(c) Terent. *Andr. Act. I. ſcen. I. v. 28.*

(d) Voſſ. *de art. & ſcient. nat. & conſtit. Lib. I. Cap. I.*

pulares, in quibus apud Graecos omnes pueri, teſte ARISTOTELE (e) exercebantur, quales erant grammatiſtice, gymnaſtice, muſice & ars pingendi: alias ἐγκυκλίες vel ἐλευθέρες, id eſt, *orbem diſciplinarum*, vel *artes liberales*, puta arithmeticam, geometriam, muſicam, aſtronomiam, grammaticam, rhetoricam & dialecticam: alias denique *ſublimiores* & veluti *principes*, quarum in numerum diſciplinas philoſophicas referebant. Ex his artium ſcientiarumque claſſibus plerumque duas poſteriores duntaxat *ſtudiorum* nomine dignas iudicabant: de prioribus inualuerat opinio, artibus illis neſcio quid ſordium haerere, eaſque non modo indignas ingenuorum hominum ſtudio (f), ſed & ciuibus ingenuis reipublicae ex voto optimae plane eſſe adimendas (g). Qua quidem ſententia nihil poteſt fingi abſurdius. Quum enim ipſe ARISTOTELES, (h) eodem alioquin in luto haerens, πᾶσαν τέχνην ἀγαθῦ τινὸς ἐφιέσθαι, *omnem artem boni aliquid adpetere*, fateatur: cur vllam earum, quae reipublicae vtilitatem adfert, ſordidam exiſtimemus? Ideone, quod in rebus ſordidis occupantur? Quaſi in re magis ſordida verſentur mercatores, fabri, piſtores, quin cerdones & fullones, quam poëtae, id ſaepe omni ſtudio agentes, vt omnes nequitias turpiſſimosque Veneris luſus inſidioſa oratione exornent. An, quia non tam ingenio, quam manu exercentur? Quaſi ſordidum ſit omne, quod manu paratur, & non potius veriſſimum ſit illud HESIODI (i):

Ἔργον δ' ὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δὲ τ' ὄνειδος.

Otia ſunt probrum, ſunt nulla negotia probrum.

An denique quod indignae ſunt illae artes libero homine, vel earum ſtudium minorem, quam liberales, vtilitatem adferunt? Quaſi vero indignum quid perſona ſua faciant, qui ſtudio, cui par ingenium ab ipſo bonorum omnium auctore Deo acceperunt, animum adiungere, quam artes liberales ac ſublimiores, inuita Minerua, addiſcere malunt: & quaſi facilius ac minore cum incommodo opificibus careat reſpublica, quam rhetoribus, criticis ac poetis. Quare tantum abeſt, vt tam arctis limitibus circumſcribendam putemus ſtudiorum notionem, vt eius vocabuli ambitu omnes honeſtas artes complectamur, illoſque demum aequo Ioue

 iudicare

(e) Ariſtotel. *Polit. Lib.* VIII. *Cap. III.*

(f) Cicero *de Offic. Lib.* II. *Cap. XXXXII.*

(g) Ariſtotel. *Polit. Lib.* VII. *Cap.* VIIII. & X. Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib.* II. *p.* 98. Aelian. *Var. Hiſt. Lib.* VI. *Cap.* VI.

(h) Ariſtotel. *Ethic. ad Nicom. Lib.* I. *Cap.* I.

(i) Heſiod. ἔργ. καὶ ἡμέρ. *v.* 309.

iudicare exiſtimemus, qui & vtiliſſimas reipublicae eſſe has artes cenſent (k), & auctores ſunt bono principi, vt non modo ſapientiae ac litterarum, ſed & vulgarium quarumuis artium, ſtudia ad curam ſuam reuocet, nihilque faciat reliqui, vt haec aeque, ac illa, a ciuibus excolantur, & ad maiorem, ſi fieri poteſt, perfectionem prouehantur.

§. IIII.

Quid obiici poſſit huic iuri principis?

Quo latius vero ius hoc principis circa ciuium ſtudia patet: eo minus dubitandum eſt, quin illi iuſto plus tribuere velle quibuſdam videamur. Primo enim ciues non eo fine coaluiſſe dicent in rempublicam, vt ſe vni paucisue in ſeruitutem addicerent, ſed vt ſub imperantium tutela ac patrocinio vera libertate tanto ſecurius fruerentur. Inde enim eſſe, quod ſummus prudentiae ciuilis auctor, ARISTOTELES (l), ciuitatem *κοινωνίαν τῶν ἐλευθέρων*, *communionem liberorum hominum* adpellare non dubitarit. Atqui nihil eſſe ſtatui herili propius, quam imperium illud, quod ſibi princeps in ciuium ſtudia adroget. Quod in Priapi ſtatuam luſit poeta (m):

Non me Praxiteles Scopaſue fecit,
Nec ſum Phidiaca manu politus:
Sed lignum rude villicus dolauit,
Et dixit mihi: Tu Priapus eſto:

idem de ſeruis dici poterat, *de quibus domini curam eſſe*, ait COLVMELLA (n), *cui quemque officio praeponere conueniat, & qualibus operis deſtinare.* Hi nimirum, audita heri voce: Tu villicus, tu vero actor, tu bubulcus, tu agaſo eſto, in ſolo obſequio ſibi relictam eſſe gloriam experiuntur. Quid vero intereſt, inquient, inter viliſſimum quodque mancipium, & ciuem, cui non relinquitur naturalis illa facultas faciendi, quod velit, artemque honeſtam, qua ſibi ſuiſque victum amictumque quaerat, ſuo arbitrio eligendi? Deinde ipſius ingenii humani eam eſſe dicent naturam ac indolem, vt nullius inter mortales imperium admittat. Nullis enim legibus parere intellectum, nullam iſtum vim metuere, quin eum ſolum, libertate inexpugnabili fretum, Manliana etiam imperia impune adſpernari. Addent, ne ardorem quidem illum, naturalemque

(k) Hertius *Elem. Polit. Part. II. ſect. II. §. XXX.*

(l) Ariſtotel. *Polit. Lib. III. Cap. IIII.*

(m) *Luſus Priap. n. 10.*

(n) Columella *de re ruſt. Lib. I. Cap.* VIII.

lemque ad artem quamdam impetum, qui in quouis ſtudio, tanquam primum, ſecundum, vltimum eſt, ab alterius iuſſu ac voluntate, ſed a cuiuſque natura & indole pendere, & hinc prudenter monere ſapientes (o):

Tu nihil inuita dices facieſue Minerua.

Quum ergo ipſa experientia doceat, quod pridem obſeruauit SENECA (p), *male reſpondere coacta ingenia:* ecquem dubitaturum, quin cuilibet permittendum ſit, vt naturam ſequutus ducem, ei ſtudio adiungat animum, ad quod ſe naturali quadam cupiditate ſentiat inflammari? Denique erunt fortaſſis, qui male ominentur ſtudiis artibuſque, tanta ſeruitute oppreſſis: Vti enim tum demum florere artes, & quaſi lacertos mouere conſtat, quando ſalua ciuibus eſt libertas, eas ſuo arbitrio excolendi: ita periculum eſſe clamabunt, ne ius illud, quod principi vindicamus, earum flori incrementiſque laetioribus officiat, omnemque bonam artem, quod de Domitiani temporibus conqueritur TACITVS (q), *in exſilium agat.* Quae quum ita ſint, ſatius quibuſdam videbitur, libera ab omni imperio eſſe ſtudia ciuium, quam eadem a ſummo eius arbitrio ac voluntate pendere.

§. V.

Enimuero haec omnia, ſi paullo accuratius, & adhibita in conſilium ratione, expendantur, ita comparata ſunt, vt ne ſpecioſa quidem, nedum ſolida, videantur. Quod enim ad primum illud argumentum attinet, male profecto colligeres, ciues, ſi principi circa eorum ſtudia ius aliquod concedatur, ſeruitutis periculum adituros, neque ſequitur, vt, quia domini ſeruorum ſtudia regunt, ideo & ciues, quorum ſtudia princeps ad reipublicae vtilitatem dirigit, pro ſeruis ſint habendi: niſi & liberos, quorum ſtudia parentes & paedagogi moderantur, triſtem ſeruire ſeruitutem fatearis. Permultum profecto intereſt, quo quidque animo, quoue conſilio fiat. Regunt ſeruorum ſtudia domini: verum non illorum, ſed ſui cauſſa, parendumque eſt ſeruis, modo domini imperent οὐ τὸ τύχης ἀλλὰ τὸ τῆς φύσεως ἐναρμόνιον, *non quod fortunae, ſed quod naturae congruit*, vti eleganter monet PHILO (r). Regunt liberorum ſtudia parentes, at non vt ſibi, ſed vt liberis, rei nondum intelligentibus, conſulant. *Quia* enim *vtile eſt iuuentuti regi,*

Earum obiectionum ſolutio.

(o) Horat. *de arte poet. v. 385.*

(p) Seneca *de tranquillit. animi Cap.VI.*

(q) Tacit. *vit. Agric. Cap. II.*

(r) Philo *Lib.II. de Legib. ſpeciali libro: p. 798.*

regi, inquit SENECA (s), *impoſuimus illi quaſi domeſticos magiſtratus.* Regunt denique ciuium ſtudia principes, at reipublicae cauſſa, cuius ratio non conſtat, niſi ſinguli ciues omnes ingenii vires eius ſaluti attemperent. Deinde facile quidem largimur, non poſſe cogi intellectum humanum, vt adprehendat, quod adprehendere non poteſt, vel, quod falſum eſſe perſpicue intelligit, pro vero; quod verum eſſe nouit, pro falſo habeat: ſed quis, quaeſo, niſi MACHIAVELLVS (t) vel HOBBESIVS (u) aliquis, tale ius, ſumma cum iniuria coniunctum, principi tribuat? Enimuero quemadmodum nullum principis imperium eſt in religionem, hominiſque conſcientiam (x), & illi tamen ius circa religionem vel ſacra denegari non poteſt: ita, quamuis in ipſas artes & ſcientias nihil iuris ſit principi, idque adeo verum ſit, vt facilius hominibus, quam vlli vocabulo, ius ciuitatis dare poſſit (y): ei tamen ius aliquod circa artes merito vindicamus, quod ad iuuandas potius ornandaſque illas, quam ad ciues obtorto collo atque inuita Minerua ad certa vitae genera pertrahendos, eſt comparatum. Denique poſtremum, quod attulimus, argumentum plane eſt ἀπροσδιόνυσον. Non enim a principe huiuſmodi periculum imminet artibus ac ſcientiis, ſed a tyranno. Ille enim *vtilitatem ciuium ſic tuetur, vt, quaecumque agit, ad eam referat, oblitus commodorum ſuorum* (z): hic nihil, quod ciuibus vtile eſt, ſibi ſalubre putat.

Non vulgi cura tyranno:
Dum ſua ſit modo tuta ſalus.

Suſpectum ei eſt, quidquid eminet, ac proinde idem omnium tyrannorum eſt conſilium, ac olim Tarquinii & Periandri, qui, quid fieri vellent, ſummis papauerum capitibus baculo decuſſis, per ambages oſtendebant (a). Hinc inter eorum artes eſt, teſte ARISTOTELE (b), *μήτε παιδείαν ἐᾷν, μήτε ἄλλο μηδὲν τοιοῦτον, ἀλλὰ πάντα φυλάττειν, ὅθεν γίνονται δύο, φρονήματά τε καὶ πίστις, καὶ μήτε σχολὰς, μήτε ἄλλους συλλόγους ἐπιτρέπειν γίνεσθαι σχολαστικούς.* *nec diſciplinam*

(s) Seneca *de Beneſic. Lib. III. Cap. XI.*

(t) Conring. *praefat. ad Machiauelli principem p.* 20. *ſequ.*

(u) Hobbeſ. *Leuiathan Lib. II. Cap.* XVIII. *p.* 88. *ſequ.*

(x) Grot. *de iure belli & pacis Lib. II. Cap. XX.* §. XXXXVIII. *ſequ.*

(y) Sueton. *de illuſtr. grammat. Cap. XXII.*

(z) Cic. *de offic. Lib. I. Cap. XXV.*

(a) Liu. *Lib. I. Cap. LIII.* Flor. *Lib. I. Cap.* VII. Ariſtot. *Polit. Lib. III. Cap.* VIIII. *& Lib. V. Cap. X.*

(b) Ariſtot. *ibid. Lib. V. Cap. XI.*

nam permittere, nec aliud quidquam huiuſmodi: ſed omnia cauere, vnde ſolent oriri haec duo, ſpiritus magni & fides: ac proinde neque ludos litterarios ſinere coli, neque alios conuentus, in quibus honeſto ocio homines fruuntur. Hinc ſub Domitiano ſimilibuſque principibus Roma vidit expelli ſapientiae profeſſores (c), inertiam coli pro ſapientia (d), nec minus periculi ex magna, quam ex mala, fama eſſe (e). Quae omnia non eſt, quod a bono principe metuamus, qui ſatis intelligit, ſe tanto florentiorem habiturum rempublicam, quanto laetius in ea ſapientia, virtus, omneſque bonae artes effloreſcant.

§. VI.

Ius hoc principis fluit ex natura & fine ſocietatis ciuilis.

Quum ergo tam leuicula ſint, quae huic principum iuri obuerti poſſe videntur: facile vnuſquiſque intelliget, fundamentis illud niti firmiſſimis, quorum praecipua tantum hic conſectari iuuabit. Primo itaque ciuitatem in ſocietate, ſocietatem in plurium hominum in eumdem finem, eademque media conſenſu conſiſtere, inter omnes conſtat (f): idque adeo extra omnem dubitationis aleam poſitum ſemper viſum eſt, vt ideo rempublicam *eadem velle, eademque nolle* dixerint (g), eamque tamquam vnam aliquam perſonam conceperint animo, quia *in quibus eadem ſtudia ſunt, eaedemque voluntates, in his fit, vt aeque quis altero delectetur, ac ſeipſo, efficiaturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, vt* VNVS *fiat* EX PLVRIBVS (h). Quum vero inter contraria hominum ſtudia ſperandum non ſit, vt tot myriades veluti per conſpirationem vnum idemque velint ac nolint: id vnum ſane relinquitur, vt ciues voluntates ſuas voluntati ſummi imperantis ſubmittant, in quo & officium bonorum ciuium poſitum eſſe, recte obſeruauit EPICTETVS (i). Quare princeps idem reipublicae praeſtat, quod mens corpori. Quemadmodum enim illa non modo totum corpus, ſed & omnia eius membra mouet ac regit, vt, quod toti vere proſit, peragant, nec ſaluum eſſet totum corpus, niſi membra ſingula mentis imperio parerent: ita principis eſt, ciues, tamquam

(c) Tacit. *Agric. Cap. II.* Gell. *Noct. Attic. Lib. V. Cap. XI.*

(d) Tacit. *Agric. Cap.* VI.

(e) Idem *Annal. Lib. III. Cap.* LV. *& Lib.* XVI. *Cap.* VII.

(f) Dn. Praeſ. *Elem. iur. nat. & gent. Lib. II. §. XIIII.*

(g) Apulei. *de habit. Doctr. Platon. Lib. II. p. 25.*

(h) Cic. *de offic. Lib. I. Cap.* XVII. *& Catilin. IIII. Cap.* VII.

(i) Arrian. *Diſſert. Epictet. Lib. I. Cap. XII.*

quam magni corporis membra ac artus, ita regere, vt quiſque eas partes reipublicae, quae eius ingenio viribuſque conueniunt, cum laude agat. Opus reipublicae eſt milite eiuſque ducibus, opus eſt viris rerum ciuilium gnaris, qui ſint in principis conſilio, opus iuris peritis, qui vice ſacra iudicent, viris prudentibus qui aerario ea, qua par eſt, integritate praeſint, qui ſanctiſſimo legatorum munere apud exteros fungantur, qui ſacra faciant, docendique munere fungantur. Nec minus reſpublica indiget mercatoribus, artificibus, opificibus, nautis, agricolis, qui diuerſiſſimorum ſtatuum homines tamquam totidem magni iſtius corporis membra conſiderandi ſunt. Quum ergo princeps vniuerſum corpus regat: ad eius quoque officium pertinebit, curare, vt ſingula membra ſuis officiis recte fungantur, adeoque operam dare, vt & ſtudia quarumlibet artium floreant in republica, & ciuium quiſque illud excolat vitae genus, in quo vere prodeſſe poſſit reipublicae. Quin tantum abeſt, vt hanc curam abiicere debeat bonus princeps, vt, niſi hic admodum ſit oculatus, facile ſummum periculum reipublicae immineat. Quum enim Athenas nauarchorum peſſumdederit imperitia (k), Romae inſcitia remeritaſque legatorum paene exitio fuerit (l), Hebraeorum denique rempublicam florentiſſimam euerterit conſiliariorum imperitia (m): quis neget, idem & hodie euenire poſſe, niſi princeps det operam vt & ciuium in omni ſtudiorum genere praeſtantiſſimorum ſit copia, & quisque iis reipublicae partibus, ad quas a natura factus ſummaque arte perpolitus eſt, fungatur?

§. VII.

Idem exigunt ſingularum rerumpublicarum formae.

Praeterea id ius, eamque curam reipublicae rectorum ipſas rerumpublicarum formas diuerſiſſimas exigere, iam pridem obſeruauit ſummus prudentiae ciuilis auctor, ARISTOTELES (o). Quum enim non vna eademque omnibus gentibus placeat imperii ratio, ſed aliae principatum, aliae optimatium imperium, aliae populare regimen reliquis rerumpublicarum formis anteferendum eſſe, cenſeant, plerisque genus reipublicae vel ex duabus, vel ex omnibus ciuitatum formis conflatum, quod veteres omnium optimum praeſtantiſſimumque habuerunt (p), adrideat: per multum ſane

(k) Xenoph. *Hiſtor. Graec. Lib. II. Cap.* I. §. XVI.

(l) Liu. *Lib. V. Cap.* XXXVI.

(m) 1. *Reg. XII.* 8. *ſequ.*

(o) Ariſtot. *Polit. Lib.* VIII. *Cap. I.*

(p) Polyb. *Hiſt. Lib. I. Cap. I. p.* 628. *& Cap.* VIII. *p.* 638. Dionyſ. Halic. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 82. Diog. Laert. *Lib.* VII. *ſegm.* 131.

ſane intereſt, cuinam ex his formis accommodatius videatur populi cuiusdam ingenium. Sunt ſane, qui ne regibus quidem, niſi ex libidine, parent (q): alios ad herum recipiendum natura factos, dixeris: alios ad regnum, alios ad optimatium imperium procliuiores, alios aequalitatis amantiſſimos eſſe, Graecorum barbarorumque exemplis oſtendit ARISTOTELES (r). Quaecumque vero reipublicae forma ſemel placuerit: nihil prius, nihilque antiquius habere debent ciuitatum rectores, quam vt ciues adſueſiant illi formae, atque ita inſtituantur, vt eam non modo aequo animo ferant, ſed & ament, ac non minus, quam ſeipſos, ſaluam eſſe cupiant. Δεῖ γὰρ, inquit philoſophus (s), πρὸς ἑκάστην πολιτεύεσθαι. Τὸ γὰρ ἦθος τῆς πολιτείας ἑκάστης τὸ οἰκεῖον, καὶ φυλάττειν εἴωθε τὴν πολιτείαν, καὶ καθίστησιν ἐξ ἀρχῆς. οἷον τὸ μὲν δημοκρατικὸν δημοκρατίαν, τὸ δε ὀλιγαρχικὸν ὀλιγαρχίαν. Ἀεὶ δὲ τὸ βέλτιστον ἦθος βελτίονος αἴτιον πολιτείας. *Oportet enim apte ad ſingulos verſari in republica. Indoles namque cuiusque reipublicae ſua ac propria, & tueri ſingulas ſolet, & initio conſtituere, veluti popularis indoles popularem, oligarchica oligarchiam. Semper autem optima indoles & mos cauſſa eſt melioris reipublicae.* Hinc maxime porro intereſſe oſtendit legislatoris, vt curam adhibeat puerorum inſtitutioni, & diſciplinam publicam eamdem ac vniformem ciuibus omnibus praeſcribat: eoque nomine laudat Lacedaemonios καὶ πλείστην ποιοῦντας σπουδὴν περὶ τοὺς παῖδας, καὶ κοινῇ ταύτην, *plurimum ſtudii impendentes pueris, & id quidem publice*, qua in re & XENOPHONTEM (t), & PLVTARCHVM (u) habet conſentientes. Hactenus ARISTOTELES, cuius praeceptis nihil poteſt eſſe ſapientius, nihil ſalutarius. Niſi enim ita inſtituantur ciues, vt ament reipublicae ſuae ſtatum, ad eiusque conſeruationem felicitatemque omnia referant: alterutrum euenire neceſſe eſt, vt aut ciuitatem ſibi exoſam, ſi poſſint, deſerant, aut rebus nouis ſtudeant, omnemque praeſentem ſtatum euertendi occaſionem ſpeculentur. Obſeruauit ſane HERM. CONRINGIVS (x), patrum noſtrorum memoria Cretenſes, non ob aliam cauſſam, quam quod non adſueti eſſent regimini oligarchico, & iuuenum quorumdam patriciorum iniuriis laceſſerentur, clam ſollicitaſſe Turcarum auxilia, eaque induxiſſe in inſulam, easque fuiſſe primas veluti ſcintil-

(q) Tacit. *Annal. Lib. IIII. Cap. XXXXVI.*

(r) Ariſtot. *ib. Lib. III. Cap. XII.*

(s) *Id. ibid. Lib. VIII. Cap. I.*

(t) Xenophon *de republ. Lacedaem. Cap. I.*

(u) Plutarch. *in Lycurgo p. 50. ſequ.*

(x) Herm. Conring. *de morb. & mutat. oligarch.* §. *XX.*

ſcintillas ex quibus exarſerit ferale iſtud bellum Creticum, quod vnum maxime poſt hominum memoriam vires florentiſſimae Venetorum reipublicae attriuerit. Nec cuiquam ignotum eſt, quid Belgas, mitiſſimi ingenii homines, principumque ſuorum olim amantiſſimos, contra Hiſpanos armarit. Non prius enim in neruum rem erupiſſe nouimus, quam quum moderato adſueti imperio pro mancipiis tractari coepiſſent. Quod ſane ipſum Carolum V. Imp. ceciniſſe vt vatem, memoriae prodidit GROTIVS (y), *ſaepe quippe teſtatum, ſi Hiſpanorum ſuperbia cum Belgarum patientia committatur, ingens imminere periculum*: quin aliquando *inuectum eum in filium qui inter Hiſpanos nutrita indole, opportunitates earum regionum*, INGENIAQVE POPVLORVM *non perinde noſſet, aut etiam contemneret.* Vt paucis complectamur omnia, neque ſeruitutem, neque libertatem, neque laxum, neque adductius imperium aequo animo ferent ciues, niſi ab ipſis incunabulis iis doctrinis ac opinionibus imbuantur, quae cuiusuis reipublicae ſtatui conueniant, nec ſalua eſſe poteſt vlla ciuitas, niſi rem tanti momenti ad curam ſuam reuocent ii, quos reipublicae praeeſſe voluit diuini Numinis prouidentia.

§. VIII.

Nec non ipſa ſtudiorum ratio.

Accedit, quod ſine ea principis cura vix in vlla arte ac ſcientia operae pretium facturi eſſent ciues, quantumuis ingenioſiſſimi cupidiſſimique diſcendi. Pauciſſimi mortalium tam felice ac prope diuino ingenio praediti ſunt, vt viam, qua ad ſummum in aliqua arte faſtigium itur, ipſi inueniant: pauciſſimi, qui inuentam, nullo adhibito duce, conficere poſſint. Accedere oportet veluti polituram, a ſola inſtitutione dextra ac prudente expectandam. Hinc CICERO (z): *Ego*, inquit, *multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturae ipſius habitu prope diuino, per ſeipſos & moderatos & graues exſtitiſſe, fateor. Etiam illud adiungo, ſaepius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam, atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud neſcio quid praeclarum & ſingulare ſolere exiſtere.* Nimirum permulta requiruntur, vt quaeuis honeſta ſtudia in republica floreant, magiſtri artium omnis generis optimi, ſcholae bene ac prudenter conſtitutae, libri, bibliothecae, inſtrumentorum, aliarumque neceſſariarum rerum adparatus,

(y) Grot. *Annal. Belg. Lib. I. p. 6.*

(z) Cicero *pro Archia Cap.* VII.

paratus, quin & occaſio, ea, quae quisque didicit, exercendi. Haec vero maximam partem ita comparata ſunt, vt iis adquirendis non ſufficiat priuatorum fortuna: quaedam ſine principis auctoritate non adeo magnam vtilitatem adlatura videntur reipublicae. Principis ergo eſt, praeſtantiſſimos omnium ſcientiarum doctores ac artifices inuitare, eosque ſtipendiis, praemiis, legibus inflammare ad diligentiam, ſcholas, gymnaſia, academias condere, easque legibus ac priuilegiis ornare, id enim ius principi, veluti praecipuum, vindicant iuris publici auctores illi quoque, qui magiſtratibus etiam inferioribus ſcholarum curam non adimunt: (a) bibliothecas, muſea, gazophylacia magnificis ſumtibus inſtituere, theatra anatomica, ſimilesque palaeſtras, tamquam campum ampliſſimum, in quo iuuenum induſtria excurrat, aperire, & quae ſunt huius generis alia. Fuit ſane haec praeclara illa via, quam ſimul litteris ad perfectionem, ſimul ſibi ipſis ad immortalem gloriam muniuerunt principes optimi, Alexander M. (b), Veſpaſianus (c), Antonini (d), Alexander Seuerus (e), Conſtantius Chlorus (f) qui adeo nullis pepercerunt ſumtibus, quibus ad prouehenda quaelibet honeſtarum artium ſtudia opus eſſe videbatur, vt paene profuſi magis, quam munifici, viſi ſint poſteris, eo nimirum ſaeculo natis, quo ſaepenumero plus impenſarum fit in equos canesque, quam in viros doctiſſimos alendos (g). Quo animo ſi & olim fuiſſent principes: actum procul dubio eſſet de litteris, praeclarisque artibus, omniaque iam pridem vna veluti ruina inuoluiſſet barbaries.

§. VIIII.

Exempla principum hoc iure ſuo cum laude vtentium.

Et eo quidem iure circa bonarum artium ſtudia iam pridem maximo reip. bono vſi ſunt principes, tum barbari, tum Graeci: & illi quidem tanto diligentius, quanto minus in eorum imperiis aliqua erat priuatim in artibus proficiendi occaſio. Fuit ſane hoc

(a) Cothmann. *Reſp. acad. I. n.* 8. Limn. *Iur. publ. Lib.* VIII. *Cap. I. n.* XXXI. *ſequ.* XXXVI. Ziegler. *de iur. maieſt. Lib. I. Cap. XXIII. §. IIII.* Matth. Steph. *Diſc. acad.* VIII. *n.* XV.

(b) Plin. *Hiſt. Nat. Lib.* VIII. *Cap.* XVI.

(c) Sueton. *Veſpaſ. Cap.* XVIII.

(d) Iul. Capitolin. *Vit. Antonini Pii Cap. XI.* Tatian. *orat. contra Graecos p.* 157. Philoſtr. *vit. Sophiſt. Lib. II. Cap. II. p.* 566.

(e) Lamprid. *Alex. Seu. Capite XXXXIIII.*

(f) Eumen. *Orat. pro Schol. inſtaur. Cap. XI.*

(g) Creſoll. *Theatr. rhetor. Lib.* IIII. *Cap.* III. Salmaſ. *ad Script. Hiſt. Auguſt. p.* 72.

Regum Babyloniae inſtitutum, in ipſis ſacris litteris deſcriptum, vt, habito ingeniorum formaeque externae delectu, adoleſcentes eximiae indolis in palatio ſuo omnibus artibus, quas illi praeſtantiſſimas iudicabant, imbuendos curarent, quod ſeminarium palatinum luculenter deſcribit DANIEL, propheta, ipſe in illo cum ſociis quibusdam ac contribulibus ſub Aſpenatis eunuchi diſciplina educatus (h). Eumdem morem poſtea imitati ſunt Perſae, apud quos, teſte XENOPHONTE (i), optimatium liberi non modo in vrbe regia, ſed ἐν ταῖς βασιλέως θύραις, *in ipſa porta regis*, (quo vocabulo olim Perſae aeque, ac hodie Turcae, palatium regium denotabant (k), immo & in prouinciis intra ſatraparum aulas (l) ad artes quasuis honeſtas inſtituebantur. Quem morem mirifice laudans XENOPHON (m): Ἔνθα, inquit, πολλὴν μὲν σωφροσύνην καταμάθοι ἄν τις, αἰσχρὸν δ᾽ οὐδὲν, οὔτε ἀκοῦσαι, οὔτ᾽ ἰδεῖν ἐστί. Θεῶνται δ᾽ οἱ παῖδες καὶ τοὺς τιμωμένους ὑπὸ βασιλέως, καὶ ἀκούουσι καὶ ἄλλους ἀτιμαζομένους ὡς εὐθὺς παῖδες ὄντες μανθάνουσιν ἄρχειν τε καὶ ἄρχεσθαι. *Hic magnam continentiam animaduertere licet, neo quidquam iſtic turpe vel audire, vel videre. Quin etiam ſpectant pueri cum eos, qui a Rege ornantur, tum alios, qui notantur ignominia, quo fit, vt mox a prima pueritia parendi imperandique leges addiſcant.* Quid? quod & hodie diligentiſſima eius moris maneat cuſtodia apud Turcas, apud quos vix vllum praeſtantius inſtitutum reperias, quam quod ex omnibus pueris, (quos quidem iniquiſſima lege parentibus decimarum nomine extorquent,) praeſtantiſſima quaeuis ingenia in ſeminario palatino alunt, bellique ac pacis artibus ita inſtituendos curant, vt in tanta gentis barbarie poſtea ſummis in republica muneribus cum laude eximia fungantur (n). Quam inhumanae gentis prudentiam adeo admiratur vir morum Turcicarum non minus, quam rerum ciuilium, peritiſſimus, AVGER. GISLEN. BVSBEQVIVS (o), vt ad tam accuratae diſciplinae exempla erubeſcendum eſſe Chriſtianis, exiſtimet. *Habent hoc omnino*, inquit, *Turcae, vt hominem nacti egregium, tamquam adepti rem pretioſam, vehementer gaudeant; neque in eo excolendo quidquam laboris aut ſtudii praetermittant, praeſertim*,

(h) *Daniel* I. 3.

(i) Xenoph. *Expedit. Cyri Lib. I. Cap.* VIIII. *p. 61.*

(k) Henr. Stephan. *ad Xenoph. p.* 13.

(l) Xenoph. *Cyropaed. Lib.* VIII. *Cap.* VI. *§.* V. *p.* 534. Barnab. Briſſon. *de regno Perſ. Lib.* II. §. CII.

(m) Xenoph. *de Expedit. Cyri Lib.* I. *p. 61.*

(n) Leunclau. *Pandect. Turcic. Cap.* CCXXVIII. *p.* 223. Ricaut *dans l'état préſent de l'Empire Ottoman.*

(o) Busbequ. *Conſil. de re militari contra Turcas recte inſtituenda p.* 530.

ſertim, ſi ad rem militarem idoneum eſſe cognouerint. Noſtra longe diuerſa eſt ratio. Nam nos quidem, ſi bonum canem, accipitrem, aut equum ſumus nacti; valde laetamur, neque vlli rei parcimus, dum illum ad ſummam in ſuo genere perfectionem perducamus. In homine vero, ſi quem praeclara indole nanciſci contigerit, non perinde elaboramus, neque eius inſtitutionem ad nos magnopere pertinere, exiſtimamus: ac nos quidem ex equo, cane, atque accipitre, belle adſuefactis, varias oblectationes, multiplicemque vſum capimus. Sed Turcae ex homine, bonis moribus informato tanto maiorem, quanto reliquis animantibus natura hominis praeſtantior eſt atque excellentior. Ne vero ſolis barbaris curae fuiſſe exiſtimemus ciuium ſuorum ſtudia, idem inſtitutum & Macedones ab ipſa regni origine tenuerunt. Nam & horum Reges clariſſimorum Macedonum liberos recepiſſe in familiam legimus, οὔτι που ἐνυβρίζοντες αὐτοῖς, οὐδὲ διευτελίζοντες, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν ἐναντίων καρτερικοὺς αὐτοὺς ἐκπονοῦντες, καὶ ἑτοίμους πρὸς τὸ τὰ δέοντα πράττειν ἀποφαίνοντες. *non per iniuriam aut contemtum, ſed vt patientes eos laborum, & ad ea, quae fieri opus eſt, peragenda promtos ac paratos redderent*, vti loquitur AELIANVS (p), in eo tamen falſus, quod ſolius Philippi Regis hoc inſtitutum fuiſſe crediderit, quum id commune omnibus Macedonum regibus fuiſſe, obſeruarint ARRIANVS (q), VALERIVS MAXIMVS (r), & CVRTIVS (s), qui in ſcholae iſtius palatinae laudes excurrens: *Haec cohors*, inquit, *ſeminarium ducum praefectorumque apud Macedonas fuit. hinc habuere poſteri reges, quorum ſtirpi poſt multas aetates Romani opes ademerunt.* Addimus his veteres Francorum reges, qui & ipſi liberorum optimatium, rarae indolis, formaeque ac ingenii excellentioris, curam in palatio ſuo gerebant, eosque omnibus pacis bellique artibus probe excultos, muneribus ac dignitatibus, quibus pares ac idonei videbantur, admouebant. Horum iuuenum mentionem paſſim faciunt ſcriptores Francici, apud quos *aulicorum palatinorum, puerorum aulicorum* (t), itemque *ſcholaſticorum* (u) nomine veniunt, quales Patroclum Mumioni (x), Arnulfum (y) & Chrodogangum Meten-

(p) Aelian. *Var. Hiſtor. Lib.* XIIII. *Cap.* XXXXVIIII.

(q) Arrian. *Expedit. Alexandri M. Lib.* IIII. *Cap.* XIII. *p.* 169.

(r) Valer. Max. *Lib.* III. *Cap.* III.

(s) Curt. *Lib.* VIII. *Cap.* VI. & VIII.

(t) Hadr. Valeſ. *rer. Francic. Lib. XV. ad ann. DLXXXXI.*

(u) *Monach. S. Gallenſ. in vita Caroli M. Lib. I. Cap. XII.*

(x) Valeſ. *ibid. Lib.* VIIII. *ad ann. DLXV.*

(y) *Vita S. Arnulphi Metenſ. Epiſc. apud* Mabillon. *Act. Sanct. ord. Bened. Saec.* II. *p.* 150.

(z), Metenſium Epiſcopos, fuiſſe nouimus. De quo ſeminario Regum Francorum HADR. VALESIVS (a): *Itaque e palatio*, inquit, *tamquam e ludo, plurimi Abbates & Epiſcopi, ſanctitate vitae eminentes, comites ſtabuli, theſaurarii, referendarii, comites palatii, praepoſiti pocillatorum, conſiliarii, comites, duces, patriciique exierunt. Nec aliunde ferme, quam ex puerorum regia cohorte deligebantur, qui poſt data virtutis & fidei experimenta ad magna & honorata miniſteria ſublimesque dignitates proueherentur.* Et hae ſunt illae gentes, quae ſi a Romanis diſceſſeris maxima ſibi imperia armis quaeſiuerunt, easque his artibus diutiſſime rexerunt feliciter, vt mireris, in Germania & Francia vix aliud priſci iſtius moris exſtare veſtigium, quam contubernium illud puerorum nobilium, quos *pagen* vocant, quamuis hos vtplurimum ad aulicas potius vanitates, & equitandi, digladiandi, ſaltandi ſollertiam, quam ad pacis bellique artes inſtitui, animaduertamus.

§. X.

Conſiſtit hoc ius primum in ingeniorum delectu.

Sed vt iam ad ipſam rem accedamus paullo propius, merito quaeritur, quibusnam in rebus ius illud principum circa ciuium ſtudia poſitum eſſe exiſtimemus? Hic vero primum ponimus, iura principum, quae & *iura maieſtatis* vocantur, fine reipublicae eſſe metienda (b). Hic finis non alius eſt, quam interna externaque ſecuritas, in qua vtraque conſiſtit ſalus illa publica, quam *ſupremam* rectoribus rerumpublicarum *legem eſſe* oportere, ipſa recta ratio praecipit (c). Ex quo conſequitur, vt principi ea omnia liceant circa ciuium ſtudia, quae exigit ſalus publica, cuius illi cuſtodiam ciues in prima ciuitatis conſtitutione communi conſenſu ac ſuffragio detulerunt. Vnde recte AGAPETVS (d): Ὥσπερ ὀφθαλμὸς ἐμπέφυκε σώματι, οὕτω βασιλεὺς τῷ κόσμῳ ἐνήρμοσαι, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δεδομένος εἰς συνεργίαν τῶν συμφερόντων. Χρὴ οὖν αὐτὸν ὡς οἰκείων μελῶν, οὕτω πάντων ἀνθρώπων προνοεῖν, ἵνα προκόπτωσιν ἐν καλοῖς, καὶ μὴ προσκόπτωσιν ἐν κακοῖς. *Sicut oculus corpori inſitus eſt, ita rex adaptatus eſt orbi, a Deo nempe datus ad eorum, quae publice proſunt, adminiſtrationem. Oportet ergo eum omnibus hominibus, vt ſuis ipſius membris, proſpicere, vt in bonis proficiant, in mala autem non impingant.* Inde ergo primo omnium fluit IVS, DELECTVM

(z) Paul. Langob. *geſt. Epiſc. Metenſ. apud* Calmet. *in Probat. Hiſt. excelſ. & ciuil. Lotharing. Tomo* I. *p.* 59.

(a) Hadr. Valeſ. *ad ann.* DLXXXXI.

(b) Dn. Praeſ. *Elem. iur. nat. & gent. Lib.* II. §. *CXXXV. ſequ.*

(c) Cicero *de Legib. Lib.* II. *Cap.* III.

(d) Agapet. *Diac. de officio Regis* §. *XXXXVI. p.* 37.

LECTVM INGENIORVM habendi, quod in eo conſiſtit, vt non patiatur promiſcue omnes, ad ſtudia quaeuis adpellere animum, ſed explorata cuiusuis indole, quibus artibus aptiſſimus quisque videtur, in eas illum totum incumbere iubeat. Experientia ſane docet, vix alia in re periculoſius peccare homines, quam in certo vitae genere ſibi deligendo, nec vllam deliberationem, quam ea de re ſuſcipi ſolere frigidius. Veteres quosdam, veluti Sophroniſcum, Socratis patrem (e), Ariſtotelem item (f) & Zenonem, (g) oraculum conſuluiſſe legimus, quodnam vitae inſtitutum vel filiis eligerent, vel ipſi ſequerentur. Nec ignotum eſt, quid de Hercule ex Prodico retulerit XENOPHON (h), eum quum primum pubeſceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quiſque viam viuendi ſit ingreſſurus, datum eſt, exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem diu ſecum multumque dubitaſſe, quum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius eſſet donec incredibili virtutis pulcritudine captus, viam, difficiliorem quidem ac ſalebroſam, at exitu laetiſſimam ingredi conſtituerit. Iam equidem vanam priorem iſtam conſultationem, poſteriorem fabuloſam fuiſſe, non nego. *At recte tamen* intellexiſſe videntur, qui *id memoriae prodiderunt*, nullam eſſe rem *matura deliberatione digniorem*, quam, quae de futuro totius vitae *inſtituto* ſuſcipitur, conſultatio. Hic potiſſimum Deum O. M. prudentiores amicos, ipſamque rectam rationem, adhibendos eſſe in conſilium: hic explorandas corporis animique vires: hic omnes περιστάσεις accuratiſſime expendendas, vt quis certo ſtatuere poſſit, ad quodnam vitae genus quam maxime futurus ſit idoneus: hic denique in memoriam reuocandum PERSII praeceptum (i):

Quem te Deus eſſe
Iuſſit, & humana qua parte locatus es in re,
Diſce.

Sed nulla in re negligentiores ac ſtolidiores ſunt homines, quam in re tanti momenti. Et liberis quidem quodammodo ignoſcendum videtur, qui *ineunte adoleſcentia, quum eſt maxima imbecillitas conſilii, dum id ſibi quiſque genus aetatis degendae conſtituit, quod maxime adamauit, ante implicantur aliquo certe genere curſuque viuendi quam potuerunt, quod optimum eſſet, iudicare* (k). At quis ignoſcen-

(e) Plutarch. *de genio Socrat. p.* 588.
(f) Ammon. *in vita Ariſtot. p.* 4.
(g) Diogen. Laert. *Lib.* VII. *ſegm.* 2.
(h) Xenoph. *Memorab. Socrat. Lib. II. Cap. I. §. XXI. ſequ.* Cic. *de offic. Lib. I. Cap. XXXII.*
(i) Perſ. *Satyra III. v.* 71.
(k) Cicero *de offic. Lib. I. Cap. XXXII.*

ignoſcendum putet parentibus, qui tantam rem tam perfunctorie tractant? Hi filiorum vnum, ad ſtiuam natura factum, ſtudio theologiae; alium, cui vinum, quam oleum, conſumere pulcrius videtur, iurisprudentiae vel medicinae; alium, ad perpetranda quaeuis flagitia, quam ferendum hoſtium conſpectum, fortiorem militiae conſecrant, alium ad optimarum artium ſtudia maxime idoneum tabernae cuidam, vel arti ſellulariae, tamquam noxae dedunt. Atque ita fit, vt magna ſaepe ingenia latitent, & ſalſamentis vendundis vitam miſerrimam aegre tolerent ii, qui rempublicam, ſi litterarum ſtudiis operam dediſſent, cum laude capeſſere potuiſſent: alii obtentu ſtudiorum, quae tamen, vti canes ad Nilum, fugiendo pitiſſandoque tantum deguſtarunt, ſummis in republica muneribus, quibus plane ſunt impares, cum dedecore publico praeficiantur. Iam quis neget, id omne ad rempublicam pertinere? Conqueſtus olim eſt COLVMELLA, (l) Romanos ſua aetate rem *ruſticam peſſimo cuique ſeruorum, velut carnifici, noxae dediſſe, quam maiorum optimus quiſque tractarit*: atque inde eueniſſe ait, vt ſolum, quantumuis vbertate prioris aeui non defatigatum ac effoetum, priſtina tamen benignitate alimenta non praebeat mortalibus. Et ſane, ſi peſſime ſe habet res familiaris, quando pecoribus ſcriba vel anagnoſtes, agriculturae mediaſtinus, culinae bubulcus, theſauris ſeruulus trifurcifer, cellae vinariae anicula, iride bibacior, praeficitur: quanto magis periclitari dixeris rempublicam, quae ineptiſſimo cuique homini veluti noxae deditur? in qua imbelles ducunt exercitus, iurisprudentiae expertes de capite ac fortunis aliorum ius dicunt, & qui ſibi ſemitam non ſapiunt, aliis monſtrant viam? *Vnum hominem pluris plerumque, quam ciuitatem, eſſe*, Epaminondae exemplo demonſtrarunt CORNELIVS NEPOS (m) & POLYBIVS (n), quorum hic idem & de Athenienſibus obſeruat, tamdiu eos potentia & opibus eximie floruiſſe, quamdiu Themiſtoclis virtute ſuſtentati ſint, mox propter mores inſequentium ciuium diſſimiles contrariam fortunam expertos (o). Denique & de Romanis auctor eſt SALLVSTIVS, (p) *paucorum ciuium egregiam virtutem cuncta patrauiſſe, eoque factum eſſe, vt diuitias paupertas, multitudinem paucitas ſuperaret: ſed poſtquam luxu ac deſidia ciuitas corrupta ſit, rurſus rempublicam magnitu-*

(l) Columella *de re ruſtica Lib. I. præfat. comm. 3.*

(m) Cornel. Nepot. *Epaminond. Cap. X.*

(n) Polyb. *Lib.* VI. *Cap. XXXXI.*

(o) Idem *ibid. Cap. XXXXII.*

(p) Salluſt. *Catilin. Cap. LIII.*

magnitudine ſua imperatorum ac magiſtratuum vitia ſuſtentaſſe. Quum ergo & floreat reſpublica, & obſoleſcat, prout omnes eius partes viri vel ſapientes ac virtutibus ornati, vel imprudentes & vitiis omnibus obruti, ſuſcipiunt, immo ſaepe in vno eximiae virtutis ac ſapientiae viro vniuerſae reipublicae ſalus poſita ſit (q): quis quaeſo dubitet, quin ius ſit principi, ingenia praeſtantiora ſeligere, eaque ita perpolienda curare, vt aliquando reipublicae in partibus illis credendis vtilem ac fructuoſam operam nauare poſſint?

§. XI.

An princeps prohibere poſſit, quo minus omnes promiſcue animum ad litterarum ſtudia adpellant?

At paullo immitius cum ciuibus agere videbitur princeps, qui hoc iure ſuo vtitur. Fieri enim non poteſt, quin quosdam, qui incredibili diſcendi cupiditate flagrant, a Muſarum ſacris, tamquam profanos, arceat, eosque ad vulgares artes, quaſi ad operas publicas, condemnet. Atqui hoc ignominioſum plerisque videbitur, notumque eſt, hanc contumeliam Cylonem Crotonienſem, repulſam a Pythagora paſſum, in tantam egiſſe rabiem, vt dolori ſuo Pythagora eiusque ſchola funditus deletis parentaret (r). Deinde ipſae artes elegantiores multis ideo liberalium nomine venire videntur, quod vnicuique ad eas liberum patere acceſſum oporteat. Quid ergo, ſi civibus libertas iſta adimitur? Nonne idem continget quod de infauſtis Neronis temporibus conqueritur PLINIVS (s): *Peſſum iere vitae pretia, omnesque a maximo bono liberales dictae artes in contrarium cecidere, ac ſeruitute ſola profici coeptum?* Enimuero & his plus ſpeciei, quam ſoliditatis ineſt. Nemo enim, qui ſapit, auctor fuerit principi, vt quemquam cum ignominia a ſtudiorum cultura repellat, ſed vt, tamquam pater, iis quemque artibus, ad quas natus eſt, animum adiicere iubeat, quo ipſo non magis quemquam adficit iniuria, quam pater, qui filium obtuſioris ingenii a ſtudiis arcet. Si male res ceſſit Pythagorae, id non mirum eſt, primum quod hoc auſus eſt priuatus, deinde in aliena republica, tum porro aduerſus Cylonem, *ἄνδρα γένει μὲν καὶ δόξῃ καὶ πλούτῳ πρωτεύοντα τῶν πολιτῶν, ἄλλως δὲ χαλεπὸν καὶ βίαιον, καὶ τυραννικὸν τὸ ἦθος, genere, ſplendore, diuitiis Crotoniatarum facile principem, cetera hominem* *durum,*

(q) Seneca *de benef. Lib. V. Cap.* XVIII. *de conſtant. ſap. Cap. II.* Iuſtin. *Hiſt.* Lib. *V. Cap. IIII. Liu.* Lib. *II. Cap. X.* Lib. XXIIII. *Cap. XXXXIIII. Lib.* XXVIII. *Cap. XXXXIII.* Phaedr. *Lib.* IIII. *fab. XXXXIII.*

(r) Iamblich. *vit. Pythag. ſegm.* 248. Porphyr. *vit. Pyth. Cap.* LIIII. *p.* 49. *ſequ.*

(s) Plin. *Hiſt. Nat. Lib. XIIII.*

durum, *violentum*, *ſeditioſum*, *tyrannicoque ingenio praeditum* (t); immo Συβαριτῶν ἔξαρχον, *principem Sybaritarum* (u). Quae vero maior eſſe potuiſſet ludimagiſtri, peregre aduenientis, audacia, quam dum hominem ciuitatis ſuae principem, morum obtentu, veluti abſtentum reddere non dubitauit? Vt iam non dicam, odii iſtius quo Cylonem proſequutus eſt Pythagoras plane aliam fuiſſe cauſſam, adfectationem nimirum tyrannidis, quae quum in hoc non minor, quam in illo, eſſet, huic demum exitio fuit, teſtibus LAERTIO (x) & APOLLONIO (y). Itaque diuerſa plane eſt cauſſa principis & Pythagorae, iure imperantis, & adfectantis tyrannidem, ciuem officii ſui admonentis, & ſuperiorem cum ignominia repellentis: nec hoc exemplum quidquam ad rem facit. Deinde non metuendum eſt, vt liberalium nomen tueantur artes, ſi non cuiuis indigno in earum amplexus ruere liceat. Neque enim ob eam cauſſam liberales audiunt, quod cuiuis, tamquam ſcortilla, proſtitutae ſint, ſed quod *dignae ſint libero homine* (z), vel, vt TERENTIVS (a) rem eloquitur, quod *eas liberum hominem ſcire aequum eſt*. Non ergo haec omnia obſtant iuri principis, qui, ſi delectum militum habere, & nanos, mutilos, imbelles repellere iure poteſt, quidni eodem iure a ſtudiis arceat homines ineptos, nulloque ingenio praeditos? Quidni illi idem liceat, quod HOMERVS (b) in Vlyſſis virtutibus ponit, qui

Ὃν δ' αὖ δήμου τ' ἄνδρα ἴδοι βοόωντα τ' ἐφεύροι,
Τὸν σκήπτρῳ ἐλασάσκεν, ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ.
Δαιμόνι' ἀτρέμας ἧσο, καὶ ἄλλων μῦθον ἄκουε,
Οἱ σεο φέρτεροί εἰσι. σὺ δ' ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις
Οὔτέ ποτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.

Si quemquam e vulgo clamantem inuenerit vſquam;
Hunc ſceptro ferit, & verbis non lenibus vrget:
Tu vero taceas, & te melioribus aures
Praebe, nec belli arte potes, nec robore praeſtas:
Tu nec conſilio quidquam es, nec idoneus armis.

Sane tanto magis id licere debet bono principi, quanto minus vulgo homines illud vitae genus, quod illorum ingenio conuenit, eligere ſolere, obſeruauimus.

§. XII.

(t) Iamblich. *vit. Pythag. ſegm.* 248. Porphyr. *ibid. Cap. LIIII.*

(u) Iamblich. *ibid. ſegm.* 74. *p.* 61.

(x) Diog. Laert. *Lib.* VIII. *ſegm.* 39.

(y) *Apud* Iamblich. *de vit. Pythag. ſegm.* 254. Olear. *ad Stanl. Hiſt. philoſ. Part.* VIII. *Cap.* XVIIII. *p.* 688.

[z] Seneca *Epiſt.* LXXXVIII.

(a) Terent. *Eunuch. Act. III. Scen. II.*

(b) Homer. *Iliad. B. v.* 198. *ſequ.*

§. XII.

Enimuero hic ſemper meminiſſe oportet, nos de bono principe, cui populi ſalus lex ſuprema eſt, loqui, adeoque illi fruſtra obuerti, id ius aliquando abiiſſe in ſummam iniuriam. Fatendum enim eſt, aliquando eo iure abuſos eſſe malos principes, idque vel in artem tyrannicam, vel in arcanum dominationis conuertiſſe, dum factionem, cui male cupiuerunt, prohibuere operam dare honeſtis artibus, vt eo orbati praeſidio, ab aduerſariis eo facilius opprimerentur. Ea ſane arte ad opprimendos Chriſtianos vſum eſſe Iulianum τὸν παραβάτην, memoriae prodiderunt GREGORIVS NAZIANZENVS (c), SOCRATES (d), SOZOMENVS (e), THEODORITVS (f), AVGVSTINVS (g), immo & alienus alioquin a Chriſtiana pietate AMMIANVS MARCELLINVS (h), qui, licet Iuliano deuotiſſimus, hoc tamen eius facinus miro candore reprehendit. Quum enim animaduertiſſet homo ſagaciſſimus, non deeſſe Chriſtianis eximia ingenia, qui paganae theologiae vanitatem maſcula eloquentia, miroque argumentorum pondere refellerent: nihil magis e re contribulium ſuorum eſſe exiſtimabat, quam ſi efficere poſſet, vt obmuteſceret illa Chriſtianorum facundia. Fieri autem non poſſe videbatur, *quin illa mox obmuteſceret, ſi Chriſtianis litterarum cultu, tamquam aqua ac igne, interdiceret.* Quo conſilio illum etiam celeberrimam iſtam conſtitutionem (i) de magiſtris artium ſine accurato curiarum examine non admittendis, promulgaſſe, ſuſpicantur BARONIVS (k), IAC. GOTHOFREDVS (l), & CASP. ZIEGLERVS (m). Qua in re quamuis Iulianum plane fugerit ratio, parum quippe memorem, Chriſti doctrinam *non in perſuaſoriis humanae ſapientiae verbis, ſed in demonſtratione ſpiritus & ſapientiae conſiſtere* (n): tamen & artem tyrannicam redolebat hoc eius conſilium, eiuſque animum trepidum & religioni ſuae metuentem denudabat, quippe cui male ominabatur, nisi

Abuſus huius iuris.

(c) Greg. *Nazianz. Orat. I. in Iulian.* p. 51.

(d) Socrat. *Hiſt. eccl. Lib. III. Cap. XII. & XVI.*

(e) Sozom. *Hiſt. eccl. Lib. VI. Cap. XXXVII.*

(f) Theodorit. *Hiſt. eccl. Lib. III. Cap. IIII.*

(g) Auguſtin. *de ciuit. Dei Lib.* XVIII. *Cap.* LII.

(h) Ammian. Marcellin. *Lib.* XXV. *Cap.* IIII.

(i) *l.* 5. *C. Theod. de medic. & profeſſorib.*

(k) Baron. *Annal. eccleſ. ad ann.* CCCLXII. *n.* 286.

(l) Iac. Gothofred. *Comment. ad Cod. Theod. Tom. V. p.* 31. *ſequ.*

(m) Ziegler. *de iur. maieſt. Lib. I. Cap. XXIII.* §. *XI.*

(n) *I. Corinth. II.* 4.

niſi ei Chriſtianos inermes obiiceret. Id quoque hic non praetermittendum videtur, principes quoſdam hoc iure abuſos eſſe, ad gentes male perdomitas in officio continendas, quamuis non modo diuerſis, ſed & contrariis viis, ad metam contenderent. Alii enim id agebant, vt victis, paullatim obbruteſcentibus, eo facilius dominarentur: veluti Cyrus, qui Lydos Croeſi conſilio, citharam pulſare, pſallere, & cauponari, & ab omnibus pacis belli que artibus abſtinere iubebat, vt mox eos videret γυναῖκας ἀντ' ἀνδρῶν γεγονότας, *ex viris mutatos in mulieres* (o). Alii rhetoricam aliaſque artes liberales in prouinciis magno ſtudio docendas curabant, vt iis deliniti ſtudiis ferociam paullatim exuerent prouinciales, & iugum tanto patientius ferrent. Eo ſane conſilio Agricola, teſte TACITO (p), *vt homines diſperſos ac rudes, eoque bello faciles, quieti & ocio per voluptates adſueſceret, hortatus eos eſt priuatim, adiuuit publice, vt templa, fora, domos exſtruerent, deinde principum filios liberalibus artibus emolliuit, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum antetulit, vt qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent.* Quibus ipſe ſubiicit TACITVS, *Id apud imperitos humanitas vocabatur, quum* PARS SERVITVTIS *eſſet.* Nimirum *mitiſſima haec ſunt tyrannidis arcana*, vti eleganter vocat FORSTNERVS (q), ſed tyrannidis tamen. Bonus enim princeps tantum abeſt, vt bonas artes agat in exſilium, vel iis ad emolliendos ciuium animos abutatur, vt nihil ipſi maiorem adferat voluptatem, quam ſi ciues omnibus belli pacisque artibus ad capeſſendam rempublicam magis magiſque in dies idoneos reddi animaduertit.

§. XIII.

Per quos principem hunc delectum habere doceat?

Quum vero tanta ſit occupationum, quibus princeps diſtringitur, moles, vt ipſe per ſe ciuium omnium ingenia explorare non poſſit: merito quaeritur, cuinam potiſſimum curam hanc delegari oporteat? Et hic quidem maxime idonei videri poſſent ſcholarum, tum triuialium, quas vocant, tum academiarum magiſtri. Illis enim tam arcta cum adoleſcentulis conſuetudo intercedit, vt non poſſent non, ſi vellent, eorum perſpicere ingenia, &, quales futuri ſint, ex ipſis primae aetatis rudimentis augurari. Et notum ſane eſt, quanta hac in re fuerit εὐστοχία Pythagorae (r), nemi-

(o) Herodot. *Lib. I. p.40. edit. Steph.*

(p) Tacit. *vit. Agricol. Cap.* XXI.

(q) Forſtner. *Diſcurſ. polit. ad Tacit. Annal. Lib. I. p. 92. Tom. I.*

(r) Iamblich. *vit. Pythag. ſegm. 95.* Porphyr. *vit. Pythag. Cap.* XIII. & LIIII. Gell. *Noct. Lib.* I. *Cap.* VIIII.

néminem recipientis in contubernium, niſi cuius ingenium prius accuratiſſime exploraſſet: quin & ſingulari cura diſpicientis, ſapientiaene ſtudiis, an alii honeſto vitae generi, quisque aptior videretur, quorum priores diſcipulos *σεβαστικοὺς* & *μαθηματικοὺς*, poſteriores *πολιτικοὺς* adpellabat (s). Quod vero potuit Pythagoras, quidni & alii praeſtarent magiſtri? & quibuſnam rectius princeps hoc det negotii, ſi id recte curatum velit? Sed vereor, ne his minime omnium haec cura recte demandetur. Praeterquam enim, quod intereſt docentium, ſcholas ſuas eſſe quam frequentiſſimas, adeoque, vt ſunt ingenia mortalium commodis ſuis intenta, vix ſperandum videatur, eos omnes huic officio incorrupta fide ſatisfacturos: verendum etiam eſt, vt plerique artem illam explorandi ingenia ſatis perſpectam habeant. Praeterea vix horum tanta eſt auctoritas, vt iuuenes, maxime fauſtis nutriti ſub penetralibus, eorum conſilia vel ſuae propenſioni, vel votis parentum quantumuis ſtolidis antelaturos, probabile ſit. Mandandum ergo erat hoc officium viris prudentibus, & in dignitate conſtitutis, quibus nec pulcherrima illa ingenia explorandi facultas, nec iuuenes eorumque parentes in viam reuocandi auctoritas deeſſet. Quod quum *fere* vbique *negligatur: iuſta* profecto eſt haec *querela* MORHOFII (t): *Magno hoc litteris totique reipublicae, damno eſt, nullam hic plane eſſe* MAGISTRATVS *curam, quum in eo reipublicae maxime felicitas ſit.* Lacedaemoniis tanti viſa eſt iuuenum inſtitutio, vt eam curam non magiſtris, multoque minus alicui ex ſeruulis, ſed vni ex eorum numero, qui ſummos in ciuitate magiſtratus obibant, quemque ipſi *παιδονόμον* vocabant, committerent, quo publica auctoritate totum iſtud negotium adminiſtraretur (u). Quid prohibet, quo minus & in noſtris ciuitatibus ea res viris honoratioribus ac prudentibus committatur? Mauritium ſane, Saxoniae Ducem, principem pietate & prudentia eximium, ei rei praefeciſſe comperio concionatorem aulae primarium. (x) Alii praeſidi ac conſiliariis id iniunxerunt, vt ingeniorum haberent delectum, nec quemquam paterentur ſtudia academica auſpicari, niſi teſtimonio ſuo ornatum. Pudendum quibuſdam videbitur hoc munus, ſed non niſi iis, quos ipſius virtutis pudet. Si

 enim

(s) Photius *Bibliothec. Cod.* CCLVIIII. Crag. *de republ. Laced. Lib. II. Cap. XII. p.* 150.

(t) Morhoff. *Polyhiſt. Lib.* II. *Cap.* I. *n.* 3.

(u) Xenoph. *de rep. Laced. Cap. II. §. II. p.* 65. Plutarch. *in Lycurgo p.* 50.

(x) Mulleri *Annal. Sax. ad ann.* 1664. *p.* 458.

enim equorum ſtabulique praefectura inter ſummas dignitates palatinas eſt : cur quemquam pudeat, praeeſſe ingeniis, & eorum ſtudia regendo de poſteris praeclare mereri ? Epaminondam, ferunt (y), quum a ciuibus ſuis telearchus, id eſt, viocurus creatus eſſet, qui apud Thebanos non admodum honoratus magiſtratus erat, *ſe illum ita geſturum, dixiſſe, vt deinceps telearchia haberetur honoratior* : illumque hoc egregie praeſtitiſſe, ſiquidem tantum valuerit Epaminondae auctoritas, vt poſt eum telearchi perpetuo ex ipſis ciuitatis principibus ſint creati. Idem profecto in noſtris euenturum eſſet rebuspublicis, ſi vel vnus vir, genere atque auctoritate illuſtris, id munus eodem obiret animo, Spartamque, quam nactus fuerit, praeclare ornaret. At perinde eſt, quos princeps huic rei praeficiat, dum tanta eorum ſit prudentia atque auctoritas, vt munere illo dextre & cum magna reipublicae vtilitate fungi poſſint.

§. XIIII.

Idem ius principis ſeſe exſerit circa ſcholas & academias.

Ex eodem principio, quod principi ea omnia circa ciuium ſtudia liceant, quae ſalus publica exigit, (§. X.) porro conſequitur, vt eidem ius ſit, ſcholas & academias non modo inſtituendi, & ſalubribus legibus attemperandi reipublicae ſaluti, ſed & easdem, ſi quid vitii ceperint, emendandi. Sunt enim haec media, quibus opus eſt ad excolendas honeſtiores artes, nec quisquam, cui ſana mens eſt, inficiabitur, ei, a quo finis exigitur, media quoque in promtu eſſe debere, nec quidquam adeo principi illicitum eſſe poſſe, ſine quo finem adſequi nequeat. Iam quidem ea de re ab aliis, & maxime iureconſulto eximio, CASP. ZIEGLERO (z), actum eſt : nos tamen, ne plane ἀσύμβολοι hic diſcedamus, tria potiſſimum ad hoc ius principis pertinere, animaduertimus. Primum vt diſpiciat, quinam in ſcholis & academiis doceant : deinde, quid doceant ; poſtremo, quomodo quiſque hoc docendi munere fungatur. Primum adeo neceſſarium eſt, vt inde omnis ſcholarum & academiarum non modo celebritas, ſed & vtilitas, pendeat. Quotuſquiſque enim impetrare a ſe poſſet, vt magnam cum iuuentae, tum patrimonii, partem conſumat, vbi indocti profitentur doctrinam, & tamquam in Hebraeorum ſynagogis non decem, ſed totidem *ocioſi*, quot doctores, repe-

(y) Valer. Max. *Lib. III. Cap.* VII. *exempl. extr.* 5.

(z) Ziegl. *de iur. maieſt. Lib. I. Cap.* XXIII.

reperiuntur (a)? Qua in re grauiter peccarunt Athenienſes. Quamuis enim Athenae, tamquam omnis doctrinae ſapientiaeque domicilium, celebretur: nullam tamen ciuitatem iure illo, quod in ſtudiis ciuium regendis verſatur, minus prudenter vſam eſſe arbitramur, quam Athenienſem. Docebant ibi philoſophi, ſophiſtae, rhetores, non publica auctoritate conſtituti, ſed quibuſcumque aliqua erat ſtudiorum fiducia. Horum alius cum aliis ludens, edens, bibens, militans, philoſophabatur, vti Socrates (b), alius modo academiam, modo hortum Coloneum (c), alius Lyceum (d), alius Cynoſarges, gymnaſium (e), alius ſtoam, ſeu porticum variam (f), alius hortulum ſuum (g), pro auditorio habebat, ibique ſuo quiſque docebat periculo, nullo reipublicae iuſſu, nulla auctoritate publica. Deinde, quid magis cum reipublicae ſalute coniunctum eſt, quam ipſae, quae traduntur artes ac doctrinae? Sed has non magis curabant Athenienſes, parum ſolliciti, quid quiſque, aut quomodo doceret, eoque eueniebat, vt alii ob noxias ac peſtilentes doctrinas poenas darent, veluti Theodorus, atheus (h): alii accuſatorum oppreſſi calumniis, innoxii damnarentur, vti Anaxagoras (i) & Socrates (k). Quod ſane tam facile non eueniſſet, ſi non niſi exploratae doctrinae ac virtutis hominibus docendi munus publica auctoritate demandaſſent, vel in eorum doctrinas docendique rationem inquiſiuiſſent diligentius. Hinc recte CONRINGIVS (l): *Sed & notandum inprimis eſt, non vni alicui, vel duntaxat meliori philoſophorum ſectae, aut ei, quae conſentiret cum moribus aut inſtitutis reipublicae, conceſſam libere docendi illam facultatem fuiſſe, ſed ſine diſcrimine in eam libertatem admiſſas varias admodum, immo quaſdam & noxias philoſophorum haereſes, vti a ſeſe inuicem, ita etiam a religione recepta & legibus vrbanis quam longiſſime diſſidentes. Neque enim vlli ſectarum iſtarum cum inſtitutis ciuilibus tunc omni ex parte conueniebat.*

(a) *De decem ſynagogae Iudaicae ocioſis quae diſputata ſint inter* Campeg. Vitringa & Iac. Rhenferdium, *ſatis notum eſt. Vid.* Fabric. *Bibliogr. antiquar. Cap. XXI.* §. I.

(b) Plutarch. *vtrum ſeni gerenda reſp.* p. 796.

(c) Laert. *Lib. III. ſegm.* 7.

(d) Laert. *Lib. V. Segm.* 10.

(e) Laert. *Lib. VI. ſegm.* 13. Suid. *voce* κυνοσάργης.

(f) Laert. *Lib.* VII. *ſegm.* 6.

(g) Laert. *Lib. X. ſegm.* 10. Plin. *Hiſt. nat. Lib.* XVIIII. *Cap. IIII.*

(h) Laert. *Lib. II. ſegm.* 101.

(i) Laert. *Lib. II. ſegm.* 14.

(k) Xenoph. *Apolog. Socrat. Cap. I.* Laert. *Lib. II. ſegm.* 40.

(l) Herm. Conring. *Antiqu. academ. Diſſ. I.* p. 10.

niebat, ſed ſingulae pro ſeſe iſthaec oppugnabant impune, immo non ſine tacito multorum adplauſu. Omnia ergo haec curae eſſe debent bono principi, ſi fructum ex ſcholis capere velit rempublicam. Plerique equidem, hanc curam ad academias potiſſimum pertinere, arbitrantur, quia haec praecipua ſint reipublicae ſeminaria, iisque recte conſtitutis, non poſſit deeſſe hominum quibusuis muneribus idoneorum copia. Ego vero, ſi quid video, ſcholarum inferiorum, ſi non magis, ſaltim aeque, habendam eſſe rationem cenſeo. Quem enim fructum ex academiis etiam florentiſſimis capiet reſpublica, ſi ex ſcholis triuialibus, tamquam ex equo Troiano, quotannis prodeat indoctorum ac petulantiſſimorum adoleſcentium turba, quae ad academias, non tamquam ad omnis doctrinae ſapientiaeque mercatum, ſed tamquam ad ludos Olympicos, confluit? Quid vero hi proficient in academiis? quem fructum ex acroaſibus etiam accuratiſſimis capient? Annon potius idem continget, quod de auditoribus rudibus atque indoctis dixiſſe ferunt Ariſtippum, vt, quemadmodum in theatris, ita & in acroateriis, lapides lapidibus, ligna lignis inſideant? (m) Vtrobique ergo danda eſt opera, vt non cuiuis promiſcue ad docendum pateat aditus, ſed ei rei praeficiantur viri *ſolide docti*, & iis, quae hanc perſonam deceant, virtutibus ornati; vt hi *vtilia*, & adoleſcentibus profutura, tradant, non quae non didiciſſe *rectius* erat: denique vt ita omnia inculcent auditoribus, ne vel ſtudiorum eos capiat taedium, vel ipſi, quid didicerint, neſciant, ſed vt hi omnia ſapientiae praecepta in vſu habeant. Haec enim niſi curentur, & niſi ſimul virtutis ac diſciplinae habeatur ratio: nihil aut parum vtilitatis ex ſcholis atque academiis ſperandum eſt, quia vel indocti inde domum reuertentur iuuenes, vel, ſi quid didicerint, eo turpiter abutentur in reipublicae perniciem, vel pſeudotheologi futuri, vel vultures togati, vel medici tam mali, vt promtius numerare liceat anni cuiusuis uberrimi fructus, quam

Quot Themiſon aegros auctumno occiderit vno (n).

Quem vero ſuffecturum credimus tot conficiendis monſtris, quae ſcholas & academias miſere deuaſtant, quam Herculem Muſageten, id eſt, principem? & quis neget, eum, ſi rem, quam ad totius generis humani ſalutem pertinere animaduertimus, ad curam ſuam reuocet, de vniuerſa poſteritate praeclare meriturum?

§. XV.

(m) Diog. Laert. *Lib. II. ſegm.* 77. (n) Iuuenal. *Sat. X. v.* 221.

§. XV.

Vindiciae huius iuris aduerſus canoniſtas.

Sed intercedunt hic canoniſtae, genus hominum parum aequum Principum iuribus, quod proinde eam curam ad Epiſcopos potius, illosque epiſcopos epiſcoporum, qui Romae dominantur, quam ad principes, pertinere contendit (n). Demonſtrare hoc, ſed ſuo more, voluerunt celeberrimus Panormitanorum abbas, NIC. DE TVDISCHIS (o), IO. BAPT. GALLVS (p), AD. CONTZENIVS (q) & VAL. ROTMARVS (r), quorum quae argumenta ſint, age paucis expendemus. Scholae, inquiunt, & academiae ſocietates eccleſiaſticae ſunt, vel partes ſaltim eccleſiaſticae communitatis: quumque eae viros habiles eccleſiae ſufficere debeant, huius vel maxime intereſt, eas bene eſſe inſtitutas. Hinc ipſum ius ciuile academiarum curam demandat epiſcopis (s), iique & cancellariorum dignitate plerumque fulgent: quin ipſi ſtudioſi tamquam eccleſiae conſecrati, & hierarchiae ſubiecti, aliquando clericorum nomine veniunt (t). His armis hic pugnant canoniſtae. Et tamen iis exterriti quidam etiam noſtratium hoc ius principibus quidem proteſtantibus, ſed tamquam ſupremis prouinciarum ſuarum epiſcopis, competere exiſtimant (u). Enimuero nulla idonea ſubeſt ratio, cur ſcholas & academias, quales hodie florent, accenſere velis ſocietatibus eccleſiaſticis. Tulerint fortaſſis id nomen ſcholae, quae olim in eccleſiis cathedralibus & monaſteriis floruerunt, de quibus luculenter egerunt ZIEGLERVS (x), HOSPINIANVS (y), & HERM. CONRINGIVS (z). Saltim hodie vix eccleſiaſticae ſocietatis formam prae ſe ferunt ſcholae & academiae: &, ſi eam prae ſe ferrent, tamen, vti alia collegia, ipſaque eccleſia, non poſſent non ad principis curam pertinere. Deinde non eccleſiae tantum, ſed & reipublicae viros do-

(n) *Concil. Trident. ſeſſ. XXV. de reform. C. II.*

(o) Abbas *in cap. ex litteris X. de conſtit. Cap. ob eccleſiarum X. de offic. ord. & Cap. I. X. locat.*

(p) Io. Bapt. Gall. *Not. in Thuani Hiſt. Cap. XI. p. 69.*

(q) Contzen. *Polit. Lib. IIII. Cap. XIII. §. II. p. 218.*

(r) Rotmar. *Annal. acad. Ingolſtad. Part. I. p. 35.*

(s) *Auth. Habita C. ne fil. pro patre.*

(t) Rittersh. *Expl. Nouell. Part. VIIII. Cap.* VIII. *n. 8.*

(u) Carpzou. *Iuriſpr. conſiſtor. Lib. I. tit. I. defin.* VIII. *n. 5.* Io. Gerhard *loco de miniſterio eccleſ. Sect. V.* §. 109. Ziegler. *de iur. maieſt. Lib. I. Cap.* XXIII §. I. Brunnem. *de iur. eccl. Lib. I. tit.* VI. §. 12.

(x) Ziegl. *de iure Epiſc. Lib.* III. *Cap.* XXIII. §. V.

(y) Hoſpinian. *de orig. monaſt. Lib.* IIII.

(z) Conring. *Antiqu. Academ. Diſſert. III. p. 61. ſeq.*

ctos ac habiles ſufficiunt ſcholae & academiae, adeoque reip. non minus, quam eccleſiae, intereſt, recte ſe habere haec ciuitatis ſeminaria, quin reipublicae tanto magis, quanto minus, eccleſiam eſſe in republica, negari poteſt. Mirum porro eſſet, ſi *authentica habita C. ne fil. pro patr.* ad euertenda principis iura abuti vellent epiſcopi, cui ipſi ius, ſi quod habent in academias, debent. Cancellarii dignitatem aeque laico, ac epiſcopo, recte committi poſſe, ſaeculum noſtrum experiundo didicit, idque tam profecto eſt perſpicax, vt nihil minus credat, quam ſtudioſos eſſe clericos. Sane ſi ex eo vocabulo, quod illis olim haeſiſſe volunt, colligi oporteret, eos cleri numerum augere: nihil prohiberet, quo minus omnes non modo publicos ſcribas, ſed & qui priuatim magiſtratibus a manu ſunt, eadem praerogatiua donaremus, quos in Britannia & Belgio *clericos*, (*clercs*) vocari, nemo ignorat. Tantum ergo abeſt, vt hoc ius epiſcopis tribuere cogantur proteſtantes, vt ipſa curia ſuprema Gallorum, quam Parliamentum vocant, Non. Sept. anni MDLXXIII. academiam Pariſienſem collegium ſaeculare, ac proinde regii beneficii ac patrocinii eſſe, cauſſa cognita, iudicarit (a).

§. XVI.

Tertio & circa reliquas ſocietates litterarias in hoc ius verſatur.

Praeter ſcholas & academias permagnum momentum poſitum eſt in ſocietatibus, ſiue ad litterarum, ſiue ad aliarum artium, fines proferendos comparatis, quas ipſas quoque *academias* vocare ſolent. Quum enim oculos plus oculo videre, probabile ſit, pluraque praeclara ingenia, communicatis inuicem meditationibus, operiſque collatis, quid verum falſumque ſit, facilius, quam ſinguli, perſpiciant, & quaedam, adhuc tenebris obuoluta, in lucem felicius protrahant: vtiliſſimae reipublicae ſemper viſae ſunt huiuſmodi ſocietates, quas iam alii ex inſtituto commendarunt. (b) Sic iam ante Chriſtum natum, multoque poſt illa tempora celeberrimum fuit muſeum Alexandrinum (c), in quo, teſtibus STRABONE (d), ATHENAEO (e), PHILOSTRATO (f), inuſitata ac

(a) Choppin. *de Doman. Franc. tit.* XXVII. *n.* 12. Charond. *ad l.* 1. *Cod. Henriciani Lib. XI. tit. III.* Limn. *Iur. publ. Lib.* VIII. *Cap. I. n.* 47.

(b) Vockerodt *Exerc. Academ. I. de ſociet. litterar. Gothae* 1704.

(c) Ionſ. *de Script. Hiſt. philoſ. Lib. III. Cap. II.* Rechenberg. *Diſſ. de muſeo Alex. Lipſ.* 1698. Iac. Gronou. *Antiqu. Graec. Tomo* VIII.

(d) Strabo *Geogr. Lib.* XVII. *p.* 1143. *edit. nou.*

(e) Athenaeus *Deipnoſoph. Lib.* V. *Cap.* VIII.

(f) Philoſtr. *Vit. Sophiſt. Lib. I. Cap.* XXII. §. 3.

ac plane regia munificentia alebantur rhetores, poëtae, philoſophi, qui de rebus praeclaris quotidie inter ſe diſſerebant. Poſtea id exemplum, ſed priuatis plerumque auſpiciis, ſequuti ſunt Itali, Galli, Angli, Germani, immo nuper etiam Luſitani, & Ruſſi, quorum de ſocietatibus & collegiis egit MORHOFFIVS (g), quamuis non exiguo aliis relicto ſpicilegio. At experientia docuit; academias huius generis, publica auctoritate inſtitutas, magnam reipublicae litterariae vtilitatem, eas, quae priuatis auſpiciis coaluerunt, paene nullam attuliſſe. In his enim nullus fere ſociorum delectus eſt, nulla paene legum reuerentia, immo nec tantus plerumque adparatus, quo ad amplificandas ſcientias opus eſt. Quare vix eximii quidquam a tot ſaeculis peperiſſe animaduertimus humoriſtarum, lynceorum, ocioſorum, immobilium, Arcadum, (huiuſmodi enim cognominibus mirifice ſibi olim placuerunt,) ſemper parturientia ingenia, quum contra, quae ſocietates Francicae, Londinenſis, naturae curioſorum & Berolinenſis inuenerunt, praeclara ſint, poſterorumque memoria digniſſima. Quae quum ita ſint, quumque ipſa ciuilis prudentia ſuadeat, collegia in republica omnia a principe pendere, immo quum in conuenticula illicita degenerare poſſint haec collegia, veluti anno MDCVIIII. quando quidam Pariſiis *academiam ludorum aleae & chartarum*, inſequente anno ſeuero edicto ſupprimendam, inſtituere non dubitauerant (h): facile intelligitur, ad principis curam & haec collegia pertinere, eumque iure ſuo vti, ſi iis certas praeſcribat leges, ſi ſocios idoneos cooptari iubeat, ſi iiſdem praeſidem, illi muneri parem, praeficiat, omniaque ita dirigat, vt fructum inde reſpublica litteraria capiat vberrimum.

§. XVII.

Itemque quarto circa itinera litteraria ciuium.

Porro cum ad litteras, tum ad reliquas artes, prouehendas amplificandaſque plurimum faciunt itinera ciuium litteraria, dummodo a ſelectioribus ingeniis, eaque, qua par eſt, prudentia inſtituantur. Notum eſt, iam veteres philoſophos totum paene terrarum orbem peragraſſe, nec vlla terra marique pericula, nullas moleſtias reformidaſſe, vt, quidquid vbique praeclarum occurreret, memoratuque dignum, id in patriam referrent. Hoc conſilio Thales Mileſius in Cretam (i), Phoenicia m (k), Aegyptum; Pytha-

(g) Morhoff. *polyhiſt. Lib. I. Cap. XIIII. n.* 14.

(h) Herm. Conring. *Antiqu. Academ. Supplem. I. p.* 202.

(i) Diog. Laert. *Lib. I. Segm.* 43.

(k) Idem *ibid.*

(l) Pythagoras ad Phoenicios (m), Aegyptios (n), Chaldaeos, & Perſas (o), immo, ſi veteribus quibuſdam credimus, ad Iudaeos (p), Indos (q), Arabes (r), aliaſque gentes excurriſſe, idemque exemplum poſtea & Platonem (s) & magnum illum agyrtam, Apollonium Tyaneum (t) ſequutos eſſe, nouimus, quorum huic itinera iſta tam neceſſaria viſa ſunt iuueni, ad accuratiorem doctrinam adſpiranti, vt teſte PHILOSTRATO (u), dicere ſoleret: προσήκειν νέῳ ἀνδρὶ ἀποδημεῖν τε καὶ ὑπερορίῳ ἄρεσθαι. *Decere virum iuuenem ad exteros abire, & in terra peregrina inclareſcere.* Et ſane quid vtilius eſſe poſſet iuueni, litteris antea probe perpolito, quam adire extraneos, cum viris doctiſſimis contrahere neceſſitudinem, luſtrare bibliothecas celebriores, &, ſi quid ibi rarius praeſtantiuſque latitet, in vſus ſuos conuertere, denique gazophylacia non modo curioſo oculo luſtrare, ſed & omnia, quae ad hiſtoriam aliaſque ſcientias locupletandas pertinent, enotare diligenter, adeoque inſigni rerum praeſtantiſſimarum adparatu onuſtum domum redire? Et notum ſane eſt, quos ſibi theſauros hoc modo collegerint viri maximi, LIPSIVS, REINESIVS, GRONOVII, NIC. HEINSIVS, IS. VOSSIVS, MARQV. GVDIVS, GOTTFR. GVIL. LEIBNITIVS, IO. MABILLONIVS cum ſociis, BERN. MONTFAVCONIVS, CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS, & alii. Nec litterarum tantum ſtudioſis prodeſſe itinera prudenter ſuſcepta, ſed & artificibus, ipſiſque opificibus, nemo negauerit. Enimuero ſi dicamus, nulla paene re magis abuti ſolere iuuenes, nullaſque impenſas, quam quae in itinera profuſius fiunt, peius plerumque collocari: neminem, rerum paullo peritiorem, diſſentientem nos habituros, arbitramur. Primo enim vtplurimum ad extraneos mittuntur adoleſcentes nulla adhuc ſolidiore doctrina imbuti, qui, quo fine iter faciendum, quidque inueſtigandum apud exteros ſit, ſciunt cum ignariſſimis. Deinde ex eo conſequi neceſſe eſt, vt quidam in diuerſoriis latitent, & exterorum deliciis fruantur, alii contemplandis quidem palatiis, & operibus ſplendidioribus, immo & bibliothecis & muſeis, vel viris

(l) Plutarch. *de placit. philoſ. Lib. I. Cap. III. & Sympoſ. p.* 47.

(m) Iambl. *vit. Pyth. Cap. III. init.*

(n) Laert. *Lib.* VIII. *ſegm.* 3. Porphyr. *vit. Pyth. Cap. IIII.*

(o) Cic. *de Fin. bon. Lib. V. Cap.* XVIIII. Iambl. *&* Porphyr. *ibid.*

(p) Porphyr. *ibid. p.* 184.

(q) Clem. Alex. *Strom. Lib. I. p.* 304.

(r) Idem *ibid.*

(s) Porphyr. *p.* 185.

(t) Val. Max. *Lib.* VIII. *Cap.* VII. *extern.* 8. Philoſtr. *vit. Apollon. Tyan. Lib. I. Cap.* XVIIII. *ſequ.*

(u) Idem *ibid. Cap.* XVIII.

doctis ſalutandis, totos dies conſumant, ſed in ſolo illo conſpectu adquieſcant, exactoque hoc modo itinere, & marſupio exhauſto, domum redeant indoctiores, pauperiores, immo & vanitatibus voluptatibuſque corruptiores, nihil omnino in patriam referentes, quam philothecium, multis ſententiolis & nominibus refertum, & narratiunculas de palatiis, fontibus, operibus ſplendidis, pompis publicis, ludis ſcenicis, immo & de prodigiis, quae ſeſe vidiſſe iactant, innumeris, quibus rerum ignaros deinde in quouis circulo oblectare ſolent. Idem multo magis arti cuidam aut opificio deditis accidit, qui vbi mendicando multa itinera miſeri confecerunt, & vrbis cuiuſque μνημόσυνα (*die Wahr-Zeichen* vocant,) infixerunt memoriae, Vlyſſe ſe putant ſapientiores,

ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

qui tempore multo,
Euerſis Troiae ſacratis moenibus, errans;
Multorum mores hominum peruidit, & vrbes (x).

Quis ergo vitio vertat bono principi, ſi & his peregrinationibus, per quas tantum pecuniae ad exteros nullo cum reipublicae noſtrae fructu migrat, modum praeſcribat? Lycurgum notum eſt ciues ſuos vagari prohibuiſſe (y): & inter PLATONIS (z) leges eſt, praeter quinquagenarios depontanos inter exteros nemo verſetur. Quanto magis principi fas eſt cauere legibus, ne non niſi ſelectioribus ingeniis facultas eſſet ad exteros excurrendi, ne cuilibet ex nido, velut implumi, intempeſtiue liceat euolare, vt a prudentioribus iis praeſcribatur regula, quam ob oculos habeant, vt non temere ſoli ad exteros excurrant iuuenes, ſed ſe adiungant prudentioribus, vt totius itineris perceptique inde fructus rationem reddant, & quae ſunt huius generis alia. *Eſt* ſane tum generatim peregrinandi, tum & in ſpecie iter litterarium inſtituendi quaedam prudentia, quarum illam HERM. CONRINGIVS (a), hanc GE. NIC. KRIEGK (b) eleganter expoſuerunt. Vtriuſque vero neglectum, non ſolum cum priuatarum familiarum pernicie, ſed & cum maximo rerumpublicarum detrimento coniunctam eſſe, ipſa ſatis docet experientia.

(x) Homer. *Odyſſ. A. v. 1. ſequ.*

(y) Crag. *de republ. Lacedaemon. Lib. III. Inſt. IIII. p.* 214.

(z) Plato *de Leg. Lib. III.*

(a) Herm. Conring. *de prud. peregrin. Helmſt.* MDCLXXVII.

(b) Ge. Nic. Kriegk *de peregrinat. Rom. academ. Ien.* 1704.

§. XVIII.

Nec non quinto circa ſtipendia literaria & praemia diligentiae.

Inter artium litterarumque augmenta prouehendi media locum haud poſtremum tenent ſtipendia vel ſubſidia pecuniaria, quibus non modo iuuantur iuuenum erectioris indolis honeſti conatus, verum etiam calcaria veluti ſubiiciuntur currentibus, vt tanto alacrius ad maiora nitantur. Non ita natura comparatum eſt, vt ſemper par ſit fortuna indoli, & quos excellente ingenio inſtruxit ſummum Numen, iis & tantas conceſſerit facultates, vt ſine aliorum ope ac auxilio ſtudiis honeſtioribus vacare poſſint. Raro multis accidit, quod in ſumma felicitatis parte poſuit MENANDER (c), dum dixit: μακάριος, ὅςις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει. *Cui mens opeſque ſunt ſimul, beatus eſt.* Nam opibus inſtructi raro ſunt eo ingenio, vt neruos animi intendere velint: & qui eo ingenio ſunt, plerumque conqueruntur, *ſe neſcire, quomodo bonae mentis ſoror ſit paupertas* (d), vel, vti APVLEIVS (e) vocat, *philoſophiae vernacula.* Hinc in omnibus rebuspublicis ingeniis praeſtantioribus, at paupertate preſſis, quaedam deſtinata ſunt ſtipendia litteraria, eaque vel publica auctoritate e fiſco ipſius principis, vel reipublicae aerario, vel ex priuatorum diſpoſitionibus ſupremiſque iudiciis eroganda: qualia legata permulta olim ab hominibus ſtudiorum amantibus academiae Platonicae relicta eſſe, auctor eſt DIOGENES LAERTIVS (f). Eo inſtituto nihil eſt laudabilius, nihil ad prouehenda optimarum artium ſtudia vtilius. Enimuero & de his ſtipendiis vetus omnino iuſtiſſimaque querela eſt, ea plerumque & male adminiſtrari, & diſpenſari imprudentiſſime. Quam multa enim inter adminiſtratores, tamquam inter praedones, ſtrangulantur? quam multa dantur vel opulentis, quibus adeo frons periit, vt hoc pauperculorum peculium graecando decoquendoque abſumere, quam ex ſua arca quidquam depromere malint, vel hominibus ſtupidiſſimis, qui id vnice agunt, vt, aliquot annis in academia quadam exactis, in litteratorum numero cenſeantur, vere *numerus, & fruges conſumere nati* (g). Quis vero medelam huic morbo adferat, praeter principem? Huius enim non modo eſt cura, vt congiaria ſua recte diuidantur, ſed & vt a priuatis eum in finem legata ita diſpenſentur, prout ea diſpenſari voluerunt teſtatores. Bene ergo conſulet reipublicae, ſi pri-

(c) Henr. Stephan. *Graec. Comic. ſent.* p. 139.

(d) Petron. Arbit. *Satyric. Cap.* LXXXIIII.

(e) Apulei *Apolog.* p. 285.

(f) Diog. Laert. *Lib.* III. *ſegm.* 20.

(g) Horat. *Lib.* I. *Epiſt.* II. *v.* 27.

ſi primum dabit operam, vt recte adminiſtretur pecunia, ei rei deſtinata, & rationes adminiſtratorum accurate diſpungantur: deinde, ſi nemini conferri patietur ſtipendium, niſi cuius de paupertate, ingenio, diligentia ſatis conſtet, tum porro ſi in ſcholis & academiis viris quibuſdam prudentibus id det negotii, vt eorum inuigilent ſtudiis, & ſi quos libris potius, quam in libros incumbere, vel tempus nugis & luxu conſumere animaduertant, id ad ſe referant: denique ſi non patietur indignos eo beneficio frui, ſed iis veluti exauctoratis, &, ſi tantae ſint facultates, ad reſtituendam pecuniam adactis, alios diligentiores ſubſtituet. Qua de re quum plura monuerit academiae Francofurtanae inſigne nuper ornamentum, CHRIST. GODOFR. HOFFMANNVS (h), ad eum lectorem remittere, quam plura addere, malumus.

§. XVIIII.

Sexto circa explorandos ciuium profectus.

Ex eo vero porro conſequitur, vt ea omnia, quae adhuc commendauimus, media, quantumuis in ſe ſaluberrima, parum ſint profutura, niſi eorum, qui ſtudiis ſeſe operam dare profitentur, profectus ſubinde explorentur. Iam quidem huc pertinent examina in ſcholis triuialibus, nec non quibus in academiis in eorum, qui vel beneficiis fruuntur, vel ad honores academicos adſpirant, profectus ſtudiorumque rationem inquiritur: ſed vereor, vt neutra ad rei ſummam proficiant. Quemadmodum enim, imminentibus prioribus, non raro penſum aliquod ediſcendum repetendumque cuique praebent magiſtri, vt eo recitato, vel ſolutis quibuſdam quaeſtiunculis, fucum faciant ephoris: ita in poſterioribus paſſim omnia fiunt perfunctorie, vtroque vero caſu intereſt examinantium, diſſimulari potius iuuenum ignorantiam, quam palam fieri: priore, ne ipſorum praeceptorum ruditas aut negligentia in apricum proferatur, poſteriore, ne pauciores numero fiant candidati, vel ii in alias academias, vbi aequioribus conditionibus ſecum tranſigatur, proficiſcantur, ſi ad viuum omnia reſecare velint. Hinc vetus illa virorum doctiſſimorum querela, honorum gradus, quondam adeo ſancte habitos, & in eos tantum collatos, quos ardua ad aethera virtus evexiſſet, nunc quibusuis, qui vix prioribus labris doctrinam, quam profiteantur, deguſtarint, tamquam phaleras iniici (i). Quae tametſi in de-

decus

(h) Hoffm. *diſſert. de eo, quod circa ſtipendia, ſtudiorum cauſſa conſtituta, iuſtum eſt. Francof.* 1731.

(i) *Plures huius generis virorum doctorum querelas collegit* Io. Chriſt. Itterus *de grad. academ.* Cap. VII. §. XXVIIII. *ſequ. quibus adde* Menag. *praefat. ad Amoenit. iur. ciuilis.*

decus publicum vergant, efficiantque, vt, qui abundamus doctoribus, doctos vbique deſideremus, emendari tamen, multiplicato academiarum numero, vix poſſunt, niſi id agant principes, vt ſubditi non niſi in patria, vel certa aliqua academia, iſta honorum inſignia capiant. Quare ea demum examina ſunt vtiliſſima, quae decurſo demum ſtudiorum ſtadio a viris prudentibus iuſſu principis ſuſcipiuntur. Si enim nemini committatur munus eccleſiaſticum, niſi probe explorato: ſi nulli in forum pateat aditus, niſi qui & propoſitis ex vniuerſo iure quaeſtionibus ſatisfecerit, relationemque, quam vocant, pro ſtatu ita confecerit, vt iureconſultorum calculos ferat: ſi artem facere prohibeatur medicus, niſi publice in anatomia, chirurgia, chymia, aliisque medicinae partibus fecerit periculum, quod laudatiſſimum potentiſſimi Pruſſorum Regis inſtitutum eſt (k): mox ſane adparebit, quantum cuiusque valeant humeri, quid ferre recuſent, & ſitne candidatus ex eorum numero, qui ſeuera lege profecerunt, an ex illa hominum turba, de qua HORATIVS (l):

In cute curanda plus aequo operata iuuentus,
Cui pulcrum fuit, in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum cytharae ceſſantem ducere ſomnum.

Si quidquam, hoc certe dixeris neceſſarium, vt princeps hoc ad curam ſuam reuocet, eoque impediat, quo minus indocti & ignaui homines cathedras eccleſiaſticas & academicas occupent, pro iurisperitis in foro caninam facundiam exerceant *contortores legum, bonorumque extortores*, vti eos vocat TERENTIVS (m), denique aegroti caput & vitam credere cogantur iis, quibus nemo temere, ſi ſutrinam facerent, calceandos committeret pedes (n). Haec enim omnia pertinere ad ipſam rempublicam, nemo non intelligit, recteque iam olim ſcripſit IO. HENR. BOECLERVS (o): *Hiſtoria omnis aeui me docuit, eruditionis vitiatae genium corruptae reipublicae vel ſignum, vel cauſſam fuiſſe.*

§. XX.

Septimo circa ſocietates ad artes mechanicas pertinentes.

At quum non modo litteras, ſed & quasuis reliquas artes, florere in republica oporteat: earum quoque curam ſuſcipere debere principem, facile patet, idque tanto magis, quanto minus de iis perficiendis priuati cogitare vel volunt, vel ob rem domi anguſtam poſſunt. Nemo ignorat, quantum curae in Gallia ac Italia

(k) *Vid. Königl. Preuſſ. Medicinal-Ordnung.*

(l) Horat. *Lib. I. Epiſt. II. v.* 29.

(m) Terent. *Phorm. actu II. ſcen. II.*

(n) Phaedr. *Lib. I. fab. XIIII. v.* 7.

(o) Boecler. *diſſ. de voto Imperat. p.* 19.

Italia impendatur rei equeſtri, artique pictoriae & ſculptoriae ad ſummum perfectionis gradum prouehendae. At non minus reipublicae intereſt, perfici artem chirurgicam, pharmaceuticam, obſtetriciam, architecturam ciuilem, militarem, naualem, fuſoriam, pyrotechnicam, textoriam, fulloniam, figulinam, ſimilesque artes, immo & totam rem oeconomicam. Falluntur profecto, qui his omnibus nihil accedere poſſe exiſtimant. Accederet ſane permultum, ſi viri prudentes ad eas perficiendas adpellerent animum. *Sunt* enim *artes mechanicae omnes*, ceu recte vidit MORHOFFIVS (p), *quaſi quaedam naturalis ſcientiae & diſciplinarum mathematicarum propagines, quae ornari augerique eorum beneficio poſſunt, omnesque ab hominibus ſapientiſſimis inuentae.* Viderunt poſtrema haec ſaecula experimenta eius rei luculentiſſima, dum Principum quorumdam ſapientiſſimorum cura artes & opificia quaedam ad tantum perfectionis gradum perduci coeperunt, vt inde maximum lucrum ad totas prouincias redierit. Sic ſubditos ſuos magnopere locupletauit Henricus IIII. Rex Franciae (q), dum ciues legibus praemiisque excitauit ad moros plantandas, alendos bombyces, texturamque ſerici magis magisque perficiendam. Eo enim factum eſt, vt paullatim *ipſos orientalium pannos ſericos* Francici *elegantia ſuperarent*, atque inde incredibilis pecuniae vis *in Galliam migraret*. Nec minus lucri fecerunt Angli & Scoti, ex quo illos ad perficiendam texturam remque fulloniam Eliſabetha Regina; hos Iacobus I. euocatis in regnum Flandris, excitarunt (r). Quantum porro opum acceſſerit terris Pruſſicis, chirurgia, re textoria, vitriaria, fabricis armorum; quantum Saxonicis, arte figulina ad ſummum perfectionis gradum euectis, quantum inclutae Noribergae (s) & Auguſtae Vindelicorum, tot artificibus de perficiendis artibus inter ſe veluti certantibus, non crediderit fortaſſis, niſi qui rem ipſe oculis vſurpauit. Id vtinam vbique pari induſtria fieret! Nullus profecto eſt prouinciae cuiusdam tractus, vbi non lucri faciendi eſſet occaſio, ſi ciues patriae ſuae naturam ac dotes recte intelligerent. Sunt regiones aliae lino ſerendo texendoue, aliae lanificio, aliae ſalinis, aliae rei metallicae, aliae nauticae aptiores. Alibi terra materiam ſingula-

(p) Morhoff. *Polyhiſt. litt. Lib. I. Cap. I. n. 7.*

(q) Ziegler. *Schaupl. die IIII. Maii n. 2. p. 506.*

(r) Werlhoff. *de commerc. marit.* §. XCVIIII. Buchanan. *rer. Scotic. Lib. X. p. 341.*

(s) Io. Chriſt. Wagenſeil. *Comment. de Noriberga Cap. XXI. p. 149. ſequ.*

rem vaſis conficiendis idoneam, alibi ligna, alibi coria, alibi aliud profert, nec vſquam fere nouercam ſe praebet natura, vt recte cecinerit poëta Sulmonenſis (t).

Nec ſterilis locus vllus ita eſt, vt non ſit in illo
Miſta fere duris, vtilis herba, rubis.

Quae omnia ſi arte ac induſtria perficerentur a ciuibus, quantum quaeſo lucri inde eſſet ad eos rediturum? Quum vero ea plerumque opinione vulgus ducatur; nihil in his rebus eſſe nouandum, nec quemquam altius maioribus tollere, vel prae iis ſapere velle debere: certiſſimum profecto eſt, nihil ſperandum eſſe a ciuium induſtria, niſi ea a principe ad aliquid audendum legibus, praemiis, priuilegiiſque excitetur. Immo ipſum principem initio non decet parcere ſumtibus, vt experimenta, quae ad perficiendas artes pertinent, inſtituantur. Qua laudabili prodigalitate quantum vtilitatis vaſto imperio ſuo attulerit Petrus I. Ruſſiae Imperator, quotque artes, antea Ruſſis vix fama cognitas, ad maximam perfectionem prouexerit, non ſine admiratione quadam, quicumque ex illo imperio ad nos redeunt, referre ſolent.

§. XXI.

Octauo, circa docendi diſcendique rationem praeſcribendam.

Ut ad litteras arteſque liberales velut e diuerticulo redeamus: id quoque admodum neceſſarium eſſet, vt & docentibus certa docendi, & diſcentibus diſcendi ratio, quam ſequantur omnes, praeſcriberetur. Magnum aliquando ſtrepitum dant magiſtri, ſuaſque merces μετὰ πολλῆς φαντασίας exponunt, vt adoleſcentes, rerum ignaros, in caſſes ſuas incautos pertrahant. Vetus haec ars, de qua iam PETRONIVS (u): *Minimum*, inquit, *in his exercitationibus doctores peccant, qui neceſſe habent cum inſanientibus furere. Nam niſi dixerint, quae adoleſcentuli probent, vt ait Cicero, ſoli in ſcholis relinquentur, ſicut ficti adulatores, quum coenas diuitum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant gratiſſimum auditoribus fore, (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint,) ſic magiſter, niſi tamquam piſcator, eam impoſuerit hamis eſcam, quam ſcierit adpetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe praedae moratur in ſcopulo.* Et tamen dici non poteſt, quanto cum reipublicae detrimento coniuncta ſit illa nimia libertas docentium. Tunc enim fieri non poteſt;

(t) Ouid. *ex Ponto Lib.* III. *eleg.* IIII.
(u) Petron. *Satyr. Cap. III.*

teſt, quin dum magna maximo hiatu promittunt promiſſores magni, adoleſcentes hiantes aduolent, vt his myſteriis initientur, & interea negligant ea, quae maxime addidiciſſe oportebat. In primis periculoſiſſimum eſt, ſi inferiorum ſcholarum magiſtri magna minantur, & ſapientiam ſe pueris induere iactant adhuc naſcentibus, de ſtudiis propaedeuticis interim parum ſolliciti. Sane ex quo patrum memoria quidam ex ſcholis paene expellere coeperunt Latinarum Graecarumque litterarum ſtudia, & pro iis ſe Germanicam oratoriam, geographiam, genealogiam, hiſtoriam, immo, ſi *Diis placet*, politicam, & ius publicum pueris tradere iactarunt: actum paene eſt de litteris, non quod haec, ſi non omnia, ſaltim pleraque, in ſcholis fieri non poſſint, ſed quod, neglectis litteris propaedeuticis, tota illa noua docendi ratio in ſtrepitum inanem euaſit, perinde ac Athenis oſtentatio, ſophiſtarum (w) Gorgiae Leontini, Thraſymachi, Chalcedonii, Protagorae Abderitae, Prodici Cei, Hippiae Elei, qui omnes tempore Socratis, arrogantibus verbis, artem inſignem, quomodo reſpublica gerenda ſit, & quemadmodum cauſſa inferior dicendo ſuperior euadere poſſit, adoleſcentibus pollicebantur, eoſque deinde, aere emunctos, *indoctiores*, quam antea *fuerant*, domum dimittebant. *Quotuſquiſque vero iam ex ſchola prodit*, vel mediocrem *tantum non dicam Graecae*, ſed Latinae linguae facultatem adſequutus? quotuſquiſque aliquem artium liberalium, maxime philologiae & mathematicarum diſciplinarum guſtum in ſcholis capit? Omnia ſane haec impune negliguntur in ſcholis, non ſolum a docentibus, ſed & a diſcipulis, adeo vt meminerim, eos qui iuriſprudentiae vel arti medicae addiſcendae ſe conſecrauerant, per eas horas, quibus hae artes docerentur, ſcholis exiſſe impune, ne videlicet delicatae eorum aures Graeci alicuius vocabuli ſono polluerentur. Ad tantas ſordes prolapſum eſt ſaeculum noſtrum, vt *parentes* ipſi filios interea *malint nugis* bonas *horas* perdere, quam in ſtudiis propaedeuticis exercere ingenium. Haec fundi noſtri calamitas eſt: quam niſi auertant ipſi principes, actum profecto eſt de ſolidiore doctrina, quia ſine praeſidiis illis haec ſacra non conſtant. Leges auditoribus ſuis praeſcribebant Pythagoras (x), & Plato (y), & in his illam, vt nemo

(w) Cicero *in Bruto Cap.* VIII. *in Orat. Cap.* XII. Liban. *Apolog. Socr. p.* 642.
(x) Porphyr. *vit. Pythag. p.* 201. Iuſtin. Mart. *Dialog. cum Tryph. p.* 219.
(y) Laert. *Lib. III. ſegm.* 5.

mo expers geometriae ſcholas ſuas ingrederetur. Quidni & principibus idem liceat, quorum vel maxime intereſt ſtudia in ſcholis & academiis recte & ordine tractari? Et ſane ſi IVSTINIANO (z) noſtro licuit ordinem ac rationem iurisprudentiam docendi diſcendique, non optimam quidem, at ordinem tamen, praeſcribere; quidni & aliis eiuſdem faſtigii liceret, adhibitis in conſilium viris doctis, cum doctoribus academicis, tum & ſcholaſticis, eorumque auditoribus eam praeſcribere methodum, qua obſeruata, hi ad veram ac ſolidam doctrinam perueniant? Debebat ſaltim haec ephororum cura eſſe, de quibus recte MORHOFFIVS (a): *Quemadmodum*, inquit, *vt reſpublicae perennes ſint, vel a prudente legislatore formari debent, vel ſalutaribus legibus conſeruari: ita in ſchola inſtituenda optimis peritiſſimiſque cenſoribus opus eſt. Non ſufficit idoneos admouere iuuentuti magiſtros, ſed conſtitui debent, qui totius rei ſcholaſticae curam habeant, idonei ephori, in quibus plerumque peccatur. Solet enim haec cura ſacri ordinis viris demandari, qui non omnes aeque iis ſunt doctrinis exculti, vt de re ſcholaſtica ſtatuere poſſint.* Loquitur autem vir doctiſſimus de curriculo ſcholaſtico, ſtudiiſque ibi rite & ordine tractandis, de quibus recte conſtituendis eo ſeueriore cura opus erat, quo veriora ſunt illa LVCRETII (b):

In fabrica ſi falſa eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum:
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſe eſt,
Praua, cubantia, prona, ſupina atque abſona tecta,
Iam ruere vt quaedam videantur velle, ruantque,
Prodita iudiciis fallacibus omnia primis.

Quae veriſſima eſſe, ipſa ſatis experientia docet. Et tamen nulla emendationis ſpes adfulget, niſi a ſummo imperante, cuius ſolius ei malo tollendo par eſt auctoritas.

§. XXII.

Nono, circa impedimenta quae artium in-

Quum ergo ea omnia, quae ad ſcientiarum artiumque incrementa pertinent, Princeps ſuo quodam iure curet: facile profecto intelligitur, illum eodem iure curare poſſe, vt, quaecumque illi fini obiiciuntur, impedimenta quantocyus remoueantur. Talia

(z) §. 2. *Inſt. de iuſt. & iure. Conſt. omnem reip. ad Anteceſſ.*
(a) Morhoff. *Polyhiſt. litt. Lib. II. Cap. X. n. 7. ſequ.*
(b) Lucret. *de rer. nat. Lib. IIII. v. 516.*

lia quidem innumera ſunt: ſed nullum aliud peſtilentius inuidia, *crementis obſtans, remouenda.* quae veram virtutem tamquam vmbra corpus comitatur. Hanc enim primum in aemulationem, deinde in lites, tum porro in putidiſſimas calumnias, denique, ſi qua fieri poteſt, in lanienam ac ſaeuitiam abit. Quoties ergo virum doctum ac ſapientem luminibus ſuis officere exiſtimant reliqui vmbratici doctores: primum omnia experiuntur, vt per emiſſarios illum ſuſpectum reddant, & auditores, propoſita ſpe beneficiorum, vel iniecto metu, ab eo abducant: deinde omnem occaſionem illi litem intentandi captant: hinc porro, ſi fieri poſſit, illi vel magiae (c), vel impietatis ſeu ἀθεότητος, vel turbatae quietis publicae, dicam ſcribunt, nec quidquam faciunt reliqui, vt, illo oppreſſo eiectoque in exſilium, quam primum illud IO. TRIVMPHE ingeminare poſſint. His artibus ſane olim peſſumdati Anaxagoras (d), Socrates (e), iiſdem, renatis litteris, euerſi Galilaeus Galilaeus (f), Petrus Ramus, (g) Iordanus Brunus (h), Thomas Campanella (i), aliique viri doctiſſimi, quorum ex inuentis ſcriptiſque fructum incomparabilem capere potuiſſet reſpublica, ſi quid temporis illis a *libellis* eriſticis litibusque calumnioſiſſimis ſuperfuiſſet, vel ſi diutius eos hominibus intereſſe paſſa eſſet aduerſariorum crudelitas. Si vero haec praemia manent veram doctrinam ac ſapientiam: quis, quaeſo, non potius eiuraret litterarum ſtudium? quis non potius ſubinde repetat illud HORATII (k):

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis!

Eſt ergo boni principis officium, tueri innocentes, iudiciumque de eorum doctrinis non aduerſariis, ſed viris prudentibus, qui amoris odiique cauſſas procul habeant, permittere, denique idemtidem cogitare, quum nec prophetis, nec apoſtolis, nec ipſi veritatis doctori, CHRISTO, pepercerit calumnia, ab ea multo minus immunes fore alios, quicumque vel veritatem ſectentur, vel

 acutius

(c) Vid. Gabr. Naudaei *Apologia pro viris doctis, magiae falſo accuſatis.*

(d) Laert. *Lib. II. ſegm.* 12. *ſequ.* Ioſeph. *contra Apion. Lib. II. p.* 1079.

(e) Liban. *Apol. Socr. p.* 642.

(f) Ian. Nic. Erythr. *Pinac. I. Cap. LIII.*

(g) Launoi. *de var. Ariſtot. fort. Cap. XIII.* Bayle *Diction. hiſtorique & critique p.* 2424.

(h) Bayle *Dictionar. Hiſt. & crit. voce Brunus.*

(i) Ern. Sal. Cyprian. *de philoſ. Thomae Campanellae.* Ian. Nic. Erythr. *Pinacoth. I. Cap. XXI.*

(k) Horat. *Epod. II. Cap. I.*

acutius aliis cernere videantur. Praeterea inter maxima ſcientiarum artiumque obſtacula ſunt publica munera complura, quibus docentes diſtrahuntur, magiſtrorum eorum maxime, qui in ſcholis inferioribus Siſyphi ſaxum voluunt, egeſtas & contemtus; diſciplina ſcholaſtica ſiue iuſto laxior, ſiue Orbiliana ſeuerior, & quae ſunt huius generis alia, quibus omnibus e medio remouendis ſi ſtudeat Princeps, & iure ſuo vtetur, & immortalem ſibi gloriam apud poſteros pariet. Sed his quidem, quod plures iam chartas, quam huic meditationi deſtinaram, inſumtas animaduerto, iam non immorabor.

§. XXIII.

Felicitas reipublicae, in qua hoc iure ſuo rite vtitur princeps.

Potius paucis adhuc demonſtrandum videtur, beatiſſimam fore rempublicam, in qua bonus Princeps hoc iure ſuo vſus litterarum artiumque curam in ſe ſuſcipit. Id vero probatu haud difficile eſt. Primo enim ſi recte ſe habet totum, cuius ſingulae partes ita, vt decet, comparatae ſunt: non poterit non recte ſe habere reſpublica, ſi ſingulas eius partes capeſſunt viri, iis artibus, quibus opus eſt, probe exculti. Id vero continget, ſi curet princeps ut omnes ſcientiae, atque artes in republica floreant, & magis magiſque indies perficiantur. Tunc ſane numquam deerunt viri ſapientiſſimi, qui, vel quid belli paciſque temporibus factu ſit opus, in medium conſulant, vel legatorum grauiſſimo munere apud exteros fungantur: non viri iuris periti aequitatiſque tenaciſſimi, qui vice ſacra iudicent: non rei oeconomicae periti, qui aerario publiciſque praeſint obuentionibus, deque illis ſine vllius iniuria prudenter amplificandis cogitent: non docti & pii, qui in eccleſia ac ſcholis cum fructu doceant: non circumſpecti, qui in municipiis & praefecturis ius dicant: non medici experti, qui aegrotis opem ferant. Siue porro in nautica, ſiue in terreſtri militia, opus ſit nauarchis, ducibus, rei tormentariae praefectis, architectis, iudicibus, medicis, chirurgis: numquam eorum erit inopia, omniaque, prout decet, adminiſtrabuntur. Deinde florentibus ſapientiae artiumque ſtudiis, ſinguli ciues, ex quibus conſtat reſpublica, erunt multo feliciores, quum nemini non pateat ad virtutem & ſapientiam via, nemini non in promptu ſit occaſio honeſto aliquo vitae genere ſe ſuamque familiam non modo alendi, ſed & locupletandi pro conditione ſua. Denique vbi ſcientiae & artes florent: fieri non poteſt, quin & commercia gliſcant, aerarium fiat locupletius, quin nouam veluti faciem res omnes publicae priuataeque induant,

adeoque

adeoque vere eueniat quod olim gloriabatur Auguſtus (l), *marmoream ſe relinquere Romam, quam lateritiam reperiſſet.* Sunt hae litterae ac artes, quae Germanos ad eum elegantioris vitae cultum perduxerunt, vt ſi Tacitus rediret in vitam, Germaniam ſuam in ipſa Germania quaereret. Hae reliquas Europae partes, denſiſſima olim barbarie oppreſſas, ad eam, qua nunc gaudent, felicitatem euexerunt. Per has denique noſtra atate intra luſtra non adeo multa tanta rerum omnium conuerſio facta eſt in Ruſſorum imperio, quantam multis ſaeculis futuram, nemo vmquam praeſagiuiſſet. Ridiculae pleriſque videntur fabulae de ſuauiſſimo illo concentu, quo belluas Orpheus, ipſa ſaxa Amphion mouiſſe fertur. Aſt ille quidem concentus nihil aliud eſt, quam ſcientiarum artiumque ſtudium, quo homines, belluis ferociores, ad ciuilis atque elegantioris vitae cultum, caedendos lapides, ligna edolanda, domos exſtruendas condendaſque vrbes traducti ſunt: in quem ſenſum recte HORATIVS (m):

Silueſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Caedibus & victu foedo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones.
Dictus & Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit haec ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Vt paucis omnia complectar, ſi eas in annales, priſcorumque ſaeculorum memoriam reuoluas, res ipſa docebit, florentibus litteris artibuſque, floruiſſe reſpublicas, eaſdemque, exſtincto litterarum artiumque lumine, paullatim veluti conſenuiſſe: vt dubitari nequeat, quin magna publicae felicitatis pars a ſapientiae artiumque ſtudiis, & cura illa prouidentiaque Principis, qua illas prouehere ſtudet, pendeat, &, quo eſt cura illa intentior, eo certius ciues miraturi ſint FELICEM illam, quam tot Romanorum numi celebrant, TEMPORVM REPARATIONEM.

§. XXIIII.

Et haec eſt illa de IVRE PRINCIPIS CIRCA CIVIVM STVDIA meditatio, qua ego me eo tantum nomine magnopere delectari fateor, quod potentiſſimus patriae meae pater, CHRISTIANVS VI. Daniae *Concluſio diſſertationis.*

(l) Sueton. *Aug. Cap. XXVIII.* (m) Horat. *de arte poet. v. 391. ſeqq.*

Daniae Norwagiaeque Rex, dominus meus longe clementiſſimus mihi haec commentanti vbique verſari ob oculos viſus eſt. Virtus enim illa excellentiſſima, quam tota hac diſſertatione celebrauimus, in incomparabili hoc principe, tamquam in exterſiſſimo quodam ſpeculo relucet. Norunt omnes, qui mitiſſimo eius imperio reguntur, quanta cura litterarum omniumque ſcientiarum & artium ſtudia in regnis prouinciisque ſuis prouehat, quam indefeſſo ſtudio id agat, vt ſcholae atque academiae emendentur, vt delectus habeatur ingeniorum, vt eorum, qui munera publica ambiunt, profectus accurate explorentur, nihilque, quod prudentia ſuadet, ſalusque populi exigit, praetermittatur. Quae vt mihi, tamquam ciui ſubiectiſſimo, miranda venerandaque ſunt: ita ipſa me vrget pietas, vt vota concipiam pro optimo REGE, ſereniſſimaque REGINA, & PRINCIPE IVVENTVTIS celſiſſimo, Deumque optimum maximum, vt ſeruet Regiam Domum, omniaque Optimi Principis conſilia regnis, eccleſiae, litteris, omnibusque honeſtis artibus, fauſta ac ſalutaria eſſe iubeat, indefeſſis precibus exorem.

DE

DE CAVSSA SERVITVTVM PERPETVA.

EXERCITATIO XXXII.

§. I. *Doctrinae de ſeruitutibus ſubtilitas.* §. II. *Eius ſubtilitatis cauſſa.* §. III. *Conceptus ſeruitutis ſecundum principia rectae rationis.* §. IIII. *Variae huius conceptus determinationes ex iure ciuili.* §. V. *Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.* §. VI. *Locus primus de cauſſa ſeruitutum perpetua, l. 28. D. de ſeru. vrb. praed.* §. VII. *Breuis eius analyſis.* §. VIII. *Locus alter, l. 23. §. 1. D. de ſeruit. praed. ruſt. eiuſque explicatio.* §. VIIII. *Locus tertius l. 1. §. 4. D. de fonte.* §. X. *Locus quartus: l. 29. D. de ſeruit. vrb. praed.* §. XI. *Obſeruationes quaedam ex his iureconſultorum teſtimoniis.* §. XII. *De cauſſa ſeruitutum perpetua ſententia* IO. SVPERIORIS. §. XIII. *Eius examen.* §. XIIII. *Sententia* DVARENI, CVIACII *aliorumque excuſſa.* §. XV. *Nec non* DONELLI & NOODTII *interpretatio.* §. XVI. *Eius examen.* §. XVII. *Interpretatio* M. AVRELII GALVANI *expenſa.* §. XVIII. *Hypotheſis cel.* VLR. HVBERI. §. XVIIII. *Quaedam circa illam dubia.* §. XX. SCHILTERI *ſententia.* §. XXI. *Eiusdem examen.* §. XXII. *Iudicium cel.* THOMASII. §. XXIII. *Quaedam de illo monita.* §. XXIIII. *Perpetuitas cauſſae ſemper fuit inter adfectiones ſeruitutum praedialium.* §. XXV. *Eius principii ratio.* §. XXVI. *Quid ſit* CAVSSA PERPETVA? §. XXVII. *De quibusnam ſeruitutibus diſceptatum fuerit, an cauſſam perpetuam habeant?* §. XXVIII. *Regulae de cauſſa ſeruitutum perpetua.* §. XXVIIII. *Regularum iſtarum adplicatio ad l. 28. D. de ſeru. vrb. praed.* §. XXX. *Nec non ad ſeruitutem fumi immittendi, & aquae hauſtus e ciſterna.* §. XXXI. *Denique ad ſeruitutem*

aquae, rota e flumine tollendae, vel e caſtello ducendae. §. XXXII. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Doctrinae de ſeruitutibus ſubtilitas.

QVum in vniuerſa Romanorum iuriſprudentia doctrinae permultae ſatis difficiles, & a communi hominum ſenſu remotae, paſſim occurrunt: tum illa omnium fere ſpinoſiſſima de SERVITVTIBVS, quae vel perſonis, vel praediis debentur, quippe ex IO. CORASII (a) ſententia, *a nemine omnium, qui adhuc eam ſunt interpretati, funditus eruta enucleataque.* Et ſane, quum iureconſultus in iure non minus interpretando, quam excogitandis calumniis, ingenioſiſſimus, BARTH. CAEPOLLA initio ſtatim libri de ſeruitutibus, nihil ſe vmquam, quod iam aliorum induſtriam occuparit, ſcribere voluiſſe profiteatur, ſtatim addit, hanc ipſam ſe ſibi materiam ideo potiſſimum ſepoſuiſſe, quippe & ſubtilem admodum, & a nemine ante ſe, quod meminerit, ſatis perpolitam. Qua in re quamuis forte & memoria, & collocata in ſtudiis ſuis fiducia hominem fefellerit: in eo tamen, quod hanc de ſeruitutibus doctrinam ſubtiliſſimam eſſe exiſtimauit, rem omnino acu tetigit, conſentienteſque ſibi habet viros doctos quam plurimos, e quorum numero GER. GOTTL. TITIVS (b), vir recti ac limati iudicii: *Vti*, inquit, *ſeruitutes, ex communibus vtilitatis humanae regulis oriundas, Romani in ſua quoque republica agnouerunt, earumque iura egregie in multis excoluerunt, vt grato animo illa agnoſcere par ſit: ita fatendum nihilominus eſt, quod ſubtilitatibus minime quidem neceſſariis, ſed a veritate & communi vſu plerumque abeuntibus, materiam hanc quandoque inuoluerint.* Enimuero, ſi recte ponas calculum, non tam veterum iuris auctorum hoc vitium eſt, quam interpretum, qui vere intelligendo fecerunt, vt intelligamus nihil, ſalebraſque & aſperitates, quae hic multae & magnae ſunt, verboſiſſimis commentariis ſuis, adeo non explanarunt, vt qui ad eos, tamquam in portum, confugiunt, pro Charybdi in Scyllam incidiſſe ſibi videantur, & quum antea eam doctrinam ſubtilem ac difficilem habuerint, conſultis his oraculis, multo ſe, quam dudum, fateantur eſſe incertiores.

§. II.

(a) Coraſ. *Epiſt. dedicat. ad Cardin. Othonem a Caſtillione Comment. tit. D. de ſeruit. praemiſſa p.* 4.

(b) Ger. Gottl. Titius *diſſert. de ſeruitute faciend.* §. VIIII.

§. II.

Cur vero materiae iuris, in foro frequentiſſimae, ac paene quotidianae, tam ſpiſſae tenebrae paullatim offuſae ſint, intellectu non admodum difficile videtur. Ita enim natura comparatum eſt, vt, quo ius ciuile ad naturalem aequitatem, & ius illud ſempiternum, quod ipſa recta ratio inter omnes homines conſtituit, accedit propius, eo illud ſit planius ac ſimplicius: tanto obſcurius autem ac ſubtilius, quanto magis a rectiſſimo illo tramite ſecedit, ac veluti in deuia deflectit. Sane quod de ipſa natura Thaletem Mileſium ſapienter dixiſſe refert PLVTARCHVS (c), ῥᾷστον εἶναι τὸ κατὰ φύσιν, *facillimum eſſe, quod ſit naturae conſentaneum*, quodque de eadem adfirmat SENECA (d), *nihil homini naturam, neceſſarium quod fecerit, feciſſe operoſum*: idem de iure illo naturali recte dici poſſe arbitramur, nullis quippe ſpinis obſito, nullis confragoſo ſubtilitatibus, ſed plano vbique, facillimo ac ſimpliciſſimo. Quemadmodum igitur, quo magis linea quaedam flexu ſuo a recta decurrit, eo magis illam curuam fieri oportet: ita fieri non poteſt, quin ius ciuile tanto ſit ſubtilius, quanto eſt a naturali iuris vniuerſalis rectitudine ac ſimplicitate remotius. *Illa enim aptitudo, quae a natura data vel inſtituta, creuit aut diſciplinis, aut contemplatione*, SVBTILITAS, *meo quidem iudicio, haberi debet*, inquit IVL. CAES. SCALIGER (e). Quum ergo & ius illud ſempiternum, a natura datum inſtitutumque, per diſciplinam & contemplationem iureconſultorum creuerit, & ipſe VLPIANVS (f) iam obſeruarit, *ius ciuile neque totum a naturali & gentium iure recedere, nec ei per omnia ſeruire, ſed, quum aliquid addatur vel detrahatur iuri communi, ius proprium vel ciuile effici*: adeo non mirum eſt, pleraſque iuris mere ciuilis doctrinas eſſe difficiles, aliaſque aliis ſubtiliores, vt, ſi aliter ſe res haberet, id profecto vel maxime mirandum eſſe videretur.

Eius ſubtilitatis cauſſa.

§. III.

Iam, vt ad SERVITVTES redeamus, pleraque, quae de illis ius ciuile Romanum inculcat, a iuris naturalis ſimplicitate quam maxime recedere, nemo, qui ea iura inter ſe paullo accuratius contenderit, inficiabitur. Si rem ex rectae rationis principiis aeſtimes,

Conceptus ſeruitutis ſecundum principia rectae rationis.

(c) Plutarch. *in ſept. ſapient. conuiu. p.* 153.
(d) Seneca *Conſolat. ad Heluiam Cap. XI.*
(e) Iul. Caeſ. Scaliger *de ſubtilitate Lib. I, Cap. I. p.* 4.
(f) *l. 6. pr. D. de iuſtit. & iure.*

ſtimes, ſeruitutes inter ea iura ſunt, *quae neceſſitatem conſtituiſſe*, ait MODESTINVS (g). Si enim naturae ſuae memores eſſent omnes homines, & incredibili virtutis pulcritudine peraeque caperentur: nulla omnino ſeruitute opus foret. Vti enim amicorum, ita omnium hominum, veram virtutem colentium, omnia communia futura, nec quiſquam alteri, quod ad eius vtilitatem commoditatemque pertinet, eſſet denegaturus. Quin eodem quiſque foret animo, quo fuit SENECA (h), dum ſcripſit: *Conſortium rerum omnium inter nos eſt: nec ſecundi quidquam ſingulis, nec aduerſi. In commune viuitur. Non poteſt quiſquam beate degere, qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit. Alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere. Haec ſocietas diligenter & ſancte obſeruanda eſt, quae nos omnes omnibus miſcet, & iudicat, aliquid eſſe commune generis humani.* Non ergo quiſquam fretus, iure dominii, quod in aliorum excluſione a rerum noſtrarum vſu conſiſtit, alteri vllum humanitatis officium, maxime quod ſine ſuo damno praeſtare poſſet, in ſuo denegaret, nec ideo ſtatim ſeruire fundum ſuum crederet, per quem vicinus ire, ambulare, vel in quo aquam haurire cupiat: immo potius haec & ſimilia vltro quiſque, nullaque neceſſitate adactus, libenter praeſtaret. Enimuero ex quo refrixit inter homines amor, quem homini erga hominem ipſa natura impreſſit, virtuſque laudari & algere coepit: non licuit profecto amplius homini in hominum humanitate collocare fiduciam, ac proinde, interuenientibus pactis, id ſibi ſtipulari coacti ſunt, quod ſibi ab aliis & in rebus alienis praeſtari vellent. Hinc & varia iura ſibi conſtituenda curarunt in fundis alienis, id eſt facultatem aliquid in iis agendi, vel quamdam ex iis vtilitatem capiendi, quam ſibi gratis & ſponte praeſtiturum eſſe vicinum, ſperare vix licebat. Haec vero iura SERVITVTES vocari coeperunt, per quas adeo nihil aliud intelligimus, quam *iura in fundo alieno conſtituta, ob quae dominus eius ad vtilitatem aliquam commoditatemue, in illo alteri concedendam, perfecte obligatur.* Quum vero ea vtilitas commoditaſue vel certae tantum *perſonae*, vel ipſi *praedio*, omnibuſque eius poſſeſſoribus promiſſa ſit: priore caſu SERVITVS PERSONALIS; poſteriore REALIS naſcitur. Quamuis enim & poſteriore caſu, ceu recte iureconſulti noſtri viderunt (i), vtilitas non tam ad praedia, quam ad eorum poſſeſſores,

(g) *l.* 40. *D. de legib.*
(h) Seneca *epiſt.* XXXXVIII.

(i) *l.* 15. *D. de ſeruitut.* Guil. Maran. *paratitl. Digeſt. tit. de ſeruit. p.* 253.

ſores, ſeu homines, *quorum cauſſa omnia iura introducta ſunt* (k), redundet: ita tamen obtinuit, vt, quia haec iura ipſa praedia meliora reddunt, & commoda ex iis capienda ad omnes poſſeſſores tranſeunt, praedium praedio ſeruire, ipſaeque ſeruitutes huius generis REALES vel PRAEDIALES dicantur.

§. IIII.

Variae huius conceptus determinationes ex iure ciuili.

Tam amplus, ſi a iure ciuili Romano diſceſſeris, SERVITVTVM conceptus eſt, nec vllas alias determinationes recta ratio agnoſcit. Sufficit in ſeruitutibus praedialibus, poſſeſſori praedii cuiusdam ius eſſe, vtilitatem commoditatemue qualemcumque ex vicino praedio capiendi. Qualem vero illam vtilitatem commoditatemue eſſe oporteat, & quomodo illa percipienda ſit, non magis definit recta ratio, quam quousque illa porrigi debeat. Omnia enim iſta ad paciſcentium arbitrium conuentionumque leges redire, facile vnusquisque intelligit. Aſt vide, quantum ab hac ſimplicitate iuris naturalis ius ciuile recedat, & quam multis, ſubtilibus admodum, parumque neceſſariis determinationibus illud conceptum hunc circumſcribat, ne omnis vtilitas, quae nobis e re aliena prouenit, ſeruitutis nomine veniat. Sic ſane quum vtilitas commoditasue illa ex vicini vel *facto* vel *non facto*, vel *patientia* denique, capi poſſit: iureconſulti ſeruitutem negant in faciendo conſiſtere poſſe (l). Qua ſemel admiſſa hypotheſi, non potuerunt non naſci quaeſtiones ſubtiliſſimae, an agi poſſit ad reficiendam foſſam, cuius non exſtet memoria? (m) an is cuius paries onus vicini ferre tenetur, ad reficiendum parietem obſtrictus ſit? immo an pactum huiusmodi, conſtitutioni ſeruitutis iſtius recte adiiciatur? (n) Cuiusmodi quaeſtiunculis facile carent Germani, quibus iam olim nihil obſtare viſum eſt, quo minus & faciendi ſeruitus conſtitueretur, vti ex inſtituto docuerunt GER. GOTTL. TITIVS (o), EPHR. GERHARDVS (p), & nuper illuſtris PRAESES, Vir de omni felicitate mea, ob maxima, quae in me contulit beneficia, immortaliter meritus, *in iuris Germanici elementis* (q). Eiusdem generis ſunt ſubtilitates, quae ex aliis eiusdem generis determinationibus oriuntur, quam plurimae. Vnde ad rauim vsque

(k) *l. 2. D. de ſtatu hom.*
(l) *l. 15. §. 1. D. de ſeruit.*
(m) *l. 2. §. 7. D. de aqu. & aqu. pluu. arc.*
(n) *l. 33. D. de ſeru. vrban. praed. l. 6. §. 2. D. ſi ſeru. vind.*
(o) *Diſſert. de ſeruit. faciendi, quae inter iunctim editas eſt num. XI.*
(p) *Diſſert. de ſeruit. in faciendo conſiſtent. Ien.* MDCCX.
(q) *Elem. iur. Germ. Lib.* II. §. CXXXI. *ſequ.*

que diſputari videas, an ſeruitus in diem, vel ex die, vel ſub conditione, vel ad certam conditionem poſſit conſtitui? (r) an proprietario, conſentiente vſufructuario, fundo ſeruitutem imponere liceat? (s) totumne fundum, an eius partem, adficiat ſeruitus? (t) an ſeruitute quis recte vtatur vltra neceſſitatem praedii ſui? (u) an fas ſit, ſolius voluptatis cauſſa ſeruitutem ſibi ſtipulari? (x) De quibus omnibus tanta ſunt ſententiarum diuortia, tantae doctiſſimorum virorum concertationes, (quas neſcio an operoſius quisquam OSWALDO HILLIGERO (y) collegerit,) vt qui hic interpretes in concordiam reducere conetur, is eadem opera inter aquam & ignem pacem conciliet,

Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

§. V.

Inſtituti ratio, & partitio diſſertationis.

At mihi quidem iam non integrum eſt, tantos componere fluctus: neque tantum fortaſſis mihi ſupereſſet ingenii, vt per tot quaeſtionum ſyrtes, tanquam per medium profundum, ire audeam. At quia tamen; inter tot determinationes & reſtrictiones nulla eſt, ex mea quidem ſententia, ſubtilior, nulla quae plures difficultates pepererit, quam adfectio illa, ſeruitutibus tribui ſolita, puta, quod cauſſa earum debeat eſſe perpetua: facturum me exiſtimaui operae pretium, ſi de PERPETVA illa SERVITVTVM CAVSSA quaedam in chartam coniicerem, in eaque potiſſimum vexatiſſima quaeſtione, dum ſpecimen inaugurale more maiorum edendum eſt, ingenium induſtriamque exercerem. Quin id feci tanto libentius, quanto minus mihi vllus veterum recentiorumue adhuc innotuit, qui iſthoc thema ex inſtituto tractandi coeperit conſilium, multo minus qui illud ita enodarit ac perpoliuerit, vt ocium feciſſe aliis, nullumque poſt meſſem ſpicilegium reliquiſſe videatur. Vt vero diſſertationi ipſi ſuus conſtet ordo: commodiſſimum viſum eſt, eam ita partiri, vt, recenſitis, quae huc pertinent, veterum fragmentis, virorum doctorum interpretationes ac ſententias modeſte expendam, iiſque meam ſubiungam, eamque non ſolum ſolidis argumentis pro virili ſuffulciam, verum etiam ab obiectionibus, ſi quae illi obuerti poſſint, vindicare ſtudeam. Id quod vt bene vertat DEVS O. M. ex animo precor.

§. VI.

(r) *l. 4. pr. D. de ſeru.*
(s) *l. 15. §. 7. D. de vſufr.*
(t) *l. 9. D. de ſeruit. l. 13. §. 1. l. 23. §. 3. l. 26. D. de ſeru. ruſt. praed.*
(u) *l. 5. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed.*
(x) *l. 8. pr. D. de ſeruit.*
(y) Hillig. *Donell. lib. XI. & XII.*

§. VI.

Vt ergo veterum iureconſultorum fragmenta, quae ad hoc ſeruitutum attributum pertinent, ordine recenſeamus: familiam merito hic ducit PAVLLVS, *vir prudentiſſimus* (z), &, iudice LAMPRIDIO (a) *iuriſperitiſſimus*, quin *legum prudentum coryphaeis* ab HERENNIO MODESTINO (b) adnumeratus, ſed idem, ſi alios audimus, ſaepe tam ſubtilis atque obſcurus, vt de eo ſcribere non dubitet IO. BERTRANDVS (c): *Eius vniuerſae leges ita obſcurae, ambiguae, verborumque tenebris involutae ſunt, vt id, quod de Chryſippo Cicero ſcripſit, de* PAVLLO *dicere veriſſime poſſimus, eum totum hoc volumen impleuiſſe oraculis flexiloquis & obſcuris, vt interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortes.* Quod iudicium ſicuti aliquando veriſſimum eſt, ita GVIL. GROTII (d), IO. DVARENI (e), aliorumque doctiſſimorum virorum, ſuffragia meruit. Scripſerat hic inter alia ad MASSVRII SABINI *ius ciuile* libros ſedecim, quorum penultimo illum interdicta, ad ſeruitutes pertinentia, illuſtraſſe, recte obſeruauit IAC. GOTHOFREDVS (f) idque ex ipſis ſedecim fragmentis, quae LABITTVS *ex libro illo ad Sabinum quinto decimo* enotauit, ſatis conſtat. Itaque & de ſeruitutibus ſtillicidii & fluminis eo loco egit (g), eaque occaſione haec iura praediorum quaſi poſſeſſione etiam adquiri poſſe docuit. Quum vero ferretur caſus, quod quidam foramen in imo pariete, proluendi pauimenti cauſſa, apertum habuiſſet, idque ius, tamquam ſeruitutem fluminis quaſi longi temporis poſſeſſione quaeſitum ſibi adſeruiſſet: diſquirit, an proluuies illa per foramen fluminis nomine venire poſſit? itemque an praedii dominantis poſſeſſor ius illud tempore ſibi adquiſiuiſſe videatur? Has ergo quaeſtiones ita breuiter ſoluit PAVLLVS (h): *Foramen in imo pariete conclauis vel triclinii, quod eſſet proluendi pauimenti cauſſa, id neque* FLVMEN *eſſe, neque* TEMPORE ADQVIRI *placuit. Hoc ita verum eſt, ſi in eum locum nihil ex caelo aquae veniat. Neque enim* PERPETVAM CAVSSAM *habet, quod manu fit: at, quod ex caelo cadit,*

Locus primus, de cauſſa ſeruitutum perpetua, l. 28. D. de S. V. P.

(z) *l. 6. C. de nupt. l. 11. C. ad Leg. Corn. de falſ.*

(a) Lamprid. *vit. Alexandri Seu. Cap. XXXII.*

(b) *l. 13. §. 2. D. de excuſat.*

(c) Bertrand. *de iuriſperit. Lib. I. Cap. XXV.*

(d) Guil. Grot. *vit. iureconſult. Lib. II. Cap. X.*

(e) Duaren. *ad l. 132. D. de verb. ſignif. p. 783. Op.*

(f) Iac. Gothofred. *in ſerie librorum Sabinian.*

(g) *l. 20. D. de ſeruit. vrb. praed.*

(h) *l. 28. D. de ſeruit. vrb. praed.*

cadit, etſi non adſiduè ſit, ex NATVRALI *tamen cauſſa ſit, & ideo* PERPETVO *fieri exiſtimatur. Omnes autem ſeruitutes praediorum* PERPETVAS CAVSSAS *habere debent : & ideo neque ex lacu, neque ex ſtagno, concedi aquaeductus poteſt. Stillicidii quoque immittendi naturalis &* PERPETVA CAVSSA *eſſe debet.* Eſt hic locus, qui huc pertinet, primus, ac veluti praecipuus, quin totius iſtius doctrinae de cauſſa ſeruitutum perpetua veluti fundus, ac proinde eum, breui inſtituta analyſi illuſtrare non ab re fuerit.

§. VII.

Breuis eius analyſis.

Primum itaque PAVLLVS ſpeciem ponit, quod FORAMEN illud IN IMO PARIETE CONCLAVIS VEL TRICLINII PROLVENDI PAVIMENTI CAVSSA patuerit : ita enim recte legitur Florentiae, & nihili eſt, quod in quibuſdam codicibus eſſe notat IVL. PACIVS, *in vno pariete.* Hac quidem poſita ſpecie, reſpondet iureconſultus, NEQVE FLVMEN hoc ESSE, NEQVE id ius TEMPORE ADQVIRI, PLACVISSE. Non *flumen*, quia tametſi per id etiam aqua educi ſoleat, ac proinde proluuies illa, per foramen erumpens, hoc fluminis nomen non incommode ferre videatur, id tamen vocabulum ad aquam duntaxat pluuiam pertineat, ac proinde *caelum, quod ſupra id ſolum intercedit, liberum eſſe debeat* (i) : conclauia autem & triclinia ita tecta ſint laquearibus, vt IN EVM LOCVM NIHIL EX CAELO AQVAE VENIAT. Nec *tempore* id ius *adquiri*; quia ſeruitutes quidem, quae continuam vel quaſi continuam cauſſam habeant, longi temporis praeſcriptione adquirantur (k), foraminis autem iſtius vſus ne nomen quidem ſeruitutis mereatur. OMNES enim SERVITVTES PRAEDIORVM CAVSSAM PERPETVAM HABERE DEBERE, nec ſine ea adfectione ſeruitutem intelligi. NON AVTEM PERPETVAM CAVSSAM HABERE, QVOD MANV FIAT: AT QVOD EX CAELO CADAT, ETSI NON ADSIDVE FIAT, EX NATVRALI TAMEN CAVSSA FIERI EXISTIMARI. Vbi ſimul definitiones cauſſae perpetuae, & non perpetuae occurrunt, eaeque ex media philoſophia vetere, ceu ex ARISTOTELE (l) & SENECA (m) patet, depromtae. Hinc porro colligit, IDEO NEQVE EX LACV, NEQVE EX STAGNO CONCEDI AQVAEDVCTVM POSSE. Nam LACVS, teſte VARRONE (n) eſt *lacuna magna, vbi aqua contineri poteſt*, eaque

(i) *l.* 1. *D. de ſeruit. vrb. praed.*

(k) Dionyſ. Gothofred. *ad l.* 28. *D. eod.*

(l) Ariſtotel. *analyt. poſter. Lib. I. Cap.* VII.

(m) Seneca *Conſolat. ad Marc. Cap.* VII. *ſequ.*

(n) Varro *de lingua Lat. Lib.* IIII. *p.* 12.

que plerumque manu excauatur, vt ibi aqua paluſtris & pluuia colligatur, contineaturque in vſum praedii, ac proinde, quum aquam perennem & perpetuam non habeat, creſcere interdum ac decreſcere, interdum plane exareſcere ſolet (o). Idque de STAGNO multo magis verum eſt, quod ita *exſiccari poteſt, vt fiat ager* (p). Vnde ad lacus, *qui perpetuam habent aquam* (q), quosque alibi PAVLLVS (r) *lacus perpetuos* vocat, haec obſeruatio non pertinet. Pergit PAVLLVS, nouoque rem exemplo illuſtrat; STILLICIDII QVOQVE IMMITTENDI, ſi illud ſeruitutis nomen ferat, NATVRALIS ET PERPETVA CAVSSA ESSE DEBET, quippe cuius ea eſt indoles, vt quis aquam pluuiam ex alterius tecto vel tabulato ſtillatim caſſitantem in aream ſuam vel recipere cogatur, vel eam auertere in vicini fundum poſſit. Sed quomodo, quaeſo, fingi poteſt ſtillicidium tale, quod ſine aqua pluuia, & de caelo cadente ſubſiſtat? Immo non modo fingi, ſed & oſtendi poteſt huiusmodi ſtillicidium, quippe quod apud Romanos frequentiſſimum fuiſſe, ſatis conſtat. Solebant illi in tectis aedium planis habere nemora & viridia, ceu iam obſeruauit EM. MERILLIVS (s), (ſed ex loco VITRVVII (t) male intellecto, vbi emendatiores editiones non *tectis* ſed *lectis* habent:) & multo *ſolidioribus* argumentis probarunt IO. MEVRSIVS & V. C. GER. NOODTIVS (u). Iam quum aqua fontana per aeſtatem ſicciorem rigandae eſſent illae plantae & arbores: contingere oportebat, vt aqua illa manuaria opera ingeſta, inde ſtillatim in vicini aream caſſitaret. Id vero PAVLLVS negat eſſe ſtillicidium, quia illius non ſit cauſſa naturalis & perpetua.

§. VIII.

Iungimus huic loco alterum eiusdem PAVLLI (x), ex eodem libro decimo quinto ad Sabinum deſumtum, vbi iureconſultus pleriſque ſua ipſe vineta caedere, ſibique parum conſtare videtur, dum ſcribit: *Si* LACVS PERPETVVS *in fundo tuo eſt, nauigandi quoque ſeruitus, vt perueniatur ad fundum vicinum, imponi poteſt.* En vero, *Locus alter l. 23. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed. eiuſque explicatio.*

(o) *l. 12. pr. D. de adquir. rer. dom. l. 24. §. vlt. D. de aqua & aqu. pluu. arc.*

(p) *l. 10. §. 3. D. quib. mod. vſusfr. vel vſ. amitt.*

(q) *l. vn. §. 3. D. vt in flum. publ. nauig. liceat.*

(r) *l. 23. §. 1. D. de ſeruit. ruſt. praed.*

(s) Em. Merill. *Obſeru. Lib. I. Cap. XXXIIII.*

(t) Vitruu. *Architect. Lib.* VI. *Cap.* VI.

(u) Io. Meurſ. *de luxu Rom. Cap.* XII. *p.* 32. Ger. Noodt *Comment. ad Pand. p.* 211.

(x) *l. 23. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed.*

vero, aiunt, idem ille PAVLLVS, quem paullo ante aquaeductum ex vicini lacu concedere noluiſſe vidimus, iam ſeruitutem nauigandi in eo concedere non dubitat: & prius quidem, quia in lacu cauſſa aquaeductus non ſit perpetua; poſterius, quia lacus ſit perpetuus. Sudant hic ſuo more gloſſatores, vt, ſe arbitris, PAVLLVS ſecum redeat in gratiam, idque ea ratione quam commodiſſime fieri poſſe, exiſtimant, ſi vel ponant, nauigandi ſeruitutem non eſſe continuam, ac proinde aquam in lacu ſtagnantem huic ſeruituti facile ſuffecturam, aquæductum vero aquam lacui adſidue ſubducere, vt mox non amplius ſuffectura ſit aquaeductui: vel ſi nobis perſuadeant, in fauorem nauigationis aliquid indulſiſſe leges, quod in aquaeductu locum non habeat (y). Sed prior ratio, quam & HVGO DONELLVS (z), probat, admodum diluta eſt, quia ne aquaehauſtus quidem eſt ſeruitus continua, & eum tamen *in ciſterna*, LACV, *piſcina*, *puteo*, *ſi viuam aquam non habeant*, *conſtitui poſſe*, negat VLPIANVS (a). Poſterior plane abſona videtur, quoniam legislatores publicam quidem nauigationem, qua reipublicae annona, aliaque neceſſaria ſubuehuntur, variis priuilegiis dignam iudicarunt (b): ſiquidem, vti ait CALLISTRATVS (c), *remuneranda viſa ſunt pericula nauiculariorum, qui annonae vrbis ſeruiunt, quin & praemiis hortanda eſſe, quia non eſt abſurdum dicere, etiam hos reipublicae cauſſa, dum annonae vrbis ſeruiant, abeſſe*: nauigationis vero priuatae ex vno fundo in alterum tantus numquam fuit fauor, vt ideo a generali iuris ciuilis principio de perpetua ſeruitutis cauſſa recedendum videretur. Aliam deinde rationem commentus IO. GOEDDEVS (d) PAVLLVM quidem in *l.* 28. *D. de ſeru. vrb. praed.* mentionem facere ait *lacus*, ſed vere intelligere *ſtagnum*, quia poſſeſſores fundorum ſua ſaepe opinione ac ſententia quamlibet aquam collectitiam & ſtagnantem pro *lacu* habuerint, & ſic *ſtagno* id tribuerint vocabulum (e): lacum autem, proprie ſic dictum, perpetuam ac perennem aquam habere, & de eo intelligendum eſſe locum alterum *l.* 23. *§.* 1. *D. de ſeru. vrban. praed.* Sed non opus eſt his argutiis. *Lacus* & *ſtagnum* magnitudine differunt. *Lacuna magna*, teſte

(y) Caepolla *de ſeruitut.Cap.*XXVIIII. *num.* 3.

(z) Donell. *Commentar. iur.ciu. Lib. XI. Cap. III.*

(a) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*

(b) Sueton. *Claud. Cap.* XVIII. *& tot. tit. C. de nauicular.*

(c) *l.* 5. §. 3. *D. de iure immunit.*

(d) Io. Goed. *Comment. ad l.* 112. *D. de verb. ſignif. p.* 823.

(e) argum. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 7. *D. de ſupell. leg. l.* 24. §. 2. *D. de leg.* 1.

teſte VARRONE (f), *lacus* vocatur, parua *ſtagni* nomine venit. *Lacus* porro; ſeu lacunae magnae duorum ſunt generum, alii PERPETVI, quos vel ſcaturigo quaedam, vel amnis riuuluſue, ingreditur, alio loco ex eo erupturus, quales ex maioribus ſunt *Larius*, *Seruinus*, *Fucinus*, *Lemanus*, *Acronius*, & alii: alii, qui & ſcaturigine & riuis carent, qualis *Traſimenus*. Illi perennem ac viuam continent aquam, & in talibus PAVLLVS nauigandi ſeruitutem recte concedit: hi aquam ſtagnantem, quae feruida aeſtate facile deficit, vnde MARTIALIS (g):

Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur,
Qui fluit, an PIGRO, *quae* STVPET, *vnda* LACV.

Et in his lacubus nec aquaeductum, nec vllam aliam ſeruitutem concedit PAVLLVS noſter: vt adeo nodum in ſcirpo quaerant, qui PAVLLVM ſecum ipſo committunt, eumque vno eodemque libro lacui cauſſam perpetuam modo tribuiſſe, modo negaſſe, contendunt, cum in loco, hactenus enodato, diſerte loquatur de *lacu perpetuo*.

§. VIIII.

Locus tertius l. 1. §. 4. D. de fonte.

Hactenus PAVLLVM de cauſſa ſeruitutum perpetua differentem audiuimus: iam ei merito iungimus VLPIANVM, quocum PAVLLO quidam perpetuas lites interceſſiſſe, eiuſque diſſidii ſemina per ius noſtrum paſſim ſparſa eſſe, fingunt (h). Vere, an falſo, alii viderint: ſaltim *talia non eſt, quod tam large nobis obtrudi patiamur*, ceu recte monet V. A. CORN. VAN BYNCKERSHOEK (i). Attamen a PAVLLO manifeſto aiunt diſſenſiſſe VLPIANVM, dum ſcripſerit (k): *Hoc interdictum de ciſterna non competit: nam ciſterna non habet* PERPETVAM CAVSSAM, *nec viuam aquam. Ex quo adparet, in his omnibus exigendum, vt viua aqua ſit. Ciſternae autem imbribus concipiuntur. Denique conſtat, interdictum ceſſare, ſi lacus, piſcina, puteus, viuam aquam non habeant.* Et de lacu quidem, piſcina & puteo non eſt, quod multum laboremus, quum eamdem illum ſeruaſſe ἀκρίβειαν, animaduertamus, ac PAVLLVM, & hinc de lacubus, piſcinis & puteis, *qui viuam aquam non habent*, diſerte loquatur VLPIANVS. At de ciſterna manifeſto illum aiunt a PAVLLO facere diuortium. Quum enim hic ſeruitutis foraminis cauſſam perpetuam agnoſceret, *ſi quid eo ex caelo aquae veni-*

 re

(f) Varro *ibid. p.* 12.
(g) Martial. *Lib.* VIIII. *Epigr. C.*
(h) Merill. *Obſeru. Lib. I. Cap. XXXIII.* Bertrand. *vit. iurisperit. Lib. I. Cap. XXV.*
(i) Bynkersh. *libr. ſing. ad leg. lectai Cap. XIII. p. 89. edit. nouiſſ.* Ant. Schulting. *iurispr. vet. anteiuſt. p.* 558.
(k) *l.* 1. §. 4. D. *de fonte.*

re poſſet, ac proinde regulam poneret, *quod ex caelo venit, etſi non adſidue fiat, ex* NATVRALI *tamen cauſſa fieri, & ideo* PERPETVO *fieri exiſtimari*: ille ciſternam, in quam ſola aqua pluuia defluit, perpetuam cauſſam habere, negat. Et fateor ſane, pleroſque qui de conciliandis his iureconſultis laborarunt, parum extricaſſe. Nam alii non aquam hic ſeruire cenſent, ſed ciſternam, quae, vtpote manu facta, cauſſam non habeat perpetuam (l): alii vſum tantum aquae conſiderandum eſſe monent, amplius nihil, adeoque, vnde veniat aqua, parum in hac ſeruitute intereſſe exiſtimant. (m) Sed ſi ciſterna, quippe manu facta, ſeruire non poteſt, neque cauſſam habet perpetuam: qui fit, vt vicini tigna recte ſuſtineat praedii noſtri paries, quum tamen & ipſe manu fiat, nec magis, quam ciſterna, cauſſam perpetuam habere videatur? Et quis vſum aquae ab ipſa aqua diſcernat, quum ideo ille non ſit perpetuus, quia ipſa aqua non eſt perennis vel perpetua? Hinc videri poſſet VLPIANVS idem quidem cum PAVLLO inculcaſſe principium, puta quod *cauſſam ſeruitutum perpetuam eſſe oporteat*, at cauſſam perpetuam multo aliter, quam PAVLLVM, definiiſſe. Enimuero illi cum PAVLLO bene conueniſſe, aliunde ſatis conſtat, veluti dum vterque, aquam aliunde, quam ex capite, duci poſſe, negat (n): & diſſenſus hic adparens per ſe euaneſcet, ſimul ac, quid vterque per CAVSSAM PERPETVAM intellexerit, infra ſuo loco ad liquidum fuerit perductum.

§. X.

* *Locus quartus l. 29. D. de de ſeru. vrb. praed.*

Praeter hos duos iureconſultos & tertio, illis haud paullo antiquiori, principium iſtud de perpetua ſeruitutum cauſſa placuiſſe, comperio. Nam & POMPONIVS *in libro XXXII. ad Quintum Mucium* ſeruitutem foraminis conſtitui poſſe negauit, dum ſcripſit (o): *Si quid igitur ex eo foramine, ex quo* SERVITVS NON CONSISTIT, *damnum vicinus ſenſiſſet: dicendum eſt, damni infecti ſtipulationem locum habere.* Negat ergo POMPONIVS, *ſeruitutem ex foramine conſiſtere*, ac proinde poſſeſſori, cui moleſtiam adfert illa proluuies, non indulget actionem *negatoriam*, quae alioquin occaſione ſeruitutum datur (p), ſed *damni infecti*, quae & alias, vbi

(l) Noodt *Comment. ad Pandect. p.* 222.

(m) Vlr. Huber. *Praelect. ad Pand. Lib.* VIII. *tit.* IIII. §. VII.

(n) *l.* 1. §. 7. *D. de aqu. quotid. & aeſtiu. l.* 9. *D. de ſeruit. vrb. praed.*

(o) *l.* 29. *D. de ſeru. vrb. praed.*

(p) *l.* 1. *pr. D. ſi ſeru. vindic.*

vbi locus non eſt negatoriae, ex POMPONII (q) ipſius ſententia, ſolet competere. Aſt quamuis in eo PAVLLO calculum adiiciat POMPONIVS, quod foraminis non conſiſtat ſeruitus: rationem tamen eamdem, puta, quod illud cauſſa perpetua careat, hic non adiici animaduertimus, adeoque exiſtimare quis poſſet, eum ex alia ac diuerſa ratione ius illud ſeruitutum numero eximere potuiſſe. Si enim foramen illud dominantis praedii poſſeſſor in ſuo pariete aperuit: id ſeruitutis rationem habere nullo modo potuit, quum cuique ex libertate naturali parietem ſuum perfringere, & feneſtras, quot lubitum eſt, nedum foramen, aperire liceat (r). Sin in pariete vicini, (quam ſpeciem hic format ACCVRSIVS (s): ſeruitus quidem haec fuit, ſi vicinus hanc proluuiem ſe excepturum in aream ſuam pollicitus eſt, at non foraminis, verum cloacae, quippe quae nihil aliud eſt, quam locus concauus, per quem colluuies defluit (t). At quamuis haec ſpecioſa ſint: aliunde tamen ſatis conſtat, eamdem fuiſſe philoſophiam POMPONII ac PAVLLI, eique & idem principium de cauſſa ſeruitutum perpetua, & easdem cauſſae perpetuae & non perpetuae definitiones placuiſſe. Nam in alio textu *ex libro XXXIII. ad Sabinum* depromto, ita ait POMPONIVS (u): *Seruitus* NATVRALITER, *non* MANVFACTO *laedere poteſt fundum ſeruientem: quemadmodum ſi imbri creſcat aqua in riuo, aut ex agris in eum confluat, aut aquae fons ſecundum riuum, vel in eo ipſo, inuentus poſtea fuerit.* Vbi quod contingit NATVRALITER, ei, quod MANVFACTO fundum ſeruientem laedit, manifeſto opponit, & illud quidem, non hoc, cauſſam perpetuam habere tradit, vt adeo de POMPONII & PAVLLI conſenſu non videatur dubitandum.

§. XI.

Obſeruationes quaedam ex his iureconſultorum teſtimoniis.

Et haec quidem ſunt loca illa veterum iureconſultorum, quae ad ſubtile iſtud principium de cauſſa ſeruitutum perpetua praecipue pertinent. Ex iis vero *primum* animaduertimus, principium hoc fuiſſe antiquiſſimum, & ipſis adhuc liberae reipublicae temporibus receptum. Nam PAVLLVS haec notauit ad MASSVRIVM SABINVM, qui proxime ab eo tempore abfuit (x); POMPONIVS ad Q. MVCIVM SCAEVOLAM, qui multo ante illam reipu-

 blicae

(q) *l. 18. D. de ſeru. vrban. praed.*
(r) argum. *l. 9. D. de ſeru. vrb. praed.* *l. 8. §. 5. D. ſi ſeru. vindic.* Wiſſenb. *ad tit. D. de ſeru. vrb. praed. n. 10.*
(s) Accurſ. *gloſſ. ad l. 28. D. eod.*
(t) *l. 1. D. de cloac.*
(u) *l. 20. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed.*
(x) *l. 2. §. 47. D. de orig. iur.*

blicae conuerſionem floruit, & in Mariano tumultu anno V. C. DCLXVI. periit, C. Fimbriae ſcelere nefarie interemtus (y). Iam notum eſt, veteres interpretes aut ipſas auctorum ſuorum doctrinas proponere ac illuſtrare, aut easdem refellere verbis diſertis. Quum ergo poſterius neuter faciat: recte DVARENVS (z) Paulli ſententiam ipſi Sabino tribuit, & nos adeo eodem iure illam POMPONII tribuere videmur Q. Mucio Scaeuolae. Praeterea haec regula non lege aliqua, aut SCto, aut Principis conſtitutione, introducta, ſed ex iure ciuili ſtrictius accepto depromta eſt. Quaecumque enim ad rerum ciuilium naturam, definitiones & formam, nec non ad formulas agendi, actuſque legitimos pertinent, ea non a recentioribus illis iureconſultis, quorum fragmenta in Pandectis ſuperſunt, ſed a vetuſtiſſimis, veluti SEX. AELIO CATO, cuius Tripertita *veluti incunabula iuris continebant*, nec non ex libris BRVTI, P. MVCII & MANILII, qui *fundaſſe ius ciuile dicuntur*, profecta ſunt (a). Hinc CICERO (b): *Fundus a patre relinqui poteſt: at vſucapio fundi, hoc eſt, finis ſollicitudinis & periculi litium, non a patre, ſed a legibus, relinquitur.* AQVAEDVCTVS, HAVSTVS, VIA, ITER, ACTVS *a patre; ſed rata auctoritas harum rerum a* IVRE CIVILI. Et alio loco (c): *De* IVRE *quidem* PRAEDIORVM *ſancitum apud nos eſt* IVRE CIVILI. Si ergo tota illa doctrina de ſeruitutibus, eiuſque principia, ex iure ciuili, cuius veteres illi iureconſulti, qui libera adhuc republica floruerunt, auctores ſunt, veluti e fonte promanarunt: etiam hoc principium, in quo omnes conſpirarunt, non poſſumus non pro antiquiſſimo habere. Diximus, quae altera noſtra obſeruatio eſt, in hoc principio omnes conſpiraſſe, quorum in pandectis fragmenta ſuperſunt. Neque enim inter tot interpretes, quorum ex ſcriptis TRIBONIANVS ſub titulis *libri VIII. Pandectarum* excerpta collegit, (collegit autem illa ex operibus LABEONIS (d), ALFENI (e) PROCVLI,

(y) Cicero *de oratore Lib. III. Cap. III. Excerpta Peireſc. p.* 410. Vellei. Patercul. *Lib. II. Cap.* XXVI. Appian. *de bello ciu. Lib. I. p.*404. Lucan. *Pharſalic. Lib. II. v.* 126. *ſequ.*

(z) Duaren. *Comment. ad l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrb. p.* 195. *Oper.*

(a) *l.* 2. §. 5. 6. 38. 39. *D. de orig. iur.*

(b) Cicero *pro A.Caecinna Cap.*XXVI.

(c) Cicero *de offic. Lib.III. Cap.*XVI.

(d) *l.* 21. *D. ſi ſeru. vindic. l.* 19. *D. de ſeru.*

(e) *l.* 17. *D. ſi ſeru. vindic.*

PROCVLI (f), CELSI (g), NERATII (h), IAVOLENI (i), IVLIANI (k), AFRICANI (l), PAPIRII IVSTI (m), POMPONII, CAII, SCAEVOLAE, (n) MARCELLI (o), PAPINIANI (p), VLPIANI, PAVLLI, CALLISTRATI (q), MARCIANI (r), MODESTINI (s), vel vnus reperitur, qui principium illud de cauſſa ſeruitutum perpetua vel verbo perſtringat, aut diſerte illud, tamquam vanum aut futile, reiiciat. Immo quum alioquin ſaltim diuerſarum ſectarum iureconſulti diſſentire ſoleant, eiuſque diſſenſus veſtigia a TRIBONIANO non potuerint ita conturbari, vt non ea paſſim deprehenderint viri docti (t): hic nullus inter Proculeianos & Sabinianos diſſenſus obſeruatur. Immo quum PAVLLVM, POMPONIVM, VLPIANVM inter erciſcundos, quos vocant, iureconſultos referant, eoſdemque tamen in Sabinianorum partem procliuiores eſſe obſeruent (u): ab his ſententiam ſuam non diſiungit Proculeianorum acerrimus, NERATIVS (x), qui dum alicubi ſcribit: *ſi aquaeductus, vel hauſtus aquae* SVFFICIENS EST, *poteſt & pluribus per eumdem locum concedi, vt iiſdem diebus vel horis ducatur*, manifeſto exigit, vt cauſſa earum ſeruitutum ſit perpetua, ſiquidem alias fieri non poſſet, vt pluribus ſufficeret.

§. XII.

(f) *l. 16. D. quemadm. ſeru. amitt. l. 13. D. de ſeru. praed. vrb. l. 13. D. ſi ſeru. vind.*

(g) *l. 9. D. de ſeruit. l. 6. D. quemadm. ſeruit. amitt.*

(h) *l. 12. D. eod. l. 2. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(i) *l. 12. D. de ſeru. praed. vrb. l. 13. D. de ſeru. praed. ruſt. l. 4. & l. 5. D. commun. praed. l. 9. l. 14. & 15. D. quemadm. ſeru. amitt. l. 12. D. ſi ſeru. vind. l. 12. l. 16. l. 20. D. de ſeruit.*

(k) *l. 22. l. 32. l. 34. l. 37. D. de ſeru. praed. vrb. l. 27. l. 28. l. 31. D. de ſeru. praed. ruſt. l. 2. l. 16. l. 18. D. ſi ſeru. vind. l. 14. D. commun. praed.*

(l) *l. 32. D. de ſeru. praed. ruſt. l. 33. eod.*

(m) *l. 14. D. de ſeru. praed. vrb. l. 17. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(n) *l. 20. D. ſi ſeru. vind. l. 41. D. de ſeru. praed. vrb. l. 20. l. 22. l. 24. D. quemadm. ſeru. amitt.*

(o) *l. 10. D. de ſeru. praed. vrb. l. 11. l. 13. D. quemadm. ſeru. amitt.*

(p) *l. 6. D. ſi ſeru. vindic. l. 4. l. 18. D. de ſeru. l. 36. D. de ſeru. praed. vrb. l. 4. l. 34. de ſeru. praed. ruſt. l. 17. D. commun. praed.*

(q) *l. 16. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(r) *l. 1. D. de ſeru. l. 35. D. de ſeru. praed. ruſt. l. 19. D. ſi ſeru. vind.*

(s) *l. 11. D. de ſeru. l. 12. D. de ſeru. ruſt. praed.*

(t) Merill. *Lib. I. Obſeru. Cap. V. ſequ.* Maſcou. *de ſect. Sabinian. & Procul. Cap. vlt.*

(u) Eu. Otto *Papinian. Cap. XI. §. VI. p. 229.*

(x) *l. 2. §. vlt. D. de ſeru. praed. ruſt.*

§. XII.

De cauſſa ſeruitutum perpetua ſententia Ioannis Superioris.

Quum ergo haec de perpetua cauſſa ſeruitutum doctrina & antiqua omnino, & omnibus vtriusque ſectae iureconſultis communis fuerit, & in eius tamen adplicatione non vna difficultas emergat: noſtrum porro erit, diſpicere, quo pacto interpretes recentiores explicare illud principium, & nodos, quos hic & magnos, & plurimos deprehendimus, ſoluere ſoleant. Nec tamen hic immorabimur gloſſatorum, CAEPOLLAE, aliorumque eiusdem commatis ſcriptorum ſomniis, qui ſeruitutes continuas cum perpetua earumdem cauſſa turpiter confundentes, principium iſtud, quod omnium ſeruitutum cauſſa perpetua eſſe debeat, manifeſto deſerunt, nec facere poſſunt, quin diſcontinuarum, quas vocant, cauſſam perpetuam eſſe, negent. Saltim eam ſententiam & IO. LONGOVALLIVS (y), qui alias gloſſatorum errorem de harum ſeruitutum praeſcriptione erudite refellit, amplectitur, ipſe poſtea refutatus a IO. CORRASIO (z). Agmen ergo hic potius ducat non inelegantis ingenii iureconſultus, IOANNES SVPERIOR, (a) Aquitanus, qui quum obſeruaſſet, ipſam aliquando ſeruitutum conſtitutionem CAVSSAE nomine venire (b), non ſe perpetuam illam ſeruitutum cauſſam rectius credidit explicaturum, quam ſi perpetuitatem illam in ipſa ſeruitutum conſtitutione voluntateque conſtituentium quaereret, vt adeo cauſſam perpetuam habere videretur ſeruitus, quia ex die, vel ad diem, vel ſub conditione, vel ad certam conditionem conſtitui nequeat (c), & ita conſtituta non habeatur pro ſeruitute. Quia vero facile animaduertit, foraminis ius, & aquaehauſtum ex ciſterna, lacu, puteo, piſcina, non minus, quam flumen, aliaque praediorum iura, pure conſtitui poſſe, & tamen ſeruitutibus non adnumerari (d): adiecit, ſeruitutes & ratione vſus eſſe debere perpetuas, ita, vt & fundus, cui imponitur ſeruitus, eam numquam non poſſit praeſtare, aut pati, & alter, cui adquiritur, illa ex naturali vel perpetua cauſſa ſemper indigeat. Et ſic ſatis perſpicue explicari a ſe poſſe credidit, cur nec ex ciſterna, nec ex ſtagno, aqua collectitia duci, nec foramen, in imo pariete apertum, pro ſeruitute haberi poſſit, & cur neutrius ſeruitutis cauſſa perpetua viſa ſit veteribus.

§. XIII.

(y) Longouall. *in L. imperium 3. D. de iuriſd. Parte* IIII. *ad l. 12. pr. D. de ſeruit. n.4.*

(z) Corraſ. *Comment. de ſeruit. p.261. ſequ.*

(a) Io. Superior *Comment. de ſeruit.*

(b) *l. 17. pr. D. de aqu. & aqu. pluu.*

(c) *l. 4. pr. D. de ſeruit.*

(d) *l. 28. D. de ſeru. praed. vrb. l. 1. §. 4. D. de fonte.*

§. XIII.

Eius examen.

Sed haec viri docti ſententia ſpecioſa magis, quam ſolida; videtur. Nam quod ad rationem priorem attinet, nec ea aquaehauſtui ex ciſterna, lacu, puteo, nec foramini in imo pariete aperto, obſtat, quia, vti iam monui, & haec iura pure conſtitui poſſunt. Praeterea non ideo pure conſtituendae ſunt ſeruitutes, quod cauſſa earum debeat eſſe perpetua: ſed alia plane eſt eius rei ratio, in quam iam alii cum cura inquiſiuerunt (e), quamuis vix quiſquam rem acu tetigiſſe videatur. Vera enim ratio non alia eſt, quam quod praediorum ruſticorum ſeruitutes, tamquam res mancipi, per *mancipationem*; praediorum vrbanorum iura per *in iure ceſſionem* adquirerentur (f), & hi adquirendi modi inter viuos ſoli eſſent legitimi. Atqui & *mancipatio*, & *in iure ceſſio* inter actus legitimos erant, qui nec diem, nec conditionem, admittebant (g). Nihil ergo haec faciunt ad cauſſam ſeruitutum perpetuam, quamuis in ſe omnino ſint veriſſima. Poſterior IO. SVPERIORIS ratio, ſi recte explicetur, non longe a veritate abeſt; at eo ſenſu, quo eam ipſe auctor propoſuit, dubiis haud leuibus vrgetur. Sane enim paſcua, quibus vicinus aliquando iure ſeruitutis fruitur, ſaepe non ita comparata ſunt, vt praeſtari poſſint, quia ſicciore aeſtate non minus, quam ciſternae & ſtagna, exareſcunt. Saepe, vti ait VIRGILIVS (h),

Steriles exuret Syrius agros,
Arebunt herbae, & victum ſeges aegra negabit.

Sed & ſaepe conſtituitur ſeruitus, quamuis quis ea non ſemper indigeat. *Ei fundo*, inquit LABEO (i), *quem quis vendat, ſeruitutem imponi, etſi* NON VTILIS *ſit, poſſe exiſtimo: veluti ſi aquam alicui ducere non expediret, nihilominus conſtitui ea ſeruitus poſſet: quaedam enim habere poſſumus, quamuis vtilia non ſint.* Si ſeruitus conſiſtit, etiam ex qua nulla ad nos redundat vtilitas: qui dici poteſt, ea ſemper indigere debere dominantis praedii poſſeſſorem? Sic ſane iure terram, rudus, ſaxa iaciendi, poſitaue habendi ac prouoluendi in alieno fundo non ſemper indiget praedium, & nihilominus hoc ius vicino recte cedi, obſeruat

(e) Guil. Maran. *Paratitl. p.* 259. Merill. *ad tit. de ſeruit. p.* 637. *Tom. III. Theſaur. iur.*

(f) Vlpian. *Fragm. tit.* XVIII. §. *I. III. & XI.*

(g) *l.* 77. D. *de regul. iur. & ibi* Iac. Gothofred.

(h) Virgil. *Aeneid. Lib. III. v.* 141. *ſequ.*

(i) *l.* 19. *D. de ſeruit.*

NERATIVS (k). Et quis denique neget, foramine illo, in imo pariete, ex naturali & perpetua cauſſa ſemper indigere cubiculum, quum ita natura comparatum ſit, vt pauimenta non poſſint non ſordes & ſitum contrahere, ac proinde ſemper proluenda ſint ? Quiſue dubitet, quin fundus vicinus eam ſeruitutem ſemper, & multo quidem facilius, quam cloacam, flumen, ſtillicidium, praeſtare ac pati poſſit ? Et tamen ſeruitutem huiuſmodi cauſſam perpetuam habere, negat PAVLLVS (l) : idque argumento luculentiſſimo eſt, non peruidiſſe IO. SVPERIOREM veterum ſententiam, nec perſpicue ſatis, quid *cauſſae perpetuae* nomine illis venerit, explicaſſe.

§. XIIII.

Duareni, Cuiacii aliorumque excuſſa.

Proximi ſint FRANC. DVARENVS (m), IAC. CVIACIVS (n), GVIL. MARANVS (o), ANDR. FACHINEVS (p), & alii, quibus tunc demum perpetuam cauſſam habere videtur ſeruitus, ſi res ipſae, in quibus illa conſiſtit, ita ſint comparatae, vt, quoties collibitum eſt, iis vti liceat (q). Tales autem non alias eſſe aiunt quam naturales, non autem opera manuue hominis factas. Sed tametſi haec ipſis PAVLLI verbis ſatis congruant, nec in ſe admodum obſcura ac difficilia ſint : iiſdem tamen difficultatibus, quibus ipſa illa PAVLLI φιλοσοφήματα, laborant. Sane enim ſiue de praedio dominante, ſiue de ſeruiente, eas definitiones intelligas : plures dari poſſunt ſeruitutes, quae adficiunt res, hominum opera manuque factas, & quas tamen ordine illo mouere nemo umquam auſus eſt. In ſeruitute *oneris ferendi*, ex parte praedii dominantis occurrit ſuperior aedium contignatio*, quae in alterius pariete vel columna requieſcit : ex parte ſeruientis ipſa columna vel paries, quo vicini onus ſuſtinetur. Neutra res a natura profecta ; vtraque manu facta eſt, & tamen hanc ſeruitutem nemo umquam cauſſam perpetuam habere, negauit. Si quis nobis obuertat, cauſſam huius ſeruitutis ſaltim ex hypotheſi eſſe perpetuam, quia hic dominus praedii ſeruientis reficere parietem, atque ita efficere te-* neatur, vt PARIES ONERI FERVNDO, VTI NVNC EST, ITA SIT : reſpon-

(k) *l. 3. §. 2. D. de ſeru. praed. ruſt.*
(l) *d. l. 28. D. de ſeru. praed. vrban.*
(m) Duaren. *Comment. ad d. l. 28. p. 195. Op.*
(n) Cuiac. *Obſeru. Lib. XI. Cap. III.*
(o) Guil. Maran. *Paratitl. Dig. p. 259.*
(p) Andr. Fachin. *Controu. iur. Lib. VIII. Cap. XXII. p. 646.*
(q) *l. 1. §. 1. & 5. D. de aqua quotid. & aeſt. l. 1. §. 4. D. de fonte.*

(r) reſpondeo, primum nondum euictum eſſe, reficiendi obligationem ſeruientis praedii domino citra pactum incumbere (s): deinde, ſi vel maxime ea huius ſeruitutis indoles eſſet, eam tamen perpetuitatem parietis vel columnae non naturae, quod hi viri docti exigunt, ſed operae hominum manuariae deberi: denique cauſſam perpetuam aeque tribui ſeruituti *tigni immittendi*, in qua tamen ſeruientis praedii poſſeſſori hoc onus plane non incumbit. Ex quo ſane conſequitur, vt ne hi quidem viri doctiſſimi aliquid, quod ad vetus iſtud principium perſpicue explicandum pertineat, attulerint, ſed omnia aeque adhuc, ac antea, incerta ſint, multisque tricis inuoluta.

§. XV.

Nec non Donelli & Noodtii explicatio.

Progredimur ad HVGONEM DONELLVM (t), qui quum alias DVARENI ſui veſtigia paene vbique premat, hic tamen ab iis longius recedit, ὁμόψηφον in plerisque nactus virum eximium, GER. NOODTIVM (u). Nam hi ſeruitutes cauſſam perpetuam habere ſtatuunt, primum, ſi earum vſus ex naturali cauſſa ſit perpetuus: e. g. in aquaeductu ex aqua viua & perenni (x): deinde, ſi eius vſus non quidem continuus ac perpetuus, at res ipſa tamen a natura ſit, veluti in *ſtillicidii & fluminis ſeruitute* aqua pluuia, quae non cadat ſemper, attamen, quia a natura ſit, cadere ſaltim poſſit (y): denique, ſi quid manu quidem fiat, ſed praedium tamen eiusue pars rei habendae cauſſa comparatum ſit. Hinc *ius fumi immittendi* veram eſſe ſeruitutem, quia caminus vel fornax, quamuis manu exſtruantur, eo tamen conſilio habeantur, vt aut ignem perpetuum habeant, aut ad habendum illum ſemper parati ſint. (z) Sicubi vero nullum horum attributorum reperiatur: cauſſam non poſſe videri perpetuam, adeoque in *foramine parietis* non conſiſtere ſeruitutem, quia aqua manu ingeratur, nec magis eo nomine venire poſſe *aquaeductum ex ſtagno vel lacu*, viuam aquam non habente, ſed omnia haec iura, rite conſtituta, obligationis perſonalis naturam induere. Ex quibus principiis deinde DONELLVS veterem illam vexatamque quaeſtionem ſoluit, an *aquae ex caſtello ducendae, vel per rotam ex flumine tollendae, haurien-*

(r) *l.* 33. *D. de ſeruit. praed. vrban. l.* 6. §. 2. *D. ſi ſeru. vind.*

(s) Eu. Otto *ad* §. 1. *Inſt. de ſeru.* & illuſtris Praeſidis *Elem. iur. ſec. ord. Pand. Part. II.* §. 142. *

(t) Donell. *Comment. iur. cit. Lib. XI. Cap. III.*

(u) Noodt *Comment. ad Pand.* p. 222.

(x) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*

(y) *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrban.*

(z) *l.* 8. §. 5. *D. ſi ſeru. vind.*

riendaeue ſeruitutes poſſent conſtitui? Id enim poſt multas variationes ait obtinuiſſe (a), quia caſtellum vel machina illa hydraulica aquam non gignant, ſed eius tantum receptacula & cauſſae motrices ſint (b): ipſa vero aqua ex caſtello educta, vel per rotam ſublata, tamquam perennis, cauſſam habeat perpetuam. Denique & *cloacae* cauſſam eſſe perpetuam, exiſtimat vir eximius, quia cloaca non ſit quoduis foramen, ad ſordes emittendas apertum, ſed locus cauus, aquam de caelo cadentem, ſordesque & colluuiem ſecum vna auferentem, recipiens (c). Neque enim fluere, ſed ſtagnare colluuiem, niſi ab aqua pluuia auferatur. Vnde *cloacam* dictam, quaſi *colluacam*, quae ſordes, aqua pluuia vel alia, perpetua decurrente, ſua ſponte colluat (d). Sic ergo DONELLVS, pulcre imitatus PAVLLI ratiocinationem, tunc demum cloacam cauſſam habere perpetuam, ſtatuit, ſi quid aquae caeleſtis eo venire poſſit (e).

§. XVI.

Eius examen.

Enimuero quod ad duas priores DONELLI definitiones attinet, illae mihi in easdem difficultates incidere videntur, quibus DVARENI & CVIACII ſententiam premi, paullo ante oſtendimus. Aliquot enim ſeruitutes vidimus, quae nec continuam, nec poſſibilem cauſſam a natura habent, & tamen cauſſa perpetua non carere dicuntur, veluti ſeruitutes *ferendi oneris, tignique immittendi.* Quod vero ad tertiam attinet, vir doctus PAVLLVM non explicat, ſed manifeſto deſerit. Quum enim hic diſerte id, quod manu fit, cauſſam perpetuam habere neget (f): DONELLVS etiam huiuſmodi rebus manufactis tribuit cauſſam perpetuam, ſi eius rei gratia, cui ſeruiunt, habeantur, veluti camino, quem fumi cauſſa habeamus. Atqui ſic nulla idonea ſubeſt ratio, cur in *foramine* illo parietis conſiſtere non poſſit ſeruitus, quum & illud eum in finem a poſſeſſore praedii dominantis habeatur, vt aqua, proluto pauimento, inde vel recipiatur, vel emittatur. Si regerat aliquis, aquam tamen ipſam, quae per foramen iſtud effluat, non eſſe perennem, ſed manu in conclaue vel triclinium inferri: ei ego reponerem, ne fumum quidem, per caminum emittendum, eſſe perennem, eumque non minus, quam aquam illam, pauimento infuſam, manuaria hominum opera indigere. Fornax, qui ignem

(a) *l. 9. D. de ſeru. ruſt. praed. l. 2. D. comm. praed. vrban. & ruſtic.*

(b) *l. 1. §. 39. D. de aqu. quotid.*

(c) *l. 1. §. 4. D. de cloac.*

(d) Feſtus *voce cloaca.* Voſſ. *Etymolog. p. 166.*

(e) *l. 28. D. de ſeru. praed. vrban.*

(f) *d. l. 28. D. de ſeruit. praed. vrban.*

ignem perpetuum habeat, vix fingi poteſt, nec talem in ciuis Romani aedificio aliquo repertum crediderim, ſed in ſolo Veſtae templo, *in cuius foco ad ſimulacrum caeleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma perpetuo vigilabat* (g). Si vero in ſeruitute fumi immittendi ſufficit, caminum ad ignem habendum ſemper eſſe paratum: quidni & altero illo caſu ſufficeret, foramen ſemper paratum eſſe, ad recipiendam emittendamue conclauis vel triclinii proluuiem? Deinde in ſeruitute *aquae, e caſtello ducendae, vel rota e flumine tollendae*, DONELLVS id ad cauſſam perpetuam ſufficere cenſet, quod aqua caſtello recepta, rotaue in ſublime euecta, in ſe perennis & viua ſit. Quid ergo ſi aqua perennis vel fontana manibus in pauimentum ingeratur? Scire profecto peruelim, cur aqua, per rotam in ſublime euecta, perennis maneat; manu extracta effuſaque in pauimentum non maneat? & cur infuſa amphoris perennis ſit, infuſa pauimento viua & perennis eſſe deſinat? Denique & quod de *cloaca* acute ſibi obſeruaſſe videtur DONELLVS, eam ſine aqua caeleſti, quae ſordes auferat, intelligi non poſſe, id in iure noſtro vix reperit praeſidium. Quum enim edixiſſet Praetor: QVO MINVS ILLI CLOACAM, QVAE EX AEDIBVS EIVS IN TVAS PERTINET, PVRGARE LICEAT, VIM FIERI VETO: ſtatim ſubiicit VLPIANVS (h): *Ait Praetor*: QVAE EX AEDIBVS EIVS IN TVAS PERTINET. *Aedes hic accipere debes pro omni aedificio, hoc eſt ex aedificio eius in tuum aedificium.* Et paucis interiectis (i): *Quod ait Praetor*, PERTINET, *hoc ſignificat, quod ex aedibus eius in tuas pertinet, hoc eſt, dirigitur, extenditur, peruenit.* Si ergo cloaca ex aedibus in aedes, vel ex aedificio in aedificium pertingit, per eamque locus cauus, ſubter terram depreſſus, & ſuperne tectus, vel concameratione clauſus, (quod ex *periculoſo ſerui in cloacas deſcenſu* (k) eruditi colligunt:) intelligitur: quomodo eo aliquid aquae pluuiae peruenire poterit? Philologia etiam DONELLI de voce *cloaca* parum ad rem facit. Poteſt enim ei a *colluendo* nomen eſſe, etiamſi ſordes ſtagnantes aqua manu ingeſta diluerentur: quum & ſpurcities omnes *ſentinarum colluuiones* vocentur ab ARNOBIO (l), aliiſque bonis auctoribus. Denique apud VLPIANVM (m) nuſquam exſtat illa cloacae definitio, quam ex eius verbis extundit DONELLVS: ſed cloaca ibi eſt *locus cauus, per quem colluuies quaedam fluat*: pluuiane vero,

(g) Flor. *rer. Romanar. Lib. I. Cap. II.*
(h) *l. 1. §. 8. D. de cloac.*
(i) *l. 1. §. 10. D. eod.*
(k) *l. 54. pr. D. de act. emt. vend.*
(l) Arnob. *adu. gentes Lib. V. p. 151.*
(m) *l. 1. §. 4. D. de cloac.*

ro, an alia aqua, diluendae ſint ſordes, non expreſſit iurecon-ſultus, nec quidquam procul dubio intereſſe, ipſe exiſtimauit.

§. XVII.

Interpretatio M. Aur. Galuani expenſa.

Attigit hanc quaeſtionem etiam M. AVREL. GALVANVS (n), vir eruditiſſimus, &, quod caput rei eſt, interioris iurisprudentiae quidam veluti promus condus. Dum enim de vſucapione vſusfructus, reliquarumque ſeruitutum diſſerit, oſtenditque luculenter, ſeruitutes omnes longo tempore adquiri poſſe, & textum tamen PAVLLI, ſaepe laudatum (o), ſibi quodammodo obſtare animaduertit, hoc dubium ita ſoluit: *Sed optime reſponſum eſt, foramen non adquiri, non quod ſeruitutes tempore adquiri nequeant, ſed quia perpetuam cauſſam non habeat, qualem habere debent omnes ſeruitutes, vt ibidem exprimit* PAVLLVS, *& recte: nam ſeruitutes reales, ſicut adficiunt praedium, quod perpetuum eſt, ita ipſae cauſſam habere debent perpetuam, vt perpetuo illud adficere poſſint.* Et alio loco, vbi de oppignoratione ſeruitutum erudite diſputat: (p) *Seruitus*, inquit, *non niſi in perpetuum recte conſtituitur* (q): *ſiue, quia iungitur praedio, & fit quodammodo pars vel qualitas, adficiens ipſum praedium, quod naturaliter perpetuum eſt: ſiue quod conſtituitur ſeruitus ad perpetuam vtilitatem praedii dominantis, quod ſuapte natura non modo nunc, ſed etiam ſemper deſideraturum eſt, v. g. iter, actum, viam, aquaeductum. Quamobrem & cauſſam perpetuam debet habere* (r). Ergo cauſſam perpetuam GALVANO habere videntur iura, quae praedium perpetuo poſſunt adficere: quae vero non ſunt in ea cauſſa, ex eius ſententia carent cauſſa perpetua. At, quaenam iura praedia perpetuo adficere poſſunt, vel non poſſunt? Abrumpit hic vtrobique ſermonem GALVANVS, vbi minime oportebat. *Adficere* ſane praedia perpetuo videntur omnia iura, praediis ita impoſita, vt illis in omne tempus haereant, & tamquam onera realia ad omnes poſſeſſores tranſeant (s), nec quidquam videtur intereſſe, naturales habeant cauſſas, an legibus & conuentionibus debeant originem. Et ſic recte intelligere mihi videor, quid inter obligationes poſſeſſorum, & ſeruitutes, ipſis praediis impoſitas, interſit: at ex eo me nondum percipere fateor, quaenam ſit cauſſa ſeruitutis perpetua. Quid enim

(n) M. Aur. Galuan. *de vſufructu Cap. XII. §. V. p.* 119.

(o) *d. l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrb.*

(p) Galuanus *ibid. Cap.* XXXVIIII. *p.* 598.

(q) *l.* 4. *D. de ſeruitut.*

(r) *d. l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrban.*

(s) *l. penult.* §. *vlt. D. ſi ſeruit. vind.*

enim obſtat, quaeſo, quo minus & foramen in imo pariete apertum, ſi ius illud ibi habendi in perpetuum conceſſum ſit, praedium perpetuo adficere dicatur? Praeterea vir doctus & conſtitutionem ſeruitutum puram cum cauſſa earumdem perpetua confudiſſe, & illam quorumdam opinionem, quod ſeruitutes ſint qualitates a praedio inſeparabiles, adoptaſſe videtur, quam refellens GVIL. MARANVS (t): *Non eſt verum*, inquit, *ſeruitutum qualitates, ſemel impreſſas, non facile auelli, repugnat enim titulus: quemadmodum ſeruitutes amittantur.*

§. XVIII.

Hypotheſis celeberrimi Vir. Huberi.

Eorum, qui nouiſſime ſubtilem iſtam iuris regulam explicare conati ſunt, haud poſtremus eſt vir celeberrimus, VLR. HVBERVS (u). Is vero primum veteribus merito placuiſſe ait, cauſſas ſeruitutum eſſe perpetuas. *Debere enim eas rebus inhaerentes, & inter quoſuis poſſeſſores valituras, praediorum naturae eſſe congruas, adeoque durare, quamdiu res & praedia durent.* Qua in re cum GALVANO omnia conueniunt viro eximio. Hinc, reiecta vulgari ſeruitutum continuarum & diſcontinuarum diſtinctione, non omnes quidem ſeruitutes continuum, aequabilem, & non interruptum vſum habere, fatetur, omnium tamen cauſſam perpetuam eſſe debere contendit. At difficile explicatu eſſe ait, cur foraminis perpetuam cauſſam eſſe negarit PAVLLVS, quum tamen ille perpetuitatis defectus in exercitio iuris, non in aptitudine, conſiſtere videatur. Quamobrem de ſpecie, quam iureconſultus ob oculos habuerit, ſollicitus, probare videtur ſententiam ACCVRSII, qui foramen illud in pariete praedii non dominantis, ſed ſeruientis, exſtitiſſe exiſtimat. Denique quum animaduerteret, ex PAVLLI ſententia non aliam cauſſam eſſe perpetuam, quam quae *a natura* ſit, & plures tamen ſeruitutes a poſſeſſore praedii dominantis non niſi manuum pedumque opera poſſe exerceri, e. g. iter, actum, viam, ceteras: expenſis omnibus, quae huc facere videbantur, ſubductiſque rationibus, hanc demum facit cogitationum ſuarum ſummam: *Seruitus omnis debet habere cauſſam perpetuam, hoc modo, vt loci ſeruientis conditio ſemper idonea ſit ad vſum ſeruitutis, nec ad illum procurandum manu ſit opus. Quo minus hi, quibus competit ſeruitus, manus pedeſue moueant, ad eam exercitandam, nihil vetat, & neceſſarium eſt.* Siue ergo dominans manu aliquid

(t) Guil. Maran. *Paratitl. Digeſt. p.* 259.
(u) Huber. *Praelect. ad Dig. Lib.* VIII. *tit.* IIII. §. VI.

aliquid faciat, nec ne, perinde eſt, modo ex parte ſeruientis nihil manu fieri oporteat, ad vſum ſeruitutis alteri procurandum: id enim contra naturam ſeruitutum eſſet futurum, quae non patitur, vt poſſeſſor praedii ſeruientis aliquid faciat in alterius vtilitatem. Hoc poſito, omnes difficultates ſtatim euaneſcere, exiſtimat. Nam *iter*, *actum*, *viam*, non poſſe quidem, niſi pedum opera, exerceri: at loci tamen ſeruientis naturam ſemper eiuſmodi eſſe, vt ad recipiendum ſeruitutis vſum parata ſit. In *foramine* vero illo locum ſeruientem non eſſe aptum ad exercitium ſeruitutis, niſi aqua idemtidem in locum iſtum ingeratur. Porro ad *fumum immittendum* manu quidem dominantis, at nulla ſeruientis opera opus eſſe. Quod vero ad *ciſternam* attineat, in illam quidem aquam de caelo cadere, at cauſſam tamen aquae hauſtus ideo non eſſe perpetuam, quia ibi ſolus vſus aquae e ciſterna hauriendae conſideretur, amplius nihil: locum autem ſeruientem eſſe ciſternam, quae non ſemper idonea ſit ad aquam hauriendam. Si quis autem ius aquam deriuandi in ciſternam vel in foramen conſtituere velit, iam nihil obſtare, quod non ſemper aqua in eam cadat, quum potentia & aptitudo ſemper adſit aequabilis, idque ad perpetuitatem cauſſae ſufficiat.

§. XVIIII.

Quaedam circa illam dubia.

Sed quamuis haec ſatis plana viſa ſint viro doctiſſimo, & vere nemo illo a ſcopo propius abſit: vereor tamen, vt illa, niſi paullo aliter explicentur, tot nodis diſſoluendis ſufficiant. Primum equidem, quod attulit, ſeruitutem tamdiu durare debere, ac ipſa praedia, magis tamquam rationem, cur haec regula recepta ſit, quam tamquam definitionem cauſſae perpetuae, attuliſſe videtur: nec opus eſt vt hic repetamus ea, quae de M. AVRELII GALVANI idem fere tradentis, ſententia monuimus. Deinde, vt ad ipſam HVBERI regulam perueniamus, ea ſane non abſona, ſed analogiae iuris conuenientiſſima eſt, nec vlla vmquam dari potuiſſet planior, ſi tot exempla, quae in contrarium vulgo adferunt, commode inde poſſent explicari. At ea recepta, non minus, quam antea obſcura manet illa PAVLLI de foramine deciſio. Nam & in eo manuaria opera non ſeruientis, ſed dominantis, opus eſt, ſi, quod vulgo ſtatuunt, aquam, proluto pauimento per illud in vicini aream emiſſam eſſe, ponamus. Seruiens hic nihil facit, nec aquam ingerit pauimento, ſed eam tantum, effluentem e foramine, recipit in aream ſuam: nec quiſquam dubitabit, quin loci ſeruientis, puta areae, conditio ſemper ac naturaliter idonea

ſit ad vſum huius ſeruitutis praeſtandum. Cur ergo in eo minus conſiſteret ſeruitus, quam in camino, per quem fumus emittitur? Ipſe ſane vir eximius, non aliter hunc nodum ſoluere potuit, quam noua plane ſpecie acute excogitata, in qua fingit, fontem aut flumen in aedibus vicini eſſe, ex quo liceat per foramen, in ipſius vicini pariete apertum, & tubos illi inſertos aquam pauimenti noſtri proluendi cauſſa educere. Sed talem ſpeciem vix vmquam occurrere crediderim. Praeterea in tubulos illos aqua aut dominantis, aut ſeruientis manu ingerenda eſſet. Si prius: ſeruitus erit ex principio celeberrimi HVBERI, quia nihil obſtat, quo minus manum pedemue moueat is, qui ſeruitutem exercet: ſin poſterius: non erit ſeruitus, non ideo tamen, quod cauſſam non habeat perpetuam, ſed quod ſeruitus in faciendo conſiſtere non poteſt. Ceterum neminem fatemur ipſam ſpeciem rectius peruidiſſe celeberrimo HVBERO, idque infra pluribus demonſtrabimus.

§. XX.

Facere porro non poſſumus, quin & IO. SCHILTERI, tamquam primarii in iureconſultorum ordine ſenatoris, ſententiam audiamus. Is enim de hac quaeſtione ex inſtituto diſputans (x), primum praemittit, quando CAVSSA ſeruitutis PERPETVA requiratur, non intelligi *finalem*, quae & in foraminis iure ſit perpetua, puta, perpetua ſordium auerſio: neque *efficientem*, id eſt, perſonas ſeruitutem conſtituentes ac exercentes, mortales profecto, ac proinde non perpetuo inter homines futuros: neque *formalem*, quae in iure ac potentia morali conſiſtat: neque denique *materialem*, quatenus ea denotetur ſubiectum, cui inhaereat ſeruitus, puta praedium: ſed cauſſam *materialem*, *circa quam* recipiendam auertendamue ſeruitutis exercitium occupetur, veluti aquam, lumen, fumum. Ac proinde *ius* illud *foraminis* ex mente SCHILTERI primario verſatur circa ſordes pauimenti: ſecundario etiam circa aquam, qua ſordes abluantur: ac proinde aqua in proluendo pauimento & materiae, & cauſſae inſtrumentalis rationem habet. Iam ergo ipſe format regulam: *Si quando ad comparandum obiectum ſeruitutis quoties ea vti volumus, manu operaque hominis opus eſt; cauſſa ſeruitutis non eſt perpetua: quoties* vero *illud ſeruitutis obiectum a natura eſt, toties ipſa ſeruitus cauſſam perpetuam habere intelligitur.* Hinc porro colligit vir doctiſ- Schilteri ſententia.

(x) Schilter. *exercit.* XVIII. *§. XIII. ſeqq.*

ſimus, *foraminis* iſtius ius non habere cauſſam perpetuam, quia aqua hominis opera ingerenda ſit: nec aquae ex lacu vel ciſterna hauſtum, quia *lacus* idem ſit ac *ciſterna* (y) vel *foſſa*, quippe receptaculum aquae manu factum (z). Praeterea ex *caſtello* aquaeductum ſtricto iure non conſiſtere, nec ius *aquam per rotam e flumine tollendi* ſeruitutis nomen ſtricto iure mereri, quia & caſtellum, vel diuidiculum & conceptaculum (a), & machina iſta hydraulica, non niſi manu fieri poſſit. Denique & de ratione huius regulae ita philoſophatur vir eximius (b): *Ex tali igitur aqua non placuit iureconſultis, Romanis ſeruitutem aquaeductus conſtitui poſſe. Cuius rei ratio neque inepta eſt, neque nimium ſubtilis; ſed facilis cognitu & aperta. Quum enim contra libertatem Quiritium eſſet, & hinc contra naturam ſeruitutum, vt cogeretur vicinus aliquid facere in ſuo: hoc ipſum inconueniens ſequutum eſſet, ſi ſeruitus aquaeductus ex aqua ea conſtitueretur, quam vicinus opera ſua ſuisque ſumtibus colligere & conſeruare teneretur praedio dominanti. Quodſi vero aqua pluuia in pauimentum meum caſſitare poterit, illudque ita proluo, & porro per foramen in praedium vicini egero: tunc quia cauſſa eſt perpetua & naturalis, quotiescumque pluit, ſeſe exſerens, non demum ab hominis arbitrio atque opera immediate pendens, ideo ſeruitus conſtitui poteſt.* Haec SCHILTERVS, ſatis verboſe, &, vti ſolet, obſcuriuſcule: quae, qualia ſint, paucis expendere iuuabit.

§. XXI.

Eius examen. Hic primum animaduerto, ſi viro celeberrimo ea, quae de cauſſarum diſtinctione diſputauit, omnia largiamur: easdem tamen difficultates, quae reliquas hypotheſes premunt, nihilominus adhuc ſuperfuturas. Quod facile intelligetur, ſi quis *aquae hauſtum e ciſterna* SCHILTERI methodo expenderit paullo accuratius. Eius *cauſſa efficiens* ſic erunt perſonae hoc ius conſtituentes atque exercentes: *formalis* ipſum ius potentiaque moralis aquam hauriendi: *ſubiectiua* ciſterna, quam id ius adficit: *obiectiua* ſeu materia circa quam aqua pluuia, e ciſterna haurienda. Iam porro ad aquam illam comparandam, quae ſua ſponte in ciſternam defluit, non opus eſt manuaria hominis opera: immo potius illa de caelo, non adſidue quidem, at naturaliter tamen, cadit, vel, vti VLPIA-

(y) *l.* 21. §. 5. *D. de furt.* Cuiac. *Obſeru. lib. X. Cap.* VIIII.

(z) Alciat. *Comment. in l.* 112. *D. de verb. ſignif.*

(a) *l.* 2. *C. Theod. de aquaed. & ibi* Iac. Gothofred.

(b) Schilter. *Exerc.* XVIII. §. *XIIII.*

VLPIANVS (c) loquitur, *imbribus concipitur*. Habebit ergo iſte aquaehauſtus cauſſam perpetuam, adeoque non magis ſeruitutum ordine erit mouendus, quam ius foramen in imo pariete habendi, *ſi quid eo aquae caeleſtis veniat* (d): & id tamen eſt, quod negare VLPIANVM vidimus. Deinde verum quidem eſt, ad proluendum pauimentum aqua opus eſſe, ab homine ingerenda: at itidem opera manuaria opus eſt ad exercendas ſeruitutes *tugurium in alieno poſitum habendi* (e), *terram*, *rudus*, *ſaxa iaciendi*, *poſita habendi*, *prouoluendi in alieno* (f), *ſterculinium ad vicini parietem habendi* (g), & pleraſque ſimiles: nec tamen quidquam impedit, quo minus haec iura ſeruitutum nomen ferant. Quod porro de *lacu* hic diſſerit SCHILTERVS, per illum intelligi *ciſternam* vel *foſſam*, vix eſt, vt admitti poſſit. Nam in textu, quem eam in rem adducit (h), mentio quidem fit *ciſternae vini*, & CVIACIVS (i) ibi erudite notat, *ciſternam vini* Graecis dictam eſſe λάκκον, quod & CLAVD. SALMASIVS (k) exemplis firmauit: immo addere poſſum, ipſos Latinos vaſa, in quae muſtum exſudant torcularia, *lacus* adpellaſſe, veluti COLVMELLAM (l) & OVIDIVM, (m) cuius notiſſima ſunt verba:

Qui petis auxilium, non grandia diuide mecum
Praemia, de LACVBVS *proxima muſta tuis.*

Sed inde non ſequitur, vt & in *l. 28. D. de ſeru. vrb. praed.* lacus ciſternam notet, niſi quis tantam in vllum hominem credat cadere inſaniam, vt aquaeductum ſibi ex ciſterna cedi velit, vel vt ſibi fingat ciſternam, quae aquam viuam habeat (n). *Lacum* porro eſſe foſſam, nuſquam dixit ALCIATVS, immo potius ille *lacum* a *foſſa* diſerte diſtinguit, & illum, a natura factum, aquae perennis; hanc manu excauatam, aquae collectitiae receptaculum eſſe ſcribit (o). Praeterea ſi *ius aquam rota e flumine tollendi*, & *aquaeductus e caſtello* ſeruitutes vocari nequeunt, quia machina illa hydraulica & caſtellum manu fiunt: qui fit, vt ſeruire poſſit paries, itidem manu factus? & quomodo credere poſſumus SCHILTERO, per cauſſam ſeruitutum perpetuam intelligi efficien-

 tem

(c) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*
(d) *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrb.*
(e) *l.* 6. §. 1. *D. de ſeru. praed. ruſt.*
(f) *l.* 3. §. 2. *D. eod.*
(g) *l.* 17. §. 2. *D. ſi ſeru. vind.*
(h) *l.* 21. §. 5. *D. de furt.*
(i) Cuiac. *Obſeru. Lib. X. Cap.* VIIII.
(k) Salmaſ. *Exercit. Plinian. Tomo I. p.* 320.
(l) Columell. *de re ruſt. Lib. XII. Cap.* XXVIIII.
(m) Ouid. *Lib. IIII. Faſt. v.* 888.
(n) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*
(o) Alciat. *ad d. l.* 112. *D. de verb.*

tem neganti, quum machina illa, qua aqua euehitur, non ſit obiectum eius ſeruitutis, ſed cauſſa efficiens minus principalis, quam vocant philoſophi, vel inſtrumentalis, materia vero, ſeu obiectum ſit aqua fluuiatilis, quam cauſſam perpetuam habere, nemo temere negauerit. Denique ne ea quidem, quibus rationem huius regulae reddere voluit vir doctiſſimus, magis ſolida videntur. Fateor, naturae ſeruitutum id repugnare, ſi quis facere aliquid in ſuo cogatur: at idem hoc libertati iuris Quiritium repugnaſſe, nondum me intelligere fateor. Romani enim, ſalua illa libertate ſua, alteri quotidie promittebant, ſe non modo daturos, ſed & facturos aliquid in ſtipulatoris gratiam (p): quamuis eiuſmodi obligatio ad faciendum ſeruitutis nomine non veniret. Denique non adeo magni momenti eſt, quod ex aquaeductu e caſtello vel aquaehauſtu e ciſterna metuit vir doctiſſimus, incommodum, puta quod ita alius teneretur aquam opera ſua ſuiſque ſumtibus colligere. Nulli enim ſumtus a ſeruiente fiunt in aquam comparandam, quippe vltro e caelo cadentem, vel ex fonte vel flumine in caſtellum ſponte defluentem, ſed in ciſternam vel caſtellum, quae tamen pro obiecto horum iurium, ipſo tacente SCHILTERO, haberi non poſſunt: vt adeo hoc non magis ſeruitutum naturae repugnet, quam quod paries, cui tigna immittuntur, non niſi manu fieri poſſit.

§. XXII.

Quae quum ita ſint, vix credo vllum iureconſultum magis ingenue ac libere dixiſſe ſententiam, viro celeberrimo, CHRISTIANO THOMASIO (q). Hic aliam plane ingreſſus viam, ſecauit nodum, quem ab aliis tam male ſolui, animaduertit. Quum enim, quo erat acumine, male cohaerere exiſtimaret non modo interpretum, ſed & ipſorum veterum iureconſultorum, doctrinas, nec cauſſam ſatis idoneam excogitare poſſet, cur aqua pluuia, e foramine imi parietis eiecta, cauſſam perpetuam habere, hauſta e ciſterna, eamdem non habere dicatur, & cur ibi aqua, manu pauimento ingeſta, non ſit obiectum ſeruitutis idoneum, fumus vero, hominis opera excitatus, pro tali omnino habeatur: hanc demum facit cogitationum ſuarum ſummam (r): *Igitur, vt dicam, quod ſentio:* DISSENSERVNT *antiqui iureconſulti inter ſe circa regulam; an ſeruitutes debeant habere perpetuam cauſſam? quibuſdam, qui nimiam*

(p) *l. 72. pr. l. 75. §. fin. l. 81. l. 112. §. 1. D. de verb. obligat.*

(q) Thomaſ. *Diſſ. Lipſ. XV. de ſeruitute ſtillicidii* §. XXVI. *ſequ.*

(r) *Ibid.* §. *XXXIIII.*

nimiam ac fere metaphyſicam ſubtilitatem ſectabantur, id adfirmantibus, aliis vero & plerisque id negantibus. Hunc diſſenſum TRIBONIANVS *centonibus Pandectarum inſeruit, & ita crucem interpretibus fixit, quum tamen temporibus ipſorum iureconſultorum, qui iſtas ſubtilitates defendebant, adfirmantium ſententia fuerit exploſa.* Quum ergo ſemel, tamquam fixum ac firmum, poſuiſſet vir celeberrimus, quod tamen nullo idoneo argumento probauerat, quoſdam tantum ſubtilioris ingenii iureconſultos hanc regulam de cauſſa ſeruitutum perpetua eſſe amplexos, reliquos omnes eamdem, tamquam abſonam, exploſiſſe: licere ipſe ſibi credidit, poſteriori ſententiae adiicere calculum, &, quum ſuffeciſſet, ſi non omnes ſeruitutes cauſſam perpetuam habere, oſtendiſſet, defendere ſententiam auſus eſt plane contrariam: NVLLAM SERVITVTEM DEBERE HABERE CAVSSAM PERPETVAM *(s)*. Quod tamen θέμα παράδοξον vir doctiſſimus non aliis argumentis probauit, quam quod & ANTONINVS Imp. (t) ſubtilem illam regulam reſcripto aboleuerit, & PAVLLVS (u) ipſe illam, ſaltim in ſeruitute aquaeductus, non amplius obſeruatam eſſe, fateatur, & hodie eius rationem non amplius haberi, obſeruarit SCHILTERVS (x), cui nos GROENEWEGIVM (y), CASP. MANZIVM (z), IO. BRVNNEMANNVM (a), GER. GOTTL. TITIVM (b), & SAM. STRYKIVM (c) addimus, qui poſtremus illum *in praxi rideri* ait, qui ius iſtud habendi foramen hodie pro ſeruitute non agnoſcat, ſi vel maxime nihil eo aquae pluuiae ex caelo veniat.

§. XXIII.

Quamuis vero haec erudita ſint, & veteres iureconſultos omnino in multis diſſenſiſſe, nemo temere negaturus videatur: tamen iam ab aliis obſeruatum eſt, non temere fingendum eſſe huiuſmodi diſſenſum, vbi eius non clara & expreſſiſſima exſtent veſtigia, nec tantum odium concipi debere aduerſus Tribonianum, vt eum vbique caecutiiſſe, ac vigilantem veluti dormitaſſe exiſtimemus. Eleganter, vti ſolet, vir ampliſſimus, CORN. VAN *Quaedam de illo monita.*

 BYNKERS-

(s) Thomaſ. *ibid.* §. *XXXV.*

(t) *l. 2. D. comm. praed. vrb. & ruſt.*

(u) *l. 9. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(x) Schilt. *Exerc.* XVIII. §. XVI.

(y) Groeneweg. *de legib. abrog. ad l. 28. D. de ſeru. praed. vrb.*

(z) Manz. *ad tit. D. de ſeru. praed. vrb. n.* 168.

(a) Io. Brunnem. *ad l. 28. D. eod. n.* 8.

(b) Tit. *Obſeruat. ad Lauterb.* CCXXXXIIII. *n.* 3.

(c) Stryk. *Vſ. mod. Dig. Lib.* VIIII. *tit.* II. §. XVIII.

BYNKERSHOECK (d): *Sed quid tandem*, inquit, *de emblematibus*, (adde & de aliis, qui TRIBONIANO exprobrantur, erroribus,) *dicemus? Vetus prouerbium eſt*, inquit VLPIANVS (e): οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, *neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus. Sic & nos de emblematibus. Omnia agnoſcere, ſtultiſſimum; paſſim, turpiſſimum; & ab omnibus impudentiſſimum. Quemadmodum vero, vt ſupra dicebam, ipſius iurisprudentiae intereſſet, nullum omnino dari emblema: ita & intereſſe, dari quam pauciſſima. Quapropter nos non oportet eſſe liberales in his vel temere iactandis, vel anxie inueſtigandis: quin nec ullum largiendum, ſi res aliter ſalua eſſe poſſit: &, an poſſit, tentanda prius omnia, omnis mouendus lapis. Sedulo inprimis cauendum, ne integros partus ſuppoſitos dicamus, vel eorum quoque emblematum, vltra quam neceſſe eſt, ſimus prodigi.* Quod graue, viroque prudente digniſſimum iudicium quum nemo hodie ſolide doctus non probet: merito ego vereor, vt hac in re THOMASIO celeberrimo adſentiri quisquam poſſit. Circa regulam hanc veteres fere omnes conſenſiſſe, iam ſupra vidimus. Agnouere eam non modo PAVLLVS, VLPIANVS, POMPONIVS, quos in SABINIANORVM partes fuiſſe proniores, cenſent, verum etiam ex PROCVLIANIS NERATIVS (f), nec vllus veterum poteſt laudari, qui vel verbo hoc principium reprehenderit, vel aliqua ſaltim deciſione contraria oſtenderit, ſibi id principium, ſubtile, abſonum, metaphyſicum, videri, quamquam, etiamſi concedendum eſſet, veteres in adplicatione huius regulae in diuerſa conceſſiſſe, (quod de VLPIANO & PAVLLO vulgo exiſtimant:) inde tamen minime colligendum eſſet, de ipſa regula, admittendane illa ſit, an explodenda, eos diſſenſiſſe. Quam ſaepe enim & hodie contingit, vt iureconſulti etiam doctiſſimi in adplicando iure diſcrepent ſententiis, quum tamen de ipſo iure eiusque genuino ſenſu amice conſentiant? Id vero & olim contingere potuiſſe, quis negauerit? Porro doctrina illa, *quod nulla ſeruitus cauſſam perpetuam requirat*, tametſi hodie vera fortaſſis eſſe poſſit, non tamen vel ex reſcripto ANTONINI (g), vel ex PAVLLI (h) teſtimonio, recte probatur. Quod enim ad prius attinet, primo ex textu non patet, hoc ius iureconſultum ideo ſeruitutibus iure validis adnumerare noluiſſe, quod cauſſam non haberet perpetuam. Deinde tantum abeſt, vt reſcripto illo tam-

quam

(d) Bynckersh. *praefat. nouiſſimis obſeru. iur. praemiſſa pag.* VIII.

(e) *l. 6. §. 1. D. de offic. Procoſ.*

(f) *l. 2. §. vlt. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(g) *l. 2. D. comm. praed. vrb. & ruſt.*

(h) *l. 9. D. de ſeru. praed. ruſt.*

quam nugatoria explodatur haec regula, vt eam diſerte pro iuris principio agnoſcat Imperator, dum reſcribit: *Licet* SERVITVS (aquam rota e flumine tollendi) IVRE NON VALVERIT: *ſi tamen hac lege compararit, ſeu alio quocumque legitimo modo hoc ius adquiſiuerit*, TVENDVM *eſſe eum, qui hoc ius poſſedit.* En vero, *ſeruitutem iure non valuiſſe*, fatetur Imperator: at *tuendum* tamen *eſſe eum*, qui huismodi ius legitimo modo adquiſitum quaſi poſſederit, monet. Nimirum iam ſupra obſeruauimus, ſeruitutes olim inter viuos vel *mancipatione*, vel *in iure ceſſione*, adeoque ſollemni ritu interueniente, fuiſſe adquiſitas. Quamuis vero & aliis modis adquiri poſſent, veluti *pactionibus*, cum ſubſequente quaſi traditione coniunctis (i), *praeſcriptione* (k) immo & *vltimis voluntatibus* (l), inter hos tamen adquirendi modos, recte id obſeruante GVIL. MARANO (m), magna differentia obſeruatur. Legitimis enim modis, & ſecundum regulas iuris adquiſita ſeruitus IPSO IVRE valebat, aliter adquiſita & conſtituta per TVITIONEM PRAETORIS ſuſtinebatur. Hinc VLPIANVS (n): *Illud ſciendum, ſiue* IVRE IPSO *vſumfructum quis habeat, ſiue etiam* PER TVITIONEM PRAETORIS, *cogendum eſſe fructuarium cauere, aut actiones ſuſcipere.* Et alibi (o): *Parui refert, vtrum* IVRE *ſit conſtitutus vſusfructus, an vero* TVITIONE PRAETORIS. Legitimi autem modi olim tres erant, MANCIPATIO, IN IVRE CESSIO, & LEGATVM VINDICATIONIS (p): hodie vnus tantum, puta *legatum*: quo ſolo modo adquiſita ſeruitus ipſo iure valet. Et hinc alio loco *vſumfructum* IVRE LEGATI, *&* PER TRADITIONEM *vel* STIPVLATIONEM *vel alium quemcumque modum conſtitutum*, ſollicite ab VLPIANO (q) diſtingui, eumdemque alibi (r) diſerte notare animaduertimus, *traditionem & patientiam ſeruitutium inducere* OFFICIVM PRAETORIS, id eſt, hunc conſtituendi modum id efficere, vt Praetor eam ſeruitutem ſuſtineat, & quaſi poſſidentem tueatur. Sola ergo per *legatum* relicta ſeruitus *ipſo iure* valet: reliquis conſtituta modis *per tuitionem Praetoris*: idemque etiam obtinet, ſi quid in conſtituenda

(i) §. 4. *Inſt. de ſeruit.*

(k) *l. vlt.* C. *de praeſcr. long. temp.*

(l) *l. 16. D. comm. praed. vrb. & ruſt.*

(m) Guil. Maran. *Paratitl. Digeſt. p. 257. ſequ. Add.* Ger. Noodt *de vſufr. Lib. II.* Cap. *II. p.* 450. *Tom. I. Op.*

(n) *l. 9. §. 1. D. vſufr. quemadm. cau.*

(o) *l. 1. pr. D. quib. mod. vſusfr. amitt.*

(p) Paull. *recept. ſent. Lib. III. Tit.* VI. §. XVII.

(q) *l. 25. §. vlt. D. de vſufr.*

(r) *l. 1. §. 2. D. de ſeruit. praed. ruſtic.*

ſtituenda ſeruitute contra alias regulas iuris ciuilis fuerat admiſſum. Hinc PAPINIANVS (s) : *Seruitutes* IPSO *quidem* IVRE *neque ex tempore, neque ad tempus, neque ſub conditione, neque ad certam conditionem, (verbi gratia, quamdiu volam,) conſtitui poſſunt: ſed tamen, ſi haec adiiciantur,* PACTI *vel per* DOLI EXCEPTIONEM *occurretur contra placita ſeruitutem vindicanti.* Tuetur enim aliquem Praetor, quum iure ciuili deficiente ipſe ex ſua iurisdictione actiones, exceptiones, cautiones, interdicta, prout res exigit, accommodat, vt actus aliquis ciuilis, iure ſtricto & rigido non valiturus, ſubſiſtat (t). Iam ergo facile intelligitur, quid ſibi velit ANTONINVS Caracalla, Imp. (u) De aqua per rotam tollenda ex flumine, vel haurienda, vel ſi quis ſeruitutem caſtello impoſuerat, quidam dubitabant, ne hae ſeruitutes non eſſent. Relata re ad principem, ſequutum eſt reſcriptum. Quale vero? an quod dubitationem illam, tamquam ridiculam, & paene metaphyſicam ſubtilitatem iureconſultorum, explodit, vel illam de cauſſae ſeruitutum perpetuitate regulam plane abrogat? Minime vero. Potius recte dubitatum ea de re eſſe fatetur Imperator. SERVITVTEM enim hanc ipſo IVRE NON VALERE: *ſi tamen hac lege compararit, aut alio quocunque legitimo modo ſibi hoc ius adquiſiuerit,* TVENDVM ESSE *eum, qui hoc ius poſſedit.* Et ita etiam alter textus PAVLLI (x) eſt intelligendus. *Seruitus aquae ducendae vel hauriendae, niſi ex capite vel fonte* CONSTITVI NON POTEST, (quia cauſſa non foret perpetua:) HODIE *tamen ex quocumque loco conſtitui ſolet*: non quod regula illa de cauſſa ſeruitutum perpetua exploſa ſit, ſed quod poſſeſſorem tueatur Praetor, qui toties ſuccurrit poſſeſſoribus, quoties contra rigidiores iuris ciuilis regulas aliquid factum eſſe dicitur. Quemadmodum ergo non ideo ſublatum dici poteſt ius ciuile, quod poſſeſſionem, vi, clam, vel precario adprehenſam, pro vitioſa habet, quia Praetor tuetur eum, qui cloacam, qua vi, clam vel precario ab altero vſus eſt, vult reficere (y): ita nec vetuſtiſſima illa regula ideo abolita dici poteſt, quod ſeruitutes quaedam, contra illam conſtitutae, TVITIONE PRAETORIS ſuſtinentur.

§. XXIIII.

(s) *l. 4. D. de ſeruit.*

(t) *l. 20. D. de ſeruit. l. 11. §. 1. D. de Publ. in rem act. l. 41. D. de adquir. rer. dom.*

(u) *l. 2. D. commun. praed. vrb. & ruſt.*

(x) *l. 9. D. de ſeru. vrban. praed.*

(y) *l. 1. §. 7. D. de cloac.*

§. XXIIII.

Perpetuitas cauſſae ſemper fuit inter adfectiones ſeruitutum praedialium.

Vt ergo demum, quid mihi, haec omnia diligentiſſime inter ſe comparanti, in mentem venerit, perſpicue exponam: primum repeto, quod ſupra me demonſtrare memini, eſſe hanc regulam non nouam, & vel a PAVLLO, vel ab vllo alio recentiore iureconſulto, excogitatam, ſed veterrimam: non vnius alicuius, vel auctoris, vel ſcholae, propriam, ſed omnibus communem; non denique oſtentandi ingenii cauſſa ab aliquo inuentam, ſed ex ipſa iuris ciuilis analogia ſua ſponte natam atque expreſſam. Quemadmodum iuris ciuilis, quod a prudentibus perpolitum nouimus, hoc erat praecipuum officium, vt negotiis ciuilibus certam formam circumdaret: ita eamdem operam ſeruitutibus nauaſſe iureconſultos, conſtat. Et haec eſt illa *ſeruitutum natura* (z), *certumque ſeruitutum genus* (a), cuius in legibus noſtris paſſim fit mentio. Nimirum ſeruitutes aut PERSONARVM ſunt, vt vſus & vſusfructus, aut RERVM, vti ſeruitutes ruſticorum praediorum & vrbanorum (b). Vtroque caſu res vel fundus SERVIRE (c), immo SERVVS eſſe, vel SERVIENS dicebatur, ac proinde *aedes* SERVAE & PRAEDIA SERVA cum apud CICERONEM (d), tum apud veteres iuris auctores (e), paſſim memorantur. Attamen inter vtriuſque generis ſeruitutes tantumdem paene intereſt, quantum inter ſtatuliberorum & ſeruorum reliquorum conditionem. Quemadmodum enim illi ſeruiebant quidem, at ſtatutam tamen in certum tempus vel conditionem libertatem habebant (f), hi vero ita dominis erant obnoxii, vt perpetuam ſeruitutem ſeruire cogerentur, niſi liberali ſeruiendi ratione libertatem vel manumiſſionem meruiſſent: ita praedia, quae ſeruitute quadam perſonali adficiebantur, ſeruiebant quidem, at ſpes erat, ea aliquando libera futura, quia vel ad certum tempus certamue conditionem (g), vel ad mortem tantum certae perſonae eiuſdemue capitis deminutionem (h) durabant hae ſeruitutes, &, quamuis ciuitati alii-

(z) *l.* 15. §. *vlt. D. de ſeru. l.* 32. *fin. D. de ſeru. praed. vrb.*

(a) *l.* 8. §. 1. *D. ſi ſeru. vind.*

(b) *l.* 1. *D. de ſeruit.*

(c) Cicero *de offic. Lib. III. Cap.* XVI. *l.* 3. §. 2. *D. de aqua quotid. l.* 57. *D. de vſufr. l.* 2. §. *vlt. D. de aqua & aqu. pluu.*

(d) Cic. *de lege agrar. Cap. II.*

(e) *l.* 6. §. 3. *D. comm. praed. vrb. & ruſt. l.* 8. *D. de act. emt. l.* 20. §. 1. *D. de adquir. rer. dom.*

(f) *l.* 1. *D. de ſtatu lib.*

(g) *l.* 15. *D. quemadm. ſeru. amitt. l.* 5. *C. de vſufr.*

(h) §. 3. *Inſt. de vſufr. l.* 1. *l.* 2. §. 1. *l.* 3. *D. quemadm. ſeru. amitt.*

te vniuerſitati eſſent conſtitutae, tamen centum annorum ſpacio; (i) & perſonae heredibusque eius legatae, primorum heredum morte finiebantur (k): at ſeruitutes praediales ſemper erant perpetuae, & rem ſeu praedium ſequebantur (l), donec legitimo aliquo modo exſtinguerentur. Quamobrem, conſtituta ſemel huiusmodi ſeruitute id non modo in praediorum venditionibus exprimebant: QVIBVS EST SERVITVS, VTIQVE SIT, ITA SIT: ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT, VTIQVE SVNT, ITA SINT: LVMINA, FLVMINA, STILLICIDIA, VTI NVNC SVNT, ITA SINT (m): verum etiam, ne haec pacta vlla vmquam oblitteraret obliuio, inſcriptionibus & marmoribus ibi poſitis indicabant, praedium aliquod alteri certam ſeruitutem debere. Tale enim eſt elogium illud apud GRVTERVM (n):

PER HANC
VIAM FVNDO
C. MARCI CL.
PHILERONIS
ITER ACTVS
DEBETVR.

Adeo ſua intereſſe exiſtimabant Romani, non modo perpetuas eſſe ſeruitutes praediales, verum etiam interpoſitarum ea de re ſtipulationum perpetuam ad poſteros exſtare memoriam. Quis vero negauerit, ſeruitutem, quae perpetua debebat eſſe, ac ne quidem in diem, vel ſub conditione, vel ad certam conditionem conſtituta, ipſo iure valebat (o), CAVSSAM etiam PERPETVAM habere debuiſſe, quum effectus ſine cauſſa non intelligatur, & talis effectus, qualis cauſſa, eſſe ſoleat?

§. XXV.

Eius principii ratio. Ex quo deinde facile intelligitur, praedialium tantum vel realium ſeruitutum hanc eſſe adfectionem, non perſonalium. Nam ipſe PAVLLVS (p) regulam iſtam his limitibus circumſcribit: *Omnes autem ſeruitutes* PRAEDIORVM *perpetuas cauſſas habere debent.* Exiſtimare equidem quis poſſet, eamdem & ſeruitutum perſonalium

(i) *l.* 56. *D. de vſufr. l.* 8. *D. de vſu & vſufr. leg.*

(k) *l.* 5. *pr. D. l.* 14. *C. quemadm. ſeru. amitt.*

(l) *l.* 12. *D. comm. praed. l.* 20. §. 1. *D. de adqu. rer. dom.*

(m) *l.* 17. §. 3. *D. de ſeruit. praed. vrb. l.* 33. *D. de contrah. emt.* Barn. Briſſon. *de formul. Lib.* VI. *p.* 554.

(n) Gruter. *inſcript. p.* CCI.

(o) *l.* 4. *D. de ſeruit.*

(p) *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrban.*

lium eſſe indolem; quia etiam vtendum, fruendum, habitandum ſit, ſalua rerum ſubſtantia. (q) Enimuero, vnusquisque animaduertit, eam ſubſtantiae perpetuitatem in ſeruitutibus perſonalibus non ſeruitutis, ſed proprietatis cauſſa, requiri. Quia enim non perpetua eſt ſeruitus perſonalis, ſed interiecto tempore exſpirat: intereſt profecto proprietarii, ſaluam ſibi eſſe rerum ſeruientium ſubſtantiam, eoque nomine ſibi ſatisdatum eſſe: ac proinde Senatus non dubitauit etiam rerum, quae vſu conſumuntur, quaſi vſumfructum permittere, quia, cautione quaſi vſufructuaria veluti in ſubſtantiae locum ſurrogata, ſatis proſpectum videretur proprietario. (r) At cauſſa perpetua in ſeruitutibus praedialibus, dominantis, non ſeruientis praedii cauſſa, exigitur, quia ipſas illas ſeruitutes perpetuas eſſe ac perpetuo deberi voluerunt, quippe ipſo iure non aliter inter viuos adquirendas, quam mancipatione & in iure ceſſione, quarum neutra diem vel conditionem, ceu iam ſupra monuimus, admittebat. Et haec eſt vera ac genuina regulae iſtius ratio, nec ſubtilis admodum, & iuris analogiae conuenientiſſima, quod ita oſtendimus: Non alii ſunt legitimi ſeruitutem praedialem inter viuos adquirendi modi, quam mancipatio ac in iure ceſſio: (§. XXIII.) vtraque vero haec eſt actio legis (s), quae nec diem, nec conditionem admittit, (t) adeoque ſeruitus his modis conſtituta eſt perpetua (u). Seruitus perpetua requirit etiam cauſſam perpetuam: (§. XXV.) ac proinde ſeruitus praedialis omnis requirit cauſſam perpetuam.

§. XXVI.

Proximum eſt, vt, quid demum iſtis CAVSSAE PERPETVAE vocibus ſignificetur, paullo accuratius diſquiramus. Et hic quidem primo omnium obſeruo, eam loquendi rationem alibi quoque in iure noſtro occurrere, veluti quando PAVLLVS (x) ait: *Dotis* CAVSSA PERPETVA *eſt, & cum voto eius, qui dat, ita contrahitur, vt* SEMPER *apud maritum ſit.* Itemque quando idem ſcribit iureconſultus (y): *Quod leges fieri prohibent, ſi* PERPETVAM CAVSSAM *ſeruaturum eſt, ceſſat obligatio, veluti ſi ſororem ſibi nupturam aliquis ſtipuletur. Quamquam etiamſi non ſit* CAVSSA *Quid ſit* CAVSSA PERPETVA?

(q) *l. 1. D. de vſufr. pr. Inſt. eod.*
(r) *l. 2. §. 1. D. de vſufr. ear. rer. quae vſu conſum.*
(s) Guil. Maran. *de actib. legit. p.* 230.
(t) *l. 77. D. de reg. iur.*
(u) *l. 4. D. de ſeruit.*
(x) *l. 1. D. de iure dot.*
(y) *l. 35. §. 1. D. de verb. oblig.*

PERPETVA, *vt accidit in ſorore adoptiua, idem dicendum ſit, quia ſtatim contra mores ſit.* Nimirum CAVSSA, quando perſonis rebusque in iure noſtro tribuitur, nihil fere aliud eſt, quam rerum illarum qualitas & conditio, ex qua vel commodum, vel incommodum aliquod, percipimus. Quod adeo verum eſt, vt ipſe ſcriptor ſacer, D. MATTHAEVS (z) eodem ſenſu αἰτίαν τοῦ ἀνθρώπου, *cauſſam hominis* pro eiuſdem conditione dixerit, ceu poſt IS. CASAVBONVM recte obſeruauit HVGO GROTIVS (a). Sic ergo hoc ſenſu dicuntur *res tranſire cum ſua* CAVSSA (b), *vindicari cum ſua* CAVSSA (c), *reſtitui non tantum corpora, ſed & rei* CAVSSA (d): quemadmodum & homines *re vti* ſolent *cum ſua* CAVSSA, *ſuiſque vitiis* (e). Nec alio ſenſu MARTIALIS (f):

Quid Nomentani CAVSSAM *mihi perdis* AGELLI,
Propter vicinum qui pretioſus erat?

Vbi *cauſſa* vtique nihil aliud eſt, quam rei qualitas & conditio, ex qua vel commodum vel incommodum aliquod ad poſſeſſorem redit. Ergo & CAVSSA SERVITVTIS idem eſt, ac eius qualitas & conditio, quae efficit, vt praedii dominantis poſſeſſor eam vtilitatem, cuius cauſſa conſtituta eſt, ex ea capiat. Quare tantum abeſt, vt regula de cauſſa ſeruitutum perpetua ad earum obiectum, ceu SCHILTERVS (g) voluit, vel ad cauſſam finalem, quod M. AVR. GALVANO (h) viſum eſt, referenda ſit, vt potius ipſam ſeruitutis qualitatem, vel conditionem, ex qua vtilitas aliqua ſeu commodum qualecumque ad praedii dominantis poſſeſſores redit, adeoque formam ſeruitutis, manifeſto denotet. Vnde & ipſae ſeruitutes a forma ſua ſaepenumero QVALITATES (i), CONDITIONES (k), nec non VTILITATES *praediorum* (l) ſolent adpellari. In eo enim forma & quaſi ſubſtantia conſiſtit omnis ſeruitutis praedialis, vt ea ſit praedii ſeruientis qualitas & conditio, quae commodum, ob quod conſtituta eſt, praedii dominantis poſſeſſoribus praeſtare poſſit. PERPETVVM porro iureconſultis

(z) *Matth.* XVIIII. 10.

(a) Hugo Grot. *Commentar. ad Matth. p.* 326.

(b) *l.* 67. *D. de contrah. emt. l.* 12. *C. de diſtract. pign. l. vn. C. rem alien. gerent.*

(c) *l.* 17. §. 5. *D. ad SC. Trebell.*

(d) *l.* 20. *pr. D. de rei vind. l.* 31. *pr. D. de reb. cred.*

(e) *l.* 13. §. 1. *D. de adqu. vel amitt. poſſeſſ.*

(f) Martial. *Lib.* VII. *Epigr. LXXXXII. v.* 5.

(g) Schilter. *Exerc.* XVIII. §. *XIII.*

(h) Galuan. *de vſufructu Cap.* XXXVIIII. *p.* 598.

(i) *l.* 12. *D. quemadm. ſeru. amitt.*

(k) *l.* 23. §. 2. *D. de ſeru. praed. ruſt.*

(l) *l.* 1. §. *vlt. D. ſi vſusfr. pet.*

tis non eſt idem ac *ſempiternum*, ſed diuturnum, ac tamdiu duraturum, quoad durent praedia. Sicuti enim aliquis dicitur IN PERPETVVM *relegatus* (m), id eſt, quoad viuit: IN PERPETVVM *procurator datus* (n), id eſt, quoad durat adminiſtratio: *morbo* PERPETVO *impeditus* (o), id eſt, diuturno, quamuis ſaltim morte finiatur, immo aliquando contingat, quod alicubi ait PLINIVS, (p) vt quis PERPETVAM *valetudinem feliciter euadat*: ita & perpetuam cauſſam habere dicitur ſeruitus, cuius ea eſt qualitas & conditio, vt praedii dominantis poſſeſſores, quoad durant praedia, & quoties collibitum eſt, ea vti, commodumque inde percipere poſſint. Et ita ſane perpetuitatem cauſſae ſeruitutis ipſe explicat PAVLLVS (q), dum ſcribit: *Quum in lege aedium ita ſcriptum eſſet: Paries oneri ferundo, vti nunc eſt ita ſit, ſatis aperte ſignificari*, IN PERPETVVM *parietem eſſe debere. Non enim hoc his verbis dici, vt in perpetuum idem paries* AETERNVS *eſſet, (quod ne fieri quidem poſſet,) ſed vti* EIVSDEM MODI (id eſt, eiuſdem conditionis) *paries in perpetuum eſſet, qui onus ſuſtineret.* Accedit, quod bina illa loca ſupra adducta, in quibus itidem fit mentio CAVSSAE PERPETVAE, non alium, quam hunc eumdem ſenſum admittunt. In priore enim CAVSSA *dotis* dicitur PERPETVA (r), quia illius ea eſt conditio, vt conſtante matrimonio ſemper penes maritum ſit, & inde ille vtilitatem capiat ad ferenda matrimonii onera. In poſteriore (s) PERPETVAM CAVSSAM *prohibitionis* matrimonium cum ſorore ſeruare ait PAVLLVS, quia eius ea eſt conditio, vt ſemper prohibitio duret, contra, *non eſſe* PERPETVAM CAVSSAM *prohibitionis in ſorore adoptiua*, quia ea, durante tantum adoptione, obtinet, ea vero per emancipationem diſſoluta, vel ipſo filio emancipato, nuptiae inter eas perſonas non prohibentur (t). Atque hic eſt verus ac genuinus ſenſus regulae, quae cauſſam ſeruitutum perpetuam eſſe debere ſtatuit.

§. XXVII.

De quibusnam ſeruitutibus diſceptatum.

Iam porro obſeruandum eſt, non omnes ſeruitutes eiusdem eſſe generis. Quaedam enim ita ſunt comparatae, vt *ſemper* ſint *praediales*, adeoque ne dubitari quidem poſſit, quin ſemper praediis debeantur, ac proinde cauſſam habeant perpetuam, qua-

 les

(m) *l.* 3. C. *qui pet. tut.*
(n) *l.* 3. 4. *D. de procur.*
(o) *l.* 6. *vlt.* §. 1. *D. de aedilit. Edicto.*
(p) Plin. *Lib.* I. *Epiſt.* XII.
(q) *l.* 33. *D. de ſeru. praed. vrban.*
(r) *l.* 1. *D. de iure dot.*
(s) *l.* 35. §. 1. *D. de verb. oblig.*
(t) §. 2. *Inſt. de nupt.*

fuerit, an cauſſam perpetuam habeant? les ſunt vrbanae pleraeque, & e ruſticis *iter actus via.* Quare ad has ſeruitutes non pertinet illa veterum de cauſſa perpetua diſputatio. Alia praediorum iura naturae ſunt tam ancipitis atque ambiguae, vt dubitetur nonnumquam, perſonae conceſſae ſint, an vicino praedio. Vtrumque enim fieri poſſe, & vnam eamdemque ſeruitutem, perſonae, nulla habita praedii ratione, conceſſam, perſonalem; praedio conſtitutam realem eſſe, ipſa iura noſtra ſtatuunt (u). Sic *aquae vſus* inter reales ſeruitutes eſt, (x) & tamen perſonae conceſſus, perſonalis naturam induit (y). Et ius ſiluae caedendae, quod praedio conceſſum inter praediorum ſeruitutes foret, perſonalibus tamen ſeruitutibus adnumeratum aliquando videas (z). Sed & de pecoris paſcendi ſimilibusque ſeruitutibus diſerte ſcribit PAPINIANVS (a): *Pecoris paſcendi ſeruitus, item ad aquam adpellendi, ſi praedii fructus maxime in pecore conſiſtat,* PRAEDII *magis, quam* PERSONAE *videtur. Si tamen teſtator* PERSONAM *demonſtrauit, cui ſeruitutem praeſtari voluit, emtori vel heredi non eadem praeſtabitur ſeruitus.* Ex quo loco ſimul intelligimus, aliquando dubitandi rationes ſatis eſſe idoneas, praedione, an perſonae, conceſſa ſit huiusmodi ſeruitus. Si ergo olim ex teſtamento vel pactionis legibus conſtabat, praedione, an perſonae, ſeruitus quaedam deberetur: non quaerebatur, an cauſſa ſeruitutis illius eſſet perpetua, quia, tametſi talis cauſſa eſſe non videretur, nec adeo *ſtricto iure* conſiſteret ſeruitus, ea tamen *tuitione Praetoris* ſuſtinebatur. (b) (§. XXIII.) Sin vero quis poſſeſſione tantum ſibi huiusmodi ius, tamquam ſeruitutem praedialem, adquiſiuiſſe videbatur: tunc vero diſpiciendum erat, vtrum cauſſa huius iuris eſſet perpetua, nec ne? Priore enim caſu pro ſeruitute praediali; poſteriore pro perſonali habebatur. Atque inde patet, cur PAVLLVS (c) in vexatiſſima illa lege ſcripſerit: *Foramen in imo pariete conclauis vel triclinii* TEMPORE *non* ADQVIRI, *placuit. Neque enim* PERPETVAM CAVSSAM *habet.*

§. XXVIII.

(u) *l.* 14. §. *vlt. D. de alim. & cibar. legat.*

(x) *l.* 1. *D. de ſeru. praed. ruſtic.*

(y) *l.* 21. *D. de vſu & habitat.*

(z) *l.* 22. *pr. D. eod.*

(a) *l.* 4. *D. de ſeru. praed. ruſt.*

(b) *l.* 9. §. 1. *D. vſufr. quemadm. cau. l.* 1. *D. quib. mod. vſusfr. amitt. l.* 4. *D. de ſeruit. l.* 2. *D. comm. praed.*

(c) *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrban. l.* 20. §. 1. *D. de ſeru. praed. ruſt.*

§. XXVIII.

Quando porro quaerebatur, quaenam ſeruitutes cauſſam perpetuam habere viderentur, vel non viderentur? ex vetere philoſophia reſpondebant iureconſulti, ea, quae ab ipſa natura, & ſine manuaria opera, fiunt, ſiue adſidue, ſiue per interualla fiant, perpetuam cauſſam habere, non autem, quae manu fiant: manu, inquam, non poſſeſſoris praedii dominantis, (ſine qua pleraeque ſeruitutes exerceri plane non poſſent, veluti aquaehauſtus, ius ſiluae caedendae, pedamenta ſumendi, arenae fodiendae, ceterae:) ſed ſeruientis praedii poſſeſſoris. Nam praeterquam, quod hoc manu aliquid faciente in faciendo conſiſteret ſeruitus, quod per ius ciuile fieri non poteſt, non etiam ita cauſſa eſſet perpetua, quia, ſi quando illa ſeruitute vti quis vellet, ei res non foret in promtu, ſed prius exorandus eſſet vicinus, vt aliquid, quod ad iuris iſtius exercitium requiritur, faciat. Sic ergo non talis eſſet ſeruitutis conditio, vt a dominantis praedii poſſeſſore, quandocumque placet, exerceri poſſet. Hinc eleganter, & valde perſpicue rem explicat NERATIVS (d), dum *aquaeductum vel aquaehauſtum* SVFFICIENTEM *eſſe debere*, ait. *Sufficere* vero poteſt, quod a natura eſt, non quod manu hominis, toties, quoties illo opus eſt, perficitur. Quibus omnibus inter ſe comparatis, duae nobis naſcuntur regulae, quibus nihil videtur eſſe planius, nihil euidentius. Prior: *Quoties iuris, praedio cuidam inhaerentis, ea eſt conditio, vt ſolo* NATVRAE *beneficio & ſine manuaria vicini opera, dominantis praedii poſſeſſori* SVFFICIAT, *ita, vt ille hoc ius quandocumque collibuerit, exercere poſſit: toties cauſſa eius eſt perpetua, ac proinde ſeruitutis praedialis nomen ius iſtud recte tuetur.* Poſterior: *Quoties ea eſt iuris huiuſmodi conditio, vt vel* MANVARIA *poſſeſſoris praedii ſeruientis opera ad illud exercendum neceſſaria ſit, vel ſaltim dominantis praedii poſſeſſori ad vſum non* SVFFICIAT, *toties id ius cauſſa perpetua caret, neque adeo pro ſeruitute haberi poteſt.* Sic ergo perpetua eſt cauſſa *oneris ferendi, & tigni immittendi.* Quamuis enim manu fiat paries: non tamen manuaria vicini opus eſt opera ad ſeruitutes illas exercendas. Paries enim ipſa natura ſua ita comparatus eſt, vt oneri & tignis ferendis ſufficiat. Sic & *luminum* ſeruitus cauſſam habet perpetuam. Paries enim, ſemel pertuſus, natura ſua ſufficit, ad lumen in conclaue meum transmittendum, quotieſcumque eo opus eſt.

Regulae de cauſſa ſeruitutum perpetua.

(d) *l.* 2. §. *vlt. D. de ſerui. praed. ruſt.*

eſt, vt nulla vicini opus ſit opera manuaria. Et ita ſe res habet in reliquis ſeruitutibus realibus, quarum omnium ea eſt conditio, vt natura rerum ſeruientium vſibus vicini ſufficiat, nec earum exercitium ſemper de nouo requirat operam vicini manuariam. Contra *aquaeductus* ex lacu vel ſtagno, quod aqua viua & perenni deſtituitur, cauſſa non eſt perpetua, quia etſi manuaria ſeruientis praedii poſſeſſoris opera ad eius vſum non deſideretur, lacus tamen ille ſua natura non ſufficit, vt dominans eo iure quotieſcumque libet, vti poſſit, ſed aquam illi paullatim ſubduci neceſſe ſit, niſi eam de nouo ingerat ſeruiens.

§. XXVIIII.

Regularum iſtarum adplicatio ad l. 28. D. de ſeru. praed. vrb.

Quibus explicatis, nihil ſupereſt, quam vt regulas has textibus illis, qui crucem figunt interpretibus, pulcre quadrare, oſtendamus. Inter eos vexatiſſimum eſſe PAVLLI (e) locum, nemo ignorat. Is enim tam male adhuc a pleriſque intellectus eſt, vt non ſit mirum, eum pro depoſito a quibuſdam haberi. Sed res in vado erit, ſi ſpeciem recte formes. Iam ſupra obſeruauimus, non ibi quaeri de iure aliquo legitimis modis, vel ſaltim iuſto titulo, adquiſito, quippe quod tuitione Praetoris ſuſtineri potuiſſet: ſed de tali, quod *poſſeſſione* ſe adquiſiuiſſe exiſtimabat praedii dominus. FORAMEN quis adhuc habuerat in imo pariete, non vicini, quod in lege nuſquam exprimitur, ſed in ſuo procul dubio, vel, vti ipſe PAVLLVS ait, IN IMO PARIETE CONCLAVIS VEL TRICLINII, quem ex libertate naturali perfodere poterat. Sed cui, quaeſo, vſui deſtinatum fuerat illud foramen? Reſpondet iureconſultus: QVOD ESSET PROLVENDI PAVIMENTI CAVSSA. Id vulgo ita accipiunt, ac ſi per illud foramen dominus aquam proluto pauimento, emiſiſſet in vicini aream. Sed eum ſenſum verba PAVLLI vix admittunt. Dicendum enim fuiſſet: *Foramen, quod eſſet emittendae proluuiei cauſſa.* Vtebatur ergo tricliníi dominus illo foramine non ad aquam per illud eiiciendam, ſed *ad proluendum pauimentum*, adeoque aquam ad eam rem neceſſariam per illud recipiendam. Quod aliter fieri non poterat, quam aqua vel a vicino ingeſta foramini, vel aperto epiſtomio ex ciſterna aliqua parieti proxima, alioue aquae collectitiae receptaculo ſua ſponte per illud influente. Quum ergo parietis dominus ſibi hoc ius poſſeſſione adquiſitum putaret, idque pro ſeruitute fluminis non auertendi, ſed recipiendi haberet: vtrumque negauit

(e) *l. 28. D. de ſeru. praed. vrban*

negauit PAVLLVS: poſterius; quod IN EVM LOCVM NIHIL EX CAELO AQVAE VENIAT: prius, quod PERPETVAM CAVSSAM NON HABEAT, QVOD MANV FIAT. Vel enim manu vicini aquam foramini immittendam eſſe, quotiescumque eo iure vti velit triclinii poſſeſſor, vel aquaeductus ex receptaculo aquae collectitiae non eſſe eam conditionem, vt aqua illa ſua natura ſufficiat ad iuris iſtius exercitium, ſed nouum ſubinde aquae ſupplementum ſeruientis manu fore ingerendum, ſi ſufficere debeat. Si quis vero per tempus lege definitum aquam e tecto vicini per fiſtulas, qualium ſaepe fit mentio in iure noſtro (f), in triclinium vel aream ſuam per iſtud foramen duxiſſet, fore hanc ſeruitutem fluminis, eamque cauſſa perpetua non carituram: QVIA, QVOD EX CAELO CADIT, ETSI NON ADSIDVE FIT, EX NATVRALI TAMEN CAVSSA FIT, ET IDEO PERPETVO FIERI EXISTIMATVR. OMNES AVTEM SERVITVTES PRAEDIORVM PERPETVAS CAVSSAS HABERE DEBERE. Non vero rarum Romae fuit, aquam vndecumque per fiſtulas & tubulos in aedes, immo per ſingula earum conclauia & triclinia duci: ceu vel ex his PAPINII STATII (g) verſibus intelligitur:

An picturata lucentia marmora vena
Mirer, an EMISSAS *per cuncta cubilia* LYMPHAS?

quibuſcum coniungi merentur, quae illuſtrandis his adnotarunt IS. CASAVBONVS (h), IO. BRODAEVS (i) & IO. MEVRSIVS (k). Reliquam huius textus PAVLLINI partem de lacu, ſtagno, ſtillicidio, iam ſupra ita expoſuimus, vt hic plura addere nihil attineat. Sufficit iam, nos oſtendiſſe, hanc philoſophiam iureconſulti non eſſe iuſto ſubtiliorem, ſed regulis, paragrapho ſuperiore propoſitis, conuenientiſſimam, immo & planam & perſpicuam, niſi bono illi iureconſulto meram noctem offudiſſent interpretes.

§. XXX.

Nec non ad ſeruitutem fumi immittendi, &c.

Nec plus difficultatis ineſt ſeruituti fumi immittendi, de cuius cauſſa perpetua dubitaſſe nonnullos animaduerto. Romani ſaepe diuiſis caenaculis ita habitabant, vt ſuperiora domus in alius dominio eſſent, ac inferiora (l). Vnde & ſaepe ex publi-

(f) *l.* 18. *l.* 19. *pr. D. de ſeru. praed. vrb. l.* 47. D. *de contrah. emt.*

(g) Stat. *Lib. I. ſilu. III. v.* 36.

(h) Iſ. Caſaubon. *ad Sueton. Aug. Cap. LXXXII.*

(i) Io. Brodaeus *Miſcell. Lib. V. Cap.* VI.

(k) Meurſ. *de luxu Rom. Cap. XII. p.* 30.

(l) *Exempla ſunt l.* 3. §. 7. *D. vti poſſidet. l.* 7. *D. de inſtr. & inſtrum. leg.*

aquae hauſtus e ciſterna.

co in ſuperiores contignationes erat aditus, ne ſuperiorum contignationum domini per inferioris atrium ire commeare tenerentur (m). Habitator inferior tabernam caſeariam conduxerat a Minturnenſibus, in quam quum fumum immitteret conductor, (quia, vti ex PLINIO (n) & MARTIALE (o) oſtendit BRISSONIVS, (p) fumus ille caſeorum gratiam & ſaporem augere credebatur,) fumus iſte per caminum in ſuperiores aedium partes adſcendebat. Quaerebatur, an ius fuerit conductori fumum immittere in caenaculum ſuperius? Reſpondit T. ARISTO Cerellio Vitali (q), *non putare ſe, ex taberna caſearia fumum in ſuperiora aedificia iure immitti poſſe, niſi ei rei ſeruitutem talem admittat.* Vbi verba poſtrema vix ſenſum fundunt, niſi legeris: *etſi ea res ſeruitutem talem admittat.* Concedit enim ARISTO, huiusmodi ſeruitutem poſſe conſtitui, ac proinde poſſeſſori eo nomine indulget formulam actionis confeſſoriae: IVS ESSE, FVMVM IMMITTERE. At non conſtituta hac ſeruitute, ſuperioris aedificii inquilinum recte experiri poſſe negatoria: IVS EI NON ESSE FVMVM IMMITTERE, conductorem vero, ſi tunc vti non recte poſſit taberna caſearia, Minturnenſes actione conducti iure conuenire. Haec ARISTO. Iam obuertunt nobis, fumi cauſſam non eſſe perpetuam, quia manu ſit excitandus, & tamen fumi immittendi ſeruitutem conſiſtere. Immo reſpondemus, huius ſeruitutis eam eſſe conditionem ac indolem, vt caminus ſemel recte factus dominanti ſine vlla manuaria ſuperioris habitatoris opera ſufficiat, ad fumum ex taberna caſearia in ſuperius caenaculum emittendum: ac proinde eius cauſſam manifeſto eſſe perpetuam. Fumus manu excitatur, aſt non ſeruientis, ſed dominantis praedii poſſeſſoris. Id vero ſalua perpetua ſeruitutis cauſſa fieri poſſe, & in plerisque ſeruitutibus fieri, iam ſupra vidimus. Sed alia eſt ratio ſeruitutis aquae hauſtus ex ciſterna, lacu, piſcina & puteo, aquam viuam non habentibus, quam iure conſiſtere poſſe negat VLPIANVS (r). Neque enim huius iuris ea eſt conditio, vt aqua illa natura ſufficiat vſibus vicini, ac non potius mox vacua futura ſint illa aquae collectitiae receptacula. Immo neceſſitas imponeretur ſeruientis praedii domino, aquam exhauſtam aliunde manu ingerendi, ſi ciſterna

(m) Liu. *Lib.* XXXVIIII. *Cap.* XIIII.

(n) Plin. *Hiſt. Nat. Lib. XI. Cap. XXXXII.*

(o) Martial. *Libr. XIII. Epigr. XXXII.*

(p) Briſſon. *Sel. antiqu. Libr. IIII. Cap. XV.*

(q) *l.* 8. §. 5. *D. ſi ſeruit. vindic.*

(r) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*

na ſufficere deberet. Verum quidem eſt, aquam ipſam, quia e caelo cadit, cauſſam habere perpetuam. At iam ſupra monuimus, non hic obiecti rationem haberi, ſed formae ſeruitutis. Aquae cauſſa hic eſt perpetua, non autem formae aquae hauſtus ex ciſterna, lacu, piſcina, puteo, quia natura ſua hae res omnes non ita ſufficiunt alterius vſibus, vt aquam ſemper, & quoties id exigit praedii ſui neceſſitas, haurire poſſit. Ex quo ſimul animaduertimus cur & aquaeductus, & aquae hauſtus, immo & ius nauigandi recte conſtituatur in lacu perpetuo vel viuam aquam habente (s): quia tunc ea eſt ſeruitutum harum conditio, vt aqua illa exercendis iſtis iuribus ſemper ſufficiat, nec vlla ad id neceſſaria ſit manuaria vicini opera.

§. XXXI.

Denique ad ſeruitutem aquae rota e flumine tollendae, vel e caſtello ducendae.

Sed & ſeruitutes aquae rota e flumine tollendae, vel e caſtello ducendae, iure conſiſtere negat ANTONINVS CARACALLA, quem, dubitantibus ea de re iureconſultis, hunc in modum Tulliano reſcripſiſſe refert VLPIANVS (t): *Licet ſeruitus* IVRE NON VALVIT, *ſi tamen hac lege comparauit, ſeu alio quocumque legitimo modo ſibi hoc ius adquiſiuit, tuendum eſſe eum, qui hoc ius poſſedit.* Hic vero manifeſto nobis aquam haerere exiſtimabunt. Machina enim illa hydraulica, vel caſtello, ſemel rite confectis, (de quibus plura eaque ſelecta collegit CVIACIVS (u), eam huius ſeruitutis aiunt eſſe naturam, vt abunde ſufficiat dominantis vſibus, nec vlla deſideretur ſeruientis opera. Cauſſam ergo huius iuris eſſe perpetuam, & tamen ei locum inter ſeruitutes concedere noluiſſe veteres. Enimuero in tota illa lege ne veſtigium quidem occurrit cauſſae perpetuae: neque adeo ex ea probari poteſt, ideo hanc ſeruitutem iure non valuiſſe, quod cauſſa perpetua deſtitueretur. Quod & recte obſeruauit laudatus CVIACIVS (x), qui ideo aliam commentus eſt cauſſam, cur illud ius iure non valuerit, puta, quia vix ſit, vt praedia tanta aquae copia indigeant, vt adhiberi organa oporteat, non poſſint autem ipſo iure conſtitui ſeruitutes vltra, quam opus ſit ad praedia (y). Sed quis ignorat, ſaepe huiuſmodi machinas exigere praedium, immo & in Halae ſuburbio non deeſſe rotam, qua aqua ex Sala

 tollitur

(s) *l. 23. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed.*

(t) *l. 2. D. commun. ſeru. vrban. & ruſt.*

(u) Cuiac. *Obſeru. Lib. III. Cap.* XXVIII.

(x) Cuiac. *ibid.*

(y) *l. 5. fin. D. de ſeruit. praed. ruſt.*

tollitur in vſum praedii priuati, in quo certa cereuiſia coquitur? Itaque nodum vix ſoluit illa, quantumuis ingenioſa coniectura CVIACII. At res in vado eſt. Seruitutes illae iure non valuerunt, non quod cauſſam non haberent perpetuam: ſed quod in flumine, quippe publico, & caſtello nemini conſtitui poſſet ſeruitus. Hinc ipſe VLPIANVS (z): *Haec*, inquit, *de hauſtu ex fonte* PRIVATO. *Ad* FLVMEN *autem* PVBLICVM, *idem Neratius eodem libro ſcribit, iter debere cedi*, HAVSTVM *non oportere. Et ſi quis tantum hauſtum ceſſerit*, NIHIL *eum agere.* Sed non magis ex caſtello ab vllo conſtitui poterat ſeruitus aquaeductus. *Aquam enim inde ducere a principe conceditur, nec alii vlli competit ius aquae dandae*, inquit VLPIANVS (a). Recte ergo iure valere has ſeruitutes negauit ANTONINVS Imp. quia in flumine ſeruitus a priuato non magis conſtituitur, quam in mari. Enimuero quemadmodum is tuendus eſt a Praetore, qui ius aliquod in mari legitimis modis adquiſiuit, & hinc denuo ſcribit VLPIANVS (b): *Venditor fundi Geroniani fundo Botroiano, quem retinebat, legem dederat, ne contra eum piſcatio thynnaria exerceatur. Quamuis* MARI, *quod natura omnibus patet, ſeruitus imponi priuata lege non poteſt, quia tamen bona fides contractus legem ſeruari venditionis expoſcit: perſonae poſſidentium, aut in ius eorum ſuccedentium per ſtipulationis vel venditionis legem obligantur.* Ita & recte reſcribere Imperator potuit, tuendum eſſe poſſeſſorem huiuſmodi machinae iuxta flumen publicum vel aquaeductus ex caſtello, qui tale ius legitimo modo adquiſiuerit, quamuis ſtricto iure neutro caſu conſiſtat ſeruitus, non ob cauſſae perpetuae defectum, ſed quia nulli priuato ius ſit aquae hauſtum vel aquaeductum ex flumine publico, vel caſtello concedendi, iiſque ſeruitutem priuata auctoritate imponendi.

§. XXXII.

Concluſio differtationis.

Et hi quidem ſunt textus illi difficiliores, qui regulae noſtrae de cauſſa ſeruitutum perpetua obſtare viſi ſunt. Reliquis, quos ſupra aliorum ſententiis obuertimus, ſuis locis ipſi ſatisfecimus. Aetas noſtra in id tempus incidit, quo ne dupondii quidem Triboniano parcunt, & ſi quid occurrit, quod ipſi non intelligunt, (at quam multa talia occurrent?) ſtatim expediunt ferulas, & eum cerebrum in calcaneo habuiſſe, clamant. Immo, quod

(z) *l.* 3. §. *vlt. D. eod.*
(a) *l.* 1. §. 42. *D. de aqua quotid. & aeſtiua.*
(b) *l.* 13. *pr. D. commun. ſeru. vrban. & ruſtic.*

quod mireris, ne melioris quidem aeui iureconſultos, VLPIANVM, CAIVM, PAVLLVM, & ſimiles, ſine nota dimittunt, tanto ferociores plerumque, quanto minus in iure ciuili profecerunt. Hos vero cenſores apertos inimicos habere, admodum periculoſum eſt. Itaque dabo operam, vt eos mihi reddam amiciores, & in eorum gratiam adferam brocardicum, non vnum e multis, ſed inter multa vnicum, illud puta digniſſimum, quod atrio templi Delphici inſcribatur: CAVSSA ETIAM FATVA A DOLO EXCVSAT. Quid hoc ad Bacchum? Neſcio, niſi quod credam, eam incomparabilem regulam eatenus profuturam TRIBONIANO, ne eum pro fatuo habeant fatui, dum regulam illam, quod cauſſam ſeruitutis perpetuam eſſe oporteat, in Pandectis exſtare paſſus eſt. Si enim a dolo cauſſa etiam fatua excuſat: procul dubio a fatuitate hominem multo magis excuſabunt tot ſolidiſſima, quae attulimus, argumenta. Cum viris doctis rerumque harum intelligentibus facile tranſigam. Hi enim tam ſunt emunctae naris, vt, quid inter CAVSSAM SERVITVTVM PERPETVAM & fatuas illico Tribonianomaſtigum cauſſas interſit, facile ſubolfaciant.

DE LOCATIONE CONDVCTIONE IVRISDICTIONIS.

EXERCITATIO XXXIII.

CAP. I.

AN LOCATIO CONDVCTIO IVRISDICTIONIS EX PRINCIPIIS IVRIS ROM. SIT LICITA?

§. I. *Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.* §. II. *Quid iuriſdictio ſecundum* DVARENVM *?* §. III. *Ea definitio expenſa.* §. IIII. *Aliarum definitionum examen.* §. V. CVIACIANA *iuriſdictionis definitio.* §. VI. *Ei quid a* GV. MARANO *obiiciatur ?* §. VII. *Vindiciae aduerſus Maranum datae.* §. VIII. *Alia aduerſus* CVIACII *definitionem dubia.* §. VIIII. *Iuriſdictio non minus, quam imperium, vel priuata, vel publica. Quid iuriſdictio & imperium* PRIVATVM *?* §. X. *Quid* PVBLICA *iuriſdictio ?* §. XI. *Probatur, definitionem noſtram eſſe adaequatam.* §. XII. *Imperium an idem, ac iuriſdictio ?* §. XIII. *Quid imperium ? & quid inter merum mixtumque interſit ?* §. XIIII. *An locari potuerit iuriſdictio & imperium domeſticum ?* §. XV. *Publicam iuriſdictionem ac imperium locari non potuiſſe, probatur ex ipſa eorum indole.* §. XVI. *Itemque ex natura dignitatum ac magiſtratuum.* §. XVII. *Cur mandari, nec locari tamen, potuerit iuriſdictio ?*

§. I.

§. I.

Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.

DE LOCATIONE CONDVCTIONE IVRISDICTIONIS, quaedam, quae publicae diſceptationi more maiorum occaſionem praebeant, in chartam coniicere conſilium eſt. Quamuis enim in eadem iuris quaeſtione, iam alii exercuerint ingenium, quos mihi vel vllum ſpicilegium reliquiſſe, vix probabile eſt (a): tamen, quemadmodum veteri illi ac florentiori iuriſprudentiae non obfuit, tot eximiorum ingeniorum, eamdem ſaepe iuriſprudentiae partem ſcriptionibus ſuis illuſtrantium, induſtria (b), ita nec meam diſſertationem, qua res iam ab aliis occupata illuſtratur, oneri reipublicae litterariae futuram exiſtimo, neque vereor, ne quis, me aliorum luminibus hac ſuſcepta opera officere voluiſſe, ſuſpicetur. Diſcrepant non numquam eorum, qui eamdem materiam perpoliendam ſuſcipiunt, ſententiae. Aliquando eadem, ſed ex diuerſis veluti fontibus promanantia, ſcribimus. Eſt, vbi ipſa ſcribendi ratio rem abſtruſam quodammodo illuſtrat, magiſque reddit perſpicuam. Denique, vt LABEONIS (c) noſtri verbis vtar, *ſuum quiſque habet iudicium*, &, vti olim ſenatoribus de communi republica, ita hodie omnibus, quibus litterae curae ſunt, de re litteraria ſententiam dicere licere debet. Vt vero diſſertationi noſtrae ſuus conſtet ordo, quo, XENOPHONTE (d) iudice, nihil pulcrius, nihilque praeſtabilius eſt: doctrinam hanc ita trademus, vt primum quid ex iuris ciuilis principiis ea de re dici poſſit, ac deinde, qua in re ab illis diſcrepent mores patrii, ex ipſis vtriuſque iuriſprudentiae fontibus oſtendamus. Faxit DEVS feliciter!

§. II.

(a) *Praeter eos enim, qui obiter hanc quaeſtionem in ſyſtematibus iuris attigerunt, ſingulares ea de re diſſertationes ediderunt* clar. D. Iac. Aug. Franckenſteinius *Lipſ.* MDCCXXVIII. & *praeſide* V. A. Reinh. Fridr. Sahme, Iac. Henr. Ohlius, *Regiom.* MDCCXXXVII.

(b) *Sic conſtat, de adulteriis ſcripſiſſe* Papinianum, Vlpianum, Paullum, *de fideicommiſſis* Pomponium, Caium, Maecianum, Valentem, Vlpianum & Paullum, *de adpellationibus* Macrum, Marcianum, Vlpianum & Paullum, *ad Leges Iuliam & Papiam* Caium, Marcellum, Mauricianum, Terentium Clementem, Vlpianum & Paullum, *de aliis alios. Vid.* V. C. Abr. Wielingii *Iuriſprud. reſtitut. p. XLIII. ſequ.*

(c) Sueton. *Octau. Aug. Cap.* LIIII.

(d) Xenoph. *Oeconomic. Cap.* VIII. §. 3. *p.* 57.

§. II.

Quid iuriſdictio ſecundum Duarenum?

Et iuris quidem ciuilis, a Romanis reperti, ſcita non rectius, opinor, intelligemus, quam ſi ab ipſa iuriſdictionis definitione proficiſcatur oratio: maxime quum & huic iuris capiti tantam caliginem offuderint interpretes, vt iure meritoque conqueratur M. ANT, MVRETVS (e), eos, qui eius explicationem magno faſtu ac ſupercilio tradiderint, *pro iuriſdictione iuris ignorantiam, pro mero imperio meram ſtultitiam, pro mixto mixtam cum falſa opinione ſcientiae prodidiſſe.* Quin addit vir doctiſſimus, *vt traditum ſit, antiquis temporibus nobilem quemdam muſicum duplicem mercedem exigere ſolitum ab iis, qui ſe ipſi in diſciplinam darent, ſi prius aliis praeceptoribus vſi eſſent, quod ſibi duplicem laborem capiendum eſſe diceret, dedocendi vnum, & alterum docendi, ita, qui talibus deliramentis infatuati ſint, conducere, ſi fieri poſſet, aliquem debere, cuius ope ea, quae didicerint, dediſcerent.* Quum vero nulla iuris quaeſtio enodari poſſit de re, cuius notio accurata menti noſtrae non obuerſatur: nos praecipue dabimus operam, vt verum ac genuinum iuriſdictionis Romanae conceptum euoluamus, ac deinde ad propoſitam quaeſtionem tanto inſtructiores progrediamur. FRANC. DVARENVS, (f) doctiſſimus ſane, ſed ſui ſenſus homo, quem ipſe CVIACIVS; (g) quamuis omnibus ab eo vexatus contumeliis, *ſine exemplo maximum iuriſprudentiae ducem* vocat, nec non PAVLLVS MANVTIVS (h) iuriſdictionem nihil aliud eſſe contendunt, quam *iudicis dandi licentiam in priuatis & pecuniariis cauſſis*, eamque definitionem ex ipſis legibus noſtris luculenter probari poſſe exiſtimant. VLPIANVM (i) enim & DIOCLETIANVM ac MAXIMIANVM, Auguſtos (k), iuriſdictionem diſerte vocare *iudicis dandi licentiam*: IVLIANVM (l), Imperatorem, *iudices pedaneos dandi poteſtatem*: GORDIANVM (m) *dandi iudices inter priuatas perſonas facultatem*: denique IVLIVM PAVLLVM (n) *iudicis dandi ius*: ex eoque manifeſtum eſſe, iuriſdictionis vniuerſae naturam ac indolem in illa iudices dandi poteſtate conſtitiſſe.

§. III.

(e) Muret. *de iurisdict. p. 207. Theſaur. Iur. Tom. IIII.*

(f) Fr. Duaren. *Comment. ad l. 7. D. de pact. Diſp. Anniuerſar. Lib. I. Cap. LIII. & Apolog. adu. Eguin. Baron. p. 1097. Operum.*

(g) Cuiac. *Tomo II. Op. p. 639.*

(h) Manut. *Comment. ad Ciceron. Lib. I. ad Q. fratrem Epiſt. II.*

(i) *l. 3. fin. D. de iuriſdict.*

(k) *l. 2. C. de pedan. iudic.*

(l) *l. vlt. C. eod.*

(m) *l. 1. C. eod.*

(n) *l. 12. D. de Offic. Procoſ.*

§. III.

Ea definitio expenſa.

Sed quantumuis auctori ſuo placuerit haec definitio; qui eam tamquam filiolam ſuam vnice exoſculatus eſt: vereor tamen, vt naturam iuriſdictionis Romanae vlla ex parte exhaurire videatur. Nolim quidem vti argumento GVIL. MARANI (o), qui, quum in arbitrio magiſtratuum poſitum fuiſſe, exiſtimet, ipſine iudicare, an iudicem dare mallent, iuriſdictionem abſciſſe iudicis dandi poteſtatem dici poſſe negat. Satis enim notum, & a V. C. GER. NOODTIO (p) pluribus demonſtratum eſt, eam optionem datam non fuiſſe magiſtratibus, ſed fuiſſe certas duntaxat extraordinariae cognitionis cauſſas, quas magiſtratus ipſi, nullo dato iudice, finiuerint: idque vel inde patet, quod CICERO (q) reprehendere non dubitat Quintum fratrem, qui ipſe cauſſam pecuniariam cognouerat: *Quid? Prætor ſolet* IVDICARE, *deberi?* At non deſunt alia, quae DVARENIANAM illam definitionem premunt, argumenta. Vt enim iam non dicam, eam non cadere in iuriſdictionem VOLVNTARIAM (r), eiuſque partem nobiliſſimam, legis actionem, quae tantum abeſt, vt deſideraret iudicem, vt *paſſim*, (s) id eſt extra tribunal, etiam in tranſitu, veluti quum Praetor vel Praeſes in balneum, vel in theatrum iret (t), recte explicaretur: iudicis etiam datione non opus erat, quoties, vt dixi, extraordinariae cognitionis cauſſa incideret, quippe quam ipſi magiſtratus decernendo finiebant (u). Quare quum omnes viri docti duas iurisdictionis partes eſſe fateantur, DECRETVM & IVDICIS DATIONEM (x): certiſſimum ſane eſt, definitionem DVARENI nec omni iurisdictioni competere, nec totam iurisdictionem, ſed eius tantum partem, & eam quidem non nobiliſſimam, deſcribere. Sunt & alia, quae huic definitioni obuertit GVIL. MARANVS (y), puta quod magiſtratus municipales iuris dicundi habuerint poteſtatem, nec tamen iudices dare potuerint. Enimuero & illa de magiſtratibus municipalibus obſeruatio, ſi dicendum, quod

(o) Guil. Maran. *Paratitl. p. 3.*

(p) Ger. Noodt *de iuriſdict. Lib. I. Cap.* VII. *p.* 100. *ſequ.*

[q] Cicero *Lib. I. ad Q. fratr. Epiſt. II.*

(r) *l. 2. princ. D. de offic. Procoſ.*

(s) *l. 7. §. 1. D. de ventre in poſſeſſ. mitt. l. 5. §. 9. D. de reb. eor. qui ſub tut.*

(t) *§. 2. Inſt. de libertin.*

(u) *l. 1. §. 7. 14. D. de extraord. cognit. l. 8. l. 9. D. de offic. Praeſid. l. 1. C. de pedan. iudic.*

(x) Carol. Sigon. *de iure ciu. Rom. Lib. I. Cap.* VII. Ger. Noodt *de iuriſdict. Lib. I. Cap.* VII.

(y) Maran. *de iuriſd. p. 8. ſequ. Tomo II.*

quod res eſt, parum ſolida videtur. Potuiſſe enim etiam illos iudices dare, vel ex legis Maniliae verbis diſcimus, quibus IVRISDICTIO, IVDICISQVE DATIO ET ADDICTIO conceditur iſtis magiſtratibus (z). Quamobrem ne eo quidem argumento vti velim aduerſus DVARENI definitionem, priore ratione noſtra iam ſatis, niſi me omnia fallunt, euerſam.

§. IIII.

Aliarum definitionum examen.

Eiusdem paene commatis eſſe videntur definitiones tantum non omnes, quas excogitarunt interpretes. Pleriſque, qui ante CVIACIVM iuri interpretando operam dederunt IVRISDICTIO eſt *poteſtas publica, cum neceſſitate iuris dicundi, aequitatisque ſtatuendae coniuncta* (a): EGVIN. BARONI (b) *publica iuris dicundi poteſtas*: LVD. CHARONDAE (c) *iuris dicundi licentia*: SCIPIONI GENTILI (d) *notio ciuilium ac criminalium cauſſarum cum ſtatuendi & exſequendi poteſtate*: M. ANT. MVRETO (e) *poteſtas iudicandi, iudicesue dandi de ciuilibus controuerſiis, & de delictis priuatis, omninoque de iis tantum, pro quibus non alia, quam pecuniaria poena, imponeretur.* Vt iam non dicam de ANT. GOVEANI (f), HVG. DONELLI (g), PAVRMEISTERI (h), OBRECHTI (i), & MATTH. STEPHANI (k) definitionibus, quae ab iis, quas hactenus recenſuimus, verbis duntaxat videntur diſcrepare, iisdemque adeo, quos in prioribus illis notabimus, defectibus laborant. Nimirum parum aut nihil dicere videntur, qui iurisdictionem poteſtatem vel licentiam iuris dicundi adpellitant. Nam, vti recte obſeruat ANT. GOVEANVS (l), quid ſit *iuris dicundi poteſtas*, aeque obſcurum eſt, quam, quid ſit *iurisdictio*. Nec magis perſpicuum videtur, quid ſit *aequitatem ſtatuere*, niſi forte facultatem illam ius ciuile edictis ſuis adiuuandi, ſupplendi, corrigendiue, quod VLPIANVS (m) Praetoribus tribuit, in animo habuerint iſtius definitionis auctores. Aſt municipales magiſtratus iuris-

(z) Guil. Goeſ. *Script. rei agrar. p.* 340.
(a) Vdalric. Zaſ. *Paratitl. tit. de iuriſd. n.* 1.
(b) Baro *var. Quaeſt. de iuriſd. p.* 18.
(c) Lud. Charond. *de iuriſd. n.* 5.
(d) Scip. Gentil. *de iuriſd. Lib. I. Cap. I.*
(e) Muret. *de iuriſd. p.* 209.
(f) Ant. Gouean. *de iuriſd. Lib. II. n.* 59.
(g) Hugo Donell. *Comment. iur. ciu. Lib.* XVII. *Cap.* VI.
(h) Paurmeiſt. *de iuriſd. Lib. I. Cap.* VII. *n.* 1.
(i) Obrecht. *de iuriſd. Cap. I. n.* 19.
(k) Matth. Steph. *de iuriſd. Lib. I. Cap. V. n.* 2.
(l) Ant. Gouean. *ibid. n.* 58.
(m) *l.* 7. §. 1. *D. de iuſt.* & *iure.*

riſdictionem procul dubio habebant (n), & hinc paſſim memorantur IIVIRI IVR. DIC. (o) IIII VIRI IVR. DIC. (p) AEDILES IVR. DIC. (q) nec tamen vlla gaudebant poteſtate edicta, quibus ius ciuile ad aequitatem inflecteretur, proponendi: immo potius ſecundum vrbanorum magiſtratuum edicta ius dicere cogebantur (r). Et quis, quaeſo, dixerit, Praetores & Praeſides ab Hadriani temporibus iuris dicundi poteſtatem amiſiſſe, quia illis non amplius integrum fuerit ius ciuile edictis ſuis, adiuuare, ſupplere, corrigere? Porro cognitio de criminibus perperam refertur ad iurisdictionem, quum praeclare docuerit MVRETVS (s), iurisdictionem vniuerſam fuiſſe penes Praetorem, & eum tamen ſolis controuerſiis ciuilibus diſceptandis diiudicandisque praefuiſſe; nec de vllo cognouiſſe crimine publico, niſi ei imperium illud ſpeciali lege fuiſſet a populo delatum. Sed & exſequendi facultas non magis, quam poteſtas animaduertendi in facinoroſos homines, ad iurisdictionem pertinet. Extremum enim in iurisdictione eſt ſententia (t), adeoque eius exſequutio non pars iurisdictionis, ſed imperii mixti, habetur (u). Immo ne MVRETI quidem definitio, quamuis reliquis paullo accuratior, ita comparata eſt, vt euerti non poſſit. Si enim disiunctim aut in iudicando, aut in iudice dando, poſita eſt iurisdictio: nihil profecto impedit, quo minus eam & iudici pedaneo, & arbitro, tribuamus, quippe, ſi non iudices dandi, at iudicandi ſaltim facultate inſtructis (x). Vnde miror, GVIL. MARANVM (y) virum doctiſſimum, & qui aliorum naeuos oculis paene lynceis deprehendere ſolet, nihil rectius impertiri potuiſſe, ſed iurisdictionem modo vocare *iudicandi, vel iudicem dandi licentiam*, modo *iuris cuique reddendi poteſtatem*: quum tamen prioris illius definitionis idem, quod illius MVRETI, vitium ſit, poſterior vero ipſo definito non multo clarior, immo illo haud paullo obſcurior videatur.

(n) *l. 29. D. ad municipal.*

(o) Gruter. *Inſcr. p.* CCCLXXXVIII. 1.

(p) Fabrett. *Cap.* VIIII. *n.* 132.

(q) Gruter. *Inſcr. p.* CCXIIII.

(r) *l. 32. D. de leg.* Theoph. *Paraphr.* §. 7. *Inſt. de iure nat. gent. & ciu.* Eu. Otto. *de Aedil. colon. & municip. Cap. XIII. p.* 451.

(s) Muret. *de iuriſdict. p.* 208.

(t) *l. vn.* §. 1. D. *ſi quis ius dicenti non obtemper.*

(u) *l. 2.* D. *de iuriſd. l. 5.* §. 1. *D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.*

(x) *l. 81. D. de iudic. l. 1.* D. *de arbitr. l. 14. C. de iudic.*

(y) Maran. *de iuriſd. p.* 16. 17.

§ V.

Cuiaciana iuriſdictionis definitio.

Prudenter, vti ſolet, hoc animaduertit ὁ πάνυ CVIACIVS, qui ideo accuratiorem magiſque adaequatam iurisdictionis definitionem daturus, eam eſſe ait *notionem, iure magiſtratus competentem* (z); & ſane hac definitione ſua ſibi ipſe adeo placuit vir incomparabilis, vt ſe numquam in reperiunda definitione feliciorem fuiſſe, fateretur (a). Quo minus mirandum, eam multo magis placuiſſe viris doctis, veluti CAR. HANNIBALI FABROTTO (b), qui eam in additionibus ſuis mirifice probare videtur, & VLR. HVBERO (c), qui ideo CVIACIVM *ſummum definiendi artificem* vocare non dubitat. Et ſane, eſſe eam reliquis omnibus meliorem, facile largior, idque mouiſſe videtur Illuſtrem Praeſidem, Praeceptorem meum aetate venerandum (d), vt eam in elementis ſuis ceteris omnibus anteferendam putaret. Multa tamen ei opponit vir celeberrimus, GVIL. MARANVS (e), quae hic expendere eo magis operae fuerit pretium, quo luculentius tunc, quam firmo talo ſtet CVIACII definitio, adparebit.

§. VI.

Et quid a Guil. Marano obiiciatur?

Nimirum primo, ideo mancam eſſe CVIACII definitionem, contendit MARANVS, quod iurisdictionem mandatam, quippe iure magiſtratus nemini competentem, ambitu ſuo non complectatur. Licebat enim iurisdictionem non modo magiſtratibus, ſed & priuatis, mandare (f), quibus adeo nihil omnino iure magiſtratus competebat. Deinde obſeruat, & eos aliquando, qui non fuerint in magiſtratuum numero, ius extra ordinem dixiſſe, veluti praefectos annonae & vigilum (g), iis vero illam iurisdictionem nullo iure magiſtratus competere potuiſſe. Tum porro ipſum CVIACIVM (h) alicubi docuiſſe, monet, magiſtratus Romanos non adhibuiſſe ſuam notionem aut cognitionem, niſi extra ordinem, ſed iudices dediſſe vel arbitros, qui ex formula praeſcripta ferrent ſententiam. Definitionem ergo CVIACII non, quod a ius

(z) Cuiac. *Paratitl. Digeſt. Lib. II. Tit. I. & Paratitl. Cod. Lib. III. Tit. XIII. p. 154. Tom. II. Op.*

(a) Hilliger *Donell. Enucl. Lib.* XVII. *Cap.* VII. *not. f.*

(b) Fabrott. *Enarrat. ad vtraque Paratitla ibid.*

(c) Huber. *Praelect. ad Pand. Lib. II. tit. I. §. II.*

(d) *Elem. iur. ciu. ſec. ord. Pand. Parte I.* §. CCXXXX.

(e) Maran. *de iuriſd. p. 12. ſequ.*

(f) *l. vlt. §. 1. D. de offic. eius, cui mand.*

(g) *l. 2. §. 33. D. de orig. iur.*

(h) Cuiac. *Obſeru. Lib.* VIIII. *Cap. XXIII.*

a ius dicentibus ordinarie, ſed quod certis duntaxat caſibus extra ordinem fieri conſueuerit, exprimere, adeoque & hanc ob cauſſam non ſatis plenam perfectamque eſſe. Praeterea illam non quadrare vel iurisdictioni defenſorum ciuitatum, qui non fuerint magiſtratus (i), nec iudicum pedaneorum, quos Conſtantinopoli IVSTINIANVS iuris dicundi cauſſa conſtituerit (k), quosque, vtut inter magiſtratus non fuerint, iurisdictionem tamen habuiſſe, ex IVLIANI Nouellis (l) colligit. Denique ne id quidem praetermittendum putauit, notionis vocabulum nec iudicis dationem complecti, nec tam magiſtratibus, quibus potius cognitio fuerit, quam iudicibus, potius pedaneis, tribui, adeoque notionem eamdem eſſe, ac παρασημείωσιν, ſeu *adnotationem*, id eſt cognitionem ſummariam, & non actis ſollemniter confectis, ſed rebus breuiter adnotatis, ſuſceptam. Quae planaria notio quomodo iurisdictionis naturam ac indolem abſoluere poſſit, vix ſe intelligere, ait MARANVS, maxime quum notio illa iudicis dationem numquam, ac ne iis quidem locis, in quibus iunguntur *cognitio* & *iurisdictio*, ſignificet.

§. VII.

Vindiciae aduerſus Maranum. datae.

Et haec quidem ſunt, quibus MARANVS definitionem CVIACIANAM euertiſſe ſibi viſus eſt, argumenta, quae an admodum ſtringant, iam paucis erit diſpiciendum. Et primum quidem illud, quod mandatae iurisdictioni non quadret haec definitio, parum ferire videtur CVIACIVM. Omnino enim illa mandatario competit iure magiſtratus, non quidem ſui, ſed mandantis. Nam, *qui mandatam iurisdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed* EIVS, *qui mandauit*, IVRISDICTIONE *vtitur* (m): quin *etſi Praetor ſit is, qui alienam iurisdictionem exſequitur, non tamen pro ſuo imperio agit, ſed* PRO EO, *cuius mandatu ius dicit, quoties* PARTIBVS EIVS *fungitur* (n). Vt adeo nihil impediat, quo minus & mandatario iurisdictionem iure magiſtratus competere dicamus. Quod ad Praefectos annonae & vigilum attinet, eos quidem magiſtratus fuiſſe negat POMPONIVS: ſed nec iurisdictionem eosdem habuiſſe ait. Saltim Praefectum Vigilum ius dixiſſe, non conſtat, quamuis eum in facinoroſos quosdam, veluti incendiarios, fures

(i) *Nouell. XV. Cap. I.*

(k) *Nouell. LXXXII. Cap. I. ſequ.*

(l) Iuliani *Nouell. LXXXII. Cap. III.*

(m) *l. 1. §. 1. D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.*

(n) *l. 3. §. 1. D. eod.*

res nocturnos, effractores, raptores, capſarios, in ſeruandis lauantium veſtimentis negligentiores, inquilinos, ignem male cuſtodientes, animaduertere potuiſſe, non ignoremus, niſi qua perſona tam atrox, tamque famoſa eſſet, vt ad Praefectum vrbi remittenda videretur (o). Praefectum aerario iurisdictionem habuiſſe, aliunde quidem probari poteſt (p): aſt vel id ipſum argumento eſt, eum inter magiſtratus, non ordinarios quidem, ſed extraordinarios, fuiſſe. Hinc ipſe CVIACIVS (q): *Praefecti*, inquit, *annonae & vigilum non ſunt magiſtratus ſtati & legitimi*, *ſed extra ordinem moremque conſuetum*, *ad tempus*, *vtilitatis cauſſa conſtituti*. Et V. A. CORNELIVS VAN BYNCKERSHOECK (r): *Conſtat, Praefectos annonae & vigilum ideo magiſtratus non dici, quod ordinarii non fuerint*, *quae oppoſitio & alias occurrit*, *& a plerisque interpretibus hic notata eſt.* Denique & IO. GVILIELMVS (s), vt alios praetermittam, praefectos annonae *iis* accenſet *magiſtratibus*, *qui aut cito e republica ſublati fuere*, *quum annui eſſent*, *aut non*, *niſi re cogente*, *creari ſolerent*, id eſt, ceu ipſe vocat, EXTRAORDINARIIS. Si vero magiſtratus etiam extraordinarios veros eſſe magiſtratus nemo negat, & ipſis dictatoribus id vocabulum tribuit POMPONIVS (t): quid prohiberet, quaeſo, quo minus & praefectos iſtos iurisdictionem, ſi quam habuerint, iure magiſtratus explicaſſe dicamus? Tertio argumento MARANVS male cum ipſo CVIACIO committit CVIACIVM. Is enim nihil aliud dicit, quam quod ordinarie non ſoliti ſint magiſtratus ipſi de facto cognoſcere, ſed eam notionem plerumque delegarint iudicibus pedaneis. Aſt vel haec ipſa iudicum datio notionem requirebat, vt prius Praetor pro tribunali audiret iura partium, puta, quae actio inſtituatur, quae ei obuertatur exceptio, quid porro actor replicationis, quid reus duplicationis loco proferat, denique dandane ſit illa actio & exceptio, an deneganda, & qua denique formula circumſcribendum ſit iudicis officium, cauſſa cognita ſtatueret (u). Hinc tam frequentes formulae edictales: SI IVSTA CAVSSA VIDEBITVR, IVDICIVM DABO (x): CAVSSA COGNITA IVDICIVM

(o) *l.* 3. §. 1. 2. 5. *l.* 4. *D. de offic. Praef. vigil.*

(p) *l.* 1. §. 18. *D. de exercit. act. l. vlt. D. quod cum eo, qui in al. pot.*

(q) Cuiac. *Adnot. ad l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.*

(r) Byncker sh. *Praetermiſſ. ad d. l.* 2. §. 33. *eod.*

(s) Guilielm. *de Magiſtr. Rom. litt. G. p.* 1.

(t) *l.* 2. §. 18. *D. de orig. iur.*

(u) Car. Sigon. *de Iudic. Lib. I. Cap.* XVIIII. *ſequ.*

(x) *l.* 1. §. 1. *D. de dolo malo.*

CIVM DABO (y): CVIVS IVSTISSIMA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, EI AGENDI POTESTATEM FACIAM (z), & ſimiles. Immo & exceptiones a Praetore poſtulari, nec aliter, quam cauſſa cognita, dari, formulaeque inſeri ſolebant. Hinc VLPIANVS (a): *Hoc tamen iure vtimur, vt Praetor* EX CAVSSA *aeſtimet, an* HANC EXCEPTIONEM DARE *debeat: plerumque enim vtilitas ſuadet,* EXCEPTIONEM *iſtam* DARI. Et CICERO (b): *Agit is, cui manus praeciſa eſt, iniuriarum,* POSTVLAT *is, quocum agitur a Praetore* EXCEPTIONEM. *Is, qui agit, iudicium purum poſtulat: ille quocum agitur,* EXCEPTIONEM *ait* ADDI OPORTERE. Et alibi (c): *Quare in iure plerumque verſantur, ibi enim &* EXCEPTIONES POSTVLANTVR, *&* AGENDI POTESTAS DATVR, *& omnis conceptio priuatorum iudiciorum conſtituitur.* Pertinent huc & alia veterum teſtimonia, (d) quae, promiſſae breuitatis memores, ſtudio hic praetermittimus. Quum ergo ne iudicis quidem datio ſine notione fieret: quis, quaeſo, iuriſdictionem omnem in notione iure magiſtratus competente poſitam fuiſſe negauerit? Quarto MARANI argumento paucis opinor ſatisfieri poſſe. Defenſores enim ciuitatum & iudices pedanei libera adhuc republica, & poſtea aliquamdiu, non fuere magiſtratus: at ſimul ac illis iuriſdictio quaedam ordinaria a principibus data eſt, in magiſtratuum numero procul dubio eſſe coeperunt, aeque ac ναυτοδίκαι, & *defenſores corporum*, ſingulis profeſſionibus praefecti (e), quorum iuriſdictionem ſanctione munit ANASTASIVS Imp. (f) Quamuis enim priuati eſſent (g), & ex ipſis negotiatoribus & corporatis eligerentur (h): iudices tamen vel magiſtratus eſſe coeperunt ſemel electi, adeoque illis iuriſdictio omnino iure magiſtratus, minimi quidem, at magiſtratus tamen, competiit. Florentiore adhuc republica, iuriſdictio & forum erat ſolius magiſtratus, iudicium etiam priuatorum, vti

(y) *l. 17. §. 10. D. de iniur. l. 1. pr. D. de ſuperf. l. 2. pr. D. quod cum eo qui in al. pot.*

(z) *l. 3. pr. D. de ſepulcr. viol.* Barn. Briſſon. *de Form. pop. Rom. Lib. II. p.* 280. *ſequ.*

(a) *l. 1. §. 6. fin. D. ne quid in flum. publ.*

(b) Cicero *de Inuent. Lib. I. Cap. XX.*

(c) Idem *ibid. Lib. II. Cap.* XVIIII.

(d) *Cic. de Oratore Lib. I. Cap.* XXXVII. *& Academ. Quaeſt. Lib. IIII. Cap. XXX.*

(e) *l. 34. §. 1. D. de iureiur.* Lamprid. *vit. Alexandri Cap. XXXIII.*

(f) *l. vlt. C. de iuriſd. omn. iud.*

(g) Maran. *de iuriſd. p. 14. Tom. II. Op.*

(h) Lamprid. *ibid.* Petit. *Commentar. ad Leg. Atticas. Lib. V. Tit. V. p.* 423. Reineſ. *Inſcript. claſſ. I. n.* 204.

vti recte notarunt CVIACIVS (i) & DVARENVS (k). Aſt haec omnia confudit noua iſta ac IVSTINIANEA iuriſprudentia, &, vti ex titulo Codicis *de iuriſdictione omnium iudicum* patet, inter magiſtratum & iudicem nihil omnino diſcriminis reliquit. Denique & poſtrema MARANI obſeruatio de differentia *cognitionis* & *notionis*, ſeu *παρασημειώσεως*, parum ſolida eſt, quum haec fere promiſcue vſurpentur. Sane vti notio tribuitur Praeſidibus (l), Praetoribus (m), praefectis vrbi (n), ipſique Principi (o): ita & iudicibus pedaneis modo *notio* (p), modo *cauſſae cognitio* (q), quam tamen MARANVS ſolis magiſtratibus vindicare voluit, fuiſſe dicitur. Nec magis verum eſt, *notionem* nihil aliud eſſe, quam *παρασημείωσιν*. Haec enim fuit cognitio, *ſummatim* facta, vti VLPIANVS (r) loquitur, in qua non plena acta conficiebantur, ſed res breuiter, ac veluti per indicem, ſolebat adnotari: Vnde *παρασημειώσεων excerpta* vertit HIERONYMVS. (s) At vero ſiue ſummatim & leuato veluti velo, ſiue plene & accuratius, cauſſa cognoſceretur: & *notio* haec erat & *cauſſae cognitio*: ceu vel inde patet, quod iudices modo *ſummatim cognoſcere* (t), modo rem accuratius aeſtimare dicuntur.

§. VIII.

Alia aduerſus Cuiacii definitionem dubia.

Hactenus ergo, quod ad MARANVM attinet, integra omnia habet CVIACIVS, neque ab illo quidquam adlatum eſt, quod huius definitionem non dicam euertat, ſed tantum concutiat. Immo potius illa, vti iam diximus, omnium, quae hactenus adlatae ſunt, optima eſt, naturamque ac indolem iuriſdictionis rectius, quam vlla alia, exprimit. In eo tamen deficere illam dixeris, quod nec EXTRAORDINARIAE, nec VOLVNTARIAE iuriſdictioni quadrare videatur. Non illi, quia non iure magiſtratus, ſed ſpeciali lege, SCo, vel conſtitutione principis, defertur, veluti tutoris

(i) Cuiac. *Paratitl. tit. C. de iuriſd. omn. iud.*

(k) Duaren. *Op. p.* 153.

(l) *l. 2. C. ſi adu. fiſc. l. 9. C. de rei vindic. l. 1. §. 12. D. ad SC. Turpill.*

(m) *l. 8. §. 1. D. de tranſact. l. 3. §. 3. D. de lib. exhib. l. 1. §. 14. D. de ſeparat.*

(n) *l. 1. §. 4. D. de offic. praef. vrb.*

(o) *l. 10. §. 1. D. de adpellat.*

(p) *l. 3. C. quando prou. non eſt nec. l. 9. C. quom. & quand. iud. ſent. prof. deb. l. vlt. §. vlt. D. quod met. cauſſ.*

(q) *l. 4. §. 1. D. de eo quod cert. loc. l. 35. D. de hered. inſt. l. 13. D. de ritu nupt.*

(r) *l. 5. §. 8. D. de agnoſ. vel alend. part.*

(s) Hieronym. *ad Ezechiel.* Cuiac. *ad Nouell. LXXXII.* Ant. Auguſtin. *Gloſſar. obſcur. verb. Iuliani voce paraſimioſis.*

(t) *d. l. 5. §. 8. D. de agnoſc. vel al. part.*

toris datio (u), & decretum ſuper tranſactione de alimentis (x): Neque huic, quoniam ea non conſiſtebat in notione, ſed ſine cauſſae cognitione, paſſim, & in tranſitu, veluti quando Praetor in balneum vel theatrum ibat, recte explicabatur (y), praeterquam ſi minor viginti annis manumittere vellet (z). Accedit, quod inter voluntariae iuriſdictionis actus etiam eſſent legis actiones, eaſque itidem non omnes promiſcue, & iure magiſtratus, haberent, ſed quidam tantum, *apud quos eſſe* dicebatur *legis actio*, id eſt, quibus ea iuriſdictio ſpeciali lege data fuerat, qui etiam ideo hanc iuriſdictionis ſuae partem aliis mandare non poterant. (a) Si ergo verum eſt, vti eſt veriſſimum, nec extraordinariam iuriſdictionem, nec voluntariam omnem, iure magiſtratus competere, & hanc praeterea pleriſque caſibus ſine notione vel cauſſae cognitione explicari: mancam ſane eſſe oportet definitionem, quae iuriſdictionem in notione, iure magiſtratus competente, conſiſtere, ponit. Haec ſane multo maiore cum ſpecie obuerti poterant CVIACIO, qui & ipſe haec tela praeuidebat, ac proinde ita reſpondebat aduerſariis (b): *Definitio eſt iurisdictionis ordinariae. Nam extraordinariam etiam ii, qui non ſunt magiſtratus, habent, veluti praefectus annonae, & praefectus vigilum. Vel, ſi vis omnem complecti, iurisdictio eſt notio, quae iure magiſtratus, vel ex mandato magiſtratus, vel extra ordinem competit.* Ita in gratiam aduerſariorum, quorum ſtricturas ſubuerebatur, definitionem ſuam & ad ordinariam iurisdictionem reſtrinxit, & laciniis quibusdam auxit CVIACIVS. Cuius tamen conſilii ſui quas ipſe rationes habuerit, vix me intelligere fateor. Rectius enim ex mea quidem ſententia, ſeſe expedire potuiſſet vir eruditiſſimus, ſi in memoriam reuocaſſet aduerſariis, iuriſdictionem extraordinariam proprie non eſſe iuriſdictionem, idque agnoſcere VLPIANVM (c), dum ſcribit: *Tutoris datio neque imperii eſt, neque* IVRISDICTIONIS. Nec magis id nomen mereri iuriſdictionem voluntariam, quippe quae & in cauſſis propriis (d), & extra tribunal (e), immo & extra territorium (f) poſſit exerceri, quum tamen alias nec ius ſibi ipſe quiſquam,

 nec

(u) *l. 6. §. 2. D. de tutel.*

(x) *l. 8. §. 17. 18. D. de tranſact.*

(y) *l. 2. Inſt. de libertin.* Ger. Noodt *de iuriſdict. Lib. I. Cap. X. p. 105.*

(z) *§. 4. & 5. Inſt. quib. ex cauſſ. manumitt. non licet.*

(a) *l. 2. §. vlt. l. 3. D. de offic. Procoſ.*

(b) Cuiac. *Paratitl. Cod. Lib. III. tit. XIII. p. 153. Tom. II. Op.*

(c) *l. 6. §. 2. D. de tutel.*

(d) *l. 2. D. de offic. Procoſ.*

(e) *§. 2. Inſt. de libertin.*

(f) *l. 36. D. de adopt.*

(g), nec aliis extra tribunal (h) recte reddat, & extra territorium ius dicenti impune non pareatur (i), vti pluribus demonſtrauit MARANVS (k). Eo ſane poſito, ſalua eſt CVIACII definitio, eaque nulla melior adhuc reperta eſt, ſi vel maxime ſpecies illas, quae propriae iuriſdictionis nomine non veniunt, non comprehendat.

§. VIIII.

Iuriſdictio non minus, quam imperium, vel priuata vel publica. Quid iuriſdictio imperiumque priuatum?

Quamuis vero ita defendi poſſit illa CVIACII definitio, immo, ita intellecta, reliquis omnibus merito anteferenda videatur: fatendum tamen eſt, eam antiquis Romanae iuriſprudentiae principiis non per omnia conuenire. Quod vt eo rectius intelligatur, rem paullo altius repetere iuuabit. Romanis olim reuera duplex erat IVRISDICTIO: vna PRIVATA vel DOMESTICA, altera PVBLICA. *Illa* patribus familias in vxores, liberos & ſeruos; *haec* magiſtratibus in ciues & peregrinos, qui erant intra territorium, competebat. Sed & duplex IMPERIVM recte ſtatuitur: PRIVATVM alterum, alterum PVBLICVM, quorum illud patribusfamilias lege generali, quae de patria poteſtate iam a Romulo lata (l), & poſtea duodecim tabulis a Decemuiris inſerta fuerat (m); hoc ſpeciali lege certis magiſtratibus deferebatur (n). Quod ad IVRISDICTIONEM DOMESTICAM attinet: tanta, tamque libera erat patrisfamilias iuris dicundi poteſtas, vt cauſſas vxoris, liberorum, ſeruorum ſuo arbitratu diiudicaret ac decideret, ac proinde a M. SENECA patre (o) *domeſticus magiſtratus*; a filio, L. SENECA (p), *iudex domeſticus* iure diceretur. Hinc quum Calae, matronae, lites quaedam cum filiis intercederent, VALERIANVS & GALLIENVS A. A. (q) reſcribunt, *congruentius videri*, INTRA DOMVM *inter eam & filios ſuos, ſi quae controuerſiae oriantur*, TERMINARI, iudice procul dubio patrefamilias, cauſſamque ſummarie cognoſcente. Sic & ſi quid ex negotiatione peculiari deberent filii ſeruiue familiares: non magiſtratus, ſed pater, veluti iudex domeſticus merces peculiares pro rata diſtribuebat creditori-

(g) *l.* 10. *D. de iuriſdict.*
(h) *l.* 3. §. 8. *D. de bon. poſſeſſ.*
(i) *l. vlt. D. de iuriſdict.*
(k) Maran. *Paratitl. p.* 144.
(l) Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 97.
(m) Dionyſ. Halicarn. *ibid. p.* 98.
(n) *l.* 1. *pr. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict.*
(o) M. Seneca *Controu. Lib. II. Cap. III.*
(p) L. Seneca *de Benefic. Lib. III. Cap. XI.*
(q) *l.* 4. *C. de patr. pot.*

ditoribus (r), neque ea de re Praetorem adiri neceſſe erat, niſi pater vel dominus male tribuiſſet (s). Nec minus expreſſa paſſim exſtant imperii domeſtici veſtigia. Nam ipſas vxores, quae in manum conuenerant, maritorum iudicio permiſſas, & coram propinquis de capite famaque cauſſam dicere coactas (t), aliquando relegatas, aliquando capitis damnatas fuiſſe, legimus (u), eamque mariti poteſtatem CASSIODORVS (x) vocat DISTRICTIONEM *maritalem ac domeſticam*, quia medii aeui ſcriptoribus *diſtrictio* plerumque eſt iuriſdictio, vel poteſtas coercendi, quemadmodum ipſi ſubditi, qui alicuius iuriſdictionem agnoſcere tenebantur, *diſtrictuales* vocatos eſſe in variis chartis apud CAR. DV FRESNE (y), animaduertimus. Ita & paternum imperium extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Solebant enim patres & cognoſcere de liberorum criminibus, & iis ſupplicium, quod meruiſſe videbantur, de propinquorum amicorumque ſententia irrogare (z). Caſſium ſane filium, extribunum plebis, *adhibito* PROPINQVORVM *&* AMICORVM CONSILIO, *adfectati regni crimine* DAMNASSE, *adfectumque verberibus* NECARI *iuſſiſſe, ac peculium eius Cereri conſecraſſe patrem*, a VALERIO MAXIMO (a) relatum legimus, quamuis rem alii aliter narrent. Sed & aliorum huiuſmodi exemplorum numerum haud poenitendum nobis non modo VALERIVS MAXIMVS eodem capite, ſed & alii probatiſſimi auctores ſufficiunt. Vt enim iam nihil dicam de Fabio Eburno, quem filium domi damnaſſe QVINCTILIANVS (b) memoriae prodidit, vel de A. Fuluio Senatore, qui filium prauo aequalium conſilio amicitiam Catilinae ſequutum, & in eius caſtra temerario impetu ruentem, medio abſtractum itinere necari iuſſit (c): notatu profecto digniſſimum eſt domeſticum T. Arrii iudicium, quod SENECAE (d)

 verbis

(r) *l. vlt. D. de tribut. act.*

(s) Cuiac. *Paratitl. Dig. eo tit.* Maran. *Paratitl. p.* 322.

(t) Tacit. *Annal. Lib. II. Cap. LXXXV. Lib. XIII. Cap. XII.* Sueton. *Tiber. Cap. XXXV.*

(u) Gell. *Noct. Attic. Lib. II. Cap. XXIII.* Plin. *Hiſt. Nat. Lib. XIIII. Cap. XIII.*

(x) Caſſiodor. *Var. Lib. V. Cap. XXXII.*

(y) Car. du Freſne *Gloſſ. med. & inf. Lat. p.* 1558. *&* 1561. *Tom. II. edit. nouiſſ.*

(z) Petr. Aerod. *Pandect. rer. iudic. Lib.* VI. *tit.* VII. *p.* 227. *ſequ.*

(a) Valer. Max. *Lib.* V. *Cap.* VIII. *exemplo* 2.

(b) Quinctilian. *Declam. III.*

(c) Salluſt. *Catilin. Cap.* XXXVIIII. Valer. Max. *Lib. V. Cap.* VIII. *exemplo* 5.

(d) Seneca *de Clement. Lib. I. Cap.* XV.

verbis deſcribere iuuabit. *T. Arrium*, inquit philoſophus, *qui filium, deprehenſum in parricidio, exſilio damnauit* CAVSSA COGNITA, *nemo non ſuſpexit, quod contentus exſilio, & exſilio delicato, Maſſiliae parricidam continuit.* Et paucis interiectis: *Cogniturus de filio T. Arrius, aduocauit in* CONSILIVM *Caeſarem Auguſtum, venit in priuatos parietes: adſedit: pars alieni* CONSILII *fuit. Non dixit: Immo in meam domum veniat. Quod ſi factum eſſet, Caeſaris futura erat* COGNITIO, *non patris,* AVDITA CAVSSA, *excuſſisque omnibus, & his, quae adoleſcens pro ſe dixerat, & his, quibus arguebatur, petit, vt* SENTENTIAM *ſuam quisque ſcriberet, ne ea omnium fieret, quae Caeſaris fuiſſet.* En patrem, domi ſuae damnantem filium parricidam, & quidem cauſſa cognita, omnibusque, quae in iudiciis capitalibus neceſſaria erant, religioſe obſeruatis. Nec aliam cauſſas ſeruorum cognoſcendi rationem fuiſſe puto, niſi quod hic heri non adeo multos adhibuiſſe in conſilium videntur. Saltim non ſine cauſſae cognitione damnatos eſſe ſeruos, vel ex verbis illis, quibus maritus apud IVVENALEM (e) vxoris truculentiam reprimere ſtudet, intelligitur:

Pone crucem ſeruo: meruit quo crimine ſeruus
Supplicium? quis teſtis adeſt? quis detulit? audi.
Nulla vmquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Sed de hac iuriſdictione imperioque domeſtico, plura hic addere nihil attinet: quamuis vtrumque recte definiri poſſe videatur *notio & poteſtas animaduertendi in cauſſis vxorum, liberorum, & ſeruorum, quae patrifamilias domi ex iure Quiritium competebat.*

§. X.

Quid publica iuriſdictio? At multo ſublimior erat illa iuris dicundi poteſtas, quam PVBLICIS auſpiciis magiſtratus explicabant, & de cuius adeo definitione nos in primis hic ſollicitos eſſe decet. Hic ergo primum animaduertimus, Romanos hanc poteſtatem, quam Graeci δικαιοδοσίαν, quaſi *iuris dationem*, vocabant, non ſine cauſſa IVRISDICTIONEM dicere maluiſſe. Cuius rei rationem quum ignorarent gloſſatores, homines diligentes illi quidem atque ingenioſiſſimi, ſed ab omni elegantiore doctrina deſtituti, in vniuerſo iure noſtro pro *iurisdictione*, *iurisditionem* reſcribendam cenſebant (f), criſi profecto admodum ridicula, & cui, ceu EGVIN. BARO (g) recte

(e) Iuuenal. *Satyr.* VI. *v.* 219.
(f) Accurſ. *apud* Matth. Steph. *de iuriſd. Lib. I. Cap. I. n.* 10.
(g) Egu. Baro *Var. Quaeſt. de iuriſ. dict. p.* 29.

recte monuit, omnium Latinorum vſus repugnat. Potuiſſent illi, ſi mens non laeua fuiſſet, animaduertere, hoc vocabulum eſſe ἐμφατικώτατον, & ipſam iurisdictionis naturam ac indolem accuratiſſime exprimere. Vere enim in DICENDO poſita erat vniuerſa iurisdictio, puta in verbis illis ſollemnibus: DO, DICO, ADDICO, pronunciandis. Obſeruarunt hoc omnes, quibus paullo perſpectior fuit Romanae iurisdictionis ratio. VARRO (h): *Dies faſti*, inquit, *per quos Praetoribus omnia* VERBA *ſine piaculo licet* FARI. *Contrarii horum vocantur nefaſti, per quos dies nefas*, FARI *praetorem:* DO, DICO, ADDICO. *Itaque non poteſt agi:* NECESSE *eſt, aliquo eorum vti* VERBO, *quum lege quid peragitur.* Et OVIDIVS (i):

Ne tamen ignores variorum iura dierum,
Non habet officii Lucifer omnis idem.
Ille nefaſtus erit, per quem TRIA VERBA *ſilentur:*
Faſtus erit, per quem LEGE *licebit* AGI.
Neu toto perſtare die ſua iura putaris.
Qui iam faſtus erit, mane nefaſtus erat.
Nam ſimul exta Deo data ſunt, licet OMNIA FARI,
VERBAQVE *honoratus* LIBERA *Praetor habet.*

Addo locum SVETONII, quem ex eius libro octauo Praetorum ſeruauit PRISCIANVS (k): *Faſti dies ſunt, in quibus* IVS FATVR, *id eſt, dicitur, vt nefaſti, in quibus* NON DICITVR. Similia fuerunt apud FESTVM (l): ſed partim corrupta hodie, partim mutila. Priorem tamen locum ita in adnotationibus reſtituit SCALIGER (m): *Faſtis diebus* IVS FARI *licebat, nefaſtis non* FARI *licebat.* Poſteriorem idem vir eruditiſſimus hunc in modum ſupplet: (n) *Nefaſti dies* N. *omni ex parte nefaſti ſunt, vt dies apud quem numquam licet* FARI: DO, DICO, ADDICO. N. E. P. *nefaſti parte priore ſunt, quibus poſtea & ſerui liberati ſunt ſaepe, & - - - unt, & in prouincias itum, & ſacra inſtituta ſunt, & aedes ſacrari, & vota ſolui poſſunt.* Denique & MACROBIVS (o) rem ita exprimit: *Faſti ſunt, quibus licet* FARI *Praetori* TRIA VERBA *ſollemnia* DO, DICO, ADDICO. Quinam vero dies faſti nefaſtiue eſſent, id eſt,

 quibus

(h) Varro *de lingu. Lat. Lib.V. pag.*54.
(i) Ouid. *Lib. I. Faſtor. v.*45. *ſequ.*
(k) Priſcian. *Lib.* VIII. *p.* 287. *edit. Baſ.* 1545.
(l) Feſt. *voce faſtis p.* LX. *& voce nefaſti p.* CXVIII.
(m) Scaliger. *Not. ad Feſt. p.* LVIII.
(n) Idem *ibid. p.* C.
(o) Macrob. *Saturnal. Lib. I. Cap.* XVIIII.

quibus ius dicere liceret, vel non liceret, olim ſoli Pontifices ſciebant, *a quibus etiam dies, tamquam a Chaldaeis*, teſte CICERONE (p), *petebantur*, quique nacti illam poteſtatem faſtos ordinandi intercalandique, *licenter gratificantes publicanorum vel* LITIGANTIVM *commodis, ad arbitrium ſuum ſubtrahebant tempora, vel augebant*, ſi fides eſt AMMIANO MARCELLINO (q). Iam ergo quum ex tot veterum teſtimoniis luculentiſſimis pateat, ius dicere idem fuiſſe veteribus ac *fari, ius fari, tria verba fari, verba illa libera habere, aliquo trium illorum verborum* DO, DICO, ADDICO *uti:* manifeſtum ſane eſt, IVRISDICTIONEM Romanis nihil aliud fuiſſe, quam *poteſtatem dandi, dicendi addicendiue id, quod ſecundum ius oportebat, ſiue iure proprio magiſtratus, ſiue ex illius mandatu, ſiue ex ſpeciali lege competentem.*

§. XI.

Probatur definitionem noſtram eſſe adaequatam.

Haec demum eſt vera ac genuina IVRISDICTIONIS definitio, quae non modo veteris iuriſprudentiae principiis, ſed & omnibus iuriſdictionis ſpeciebus, egregie quadrat. Sive enim VOLVNTARIAM, ſiue CONTENTIOSAM, conſideremus: vtramque in poteſtate DANDI, DICENDI, ADDICENDI poſitam eſſe animaduertimus. *Voluntariae* iuriſdictionis erant, e. g. manumiſſio & adoptio. In vtraque aliquid ADDICEBAT Praetor, & in illa quidem libertatem; in hac ipſum filium, ab adoptante emtum & vindicatum, a patre naturali vero non contrauindicatum, ſed in iure ceſſum. Hinc ad manumiſſionem per vindictam adludens CICERO (r): *Itaque,* inquit, *vſurpaui vetus illud Druſi, vt ferunt, Praetoris, in eo, qui eadem liber non iuraret, me iſtos* LIBEROS *non* ADDIXISSE. Et de adoptione diſerte refert CAIVS iureconſultus apud BOETHIVM (s) *in iure ceſſionem* adoptiui *hoc modo eſſe factam. Apud magiſtratum populi Romani, vel apud Praetorem, vel apud Praeſidem prouinciae, eum, cui in iure cederetur, rem tenentem ita vindicaſſe:* HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. *Deinde poſtquam hic vindicauerit, Praetorem interrogaſſe eum, qui cederet, an contrauindicaret? Quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit, eam rem* ADDIXISSE. Addicebatur ergo adoptanti adoptiuus, & quidem formula, quam

(p) Cicero *pro Muraena Cap. XI.*

(q) Ammian. Marcellin. *Lib.* XXVI. *Cap. I.*

(r) Cicero *Lib.* VII. *ad Attic. Epiſt. II.*

(s) Boeth. *Commentar. ad Ciceron. Topic. ad Trebat. Lib. III.*

quam VALERIVS PROBVS (t) ſeruauit : Q. N. A. N. N. H. E. H. P. E. V. A. id eſt: *Quando neque ais, neque negas, hunc ego hominem praeſenti & vindicanti* ADDICO. Deinde & *contentioſa* iuriſdictio in DANDO, DICENDO, ADDICENDO conſiſtebat. DABAT enim Praetor vindicias (u) : DABAT petitori actionem (x), & quidem tam libere, vt vnus ſaepe Praetor daret actionem, quam alter negare eſſet ſolitus (y) : nec minus exceptionem DABAT ei, vnde petebatur (z) : DABAT denique iudicem, formulamque, qua eius poteſtas circumſcribebatur (a) : immo aduocatos quoque non habentibus DABAT (b). Saepe etiam DICENDO, ADDICENDOQVE iuriſdictionem ſuam explicabant magiſtratus Romani. DICEBANT enim viam petentibus vindicias, & e iure manum conſertum ituris (c) : DICEBANT, dum interdicebant : ADDICEBANT iudices arbitroſque, quos litigantes non recuſauerant (d) : ADDICEBANT dominium (e), pignora (f), bona libertatum ſeruandarum cauſſa (g), immo iure veteri ex legibus XII. Tabularum creditores obaeratos, qui ſolvendo non eſſent (h). Porro tum PROPRIA, tum MANDATA, tum PROROGATA, aut, vt PERIZONIVS (i) mauult, PROPAGATA, iuriſdictio hac definitione comprehenditur : Qui enim *propriam* & *prorogatam* iuriſdictionem exercent, iure magiſtratus ; qui *mandatam*, alterius magiſtratus mandatu *dant*, *dicunt*, *addicunt*. Denique non minus EXTRAORDINARIAE quam ORDINARIAE iuriſdictioni quadrat noſtra haec definitio. Nam & qui illam ex ſpeciali lege acceperant, tutores & curatores DABANT (k), ſuſpectis adminiſtratione interdicebant, adeoque DICEBANT (l) : nec vllus poteſt excogitari iuriſdictionis qualiſcumque actus, *in quo non*, vt VARRONEM dicentem audiuimus,

(t) Add. Barn. Briſſon. *de Form. Lib.* V. *p.* 375.

(u) Aſcon. Paedian. *in Cicer. Verrin.* III.

(x) Barnab. Briſſon. *de Formul. Lib.* V. p. 415.

(y) *l.* 1. §. 4. *l.* 7. §. *vlt. D. de dolo malo l.* 24. §. 2. D. *de iudic. l.* 102. §. 1. D. *de reg. iur.*

[z] Barn. Briſſon. *de formul. Lib.* V. p. 402.

[a] *l.* 3. *fin.* D. *de iuriſdict.*

[b] *l.* 1. §. 4. D. *de poſtulando.*

[c] Cicero *pro Muraena Cap.* XI. *ſequ.*

[d] *l.* 39. *l.* 46. *l.* 80. *D. de iudic. l.* 4. *fin.* D. *de eo quod cert. loc. l.* 30. *D. famil. erciſc.*

[e] *l. vlt. C. ſi in cauſſa iudic. pign. capt.*

[f] *l.* 15. §. 3. & §. 6. *D. de re iudic.*

[g] *l.* 2. *l.* 4. *D. de fideicomm. libert.*

[h] Quinctilian. *Inſt. Orat. Lib.* VII. *Cap.* III. & *Declamat.* CCCXI.

[i] Perizon. *Animadu. Hiſt. Cap.* VI. *p.* 229.

[k] *pr. Inſt. de Atilian. tut.*

[l] §. 1. *Inſt. l.* 5. §. 3. *D. de ſuſpect. tutor.*

diuimus, *neceſſe fuerit, aliquo eorum vti verbo*, id eſt, in quo non magiſtratus vel dederit, vel dixerit, addixeritue.

§. XII.

Imperium an idem ac iuriſdictio?

Ex iis vero, quae hactenus diximus, iam facile intelligimus, inter iuriſdictionem, quam modo definiuimus, & IMPERIVM permultum intereſſe. Quamuis enim ea, pro iiſdem habenda eſſe ſuſpicatus ſit vir doctiſſimus & inſigne ſaeculi ſui decus, ANT. GOVEANVS (m): ipſe tamen mox coniecturam ſuam damnauit, eamque minus eſſe ſolidam, ingenue, quo fuit candore, faſſus eſt. Idem vero poſtea multo maiore ſtudio egiſſe nouimus GER. NOODTIVM (n), ANT. SCHVLTINGIVM (o), NIC. HIER. GVNDLINGIVM (p) & GE. CHRIST. GEBAVERVM (q), qui omnes MERVM idem eſſe putant, ac acre & vehemens, MIXTVM idem, ac leue, mite, temperatum, ac proinde MERVM IMPERIVM pro iuriſdictione acerbiore ac vehementi, MIXTVM pro leni, ac mitiore accipiunt. Cui ſententiae ſuae in eo quaerunt praeſidium, quod non ſolum exſtent veterum loca, in quibus manifeſto eo ſenſu accipiantur iſta vocabula: (r) verum etiam ſaepe veteres iureconſulti promiſcue vſi ſint, imperii & iurisdictionis vocibus (s), idque argumento ſit luculentiſſimo, imperium & iurisdictionem tantum ſono differre. Enimuero quantumuis haec ſpecioſa ſint: expenſis tamen omnibus, quae huc facere videbantur, numquam a me impetrare potui, vt viris illis doctiſſimis hac quidem in re adſentirer. Quamuis enim *mixtum*, deſumta a vino translatione, aliquando pro leni & miti; *merum* pro vehementiore atque acerbiore a vetuſtis auctoribus vſurpetur: non tamen ſequitur, vt & iureconſulti rariore illa horum vocabulorum notione vſi ſint, quando IMPERIVM in *merum* & *mixtum* diuiſerunt. Immo potius, quo ſenſu mixtum aliquod vocent imperium, non aliunde rectius diſcimus, quam ex ipſis eorum fragmentis. PAVLLO

[m] Ant. Gouean. *de iuriſdict. Lib. II. p.* 71.

[n] Ger. Noodt *de iuriſd. lib.* I. *Cap. IIII.*

[o] Ant. Schulting. *πρώτ. Lib. II. Tit. I.* §. *I.*

[p] Gundling. *πρώτ. ibid.* §. *V.*

[q] Gebauer. *Comment. de iuriſdict. Cap. I.* §. IIII. *ſequ.*

[r] *Sic* Noodtius *laudauit locum* Ciceronis *pro A. Caecina Cap. II.* Gebauerus *vero addidit teſtimonia* Plauti *Aulul. Act. II. ſcen. III. v. vlt.* Martialis. *Lib. II.* Epigr. LVII. Apuleii *Metamorph. Lib.* VII. *p.* 297. Auſon. *Epigr. in Meroen anum vinoſam.*

[s] Loca iſta collegerunt Noodtius *de iuriſdict. Lib. I. Cap. II. p.* 94. & Ant. Schulting. *ibid.*

LO (t) enim MIXTVM imperium eſt, *quod iurisdictioni* COHAERET: VLPIANO (u) contra, *cui* INEST *iurisdictio.* Eaque loca argumento ſunt, *mixtum* dici imperium, quod ita admixtum & ſuperadditum eſt iurisdictioni, & cui ipſa quoque iurisdictio ita admixta eſt, vt alterum alteri inſit regulariter, & inſeparabili nexu cohæreat. Vti enim iurisdictio ſine modica coercitione nulla eſt: (x) ita nec coercitioni illi modicae locus eſt ſine iurisdictione, id eſt, niſi Praetor prius dederit, dixerit, addixerit, quia ius noſtrum non patitur, vt magiſtratus ab exſequutione iudicia auſpicentur (y). Ergo, petita a contrario definitione, *merum* imperium erit, quod non cohaeret iurisdictioni, cuique non ineſt iurisdictio, ſed quod ipſum per ſe ſubſiſtit. Vnde prudenter ANT. GOVEANVS (z) quem tamen metaphoricam illam vocum ſignificationem primum obſeruaſſe, diximus, non auſus eſt coniectura ſua vti, ſed ſtatim addidit: *Verius tamen puto, ideo nomen* MERI IMPERII *adpellatum, quia iurisdictionem non comitetur, &, vt* PAVLLI *verbis vtar, iurisdictioni non cohaeret. Quod enim ſequitur mandatam iurisdictionem*, NON MERVM *dici videmus* l. vlt. §. vlt. D. de offic. eius cui mand. eſt iurisdictio. *Recte autem ex alterius contrarii definitione, alterius colligitur definitio, neque certius vllo modo colligi poteſt.* Miratur quidem celeberrimus GEBAVERVS (a), virum magnum ex his ſe non potuiſſe extricare, & tam bellae interpretationis gloriam noluiſſe habere ſolidam: aſt tantum abeſt, vt ego id mirer, vt, ſi ſolidam hanc gloriam exiſtimaſſet GOVEANVS, id magis mirandum arbitrarer. Vereor etiam, ne nimis argutum ſit, quod addit vir celeberrimus, quod ſi alterutri a mixtura nomen imponendum fuerit, non *mixtum imperium*, ſed *mixtam iurisdictionem* dicendam fuiſſe. Si enim miſceas vel confundas aquam & vinum: perinde erit, ſiue aquam vino, ſiue hoc illi miſceri, cohaerere, ineſſe dicas: adeoque & perinde erit, ſiue cum PAVLLO *imperium iurisdictioni cohaerere*, ſiue cum VLPIANO *iuriſdictionem imperio ineſſe*, dicamus. Nec rem conficere videtur, quod aliquando promiſcue accipi animaduertimus *iurisdictionem* ac *imperium.* Solebant enim veteres, teſte CAIO (b), *& in*

[t] *l.* 1. §. *vlt. D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſdict.*

[u] *l.* 3. D. *de iuriſdict.*

[x] *l. vlt.* §. 1. *D. de offic. eius, cui mand.*

[y] *l.* 1. *C. de exſequ. rei iud. l.* 9. §. 1. *D. de offic. Procoſ.*

[z] Ant. Gouean. *ibid.*

[a] Gebauer. *Comment. de iuriſdict. Cap.* I. §. V. *p.* 16.

[b] *l.* 19. *D. act. emti.*

& in emtione venditione adpellationibus promiſcue vti, quum tamen inter emtorem & venditorem, emtionem ac venditionem, permagna ſit differentia. Permultum enim intereſt, propriene atque accurate, an paullo ſecurius, ac veluti negligentius loquantur iureconſulti. Quoties vero accurate ac δογματικῶς loquuntur, a *iurisdictione* diſtinguunt *imperium*, veluti quando aliquid *magis* IMPERII, *quam* IVRISDICTIONIS (c), vel *neque* IMPERII, *neque* IVRISDICTIONIS *eſſe* (d), vel *alterum alteri* INESSE (e), vel COHAERERE (f), vel *vnum magiſtratum altero maius* IMPERIVM *in eadem* IVRISDICTIONE *habere*, ſcribunt (g). Quae ſane vix idoneum ſenſum funderent, ſi iurisdictionem & imperium ſono tantum differre ſtatueremus. Accedit, quod ANTON. SCHVLTINGIVS (h), qui tamen alias NOODTIO ὁμόψηφος eſt, diſertis verbis fatetur, illam iurisdictionis & imperii confuſionem, occupata demum republica, ortam eſſe. *Quamuis*, inquit, *etiam antiquitus fuerit diſcrimen inter* IVRISDICTIONEM, *quae in ciuilibus cauſſis dicebatur tantum exerceri, &* QVAESTIONES, *quae de criminibus inſtituebantur, ac ex legibus publicorum iudiciorum veniebant, atque ex earum mente regebantur & adminiſtrabantur, teſte* CICERONE (i), *quam differentiam magnam fuiſſe, idem oſtendit* CICERO (k): *poſtquam tamen ſub Imperatoribus magiſtratus creati fuere etiam in vrbe, qui de quibuslibet criminibus cognoſcerent ac ſtatuerent, non ex certis legibus, ſed extra ordinem, (de quorum criminalium iudiciorum ordinariorum & extraordinariorum differentiis alibi diſputaui* (l), *ſenſim quoque idem verbum iurisdictionis pro poteſtate de criminibus quaerendi, illaque coercendi, quae in iure noſtro merum imperium, nec non ius gladii, vel alterius grauioris coercitionis, vocatur, vſurpatum eſt* (m). Quae ſi vera ſunt, vti ſunt omnino veriſſima: quis miretur, quaeſo, poſtremi aeui iureconſultos aliquando incommode & ſecurius eſſe loquutos, & iurisdictionis ac imperii vocabula ſaepiuſcule confudiſſe, quamuis inter illa ex melioris aeui

(c) *l.* 4. *D. de iuriſd. l.* 26. *pr. D. ad municipal.*

(d) *l.* 6. §. 2. *D. de tutel.*

(e) *l.* 3. *D. de iuriſd.*

(f) *l. vlt.* §. *vlt. D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.*

(g) *l.* 58. *D. de iudic.*

(h) Schulting. *Πεάτ. Lib. II. tit. I.* p. 162.

(i) Cicero *pro Cluent. Cap. LIII.*

(k) Cicero *in Verr.* I. *Cap.* XXXXVII. *vbi* Aſcon. Paedian. *& pro Muraena Cap. XX.*

(l) Schulting. *de recuſat. iud. Cap.* VII.

(m) *l.* 7. §. *vlt. D. de offic. Procoſ. l.* 1. *pr. D. de off. ei. cui mand. eſt iuriſd. l.* 31. *D. ad L. Cornel. de falſ.* Tertull. *ad Scapul. Cap. IIII.*

aeui principiis permagna fuerit differentia, illudque diſcrimen & poſtea ab iis, qui accuratius loquebantur, religioſe obſeruatum eſſe, animaduertamus?

§. XIII.

Quid imperium? & quid inter merum mixtumque interſit?

At quodnam illud diſcrimen? Rem paucis expediri poſſe exiſtimo. IVRISDICTIONEM in *dando*, *dicendo*, *addicendo* conſtitiſſe, vidimus, adeoque, qui iuri dicundo praeerat, verbis officii ſui partes explicabat, nec vllam vim ac coactionem adhibebat. Simul ac vero res ad vim & coactionem ſpectabat: ea non amplius intra *iurisdictionis* limites conſiſtebat, ſed ſtatim ſeſe exſerebat *imperium*. IMPERARE enim eſt cogere, immo plus, quam cogere, ceu vetus ſcholiaſtes obſeruat ad locum illum TERENTII (n): *Iubeo, cogo atque* IMPERO: & hinc patri & domino (o), omnibusque magiſtratibus maioribus, qui poſſunt coercere, & in carcerem duci iubere (p), tribuitur imperium. Quamobrem IMPERIVM nihil aliud eſt, quam *poteſtas cogendi, coercendique eos, qui ſua ſponte non faciunt officium.* Poteſtas autem illa dupliciter ſeſe exſerebat, vel coercendo immorigeros, vel animaduertendo in facinoroſos. Illa *modica* erat *coercitio*, vti vocat PAVLLVS (q), & ordinarie data erat omnibus, quibus erat iurisdictio, vt veluti pondus adderetur facultati illi dandi, dicendi, addicendique, in qua iuris dicundi poteſtatem conſtitiſſe, diximus. Haec poteſtas gladii, ſeu animaduertendi in facinoroſos, quae non competebat magiſtratibus omnibus, ſed, quia de capite ciuis Romani iniuſſu populi nemini quidquam ſtatuere licebat, (r), ab illis demum recte explicabatur, quibus illa ſpeciali lege vel SCo conceſſa fuerat. Hinc LIVIVS (s): *Senatusconſultum factum, vt de quaeſtione Poſtumianae caedis Tribuni plebis primo quoque tempore ad plebem ferrent, plebesque praeficeret quaeſtioni, quem vellet. A plebe, conſenſu populi, conſulibus negotium mandatur.* Et alio loco (t): *Ser. Sulpicio referente, quem ex rogatione Petilii quaerere vellent, Q. Terentium Culleonem patres iuſſerunt.* Hinc contingebat aliquando, vt & iis obuenirent quaeſtiones publicae, quibus nulla alioquin erat iurisdictio (u), quippe quae in-

 ter

(n) Donat. *ad Terent. Eunuch. Act. II. Scen. III. v. 97.*

(o) *l. 4. D. de reg. iur.*

(p) *l. 2. D. de in ius voc.*

(q) *l. vlt. §. vlt. D. de off. eius cui mand. eſt iuriſd.*

(r) *l. 2. §. 16. D. de orig. iur.*

(s) Liu. *Lib. IIII. Cap. LI.*

(t) Liu. *Lib.* XXXVIII. *Cap.* LIIII.

(u) *l. 2. §. 32. D. de orig. iur. & omn. magiſtr.*

ter praetores vrbano & peregrino καθ' ἐξοχὴν tribuebatur (x): quum contra mixtum vel non merum imperium per ſe non conſiſteret, iisque tantum, quibus iurisdictio erat, competeret. Vnde hoc MIXTVM, illud MERVM ſolebat adpellari. Ad MIXTVM referebatur, quidquid ad coercendos immorigeros pertinebat, veluti pignoris capio, retentio corporis, mulctae dictio (y), immo & iubere cauere praetoria ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, imperii magis illius, quam iurisdictionis, eſſe videbatur (z). Ad hoc omnis animaduerſio ſiue gladio, ſiue aliis modis fieret, pertinebat, vt vere, merum ſibi imperium ademtum eſſe, faterentur Iudaei, dum Pilato regerebant: οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν ἀποκτεῖναι οὐδένα; *Non licet nobis quemquam vltimo ſupplicio adficere* (a). Haec eſt illa vera ac genuina IMPERII, tum MERI, tum MIXTI, notio, quae quantum a iurisdictionis conceptu differat, nemo, niſi rerum omnium ignarus, non intelligit.

§. XIIII.

An locari potuerit iuriſdictio & imperium domeſticum?

Iactis his paullo ſolidioribus fundamentis, iam non admodum difficile videtur, diſquirere, an haec poteſtas, quae in iure dicundo ac imperio conſiſtit, aliis tradi, & pro certa mercede locari ex iuris Romani principiis potuerit? Vbi primo non dubitamus, quin hunc contractum admiſerit iurisdictio imperiumque domeſticum, quo quilibet paterfamilias in liberos ſeruosque, vti ſupra demonſtrauimus, vtebatur. De vxore enim ideo iuſta dubitandi cauſſa eſſe videtur, quod in lenocinium abitura eſſet huiusmodi locatio: quamuis ceſſionem vxorum, adeoque & poteſtatis maritalis, ſeu iurisdictionis & imperii domeſtici Romanis non inauditam fuiſſe, famoſiſſima exempla Tiberii Neronis, Liuiam, uxorem ſuam Auguſto adhuc grauidam deſpondentis (b), & Catonis Vticenſis, Marciam coniugem, deſpondente patre, cedentis Q. Hortenſio (c), luculenter probant. Liberos cum poteſtate aliis locari ſolitos, obſeruare me nondum memini, niſi quod filiae nuptui datæ maritis, COLLOCARI *in matrimonium*, (d) vel *in matrimonio* (e), COLLOCARI *nuptum vel nuptui* (f), item-

(x) Tacit. *vit. Agric. Cap.* VI.

(y) *l.* 9. §. *vlt. D. ad leg. Iul. peculat.*

(z) *l.* 4. *D. de iuriſdict.*

(a) *Ioan.* XVIII. *v.* 31. Conf. Zach. Huberi *Diſſert. Lib. I. Diſſ. I. Cap.* III. *p.* 14. *ſequ.*

(b) Dio Caſſ. XXXXVIII. *p.* 383. Vellei. Paterc. *Lib. II. Cap.* LXXXXIIII.

(c) Plutarch. *in Cat. min. p.* 770.

(d) Cicero *de Diuinat. Lib.* I. *Cap.* XLVI. *l.* 19. *l.* 36. *l.* 67. *D. de ritu nupt. l.* 27. *D. depoſit.*

(e) *l.* 77. §. *vlt. D. ad SC. Trebell.*

(f) Caeſ. *de Bell. Gall. Lib. I. Cap.* XVIII. *l.* 1. *C. de interd. matrim. l.* 3. *C. de pact. conu. l.* 88. *D. de ſolution.*

itemque *nuptiis* (g), quin & abſolute COLLOCARI (h) dicerentur, verbis tamen illis καταχρηστικῶς & minus proprie, ex mea quidem ſententia, acceptis. Fateor ergo, nullum mihi exemplum ſuccurrere iurisdictionis domeſticae in liberos, vere ac proprie alii locatae. Attamen eum contractum naturae ac indoli patriae poteſtatis non repugnaſſe, arbitror. Si enim patri liberos iure antiquo venumdare (i), ſeruatoque venditionis imaginariae vel mancipationis ritu, tum in adoptionem dare (k), tum emancipare licuit (l): quid obſtitiſſet, quaeſo, quo minus & locationis iure poteſtatem in liberos alii concedere poſſet? Deinde quum a V. C. CORN. VAN BYNCKERSHOECK (m) acute obſeruatum ſit, patriam poteſtatem, adeoque & paternam illam iurisdictionem domeſticumque imperium, in dominio Quiritario in liberos conſtitiſſe, & iam olim vere ſcripſerit LACTANTIVS (n): *Dominum eumdem eſſe, qui ſit pater, etiam iuris ciuilis ratio demonſtrat*, dominus vero cui libera eſt rerum adminiſtratio, rem vnamquamque ſuam, quae eſt in commercio, alteri locare non prohibeatur (o): quis dubitet, quin & filium cum poteſtate illa alii recte locare potuerit? At paullo rariorem tamen, ſi non plane inſolitam, huiusmodi locationem eſſe oportuit, quia conducere aliquid nemo ſolet, niſi vnde *fructus* vtilitatemque aliquam percipiat, ex poteſtate vero illa iuris dicundi imperioque domeſtico nihil vtilitatis ad conductorem redundare potuit. Vnde & rara forte fuerit locatio iuriſdictionis domeſticae in ſeruos, ex quorum potius operis, quam ex iuriſdictione illa vel imperio conductor fructum percepiſſet, niſi forte in vtilitatis parte poſuerit, quod ita ſeruum, detrectantem officium, eo liberius coercere, fraenaque mordentem metu caſtigationis & ſupplicii reprimere poſſet. Vt adeo, ſi vel maxime hic contractus naturae patrii imperii non repugnet, nulla tamen fere fuerit ratio, cur inire eum homines, ſolamque poteſtatem in liberos ſeruosque alienos mercede conducere vellent.

 §. XV.

(g) *l.* 11. *D. de his qui not. infam.*

(h) Nepos *Ariſtid. Cap. vlt.* Sueton. *Caeſ. Cap. XXI. l.* 57. *D. de ritu nupt.*

(i) Dionyſ. Halicarn. *Lib.* II. *Antiqu. Rom.* Cap. XXVII. *ſequ.*

(k) Gell. *Noct. Attic. Lib.* V. *Cap.* XVIIII.

(l) Vlpian. *Fragm. tit. X.* §. I. & *ibi* Schulting. *l.* 3. §. 1. *D. de capit. minut.*

(m) Bynckersh. *de iure occidend. liber. Cap. I.*

(n) Lactant. *de vera ſap. Lib. IIII. Cap. III.*

(o) *arg. l.* 34. *§.* 1. *D. de contr. emt. iuncta l.* 2. *D. loc. cond.*

§. XV.

Publicam iuriſdictionem & imperium locari non potuiſſe, probatur ex ipſa eorum indole.

Multo minus ergo publicum *imperium* publicaque *iuriſdictio* locari potuit, idque ob varias eaſque conſultiſſimas rationes. Primo enim quod ad IMPERIVM attinet, illud nemini competiiſſe diximus, quam cui illud ſpeciali lege, ſenatuſue conſulto fuerat conceſſum. Itaque non erat ita proprium magiſtratuum, vt de eo ſuo arbitrio diſponere poſſent. Quod adeo verum eſt, vt ne mandare quidem illud alteri liceret (p), nedum vt locare illud quiſquam pro certa mercede poſſet. Deinde IVRISDICTIO mandatum quidem admittit, quia fere iure magiſtratus competit, adeoque magiſtratui veluti propria eſt (q), ipſe quoque magiſtratus illam populi mandatu accepit, eodem iure, ac procurator a domino litis dominium accepiſſe dicitur. Huiuſmodi vero mandatarium ſemper alium pro lubitu ſubſtituere poſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt (r). At locari vel ideo non potuit, quod operae, quae ob dignitatem grauitatemque ſuam certam aeſtimationem admittere non videntur, inter eas, quae locari non ſolent, referuntur (s): adeoque ſi magiſtratus alterius operas ad ius dicundum conducere voluiſſet: illi obſtitiſſet iuris regula, quod huiuſmodi operae locari non ſoleant. Nec magis ipſe magiſtratus poteſtatem ſuam alteri locare poterat, quia eae tantum res, quae vſum praeſtare ſolent, locantur: iuris vero dicundi poteſtas in ſe vſum non praeſtabat. Nec enim poenae, vti hodie, cedebant magiſtratibus, ſed, ſi a pauciſſimis diſceſſeris, actori adplicabantur (t), & expenſarum litis non erat ea ratio, vt inde aliquid lucri caperent ii, qui iuri dicundo praeerant. Potius ſportulae debebantur tantum iudicibus pedaneis, adparitoribus, ſcribis, viatoribus, notariis, exceptoribus, aduocatis: non magiſtratibus, vti pluribus oſtenderunt CVIACIVS (u), &, qui FRANC. POLLETI forum Romanum perpoliuit, PHIL. BROIDAEVS (x). Immo tantum abeſt, vt hi quidquam pro iure dicundo capere potuerint, vt lege Iulia repetundarum tenerentur, ſi vel ipſi, vel eorum comites *pecuniam ob iudicandum, decernendumue, vel* quo

(p) *l.* 1. *pr. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict.*

(q) *l.* 5. *D. de iuriſdict.*

(r) *l.* 8. §. 3. *D. mandati. l.* 8. *& l.* 11. *C. de procurat.*

(s) *l.* 1. *pr. D. ſi menſ. falſ. mod. dixerit.*

(t) Car. Sigon. *de iudic. Lib. I. Cap. XXI. p.* 382.

(u) Cuiac. *Paratitl. Cod. Lib. III. Tit. II. p.* 145. *Tomo II. Op.*

(x) Franc. Pollet. *For. Roman. Lib. V. Cap. XI. p.* 495. *ſequ.*

quo magis aut minus quid ex officio ſuo facerent, accepiſſent (y). Quod non modo de donis & muneribus, quibus iudicis religio expugnatur, vti intellexiſſe videtur IAN. LANGLAEVS (z), ſed de qualibet mercede, quam exigebant magiſtratus, intelligendum eſſe, vel inde patet, quod lex Iulia non ad equites, quibus pecuniam iudicandi cauſſa accipere licebat, ſed ad ſolos magiſtratus, *quos*, teſte CICERONE (a), *delectabant ampliſſimus gradus, ſella curulis, faſces, imperia, prouinciae, ſacerdotia, triumphi, denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita*, pertineret (b): quae ſane reſtrictio abſurda fuiſſet, ſi ſolam *iudicum* corruptionem forenſemque nundinationem prohibere voluiſſet lex Iulia. Quum ergo nihil iuſti lucri ex ſua iuriſdictione caperent magiſtratus, adeoque nec vtilitatem aliquam inde capere potuiſſet conductor: manifeſtum ſane eſt, locationi iuriſdictionis ex iuris Romani principiis locum eſſe haud potuiſſe. Locari enim tantum poterant fructus rerum ſiue corporalium, ſiue incorporalium, quae erant in commercio, ceu recte obſeruauit V. C. GER. NOODTIVS (c), adeoque non niſi ea, quorum eſt vſus aliquis, hoc interueniente contractu alteri concedi poſſunt (d).

§. XVI.

Itemque ex natura dignitatum ac magiſtratuum.

Accedit & alia ratio, non minus perſpicua. Non erat in commercio dignitas, ita, vt vel emi, vel vendi, vel vllo alio contractu in alium transferri poſſet. Ipſi magiſtratus, qui pecunia profuſa poteſtatem dignitatemue ſibi adquiſiuerant, criminis ambitus erant rei, grauesque dabant poenas, quamdiu ſanctior manebat legum veteriſque diſciplinae cuſtodia (e). Scio equidem, quibusdam eam ſeueritatem ſaltim occupata republica, & ſub principum imperio, ceſſaſſe videri, quia & MODESTINVS (f) fateatur, legem Iuliam de ambitu, in vrbe ſua aetate ceſſaſſe: & in iure noſtro paſſim mentio fiat MILITIAE emtae, venditae, lega-

(y) *l.* 3. *l.* 4. *l.* 5. *D. de L. Iul. repetund.*

(z) Ian. Langl. *Semeſtr. Lib.*VI. *Cap.I.*

(a) Cicero *pro C. Rabir. Poſtum. Cap.* VII.

(b) Petr. Agrod. *Pandect. rer. iudic. Lib.* VIIII. *tit. III. Cap. XIII.*

(c) Ger. Noodt *Comment. ad Pand. Lib.* XVIIII. *Tit. II. p.* 422. *Tom. II. Op.*

(d) Cuiac. *Recit. ſoll. ad l.* 1. *D. de naut. foen. p.* 862.

(e) Car. Sigon. *de iudic. Lib.* II. *Cap.* XXVIIII.

(f) *l.* 1. *pr. D. de lege Iul. de amb.*

legatae (g): & PAPINIANVS (h) diſerte ſcripſerit, *id, quod* DIGNITATIS *nomine a patre datum ſit filio, conferre illum in commune non eſſe cogendum, quod hoc propter onera* DIGNITATIS *praecipuum haberi oporteat.* Sed MODESTINVS non ideo ceſſare ait legem Iuliam de ambitu, quod impune liceat dignitates & magiſtratus nundinari, ſed *quod ad curam Principis magiſtratuum creatio pertineat, non ad populi fauorem*, adeoque nec occaſio ſit magiſtratus ambientibus, ſuffragia populi data promiſſaue pecunia redimendi. A *militia* porro iſta *palatina*, quae erat in commercio, ad dignitates argumentum fruſtra ducitur, quippe quae res tam erant diuerſae, vt in iure diſcernantur ſaepenumero, quin ſibi inuicem opponantur (i). Hinc recte CVIACIVS (k): MILITIAE, inquit, *vendi poterant*, (DIGNITATES *vendi non poterant, id eſt, poteſtates iuris dicundi,) & pignori obligari, vt militia ſilentiariorum, qui excubias agunt in palatio principis, & militia adiutorum Quaeſtoris* (l). Et alibi (m): *Aliud*, inquit, *eſt militia, aliud dignitas. Dignitas non emitur, vt militia, non eſt armata, ſed ciuilis, adiutor Quaeſtoris* (le greffier du Chancelier,) *militia ſollertiarum, ſtratologia. Hae militiae ſunt in patrimonio noſtro, ſicut feuda, & emi poſſunt, & tranſeunt ad heredes, ſicut patrimonium noſtrum:* MILITIA *eſt in patrimonio noſtro, ergo conferenda:* DIGNITAS *non eſt in patrimonio.* Denique nec id, quod ex PAPINIANO attulit VLPIANVS, huc pertinet. Neque enim ex eo loco colligendum, patrem dignitatem filio pecunia emiſſe, (quod ſine ambitus crimine fieri non potuiſſet,) ſed eam pecuniam *dignitatis nomine & propter onera dignitatis* datam eſſe, legimus. Nam dignitates veluti Conſulatum, Aedilitatem, Decurionatum nemo adſequebatur ſine ſumtu. Dabantur honoraria decurionibus pro introitu, ſolebant edi munera propter honorem obtentum, ſolebat etiam aliquid dari ſuffragii nomine, vel ſolatii, conſuetudinis: non emebantur dignitates, ſed erogare aliquid neceſſe erat, vti denuo recte monet CVIACIVS (n). Si vero

(g) *l.* 102. §. *vlt.* D. *de legat.* 3. *l.* 52. §. 2. *D. de act. emt. vend.*

(h) *Apud* Vlpian. *l.* 1. §. 16. D. *de collat.*

(i) *l.* 13. *C. de offic. rector. prou. l.* 8. *C. de pagan. l. vlt. C. de iuriſdict. omn. iud.*

(k) Cuiac. *Recit. ad l.* 72. *de legat.* II. *Tom.* VII. *Op. p.* 1125.

(l) *l. vlt.* C. *de pignor. l.* 5. *C. qui milit. poſſ. l. vlt.* C. *de inoff. teſtam.*

(m) Cuiac. *Recit. ſollemn. ad d. l.* 1. *D. de collat. Tom. IIII. Op. p.* 362.

(n) Cuiac. *ibid. Tom. IIII. p.* 361. *ſequ.*

ro emi vendique non potuerunt dignitates coniunctaque cum illis officia: quis ea locari conduciue potuiſſe credat? Eſt enim locatio conductio proxima emtioni & venditioni, iiſdemque iuris regulis conſiſtit (o), vt adeo recte ab illa ducere videamur argumentum, quia inde, dignitates & magiſtratus non fuiſſe in commercio, liquido patet.

§. XVII.

Cur mandari, nec locari tamen potuerit iuriſdictio?

Itaque ſatis probaſſe nobis videmur, nec iuriſdictionem, nec imperium locari conduci potuiſſe ex iuris Romani principiis. Neque huic propoſitioni noſtrae obuerti poteſt, iuriſdictionem ſaltim & imperium mixtum potuiſſe mandari (p), ac proinde nullam eſſe rationem, cur eadem locari non potuerint. Primo enim non omnia, quae mandari poſſunt, illico etiam locari conduci poterant: quia non omnia quae gratis honeſte ſuſcipiuntur, etiam data mercede ſine turpitudine praeſtantur. Honeſte ſane mandatum & dari aduocato & ab eo accipi poterat, vt cauſſae ſuſciperet patrocinium: & tamen ea opera locari conducique ſine turpitudine non poterat ex lege Cincia (q): ex eoque ſatis intelligitur, ab vno contractu ad alterum duci non poſſe argumentum. Deinde multa in his vſui ac conſuetudini dantur, quae vnum contractum in certa re permittere, alterum pro turpi vel illicito habere poteſt. Cuius rei inſigne exemplum in ipſa locatione conductione deprehendit V. C. GER. NOODTIVS (r). Quum enim iura noſtra operas profeſſorum, medicorum, menſorum, negent eſſe inter eas, quae locari ſoleant (s): eleganter ſubiicit vir celeberrimus: *Omnibus his habitus hic honor, (tantum valet* VSVS, *) vt eorum operae ad beneficia accedere crederentur, vsque adeo, vt quamuis vel ipſi aeque, atque opifices, artificesue alii, mercedem pro arte aut opera reuera & paciſcerentur, & acciperent, tamen non operam locare, neque mercedem pro opera aut arte, ſed honorarium vel ſalarium pro praeſtito beneficio accipere aut paciſci, dicerentur.* Quo poſito, facile patet, cur mandare, non item locare, licuerit iuriſdictionem. Mos enim iam inde ab ip-

(o) *l. 2. pr. D. locati cond.*

(p) *l. 1. §. 1. D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd. l. 5. §. 1. D. eod.*

(q) Brummer. *de lege Cinc. Cap. II.* §. 17. *ſequ. edit. Pariſ.* Tacit. *Lib. XIII. Annal. Cap. IIII.*

(r) Ger. Noodt *Comm. ad Pand. p.* 423.

(s) *l. 1. D. ſi menſ. falſ. mod. dix. l. 1. D. de extraord. cognit.*

ſa origine ciuitatis inualuerat, vt mandari poſſet iurisdictio (t), auctoresque ſunt LIVIVS (u) & TACITVS (x), iam reges ipſos, & in his Romulum, bellis aliisque negotiis auocatos, iuris dicundi ſubitisque medendi poteſtatem aliis mandaſſe, eorumque exemplum & conſules poſtea eſſe imitatos: vt adeo recte ſcripſerit IVLIANVS (y), MORE MAIORVM *ita comparatum eſſe, vt is iurisdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo iure, non alieno beneficio habeat.* At more maiorum ita non erat comparatum, vt locari conducique poſſet iurisdictio: immo id, vti paullo ante vidimus, ab ipſa iuris analogia abhorrebat. Ac proinde non mirum eſt, a mandato ad locationem non ſemper procedere argumentum.

CAP. II.

DE LOCATIONE IVRISDICTIONIS EX IVRIS GERM. PRINCIPIIS.

§. I. *Tranſitio ad Caput II.* §. II. *Iuriſdictio apud omnes gentes nonniſi regibus, ſummis magiſtratibus, ipſique populo competiit.* §. III. *Idque & apud veteres Germanos obtinuit.* §. IIII. *Cur mutatio paullatim facta ſit iuriſdictionis Germanicae?* §. V. *Hodie ergo illa locari poteſt.* §. VI. *Tum vna cum praedio, tum ſeorſum.* §. VII. *Itemque ſiue in longum, ſiue ad breue tempus. Quid ſit ad firmam dare?* §. VIII. *An etiam, quae non eſt fructuoſa?* §. VIIII. *An & criminalis, extraordinaria & voluntaria?* §. X. *Quis eam poſſit locare? & an conductor eam ſublocare poſſit?* §. XI. *Quis eam recte conducat.* §. XII. *Obligatio locatoris.* §. XIII. *Itemque conductoris.* §. XIIII. *Quos iuriſdictionis fructus percipiat conductor?* §. XV. *An regulis prudentiae ſatis conueniat haec locatio conductio.* §. XVI. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

(t) Ger. Noodt *de iuriſdict. Lib. II. Cap. I. p.* 118. *Tom. I. Op.*
(u) Liu. *Lib. I. Cap. XXXXI.*
(x) Tacit. *Annal. Lib.* VI. *Cap. XI.*
(y) *l.* 5. *D. de iuriſdict.*

§. I.

Tranſitio ad caput II.

SVperiore capite, qualis fuerit apud Romanos iuriſdictio; quomodo ab imperio diſcreparit, & an locari ex iuris Romani principiis potuerit, accuratius diſputauimus. Iam ergo veluti domum reuertimur, diſquiſituri, quid iure Germanico circa locationem iurisdictionis iuſtum ſit. Diuerſiſſimam enim a Romana eſſe iurisdictionem Germanicam, iam pridem obſeruarunt ii, qui de eius natura atque indole ex inſtituto ſcripſerunt, viri doctiſſimi, HERM. CONRINGIVS (z), CHR. THOMASIVS (a), NIC. HERTIVS (b), GE. CHRIST. GEBAVERVS (c), quibus merito iungimus illuſtrem, & de Germanorum non ſecus, ac Romanorum, iurisprudentia optime meritum Dominum Praeſidem, quem tum in ſingulari diſſertatione (d), tum in Elementis iuris Germanici (e), ea de re fuſius egiſſe, meminimus. Nos pro inſtituti ratione rem omnem paucis expediemus.

§. II.

Iuriſdictio apud pleraſque gentes non niſi regibus, ſummis magiſtratibus, ipſique populo competiit.

Omnes gentes, quae, relicta illa vita ſegregi, paullatim in reſpublicas coaluerunt, illico obſeruarunt, fruſtra ſe ſibi aduerſus exterorum vim atque iniurias praeſidia circumpoſuiſſe, niſi ciues ipſi inter ſe tuti agerent, iuſtitiaque, in qua praecipue rerumpublicarum ſalus ac beatitudo poſita eſt, quiete fruerentur. Hinc ſancta gentibus omnibus fuit iurisdicundi animaduertendique in facinoroſos poteſtas, tamque venerabilis, vt eam nemini, niſi regibus, maximisque magiſtratibus, deferrent, immo plerumque partem eius nobiliorem cum iure extremae prouocationis ſibi ipſis reſeruarent. Quare quod generatim de antiquiſſimis mortalibus cecinit HESIODVS (f):

Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.
Hoc vno reges olim ſunt fine creati,
Dicere ius populis, iniuſtaque tollere facta:

(z) Herm. Conring. *Diſſ. de iudiciis reip. Germanicae.*

(a) Thomaſ. *Diſſ. de iuriſdict. & magiſtr. different. ſecundum mores Germ. Hal.* MDCCIII.

(b) Hert. *de conſultat. leg. & iudic. in ſpecial. imp. Rom. Germ. rebuspublicis Opuſc. Vol. I. Tom. II. p.* 406.

(c) Gebauer *Comment. de iuriſdict.*

(d) *Diſſ. de orig. & ind. iuriſd. paſſim.*

(e) *Elem. iur. Germ. Lib. III.* §. *I. ſequ.*

(f) Heſiod. *Theogon. v.* 88.

id omnium paene gentium annalibus luculenter confirmatur. Apud Hebraeos a Moſis & Ioſuae exceſſu pari poteſtate ſequuti ſunt IVDICES, qui, quum ob eminens, quo gaudebant, imperium a IOSEPHO (g) μονάρχαι vocentur, & ab edicendi poteſtate, ex CVNAEI (h) ſententia, recte DICTATORES ſaltim dici potuiſſent, quin duplicem illam poteſtatem ducendi & iudicandi diuinitus eſſent conſequuti, tamen non a ducatu DVCES, ſed a iudicando, tanquam praecipua & potiore poteſtatis ſuae parte, IVDICES vocari maluerunt (i). Ex quo deinde, remoto hoſtili metu, corruptiſque per ſecundas res conſiliis, regium nomen deſiderare coepit populus: ipſi quoque Reges adeo non putarunt infra maieſtatem ſuam eſſe, ius dicere, cauſſaſque ciuium cognoſcere, vt potius inter praecipua eorum munera eſſet, domi iudicare, bellaque foris adminiſtrare, ceu pluribus demonſtrarunt CAR. SIGON. (k) & GVIL. SCHICKARDVS (l). Sic & apud Carthaginienſes magiſtratus, penes quos ſumma rerum erat, SVFFETES, voce Hebraea & Punica, quae *iudices* denotabat, dicebantur, eiuſque dignitatis vocabulum & aliis ciuitatibus Africanis erat familiare (m), quum tamen *Suffetes* iſti Carthaginienſium vere ſupremum in republica magiſtratum gererent (n), ac proinde a ſcriptoribus Romanis modo *Dictatores* (o), modo *Conſules* (p), modo *Reges* (q), adpellentur. Omitto reges Perſarum (r), Medorum (s), Macedonum (t), quos praeter reliqua munera regia etiam iuri dicundo vacaſſe, nauataque hac reipublicae opera, incredibilem ſibi laudem peperiſſe, notum peruulgatumque eſt. Nec aliter Romani, apud quos, teſte DIONYSIO HALICARNASSENSI

(g) Ioſeph. *Antiqu. Iud. Lib. XI. Cap. IIII.* §. VIII.

(h) Petr. Cun. *de republ. Hebr. Lib. I. Cap. XII.*

(i) Car. Sigon. *de republ. Hebr. Lib.* VII. *Cap. II. p.* 713.

(k) Sigon. *ibid. Cap. IIII. p.* 727.

(l) Schickard. *de iure regio Hebr. Cap. IIII. theor. XIIII. p.* 240. *ſequ.*

(m) Selden. *de Synedr. Hebr. Lib. I. Cap. XIIII. p.* 410. Reineſ. *Inſcript. Claſſ.* VII. *n.* 17. *p.* 477. Vaillant. *Numiſm. imp. aen. in colon. Lat. iur. p.* 72. *&* 130. *Tomo I.*

(n) Liu. *Lib.* XXVIII. *Cap. XXXVII.*

(o) Gell. *Noct. Attic. Lib. X. Cap. XXIIII.*

(p) Liu. *Lib. XXX. Cap.* VII.

(q) Ariſtot. *Polit. Lib. II. Cap.* VIIII. Polyb. *Hiſt. Lib.* VI. *Cap.* XXXXVIIII. Corn. Nep. *Hannib. Cap. IIII.*

(r) Ioſeph. *Antiqu. Iudaic. Lib. XI. Cap. III.* Briſſon. *de regno Perſ. Lib. I.* §. CXXVII. *p.* 181. —

(s) Herodot. *Lib. I. p.* 26. *ſequ.*

(t) Liu. *Lib. XXXI. Cap. XX.* Io. Andr. Schmied *de regno Maced. Part. I.* §. 20. *p.* 41.

SENSI (u), initio reges τῶν ἀδικημάτων μέγιστα, *grauiſſima delicta*, ipſi iudicare, leuiora ſenatoribus permittere ſolebant : poſtea vero conſules eadem iuris dicundi poteſtate vtebantur (x), donec, multiplicatis negotiis, plures crearentur magiſtratus, qui iuri dicundo in vrbe & prouinciis praeeſſent. At ne regibus quidem ſolis ius illud animaduertendi in facinoroſos homines relinquendum putabant Romani, ſed, quoties de capite ciuis Romani quaerebatur, prouocatio erat ad populum. Quod quum primus ſub Tullo Hoſtilio rege feciſſet Horatius, tum primum populum Romanum τῆς θανατηφόρου κρίσεως κύριον, *iudiciorum capitalium dominum* factum eſſe, obſeruat DIONYSIVS (y). Et hic mos ad poſteros manſit. Quamuis enim omnia iura inſigniaque regum tenerent conſules (z) : non tamen iniuſſu populi iis in caput ciuis Romani licebat animaduertere (a), niſi ea poteſtas illis in re trepida daretur ſenatus conſulto illo celeberrimo (b) : DARENT COSS. OPERAM, NE QVID RESP. DETRIMENTI CAPERET. Quin tantum abeſt, vt Romani vlli magiſtratui illud abſolutum merumque imperium conceſſerint, vt, quum initio Dictatores eam poteſtatem in maximis reipub. periculis conſequerentur (c), mox lege Valeria cautum ſit, ne vllus magiſtratus, ac ne Dictator quidem, ſine prouocatione, in vrbe eſſet (d).

§. III.

Idque & apud veteres Germanos obtinuit.

Nec in vetere Germania aliam iurisdictionis faciem deprehendimus. Vbi enim populare erat imperium, quod pleriſque Germaniae gentibus placuiſſe nouimus : ibi in conciliis *eligebantur* PRINCIPES, *qui ius per pagos vicoſque redderent, iiſque certi ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas, aderant* (e). Quare eo tempore nulla alia erat iuriſdictio, quam quae principibus illis, quos CAESAR (f) *maiores natu*, DIO CASSIVS (g) πρεσβύτερους, *ſeniores*, id eſt, *canos*, *grauen* vel *grafen* vocat, iure magiſtratus com-

(u) Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 87. & *Lib. X. p.* 627.

(x) Dionyſ. *ibid. p.* 627.

(y) Idem *Lib. III. p.* 159. Liu. *Lib.* I. *Cap.* XXVI.

(z) Liu. *Lib.* II. *Cap.* I. & *Lib.* IIII. *Cap.* III.

(a) *l.* 2. §. 16. *D. de orig. iur.*

(b) Cicero *Catilinar. I. Cap.* V. Salluſt. *Catilin. Cap.* XXVIIII.

(c) Liu. *Lib.* II. *Cap.* XVIII. *l.* 2. §. 18. *D. de orig. iur.*

(d) Plutarch. *Poplic. p.* 102. *ſequ.*

(e) Tacit. *de morib. Germ. Cap.* XII. Iul. Caeſ. *de bello Gall. Lib.* VI. *Cap.* XXIII.

(f) Caeſ. *de bello Gall. Lib.* IIII. *Cap.* XIII.

(g) Dio Caſſ. *Lib.* XXXVIIII. *p.* 113.

competebat, quamque cum ipſis eorum perſonis exſpiraſſe, vel ex eo patet, quod populi ſuffragiis electi dicantur. Attamen non omnem iuris dicundi poteſtatem in hos principes vel comites transtulerant Germani, ſed vniuerſo populo reſeruauerant iudicia publica maioris momenti. Et hinc, teſte TACITO (h), *licebat etiam apud* CONCILIVM, (id eſt, coram populo) *accuſare, & diſcrimen capitis intendere*: nec dubium eſt, quin ius prouocandi ad concilium fuerit illis, qui, ſe iniqua ſententia a principibus illis oppreſſos eſſe, conquererentur. Et haec iuriſdictionis Germanicae facies eadem manſit medio aeuo, cum apud gentes, quae in Romanorum prouinciis noua ſibi regna quaeſiuerant, tum in ipſa Germania. Apud Wiſigothos enim ius per pagos & vrbes dicebant *Comites* (i), &, qui iis ſuberant, *thiuphadi*, *defenſores*, *pacis adſertores*, *villici* & *ſaiones* (k): nec minus illa Comitum iuriſdictio apud Burgundiones (l), & Francos (m) obtinuit, quamuis apud hos in cauſſis quibuſdam miſſi dominici, (n) in aliis comites palatini (o), in aliis ipſi reges adpellarentur (p): quaedam maiores, & ad rempublicam pertinentes, in ipſis totius populi comitiis decidi ſolerent (q). Itaque iuriſdictio his quoque temporibus fere erat perſonalis, & a comitibus, vicecomitibus, aliiſque magiſtratibus, quos reges certis pagis, vrbibus & vicis praefecerant, iure magiſtratus adminiſtrabatur. Quod adeo verum eſt, vt ducatus & comitatus ad certum tempus datos (r), eoſdem male rem gerentibus pro lubitu ademtos (s), nec filiis eorum, ſi aliter viſum eſſet regibus, conceſſos eſſe, animaduertamus (t), idque luculenter demonſtrarit ANT. DADINVS ALTESERRA (u). Quae ſane omnia argumento ſunt, iuriſdictionem ſuam fiduciario tantum iure poſſediſſe comites, & hinc neminem horum illam iuris dicundi poteſtatem tamquam rem, quae in bonis eſſet, aliis vel vendere, vel locare potuiſſe. Saltim in anti-

(h) Tacit. *de morib. Germ. Cap. XII.*

(i) Lex Wiſigoth. *Lib.* II. *Tit.* I. §. 14.

(k) Lex Wiſig. *Lib.* VIIII. *Tit.* II. §. *I. tit.* I. §. *26. Lib.* VI. *tit. I.* §. *I. Lib. II. tit. I.* §. *16. 17. & 25.*

(l) Lex Burgund. *addit.* II. §. 10.

(m) ill. Praeſid. *Elem. iur. Germ. Lib. III.* §. XVIII. *ſequ. p. 368. Tomo* II.

(n) Idem *ibid.* §. XXVI. *ſequ.*

(o) Idem §. XVII.

(p) Idem §. *LXXXXIII.*

[q] Idem *ibid.* §. XVI.

(r) Greg. Turon. *Hiſt. Lib. V. Cap. XIIII.*

(s) Aimon. *Contin. Lib. V. Cap. III.*

(t) Idem *Lib. V. Cap.* XXVII. & *XXXVII.*

(u) Alteſerra *de Duc. & Comit. Aquitan. Lib. I. Cap. V. p. 23. ſequ.*

antiquioris aeui monumentis huiuſmodi contractus nec vola occurrit, nec veſtigium, & in praecepto Caroli M. Regis, anno DCCLXXXVIIII. pro Trutmanno, Comite, edito, quod poſt MEIBOMIVM (v) edidit STEPH. BALVZIVS (x), nihil permittitur Trutmanno, quam vt in parte Saxoniae Comes ſit, & *reſideat in curte ad campos, in mallo publico, ad vniuerſorum cauſſas audiendas, vel recta iudicia terminanda*, nec quidquam in eo praecepto occurrit, ex quo colligere liceat, ei iuriſdictionem veluti in patrimonium datam eſſe.

§. IIII.

Cur mutatio paullatim facta ſit iuriſdictionis Germaniae?

Veriſſimum tamen videtur, quod iam ab HERTIO (y), & eruditiſſimo ALTESERRA (z) obſeruatum eſt, ſub ipſis Francorum regibus ſtirpis Merouingicae, tum ducatus quosdam, tum comitatus fieri coepiſſe hereditarios, eoque factum eſſe, vt hi iuris dicundi poteſtatem veluti in bonis habere, non eam regum nomine adminiſtrare, ſibi viderentur. Sane enim non ſolum principes & comites, ex eo tempore, ab ipſis imperatoribus & regibus totis prouinciis & terrarum tractibus, cum omni banno & iuriſdictione, donatos eſſe, animaduertimus, verum etiam epiſcopos, praelatos, monaſteria, & ciuitates: adeo vt ſaepe diplomatibus exprimatur, donatariis *ius fore, in illis fundis* FREDA *exigendi*, MANSIONESQVE *faciendi* (a): *nullum iudicem publicum ibidem ad* CAVSSAS AVDIENDAS, *aut* FREDA *exactanda, vel* FIDEIVSSORES *tollendos, nec homines tam ingenuos, quam & ſeruientes, qui ſuper terras ſuas commanent*, DISTRINGENDOS, *nec vllas* REDHIBITIONES *requirendas vel exactandas, iudiciaria poteſtate ingredi praeſumarum* (b): praedia monaſterium poſſeſſurum, *cum waſtinis, moris, humido, ſicco*, ALTO, BASSO (c): cum BANNO & CIPPO (d): *nec ſe nec quemquam imperatorem, aut regem, aut comitem, aut*

[v] Meibom. *Script. rer. Germ. Tom. I. p. 689.*

(x) Steph. Baluz. *Capitular. Tom. I. p. 250.*

(y) Hert. *de orig. & progr. ſpecial. Rom. Germ. Imp. rerump.* §. IIII.

(z) Alteſerra *de Duc. & Comit. Aquitan. ibid.*

(a) *Charta Childerici II. Reg. circa annum* DCLX. *apud* Miraeum *Diplom. Belg. Lib.* I. *Cap.* III.

(b) *Diploma Theoderici II. ann.* DCCXXII. *ibid. Cap.* VI. *Ludouici Pii anno* DCCCXV. *ibid. Cap. X. & de anno DCCCXXI. apud* Bruſch. *de Monaſter. pag. 66. Diplom. Caroli Craſſi ann. DCCCLXXXVII. apud* Schaten. *Annal. Paderb. Lib. III. p. 199.*

(c) *Diplom. Hildeſundis ann. DCCCCLXXXXII. apud* Mir. *ibid. Cap. XXIIII.*

(d) *Diplom. Lotharii Imp. ann. DCCCXXXXV. apud* Lunig. *Reichs-archiu. Part. II. Cap. IV. tit. Strasburg. p. 867. ſequ.*

aut regium exactorem, ſiue ex imperiali, ſiue ex propria auctoritate quidquam ibi ORDINANDI, *aut* EXIGENDI *habiturum poteſtatem* (e): *nullum iudicem publicum in eorum hominibus habiturum* DITIONEM (f): fundum donatario ceſſurum *cum omni integritate*, REGIMINE & BANNO (g): & quae ſunt huius generis formulae aliae. Has enim tantum ex primae & ſecundae ſtirpis regum Francorum variis chartis & diplomatibus excerpſimus, vt inde adpareat, quam mature in Germania viciniſque prouinciis, iurisdictio, antea tantum iure magiſtratus competens, in bonis & patrimonio ducum, comitum, epiſcoporum, monaſteriorum, ciuitatum eſſe coeperit. Poſtea huiusmodi donationum & conceſſionum numerum in immenſum auctum eſſe deprehendimus, ſub imperatoribus regibusque Saxonicis, Franconicis, Sueuis, qui ſaepiſſime praedia, maiorum exemplo, principibus & eccleſiis donant *cum omni* IVSTITIA *& cenſu* (h): *cum tali* DISTRICTIONE *& iure, ſicut hactenus ad imperialem pertinuit poteſtatem* (i): *omni* IVDICIARIA POTESTATE *remota* (k): *cum omni publicae rei* DISTRICTV (l): ita, *vt nemo ad* CAVSSAS AVDIENDAS, *vel* AD FREDA *aut* BANNA *exigenda, aut aliqua* DISTRICTIONIS *negotia ſuper homines tam ingenuos, quam ſeruos, in eis praediis manentes, exercenda futuris temporibus ingredi audeat, remota* TOTIVS IVDICIARIAE POTESTATIS *inquietudine* (m). Qua liberalitate factum eſt paullatim, vt omnes non modo principes ac comites, verum etiam epiſcopi, abbates, praepoſiti, iuriſdictionem intra limites ſuos in patrimonio haberent. Ciuitates quoque & vrbes, quarum decuriones initio nulla iuris dicundi gaudebant poteſtate, ſed res duntaxat, ad decus & ſalutem ciuitatum ſuarum pertinentes, curabant, hanc quoque praerogatiuam modo Imperatorum, Principumque priuilegiis, modo aliis titulis, in primis emti venditi, ſubinde adquiſiuerunt, eaque re effectum eſt, vt ciuibus paſſim non amplius comites, aduocati,

(e) *Diploma Caroli Craſſi ann.* DCCC*LXXXVI. apud* Gewold. ad Hund. *Metrop. Salisb. Tom. III. p.* 1.

(f) *Diplom. Zwenteboldi Regis Lotharing. ann.* DCCC*LXXXXV*III. *in Monim. Paderb. p.* 41.

(g) Lunig *Reichs-arch. Part. III. Cap.* VI. *tit.* V. *Emmeran. p.* 648. Gewold. *ad* Hund. *Metrop. Salisb. Tom. II. p.* 372.

(h) *Dipl. Ottonis M. an.* DCCCC*LVIIII. apud* Sagittar. *Antiqu. Magd.* §. LXVIIII. *p.* 36.

(i) Lunig. *Spicil. Eccleſ. Cap. IIII. tit. Chur. p.* 154.

(k) *Dipl. Ottonis III. apud* Lindenbr. *priuil. Hamb. eccleſ. n. XIII. p.* 133.

(l) *Diploma Ottonis III. anno* DCCCC*LXXXXV* IIII. *apud* Gewold. *ad* Hund. *Metrop. Salisb. p.* 242.

(m) *Dipl. Henrici II. apud* Lunig. *Part. II. Spicil. eccleſ. tit. Luttich. p.* 491.

ti, ſculteti & ſcabini, a Principe conſtituti, penes quos antea id ius fuerat, ſed ipſi decuriones, vel delegati ex iis iudices, ius dicerent (n). Denique quod ad praediorum poſſeſſores attinet, illis iam inde ab antiquiſſimis temporibus ex iuris Germanici principiis competebat poteſtas herilis in homines proprios (o), cum iure, eorum controuerſias definiendi, coercendique immorigeros & facinoroſos coniuncta (p). Quod quum poſſeſſores illi paullatim facerent cauſſa cognita, ne, quod olim de maioribus noſtris ſcripſerat TACITVS, *ira magis & impetu, quam diſciplina, occidere* viderentur: facile illa poteſtas iuriſdictionis cuiuſdam σχῆμα paullatim induit, quam deinde a feudorum dominis inueſtiturae litteris inſeri facile impetrarunt. Errare enim illos, qui ſoli inueſtiturae iuriſdictionem illam praedialem deberi exiſtimant, vel id argumento eſt, quod in allodialibus praediis non minus, quam in feudalibus, eam a dominis explicari animaduertamus, (q) idque non modo ex charta Ruperti Caeſaris apud SCHILTERVM (r) ſolide probauerit doctiſſimus FRANCKENSTEINIVS (s), ſed & ex multo antiquiore Hildeſundis Comitis Stryenſis diplomate, quippe anno DCCCCLXXXXII ſcripto, poſſit demonſtrari (t). Ibi enim matrona illa, pietatis in Deum ſtudioſiſſima, *amicos ſibi factura in mammona iniquitatis, ad eccleſiam* Thorenſem, a ſe conditam, *attuliſſe ſe*, ait, ALLODIVM *ſuum, quod in terra ſua de Stryen glorioſus Rex, Zuentiboldus olim perdonauerit, cum* ALTO & BASSO. En ergo iurisdictionem *altam* & *baſſam*, a femina, & quidem, non in feudo, ſed in allodio ſuo, monaſterio Thorenſi cum ipſis praediis ceſſam, quam ſane non iure fiduciario & clientelari, ſed tamquam propriam, exercuerat, nec ſine domini directi conſenſu alienare potuiſſet vna cum praediis, ſi eam iure feudi habuiſſet. Sed & in ducatu Bremenſi equeſtris nobilitatis viri iurisdictionem etiam criminalem in praediis ſuis allodialibus exercere, iam dudum obſeruauit IO. A RHODE, Archiepiſ. Bremenſis, apud LEIBNITIVM (u). Atque ita factum eſt, vt

Heineccii Opuſc. Sylloge II. Kk omnis

(n) Ill. Praeſes *Elem. iur. Germ. Lib. I.* §. CIIII. CVIIII. & CXIII.

(o) Ill. Praeſes *Diſſert. de origine & indole iuriſdiction. patrim.*

(p) Tacit. *de Morib. Germ. Cap. XXV.* Herm. Adolph. Meinders *de iuriſd. co-* [illegible]*praediar. & infer. p. 61. ſequ.*

(q) Gundl. Πρώτ. *Digeſt. p.* 149.

(r) Schilter. *ad ius feud. Alamann. Cap. XXXXII. §. XXVIIII.*

(s) Franckenſtein *diſſ. de locat. iuriſd. Cap. I. §. V. p. 5.*

(t) Miraeus *Diplom. Belg. Lib. I. Cap. XXIIII. p.* 146. *edit.* Fopp.

(u) Leibnit. *Script. rer. Brunſuic. Tom. II. p.* 272.

omnis fere iurisdictio in Germania facta ſit patrimonialis, eamque hodie & principes comitesque, & praelati, & eccleſiae, & academiae & ciuitates, & equeſtris nobilitatis viri iure fere proprio explicent, aliisque explicandam cedant, tamquam rem, in bonis ſuis vel patrimonio conſtitutam. Quin ex quo ius circa ſacra ad principes ordinesque imperii proteſtantes poſtliminio veluti rediit: hi ipſam quoque iurisdictionem eccleſiaſticam, tamquam partem ſuperioritatis territorialis, in patrimonio habere, (v) eamque aliis, non obſtante iure canonico (w), eodem iure cedere poſſe videntur, idque exemplo iudiciorum eccleſiaſticorum inferiorum, ciuitatibus etiam quibuſdam municipalibus & vaſallis primi ordinis conceſſorum (x), non inſcite probat laudatiſſimus FRANCKENSTEINIVS (y).

§. V.

Hodie ergo illa locari poteſt. Quum ergo hodie iurisdictio tantum non omnis in patrimonio, ac proinde in commercio ſit: quis dubitet, quaeſo, quin eadem & locari conduci poſſit? Et quidem, quum iure Romano permultum inter iurisdictionem atque imperium intereſſet, tale vero diſcrimen ignorent Germani, quibus IVRISDICTIO eſt *omnis poteſtas cauſſas ſubditorum, tum ciuiles, tum criminales cognoſcendi, ſententiis finiendi, easque demum ſententias exſequutioni mandandi, quin & actus omnes, qui ſine iudicum auctoritate non conſiſtunt, confirmandi, ratosque habendi, iure dominii competens*: conſequens eſt, vt omnem hanc quam quis in patrimonio habet, iuriſdictionem, ſiue ciuilem, ſiue criminalem, ſiue ſaecularem, ſiue eccleſiaſticam, locare poſſit aliis. Quamuis enim non ſemper e republica ſit, huiuſmodi contractus iniri, & conductores huiuſmodi plerumque id agant tantum, vt ex iuriſdictione non modo penſionem corradant, ſed & lucrum quam vberrimum capiant, non vt ius ea, qua par erat, religione reddant (z): ipſa tamen haec locatio iuris Germanici principiis non refragatur, maxime quum apud nos domini iurisdictionis, non modo ſportulas, ſed & mulctarum partem, cenſumque iurisdictionis, tamquam iurisdictionis fructus capiant,

(v) *Inſtrum. Pac. Oſnabr. art. V.* §. 3. *& Art.* VIII. §. *I.*

(w) *Cap. 1. & 2. X. ne praelati vic. ſuas ſub ann. cenſ.*

(x) Dondorff. *de iuriſd. eccleſ. Cap.* III. §. *XI.* Seckend. *Fürſten-Staat. Part. II. Cap. XI.* §. III.

(y) Franckenſtein. *ibid.* §. VI. *p.* 7.

(z) Ian. Langl. *Otium Semeſtr. Lib.* VI. *Cap. I. p. m.* 254. Ill. Böhmer. *Ius Eccleſ. Proteſt. Lib.* V. *Tit.* IIII. §. *XI.*

piant, adeoque cum vtilitate conductoris coniuncta eſſe poſſit eius conductio, & proinde nulla ſubſit ratio, cur ſubſiſtere non poſſit, aut naturae locationis conductionis refragari videatur hic contractus, ſiue ſeorſum, ſiue cum ipſo praedio locetur iuriſdictio.

§. VI.

Tum vna cum praedio, tum ſeorſum.

Obiici equidem poſſet, alias locari conduci non poſſe iura, certis rebus ac praediis inhaerentia, niſi vna cum ipſis rebus ac praediis. VLPIANVM (a) enim diſerte ſcribere: *Locare ſeruitutem nemo poteſt*, &, locato tamen praedio, conductorem etiam ſeruitute vti poſſe, indubii iuris eſſe (b). Deinde eodem fere modo ipſum ius pontificium ius patronatus ſeorſum vendi, locari, vel *ad firmam dari* non pati (c), nec tamen prohibere, quo minus, praedio vendito, vel locato, ab emtore vel conductore exerceatur (d). Et tamen de iuriſdictione nullum dubium eſt, quin ea non modo cum praedio, cui inhaeret, verum etiam ſeorſum locari poſſit. Rationes enim illae, ob quas ſeruitutes praediales & ius patronatus locari nequeant, plane non quadrant iuriſdictionis patrimonialis, qualem adhuc in Germania vidimus, indoli. Seruitutes ideo ſeorſum locari non poſſunt, quod ita inhaerent praediis, vt ſine illis non intelligantur (e). At ſine praedio recte non modo intelligitur, ſed & explicatur iuriſdictio, vſumque praeſtat conductori, etiamſi is praedium non conduxerit. Deinde quod ad ius patronatus attinet, illius venditio vel locatio ſeparata ſimoniae crimen inuoluere videtur iuris canonici interpretibus (f), ac proinde ſollicite cauendum monent, ne in venditione vel locatione praedii, in aeſtimationem ſimul veniat ius illud patronatus (g), ipſamque non modo iuris adquiſiti iacturam minantur conductoribus, hoc modo contrahentibus (h), verum etiam excommunicationis & interdicti poenis ex CONCILII TRIDENTINI decretis (i) eum coercendum eſſe, edicunt. Enimuero ne id quidem fulmen pertimeſcendum eſt iis, qui iuriſdictionem locati titulo alteri ad tempus cedunt. Non enim rem

 ſacram

(a) *l. 44. D. locat. cond.*
(b) Brunnem. *ad d. l. 44. p. 622.*
(c) *Cap. 16. X. de iure patron.*
(d) *Cap. 13. X. de locat.*
(e) *§. 3. Inſt. de ſeru. ruſt. vel vrb. praed.*
(f) Suarez. *de Simonia Lib. IIII. Cap.* XXVIII.
(g) Zoeſ. *Comment. Decretal. Lib. III. tit.* XXXVIII. §. XX.
(h) *Cap. 6. X. de iure patron.*
(i) Concil. Trident. *Seſſ. XXV. Cap.* VIIII. *de reformat.*

ſacram vel eccleſiaſticam locant, ſed ſuam: nec alteri pro certa mercede concedunt poteſtatem Eccleſiae praeficiendi rectores & miniſtros, ſed ius dicendi ſubditis, quae poteſtas, quum per ſe ſit in commercio, & a conductore aeque prudenter ac religioſe, quam ab ipſo iuriſdictionis domino, explicari poſſit, immo potius ille aliquando ad eam rem magis, quam hic, idoneus videatur, nulla ratio eſt, cur haec eum contractum reſpuat, niſi ſimul locetur praedium.

§. VII.

Itemque ſiue in longum, ſiue ad breue tempus.

Et huiuſmodi ſane locationum, cum vrbibus, tum priuatis factarum, exempla exſtant quam plurima, quorum aliqua ex WECKIO (k), MVLLERO (l), KRESSIO (m) aliiſque attulit doctiſſimus FRANCKENSTEINIVS (n). Et notum eſt aliunde, vrbes municipales pleraſque iuriſdictionem, ſaltim ſuperiorem, titulo vel locationis, vel pignoris, vel emtionis exercere, quod & de Serueſta ſua ex ipſis monimentis authenticis obſeruauit IO. CHRIST. BECKMANNVS (o). In eo tamen aliqua differentia eſt, quod locatio iſta aliquando ad certum, aliquando in longum tempus, aliquando irreuocabiliter, aliquando, quoad placuerit, facta legitur. Vnde variae locationum ſpecies, *Zeit-Pacht*, *Erb-Pacht*, *willkührlicher Pacht*, *Beſtätung auf lange Zeit*, qualis vere etiam fuit *datio vel conceſſio ad firmam*, cuius mentio fit in iure canonico (p). Quamuis enim viri docti non ſine aliqua veriſimilitudinis ſpecie hoc vocabulum explicandum exiſtiment ex dialecto Anglo-Saxonica, illudque vel a vocabulo *feo*, quod idem ac merces (q), vel a *firma*, quod conuiuium ſignificet (r), vel, quod nuper IO. GE. ESTOR (s) ſuſpicatus eſt, a nomine *farm*, quod Anglo-Saxonibus *praedium* notat, deriuent: vereor tamen, vt iuſtas habeant eius peregrinae originis cauſſas. Quas enim vulgo adferunt, Anglicanos ſcriptores fere ſolos hac loquutione vti, capitaque iuris canonici, in quibus *firmae* fiat mentio,

Quid ſit ad firmam dare?

ex

(k) Weck. *Dreſd. Part. I. tit. IIII.*

(l) Muller. *Annal. Sax. p.* 13.23.49.

(m) Kreſſ. *ad conſtit. crim. art. II.* §. *XV.*

(n) Franckenſtein *de locat. iuriſd. Cap.* I. §. *XII.*

(o) Beckm. *Hiſt. Anhalt. Part.* III. *p.* 273. *ſequ.*

(p) *Cap. 2. X. de locat. conduct. Cap. 24. X. de decim. Cap. 7. X. de iure patron. Cap. 6. X. ne cler. vel monachi. Clement. vn. de exceſſ. praelat.*

(q) Innoc. Ciron. *ad Cap. 2. X. de locat. conduct.*

(r) Car. du Freſne *Gloſſ. med. & inf. Latin. Tom.* II. *p.* 446.

(s) Eſtor *kleine ſchriffien Part.* I. *Opuſc.* IIII. *p.* 159.

ex epiſtolis ad epiſcopos & praelatos Anglicanos eſſe depromta, non admodum ſolidae videntur. Nam primo eodem ſenſu hanc loquutionem in variis ſcriptoribus Francicis occurrere, multis exemplis probarunt eruditiſſimi, qui nouam Gloſſarii Cangiani editionem curarunt, congregationis S. Mauri BENEDICTINI (t). Et exſtat praeterea diploma Belgicum apud MIRAEVM (u), in quo memoratur *firma ſiue canon annuatim ſoluendus*. Nec magis verum eſt, capitula illa ſeu epiſtolas Pontificis, in quibus mentio fit dationis ad firmam, tantum ad Epiſcopos vel praelatos Anglicanos pertinere. Nam *cap.* 24. *X. de decim.* INNOCENTIVS Papa III. reſcribit Piſtorienſi Epiſcopo, adeoque Italo. *Clementina* etiam *Frequens de exceſſ. praelat.* plane nihil commune habet cum rebus Anglicanis. Denique quamuis vulgatae editiones pleraeque inſcriptionem *cap.* 2. *X. de loc. & cond.* ita corruptam ſiſtant: *Innocentius III. abbati & conuentui S. Petri Praetel. London. dioeceſ.* in Collectione tamen Cironiana ſinceriore legitur: *Honorius III. abbati & conuentui S. Petri de Pratellis* (x), *Luxou. dioeceſis*: quod Monaſterium Gallicanum prolixe deſcribunt Fratres SAMMARTHANI (y). Quamobrem quum id vocabulum gentibus tantum non omnibus medio aeuo commune fuerit, nihilque adeo nos cogat eius origines ab Anglo-Saxonibus petere: quid obſtat, quaeſo, quo minus ſuffragemur CVIACIO (z), id vocabulum Latinum eſſe ſuſpicanti? Quod Germanis eſt *beſtäten*, id medio illo ac ſemibarbaro aeuo erat *firmare* (a), vel *ad firmam* ſcilicet penſionem, *dare*, id eſt ſub firma & fixa mercede vel vectigali locare. Vere ergo Latinum eſt vocabulum, quamuis more illius ſaeculi, aliam plane ac veteribus latinis inauditam notionem induerit. Et profecto, qui talia in cadentis Latinitatis ſcriptoribus nunquam animaduertit (b), eum ego plane hoſpitem in his ſcriptoribus dixerim.

 §. VIII.

(t) *Tom.* III. *p.* 512. *ſequ.*

(u) Miraeus *Dipl. Belg. Tomo* I. *p.* 480.

(x) Cuiac. *ad Cap.* 2. *X. de locat. Tom.* VI. *Op. p.* 1026. *ſequ.* Gonzal. Tellez *Not. in Decretal. Tom.* III. *Part. I. p.* 326.

(y) Sammarth. *Gall. Chriſtian. Tom.* IIII. *p.* 256.

(z) Cuiac. *ibid. p.* 1027.

(a) Martene *Anecdot. Tom.* IIII. *p.* 1124.

(b) Vid. Ger. Io. Voſſ. *de vit. & gloſſem. ſerm. toto Libro* VI.

§. VIII.

An etiam quae non eſt fructuoſa?

Locari ergo hodie poteſt omnis iuriſdictio; quae quodammodo fructuoſa eſt, & quidem etiam ſeorſum: ſi qua vero nihil vtilitatis adfert conductori, locari quidem poterit, at non niſi vna cum praedio, & tamquam eius acceſſorium. Neque enim, vti iam dixi, quiſquam mercede conducere volet aliquid, quod nullam ſibi adferat vtilitatem, & oneri magis, quam commodo, ſit futurum. Hinc in patria mea locatur iuriſdictio, praefecturis Regiis inhaerens, ſed una cum praefecturis, nec aliter facile conductorem inuentura, ex quo REX potentiſſimus, incomparabili exemplo, ſportulas vllas a ruſticis ſuis exigi, vel mulctas illis delinquentibus irrogari longe clementiſſime vetuit, eaque de re ita reſcripſit praefectis ſuis: *Wir haben allergnaedigſt reſoluiret, daſz unſere immediat bâuerliche unterthanen allhier im gantzen lande bey ihren proceſſen weiter keine ſportuln mehr entrichten, ſondern ſie dauon gantz frey ſeyn, und die iuſtitz ihnen ohne alle dauon entrichtende gebühren adminiſtriret werden ſolle. Wir haben auch gut gefunden, daſz ermeldte unſere bâurliche unterthanen, wann ſie etwas verbrechen, nicht mehr an gelde, ſondern lieber am leibe geſtraffet werden ſollen. Darnach ihr euch denn gebührend zu achten habt. Daran geſchiehet unſer gnâdigſter Wille. Koenigsberg d. 26. Mart.* 1721. Ita vero locari poteſt apud nos iuriſdictio cum praefecturis, quum reliquorum prouentuum vbertas illius veluti ſterilitatem quodammodo penſet: at fieri non poteſt, vt in aeſtimationem, cuius alias modum fuſe ſatis tradidit GRASSIVS (c), veniat, multo minus, vt ſeorſum locetur. Contra vtrumque fieri poſſe, & fieri quotidie, quoties fructuoſa eſt iuriſdictio, nemo non intelligit. Quamobrem ea in re nec quidquam diſcriminis eſt inter *iuriſdictionem* & *imperium merum*, *ordinariam* & *extraordinariam*, *voluntariam* & *contentioſam*. Quum enim maiores noſtri numquam putarint, imperium merum, quod Rom. vocabant, iuriſdictionemque extraordinariam & voluntariam non eſſe poſſe in patrimonio, ſed haec omnia ſpeciali lege eſſe demandanda: numquam dubitatum eſt, ad conductorem iuriſdictionis tranſire etiam iura quaeſtiones habendi de facinoroſis hominibus, tutores dandi, decreta ſuper alienatione fundorum minoris interponendi, adoptiones confirmandi, & quae ſunt huius generis alia. Tantum enim abeſt, vt vel hos actus, vel ipſum imperium merum, a iuriſdictio-

(c) *Graſſ. de modo & iure taxandi iuriſdict. Part.* I. §. *VIIII.*

riſdictione ſeiunxerint Germani, vt iam pridem obſeruauerit celeberrimus THOMASIVS (d), iuriſdictionem apud eos primario conſtitiſſe in coercitione criminum, cauſſarumque ciuilium diiudicationem partem veluti acceſſoriam fuiſſe iuriſdictionis criminalis.

§. VIIII.

An & criminalis, extraordinaria & voluntaria?

Enimuero quum ſemper iurisdictionem ipſam in SVPERIOREM, ALTAM, CRIMINALEM, & INFERIOREM, BASSAM, CIVILEM, vel, vti Germani loquebantur in *Vngericht*, vnd *Gerichte* (e) diſtinxerint: & hinc paſſim in diplomatibus a iurisdictione ciuili diſcernatur *iuſtitia alta & maxima* (f), *altum iudicium* (g), *iudicium colli & manus* (h), *iudicium ſanguinis* (i), *pars iurisdictionis, quae pro capitali reatu & pro effuſione ſanguinis competit* (k): accidit paullatim, vt quidam vtramque iurisdictionis ſpeciem, alii alterutram tantum, adquirerent & in bonis haberent. Ac proinde & hodie permultum intereſt, omnimoda quis iurisdictione, an aliqua eius ſpecie, ſit praeditus, quod quomodo ex inueſtiturae litteris, vel ex verbis priuilegii colligendum ſit, iam alii oſtenderunt (l). Ex eo vero conſequitur, vt iurisdictionis dominus non modo vtramque ſimul, ſed & alterutram ſolam immo & vtramque duobus ſeorſum poſſit elocare, ita, vt vnus conductor cauſſas ſubditorum ciuiles & pecuniarias cognoſcat & diiudicet; alter de criminibus habeat quaeſtiones. Quin non deſunt exempla, quod ne haec quidem tota aliis locetur, ſed locator ſibi aliqua, quae eo pertinent, e. g. exſequutionem reſeruet. Id vero hic praecipue monendum, plerisque locis ad iurisdictionem ciuilem referri ſolere etiam coercitionem criminum leuiorum, veluti in Saxonia (m) *haarrauffen, ſchlaege die nicht toedtlich ſind, noch laemde bringen, daraus auch keine wunde wird, als braun vnd blau, naſen-bluthen, maulſchellen, zahnbluthen, ſo die nicht wackeln, auch andere bluthrunſten, mit naegeln gekratzt, oder ſonſten verletzt, daraus*

(d) Thomaſ. *de iuriſdict. & magiſtr. differ. ſecundum mor. Germ.* §. *LII. ſequ.*

(e) Kreſſ. *diſſ. de iuriſd. omnimoda. Helmſt. MDCC.*

(f) Miraeus *Dipl. Belg. Lib. II. Cap. LXXXXV. & Donat. Belg. Cap.* CVIII.

(g) Heda *de Epiſc. Vltraiect. p.* 324. Schaten *annal. Paderbor. Lib. XI. ad ann.* MCCLVI.

(h) Rango *Dipl. Pomer. p.* 179. Pertuch. *Chron. Port. Cap. III. p.* 131.

(i) Idem *Cap. II. p.* 65.

(k) *Diploma Dobrilug. apud perilluſtr. de* Ludewig. *Reliqu. MSC. Tom. I. pag.* 26. 29.

(l) Kreſſ. *Diſſ. de var. iuriſd. crim. in Germ. gener. Obſ. V.* §. VI.

(m) *Conſt. prou. ann.* MDLV. *tit. Was zu ober-nieder-oder erb-gericht gehöret.*

raus keine wunde noch laehmde erfolget, ſchlechtes luegen-ſtraffen, ſchlechte worte, die auſſerhalb hohen vnd befreyeten perſonem vnd oertern geſchehen, vnzüchtig, muthwillig geſchrey, meſſerzüge, wenn niemand dadurch beſchaediget wird, meſſer vnd verbothene vaffen tragen, verbothene waaren feil haben, verbothene ſpiel ſpielen, deuben, die vnter drey ſchillingen, das iſt, weniger dann 4. *groſchen werth ſeyn etc.* Quae etiam fere repetuntur in LEGIBVS PROV. MAGDEB. (n) niſi quod & furta minora pretio duorum imperialium, itemque damna, bonis illata, ad cognitionem iudicum inferiorum remittuntur. Alibi & alia delicta leuiora coercet iuriſdictionis ciuilis dominus (o), vt adeo ea in re maxime diſcrepent diuerſarum prouinciarum conſuetudines. Ex iis vero facile iam intelligitur, iuriſdictione locata iis locis, in quibus coercitio leuiorum criminum pars iuriſdictionis ciuilis eſt, eam etiam poteſtatem, niſi ſpeciatim excepta (p), ad conductorem merito deuolui.

§. X.

Quis eam poſſit locare? An & conductor eam alii ſublocare poſſit?

Quis iuriſdictionem LOCARE, quiſque eamdem conducere poſſit, ex iis, quae diximus, intellectu non difficile eſt. Locare eam poſſunt omnes, qui illam in bonis habent, ſiue principes, territoriorumque domini, ſiue dynaſtae & nobiles. Quin quum conductor ea, quae ipſe conduxit, alii ſublocare poſſit (q): non eſt dubium, quin, quod ad analogiam iuris attinet, ea non obſtet, quo minus ſublocari etiam poſſit iuriſdictio. Sic ſane ſaepe contingit, vt viro rerum oeconomicarum peritiſſimo, aſt tanto iuris imperitiori, praefectura quaedam vel praedium equeſtre vna cum iuriſdictione locetur. Hic, quum ipſe illam iuris dicundi poteſtatem explicare non poſſit, neceſſario tenetur alii iuriſperito, quem *juſtitiarium* vocant, id negotii dare, vt iſto iudicandi munere fungatur. Quum vero mandare iuriſdictionem poſſit conductor: quidni & illam recte ſublocaret iuſtitiario? maxime quum ſubtile illud iureconſultorum Rom. diſcrimen inter res quae & mandari & locari, & quae mandari quidem, at locari non ſolent (r), Germani in iuriſprudentiam ſuam numquam admiſerint, ac

(n) Ord. polit. Magdeb. *Cap.* LVIII. §. *III.*

(o) Hahn *ad Weſenb. Paratitla. Dig. Lib. II. tit. I. n.* VIII.

(p) *l.* 39. *D. de pactis. Conf.* Franckenſtein *Diſſert. de locat. iuriſd. Cap.* I. §. XV. *p.* 17. 18.

(q) *l.* 24. §. 1. *D. locat. conduct. l.* 6. *C. eod.*

(r) Vid. ſupra *Cap. I.* §. *vlt.*

ac proinde res operaſque, locari apud Romanos non ſolitas, quotidie locare ſoleant, quin leges quaedam prouinciales (s) diſerte caueant, vt iuriſdictionis exercitium a dominis in alios penitus transferri poſſit. Enimuero quum prudenter moneat ALEXANDER Imp. (t) *neminem prohiberi rem, quam conduxerit, alii locare*, SI NON ALIVD CONVENERIT: ſublocationi iuriſdictionis non erit locus, ſi locator id fieri, in ipſo contractu prohibuerit. Vix autem prudentiae regulae permittunt, vt locator conductori poteſtatem ſublocandi faciat, quum vel ipſe perſonae induſtriam ac peritiam elegerit, vel iuris imperito iuriſdictionem ea lege locarit, vt eam per alium iuris peritiorem explicaret. Accedit, quod iuriſdictione alii homini imperito vel ſordido ſublocata, & hoc ſubconductore nundinationem inſtituente forenſem ſacroſanctumque iuris dicundi officium proſtituente, periculum non ſublocatoris, ſed domini ſit futurum, adeoque neminem tam ſtulte facturum credibile ſit, vt hanc ſublocationem permittat. Quamuis enim ſubconductor ſatis idoneam cautionem praeſtet: ea tamen non locatori, ſed conductori tantum, prodeſt, quia res poſterioris conductoris domino non obligantur (u). Et, ſi vel maxime ipſe conductor eo nomine ſatisdederit: ne ſic quidem ſatis proſpectum erit locatori, quia dominus, iuriſdictione ſua abuſus, eiuſdem priuatione puniri ſolet (v). Nec excuſabitur dominus, ſi culpam vel conductori, vel ſubconductori imputare velit, quia ipſe, tamquam dominus, peccaſſe cenſebitur, ſi iuriſdictionem vel meliori non locauerit, vel eamdem cuilibet promiſcue paſſus ſit ſublocari, eaque inaduertentia atque oſcitatione ſua effecerit, vt quilibet aere ſuo ſibi comparare poſſet facultatem in vitam, famam, fortunaſque ſubditorum ſuorum pro lubitu graſſandi.

§. XI.

Quis eam recte conducat?

Sed & conducere iuriſdictionem poteſt, cuicumque alias res conducere licet, niſi vel legibus quis prohibeatur, vel honeſti ac decori regulae aliquem ad huiuſmodi conductionem admitti diſſuadeant. Hinc quemadmodum leges noſtrae praedia ruſtica conducere vetant milites (x) & clericos (y): ita illis nec iuriſ-

(s) *Deciſ. Elect. Saxon.* LXXIII.

(t) *l. 6. C. locat. cond.*

(u) *l. 24. §. 1. D. eod.*

(v) Gail. *Obſ. Lib. I. Cap.* XXVIII. *n.* I. Coler. *Proceſſ. exſequ. Part. I. Cap. II. n.* 281. Matth. Steph. *de iuriſd. Lib. I. Cap.* XXXVIIII. *n.* 6.

(x) *l. 31. C. locat. cond.*

(y) *Nou.* CXXIII. *Cap.* VI.

dictionem ſiue cum praediis, ſiue ſine iſtis, quiſquam recte locabit: quum eaedem cauſſae, quae praediorum conductioni obſtant, etiam iuriſdictionem illis locari diſſuadeant. Nec magis eum ferendum dixerim, qui iuriſdictionem locare non dubitet Iudaeo, quem inde quaeſtum ſordidiſſimum facturum, probabile eſt, maxime quum leges ipſae Iudaeis non modo ad honores ac dignitates (z), verum etiam ad poſtulandi iudicandiue (a) munus aditum plane praecludant, ne illis vlla praebeatur occaſio, Chriſtianos vllo damno adficiendi (b). Id vero aeque facile eueniret, ſi conducere illis liceret iuriſdictionem, ac ſi iuris dicundi muneri praeficerentur. Quod vero doctiſſimus FRANCKENSTEINIVS (c) adhuc arctioribus limitibus hanc conducendi libertatem circumſcribit, illamque iis tantum, *qui officiales eſſe poſſint*, concedendam eſſe exiſtimat: id vereor, vt experientia confirmetur. Quum enim iuriſdictionem etiam indocti, immo & feminae in bonis habere poſſint, & ſoleant (d): quidni eamdem ex conducto habere poſſent? Et ſi illae perſonae iuriſdictionem ſuam per alios peritiores recte adminiſtrant (e): quid prohiberet, quaeſo, quo minus & conductores eam exerceant per alios? Nec deſunt in patria mea exempla, de quibus auctor obſeruationis: *Ob Frauenzimmer das richterliche Amt führen könne?* in NOVELLIS PVBLICIS (f), quae Regiomonti ſingulis hebdomadibus prodeunt, ita loquitur: *Es kan denen adelichen Damen auf den Gütern, allwo ihnen die Iuriſdiction oder Gerichtbarkeit verſchrieben worden, das Richter-amt nicht diſputiret werden, wiewohl ſie ſolches in wichtigen Sachen durch ein delegirtes Gericht gemeiniglich zu exerciren pflegen. Ia wir haben Exempel, daſs bey denen General-verpachtungen derer Königlichen Domainen, da die Iuriſdiction mit verpachtet worden, die Frauen Amtmänninnen vnd General-pächterinnen, wenn ſie nach abſterben ihrer Männer den contract continuiret, die Iuriſdiction in ihrem Amt über alle Beſitzere der unadelichen Güter exerciret.* Talia exempla & alibi exſtant, quae hic multis verbis deſcribere nihil attinet. Quare recte dici poſſe videtur,

(z) *l.* 19. *pr. C. de Iud. & Caelicol. c.* 16. *& c.* 69. *X. de Iud.*

(a) *l. vlt. C. de poſtul. l.* 15. *C. de iud.*

(b) Hahn. *Διάταγμ. Iudaeor.* §. *XIIII.*

(c) Franckenſtein *de locat. iuriſd. Cap.* I. §. *XIII. p.* 15. 16.

(d) Beyer. *Delin. iur. Germ. Lib. I. Cap. IIII.* §. XVI.

(e) Barth. *de iuriſd. quam perſ. illi. per official. exercent.*

(f) *Preuſſ. Intelligentz. ann.* MDCCXXXVII. *n. XXI. d.* 25. *Maii.*

videtur, omnes conducere poſſe iuriſdictionem tamquam acceſſoriam, qui praedia, quibus id ius inhaeret, recte conducunt: ſeorſum neminem, niſi qui idoneus ſit iuri dicundo: niſi princeps conductori, vt alii id det negotium, diſerte permittat.

§. XII.

Ceterum ex ipſa locationis conductionis natura, ad quid obligatus ſit locator iuriſdictionis, facile intelligitur. Nimirum vti alii locatores obligati ſunt ad rei locatae vſum conductori praeſtandum (g), idque niſi fecerint, actione conducti recte conueniuntur (h): ita iuriſdictionis locator praeſtare tenetur iuriſdictionis exercitium, & non modo ipſe conductorem in eo non turbare, ſed & aduerſus alios illum impedientes defendere debet: eaque res eo minus dubii habere videtur, quo magis ex iure conſtat, etiam locatorem ad praeſtandum id, quod intereſt, eſſe obſtrictum, ſi res locata ab alio euincatur (i). Quemadmodum deinde conductori non ſolum rei vſus, verum etiam ea inſtrumenta, ſine quibus re conducta commode vti non poteſt, praeſtanda ſunt (k): ita conductor iuriſdictionis recte a locatore exigit locum iuri dicundo deſtinatum, (*die Gerichts-ſtube*,) libros & protocolla iudicialia, (*Gerichts-Vormundſchaffts-Handlungs-Grund-vnd Hypothequen-Bücher*) acta iudicialia, nec non ſi criminalis locata ſit iuriſdictio, carceres, catenas, compedes; cellas, in quibus dirae quaeſtiones habentur, quin & numellas, patibulum, & quaecumque explicandae illi iuriſdictioni ſunt neceſſaria. Quin niſi aliud placuerit contrahentibus, conductori merito operas praeſtant etiam ſcribae, exſequutores litium, lictores, aliique, qui ante locationem ius dicenti adparebant: maxime, ſi horum hominum non vbique ſit copia. Quamuis res ipſa doceat, his hominibus tunc etiam de ſalario proſpicere debere conductorem, niſi aliae ſint contractus leges, quibus ſtandum eſſe nemo negauerit (l). Praeterea quum ea ſit locationis natura ac indoles, vt locator conductorem ante tempus expellere nequeat, ſed vſum rei locatae & heredibus per tempus contractu definitum relinquere teneatur (m): nemo negauerit,

Obligatio locatoris.

(g) §. *vlt. Inſt. de locat. cond.*
(h) *l.* 10. *C. eod.*
(i) *l.* 9. *pr. l.* 33. *D. loc. cond.* Nic. Burgund. *de culp. & pericul. Cap.* VIII. §. 4.
(k) *l.* 19. §. 2. *D. locat. cond.*
(l) *l.* 23. *D. de reg. iur.*
(m) *l.* 19. §. 8. *D. locat. cond. l.* 10. *C. eod.*

idem ius eſſe in locatione iurisdictionis, dummodo vel ipſorum heredum aliquis iuri dicundo ſit habilis, vel ei rei heredes hominem præficiant idoneum. Contra vti locatio ſucceſſorem ſingularem non obſtringit (n), ac proinde ſoluto iure dantis ius etiam accipientis ſolui recte dicitur (o): ita per ſe patet, ſi praelatus iurisdictionem praedio eccleſiaſtico, vel maritus praedio dotali inhaerentem, in ſexennium locauerit, & locator ante conſtitutum illud tempus diem obierit ſupremum, nec praelati ſucceſſorem, nec vxorem, ad quam fundus dotalis, ſoluto matrimonio, redit ſtare locationi teneri. Quod etiam eo caſu continget, ſi interea ipſum praedium vna cum iurisdictione a domino alienatum fuerit (p), ſiquidem & eo caſu obtinebit πολυθρύλλητον iſtud: *Kauff gehet vor Miethe* (q): niſi forte iis locis quis conduxerit, vbi contraria iactatur paroemia: *Heuer gehet vor Kauff*, (r) vel ſibi hypotheca in praedio conſtituta conſuluerit. Attamen inter caſus, hactenus recenſitos, id intereſt, quod, ſi locatoris ius fuerit temporarium, conductor agere non poteſt ad id, quod intereſt, quum praeuidere potuerit, ius locatoris ante tempus conuentum exſpirare poſſe (s): ſin locator alienatione voluntaria effecerit, vt conductio ante tempus ſolueretur, is recte conueniatur ad id, quod intereſt, maxime quum a culpa non abſit haec alienatio, niſi ea lege alienauerit, vt conductio eadem maneret (t). Sed quaeritur, an & ad expenſas, occaſione iurisdictionis factas, conductori refundendas locator obſtrictus ſit? Quod negant, qui conductorem promiſcue ad omnia iurisdictionis onera ferenda obligatum eſſe, exiſtimant: quum eum, qui emolumenta omnia percipit, etiam onera ferre aequiſſimum videatur. (u) Ego vero permultum intereſſe arbitror inter impenſas, a conductore in exercitium iurisdictionis, & in rem, quae ad iurisdictionem pertinet, ita factas, vt finita etiam locatione conductione locatori vtilitatem praeſtare poſſit. Impenſas enim, quae in vtilitatem rei conductae perpetuam, & vltra conductionis tempus

(n) *l. 9. §. 1. D. eod.*

(o) *l. 31. D. de pignor. l. 4. §. 2. D. de addict. in diem.* Ant. Gomez *Var. reſol. Tom. II. Cap. III. nu.* 8. Cardin. Tuſch. *Tom.*VI. *lit.R. concluſ.*CCLXXII.

(p) *l. 25. §. 1. D. loc. cond. l. 9. C. eod.*

(q) Zaunſchliff. *Diſſ. ſing. ſubiuncta ſpecimini antinom. Meuianar.*

(r) Wiſſenb. *de Curat. bon. dando* §. *XIIII.* Gudelin. *Iur. nouiſſ. Lib. III. Cap.* VII.

(s) *l. 9. §. 1. D. locat. cond.*

(t) *d. l. 25. §. 1. D. & l. 9. C. eod.*

[u] *l. 10. D. de reg. iur.*

pus duraturam, vergunt, conductori a locatore rependendas eſſe, & leges noſtrae ſanciunt (x), & inter omnes iuris interpretes conſtat (y). Hinc quamuis recte obſeruet doctiſſimus FRANCKENSTEINIVS (z), conductorem iurisdictionis obligatum eſſe, ad impenſas neceſſarias inquiſitionum erogandas: ad eos, qui iura pauperum impetrarint, ſubleuandos: ad ferendos ſumtus, in exſequutiones vel ſupplicia facinoroſorum factos, vulgo *das Hencker-Geld*, niſi ſicubi mos inualuerit, vt ſubditi id onus, corrogata pecunia, ferre teneantur: denique ad alimenta infantibus expoſititiis, furioſis, aliiſque perſonis miſeris, conſtituenda: neſcio tamen, an idem dicendum ſit de impenſis, in patibulum nouum exſtruendum, aliaque ſigna iurisdictionis erigenda, factis, quas eodem refert laudatiſſimus FRANCKENSTEINIVS. Sunt enim hae impenſae ita comparatae, vt magis in duraturum praedii vſum, quam in iurisdictionis exercitium, factae videantur. Denique quum fructus iurisdictionis adeo incerti ſint, vt, qui eos conducit, ſpem fere conduxiſſe videatur: facile patet, non obligatum eſſe locatorem, ad partem mercedis remittendam, ſi forte tam pacifice viuant ſubditi, vt intra aliquot annos nulla lis inter eos oriatur, vel ſi accidat, vt diu ita deliquerit nemo, vt ab eo mulcta exigi poſſit. *Eſt enim ea iurisdictionis indoles, vt nonniſi per auerſionem poſſit locari: in huiuſmodi vero locatione fieri non poteſt, quin penes conductorem ſit periculum,* (a) *iſque adeo ferre teneatur damnum, ſi ſpei, quam in conductione conceperat, euentus haud reſpondeat.* Alia tamen eſt ratio, ſi externae cauſſae exercitium iurisdictionis impediant, veluti ſi inter arma ſileant leges (b), vel aliud incidat iuſtitium, ob quod conductor ex conducta iurisdictione nullum fructum capere potuerit. Tunc enim ad partem mercedis pro ratione temporis remittendam obſtrictum eſſe locatorem, recte animaduertit laudatus FRANCKENSTEINIVS (c), quamuis, ſi breue illud iuſtitium tanto maiore inſequentis temporis ſportularum prouentu penſetur (d), vel omnes hos caſus conductor ultro ſuſceperit,

(x) *l.* 55. §. 1. *l.* 66. *D. loc. cond.*

(y) Garſ. *de expenſ. Cap. XIIII. n. X. ſequ.* Alu. Valaſc. *quaeſt. XXV. n.* 32. Menoch. *de arbitr. iud. quaeſt. Caſ. CCXV. n.* 4. Carpz. *Part. II. Conſt.* XXXVII. *def.* XXVI.

(z) Franckenſt. *Diſſ. de locat. iurisd. Cap. II.* §. V.

(a) *l.* 36. *D. locat. cond.*

(b) *l.* 33. *D. eod.*

(c) Franckenſtein *ibid. Cap. III.* §. VI.

(d) *l.* 15. §. 4. *D. loc. cond.* Carpz. *Part. II. Conſt. XXIII. def.* 2.

perit (e), eum remiſſionem hanc fruſtra petiturum, facile vnuſquiſque intelligat.

§. XIII.

Itemque conductoris. Sed & conductoris in quo conſiſtat obligatio, ex ipſa contractus natura ſatis manifeſtum eſt. Primo enim per ſe patet, eum penſionem ex compacto ſoluere debere tempore conſtituto, vel, ſi certum tempus in ſyngrapha vel contractu non expreſſum ſit, ſub finem ſingulorum annorum (f), vel ſi, in aliqua prouincia aliud non inualuerit, finita locatione (g). Deinde, vti penſione in ſingulos annos promiſſa, eaque per biennium non ſoluta, expelli conductorem iura permittunt (h): ita eodem iure vti poſſe locatorem iurisdictionis, nulla idonea dubitandi ratio eſt. Tum porro, ſicuti conductorem ad diligentiam & culpam leuem praeſtandam teneri (i); ſi vero re ſibi locata, ſiue phyſice, vti aiunt, ſiue moraliter, turpiter abutatur, iure ſuo priuari expellique poſſe, expediti iuris eſt (k): ita & iurisdictionis conductorem ipſa contractus indoles ad omnem diligentiam & ſanctitatem quae in iudicem bonum ac religioſum cadit, obſtringit. Ac proinde ſi negligentia culpaue ſua damnum dederit locatori, ad ſarciendum illud iure meritoque adigitur. Sin iurisdictione conducta ad opprimendos innocentes abutitur, turpiue ſententiarum nundinatione quaeſtum facere ſtudet, iuſtitiae adminiſtrationem ad ſe confugientibus praefracte denegat, in cauſſis cognoſcendis finiendiſque nullam legum & conſtitutionum, nullam ordinis, rationem habet: nulla ſane illi fiet iniuria; ſi ei ante finitum tempus iuriſdictionis adimatur exercitium, nec homini tam nefario diutius permittatur, in vitam, famam, bonaque ſubditorum ſuo arbitrio graſſari, & veluti impune in foro facere latrocinium. Quare & neceſſitas, ipſaeque prudentiae regulae, exigunt, vt conductor iuriſdictionis, ſi ipſe ius dicere velit, iureiurando ſeſe prius obſtringat ad iuſtitiam adminiſtrandam, leges ſeruandas, omnes ſordes religioſe fugiendas, vti tales iuriſiurandi formulae in omnibus fere conſtitutionibus prouincialibus ius dicentibus praeſcribuntur. Quin conſultum fuerit,

(e) *l. 9. §. 2. D. eod.* Vinn. *Quaeſt. ſelect. Lib. II. Cap. I.*

(f) *arg. l. 29. D. de verb. obl.*

(g) Berger. *Oeconom. Iur. Lib. III. Tit.* V. §. 24. Franckenſt. *ibid. Cap. II. §. III.*

(h) *l. 54. §. 1. l. 56. D. locat. cond.*

(i) *l. 5. §. 2. D. Commod. l. 23. D. de reg. iur.*

(k) *l. 3. C. loc. cond.*

rit, eo nomine exigi idoneam cautionem, vt eo ſecurior ſit locator, ſi forte conductor male eo fungatur officio. Sed haec ſimiliaque, quum ad conſilia magis, quam ad ius, pertineant, hic merito praetermitto, maxime quum iam plures ſcribenti mihi paginas animaduertam procedere, quam diſſertationi deſtinaueram, adeoque vela demum contrahenda, portuſque reſpiciendus eſſe videatur.

§. XIIII.

Quos iuriſdictionis fructus percipiat conductor?

Quum vero eo fine quis conducere ſoleat iuriſdictionem, vt fructus & prouentus, inde ad locatorem redituros, percipiat: merito quaeritur, in quibuſnam emolumenta illa conſiſtant? Et hic otium nobis omnino fecit ſaepe laudatus FRANCKENSTEINIVS, (l) recte diſtinguens iuriſdictionem perſonalem & patrimonialem. Illa enim ſine reſeruatione conducta, conductori cedunt omnia, quae occaſione iuriſdictionis accepta, praefecti in rationes referre antea ſolebant, qualia in Saxonia ſunt *die commiſſion- vnd geleits-ſtraſſen*, *Hülffs-und Abzugs-Gelder*, *Gerade vnd Heergewette*, *ſo dem Amte heimgefallen* (m). At tunc multo magis conductor capiet ſportulas, quantas iudicantibus concedunt leges publicae, immo & mulctarum partem, quae in pleriſque Germaniae prouinciis relinqui ſolet praefectis & iudicibus. Sin patrimonialem iuriſdictionem quis conduxit: eos fructus omnes ſibi iure vindicat conductor, qui antea domino iuriſdictionis cedebant, cuius iuribus etiam omnibus, quae in locatione non excepta ſunt, vtitur: vti pluribus exemplis, quae tamen maxime ad Saxoniam electoralem pertinent, rem omnem illuſtrauit laudatus FRANCKENSTEINIVS (n). Sic ſane vbi iuriſdictionis dominis cedunt bona vacantia, gabellae, cenſus detractionis, ſportulae, mulctae, pecunia pro reluitione rerum pignoratarum ſoluenda, (*pfand-gelder*) ibi eadem omnia etiam conductor iure capit, niſi quid ſpecialiter exceptum ſit. At, quae dominus non occaſione iuriſdictionis, ſed tamquam poſſeſſor praedii, percipit, veluti operas, cenſus, canones, laudemia, maritagia, mortuaria, iuriſdictione ſeorſum locata, ad conductorem non transferuntur. Sed haec ita comparata ſunt, vt ab vnoquoque facile intelligantur, quamuis ea omnia in diuerſis prouinciis diuerſimode

(l) Franckenſt. *de locat. iuriſd. Cap. III. §. II. ſequ.*

(m) Horn. *Conſultat. reſponſ. & ſent.* p. 721. Berger. *Oecon. Iur.* p. 683.

(n) Franckenſt. *ibid.* §. *III.*

ſimode ſe habere oporteat. Prout enim plus minuſue indulgetur ipſis iuriſdictionis dominis: ita & conductoribus plus minuſue fructuum ac emolumentorum cedere, neceſſe eſt. Quare id tantum addo, iis locis vbi non admodum fructuoſa eſt iurisdictio, veluti vbi ius ſine ſportularum exactione dicendum eſt, ibi ei, qui iuriſdictionem vna cum praefectura vel praedio conduxit, promitti ſolere ſalarium annuum, quo caſu tamen conductorem praedii, non tam iuriſdictionem conduxiſſe, quam operas ſuas, quamuis alias locari non ſolitas, pro certa mercede locaſſe dixeris.

§. XV.

An regulis prudentiae ſatis conueniat haec locatio conductio?

Quantumuis vero iuri non refragetur, & hinc paene quotidiana ſit, haec iuriſdictionis locatio: tantum tamen abeſt, vt magnopere ſit laudanda, vt, niſi hic omnes prudentiae neruos intendant legislatores, ea facile cum ſumma iuſtitiae clade coniuncta eſſe poſſit. Ita ſane non ſeliguntur iudices, vti olim, quando iure canebat HORATIVS (o):

Siue iubebat;
Vt facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc:
Vnum ex IVDICIBVS SELECTIS *obiiciebat.*

ſed ſumuntur: neque, qui altero melior, iuſtior, prudentior eſt, ſed qui plus licitatur, iuri dicundo, magno ſubditorum incommodo, praeficitur. Olim eodem teſte HORATIO (p), ex iudicandi munere, quo quis functus erat ſaepius, colligebant, non poſſe non illum virum bonum eſſe.

Vir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges iuraque ſeruat:
Quo multae magnaeque ſecantur IVDICE *cauſſae.*

Hodie ſtulte faciat, qui ex munere illo, quod ineptiſſimus quisque & ſordidiſſimus pecunia ſua conducit, de alicuius integritate & bonitate iudicium ferre velit. Accedit, quod ita plerumque contingat, vt venalis habeatur quaeſtuique turpiſſimo proſtituatur iuſtitia, res inter homines ſanctiſſima. Quemadmodum enim propolae & venalitiarii, quod ſolidum auro ſuo ſibi compararunt, id minutatim non exiguo lucro diuendunt: ita illi conductores iuriſdictionis, quando ex eo, quod conduxerunt, fructus

(o) Horat. *Lib. I. Serm. Satyr. IIII. v.* 123.
(p) Idem. *Lib. I. Epiſt.* XVI. *v.* 40.

ctus quam vberrimos capere ſtudent, non peccare, ſed officium ſuum facere ſibi videntur. Neque enim fieri poteſt, inquit IVSTINIANVS (q), vt qui aurum dat, quique eo pacto ſibi adminiſtrationem comparat, idque non de ſuo fortaſſis praebet, ſed mutuum ſumit, non ſecum ratiocinetur, conueniens eſſe tantum a litigatoribus recipere, quantum ad diſſoluendum aes alienum ſuum ſatis ſit. Vnuſquiſque ſane dat operam, vt lacunas rei familiaris expleat, & imminutos hac conductione numos quam primum redintegret. Denique, ſicuti iam pridem obſeruauit SENECA (r), *non mirum eſſe, prouincias ſpoliari, & numarium tribunal, audita vtrimque licitatione, alteri addici, quando, quae emeris, vendere gentium ius ſit*: ita experientia docet, ſuo ſibi iure vti videri conductores iuriſdictionis, ſi mercenariam habeant iuſtitiam, mercede conductam, operamque dent, vt ex iuris dicundi poteſtate, tamquam fundo ſuo, pecuniae, quantum poſſint, plurimum conficiant. Quod quanto cum reipublicae detrimento coniunctum ſit, cogitando quiſque facilius, quam dicendo, adſequetur.

§. XVI.

Sic demum finem facio differendi: quumque in eo vniuerſae reipublicae beatitudo poſita ſit, ſub finem precor DEVM, iuſtitiae ſtatorem, omnibus principibus eam det mentem, vt & ipſi iuſtitiam colant, & non niſi iis deferant iuris dicundi poteſtatem, qui ſimiles ſint Lollio iſti, de quo HORATIVS (s): *Concluſio diſſertationis.*

Vindex auarae fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniae,
Conſulque non vnius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Iudex, honeſtum praetulit vtili, &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, & per obſtantes cateruas
Explicuit ſua victor arma.

Vtinam vero ita Themis vere rediret e caelo, terraſque reuiſeret, eius abſentis deſiderium vix ferentes! Sic demum futurum eſſet,

[q] *Nouell.* VIII. *praef.* §. *I.*
(r) Seneca *de Benef. Lib.* I. *Cap.* VIII.
(s) Horat. *Carm. Lib.* IIII. *Od.* VIIII. *v.* 37.

eſſet, vt obuiae ſibi inuicem fierent benignitas & fides, iuſtitiaque & pax ſe inuicem exoſcularentur! Sic demum contingeret, quod de Auguſti ſaeculo gloriatur HORATIVS (t):

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas:
Pacatum volitant per mare navitae:
Culpari metuit fides:
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperae:
Culpam poena premit comes.

Faxit hoc, qui poteſt omnia, DEVS immortalis, cui ob ſtudia mea, adhuc clementia ſua mirifice ſubleuata, innumeraque, quae in me per omnem vitam contulit, beneficia, ſit laus, honor, gloria, in omnem aeternitatem.

(t) Idem *ibid. Od. V. v.* 17.

DE VENDITIONE ILLICITA FRVCTVVM IN HERBIS.

EXERCITATIO XXXIIII.

§. I. *Dominii origo.* §. II. *Poſſunt eius effectus, & inprimis libera de rebus diſpoſitio lege reſtringi.* §. III. *Inuecto dominio opus fuit contractibus & praecipue emtione venditione.* §. IIII. *Quid emtio venditio? & cur contractus conſenſualis?* §. V. *Dubium, quod huic theſi obſtare videtur, remouetur.* §. VI. *Quid de venditione, ſuper qua contrahentes inſtrumentum fieri volunt?* §. VII. *cur periculum perfecta emtione pertineat ad emtorem?* §. VIII. *Traditio quomodo facta?* §. VIIII. *An hodie in immobilibus ſufficiat traditio ad transferendum dominium?* §. X. *An dominium demum per reſignationem iudicialem transferatur?* §. XI. *Quae res venire poſſint? An & non exſiſtentes?* §. XII. *Emtio ſpei & rei ſperatae.* §. XIII. *An fructuum futurorum licita ſit iure Romano venditio?* §. XIIII. *An iure Germanico vetere?* §. XV. *An iure Germanico nouo?* §. XVI. *Eius iuris declaratio per Receſſ. Imp. de anno* 1577. §. XVII. *Aliarum gentium leges ſimiles.* §. XVIII. *Conſtitutionum emtioni futurorum fructuum oppoſitarum ratio.* §. XVIIII. *Sanctio poenalis addita, & quando ei locus ſit?* §. XX. *An & ad alios caſus extendi poſſit haec prohibitio?*

§. I.

Dominii origo

OMnia, ſi primaeuum rerum ſtatum conſideres, relicta fuerunt in communione quadam negatiua, ita vt vere in nullius eſſent dominio, quamuis vſus pateret ſingulis. Hinc VIRGILIVS (a), laudans aureum illud ſaeculum, & id obſeruat, nihil tum in vllius dominio fuiſſe :

Nec ſignare quidem aut partiri limite campum
Fas erat : in medium quaerebant.

Quae deinde repetit, & Saturni in Italia regno adplicat MACROBIVS (b). Aucto vero humano genere & in innumeras gentes diſtracto, nec omnibus ſufficiente vna prouincia, ſuas ſibi quaelibet gens ſedes quaeſiuit, occupataſque prouincias ita aliquamdiu communes habuit, vt nihil eſſet priuatum & neceſſaria tamen a ſingulis recte occuparentur. Nemo ergo tum aliquid ſibi eſſe proprium, dicere poterat, ſed vnum quaſi cunctis erat patrimonium (c). Quo autem homines ius ſuum in res creatas communes exercere, iiſque peculiariter vti poſſent, adprehenſione & occupatione opus erat. Haec deinde paullatim proprietatem huius rei occupatae tribuebat adprehendenti, ſi ea mente, vt ſibi haberet, illam occupaſſet. Atque inde factum, vt res antea communes tunc fierent propriae & priuatae, dum ad alios eodem modo non amplius pertinebant, quo nunc ſpectabant ad occupantem. Sic CICERO (d) : *Sunt*, inquit, *priuata nulla natura, ſed aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt aut bello, aut lege, pactione, conditione, ſorte &c.*

§. II.

Poſſunt eius effectus, & inprimis libera de rebus diſpoſitio lege reſtringi.

Quamuis igitur proprietas eum in finem inuecta ſit, vt vnus vel quidam ſoli gaudeant facultate illis pro arbitrio vtendi in ſui commodum, (*§.* I.) & potiſſimus dominii effectus tam in vſu rerum, quam in libera de iis diſponendi facultate conſiſtat : haec tamen poteſtas non ſemper ab vtentis arbitrio ſolum dependet, vt ille ius habeat rei ſuae aut retinendae aut amittendae, ſed pro neceſſitate & vtilitate reipublicae ciuiumque ſalute variis pedetentim reſtricta ac determinata eſt modis. Quemadmodum enim bonorum

(a) Virgil. *Georg. Lib.* I. *verſ.* 126.
(b) Macrob. *Saturn. Lib. I. cap.* 8.
(c) Lud. Molina *de Iuſt. & Iure Tract. I. Diſp.* IV. *n.* 8.
(d) *Lib. I. de Officiis cap.* VII.

norum ciuium eſt, omnes vires ſuas vnice ad conſeruandam tuendamque rempublicam: ita & domini res omnes ita ſuas eſſe iudicare debent, ne illarum vſu omni excidat reſpublica. Hinc nemo vitio verterit Principi, ſi vſui rerum noſtrarum praeſcribat leges, quamuis hoc ipſo libertas diſponendi de rebus noſtris arctioribus limitibus ſimul circumſcribatur. Intereſt enim & *expedit reipublicae, ne quis re ſua male vtatur* (e): & vti vere ſcripſit SENECA (f): *Omnia regem imperio poſſidere, ſingulos dominio*: ita Idem recte ſtatuit: *Summam Maieſtatem, quae omnium ciuium bona imperio quaſi poſſidet hanc habere poteſtatem, id quod naturae lex domino permittit, vetandi & facultatem ei naturaliter competentem certis limitibus circumſcribendi.* Propterea vero ipſum dominium veris dominis neutiquam ſubtrahitur, quod ſcilicet illa poteſtas, quam dominium tribuit, quodammodo impeditur & reſtringitur. Ita enim impeditur tantum vſus aliquis & effectus dominii, vt, ſublato hoc impedimento, reſtituatur. Et haec eſt ratio, cur dominium definire ſoleant, quod ſit ius in re, ex quo facultas de ea diſponendi eamque vindicandi naſcitur, niſi vel *lex* vel conuentio vel teſtatoris voluntas obſiſtat. Vnde iam laudatus SENECA (g): *Non eſt*, inquit, *argumentum, ideo aliquid tuum non eſſe, quia vendere non potes, quia conſumere, quia mutare in deterius aut melius non potes. Tuum enim eſt etiam quod ſub certa lege tuum eſt.* Eatenus nempe quis moderator & arbiter eſt rerum ſuarum, quatenus iure non prohibetur (h).

§. III.

Quibus autem ſolis competit facultas rebus quibuſdam pro arbitrio vtendi in ſui commodum, illi gaudent rerum earundem proprietate, (§. II.) eius vero haec eſt indoles, vt, quod cuique ex dominiorum diſtinctione peculiare factum eſt, id ſine cauſſa illi auferri non poſſit. Itaque introducto ſemel rerum dominio, neceſſario homines ea, quae ſibi deeſſe animaduertebant, aut ab aliena liberalitate exſpectare, aut intercedente contractu aliquo ſibi comparare cogebantur. In aliorum liberalitate parum plerumque praeſidii erat, ex quo refrigeſcente caritate & in peius lapſo humano genere,

Inuecto dominio opus fuit contractibus, & praecipue emtione venditione.

Mm 3 *Proti-*

(e) §. 2. *Inſt. de his, qui ſui vel alien. iur. ſunt.*

(f) Seneca *de Beneficiis Lib.* VII. *cap.* V.

(g) Seneca *de Beneſic. cap.* XII.

(h) Hermann. Latherus *de Cenſu Lib. I. cap. VIIII. n.* 46. & Cothmann. *Vol. III. Reſp. II. n.* 29. *ſeqq.*

Protinus irrupit venae peioris in aeuum
Omne nefas, fugere pudor, verumque fideſque,
In quorum ſubiere locum fraudeſque dolique,
Inſidiaeque & vis, & amor ſceleratus habendi (i).

Opus ergo erat contractibus, quibus ſibi quiſque id, quo indigebat, ab altero ſtipularetur. Quum enim ſaepius eueniret, vt, quod alteri deerat, alteri ſupereſſet, & quaelibet regio ſibi ipſi non ſufficeret, medio illo opus fuit, ne intercideret iſta, in qua viuebant, ciuilis ſocietas. Hinc varii naſcebantur contractus, quibus humanis neceſſitatibus ſuccurrebatur. Contractus enim ad commodam rerum & officiorum in ciuili ſocietate communicationem & neceſſarii & idonei videbantur, vt alter, quod ipſi deerat, ab altero volente acciperet. In his primum atque antiquiſſimum fuiſſe contractum permutationis inter omnes conſtat, cuius origo humanae debetur indigentiae, quippe quae homines primum coegit, quum pecuniae vſus non eſſet, vt ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum inutilia vtilibus permutarent. Hinc omnes gentes, antequam ad cultiorem vitam traductae pretium aliquod eminens, quod pecuniam vocamus, habere coepiſſent, vice rerum commercia exercebant, quipe quod de Germanis antiquiſſimis TACITVS (k), de Scythis IVSTINVS (l), de Hiſpanis STRABO (m), de ipſis Graecis HOMERVS (n), de Romanis PLINIVS (o), de aliis alii memoriae prodiderunt. Quin notum eſt, eo commercii genere & noſtris temporibus vti gentes quaſdam barbaras, quibus nullus auri argentiue ſignati vſus eſt. Quamuis vero exiſtimare quis poſſet, contentos eſſe potuiſſe mortales ſimpliciſſimo illo & naturae conuenientiſſimo commercii genere: res ipſa tamen mox docuit, illud ad rei ſummam non ſufficere. Quum enim fatente PAVLO (p) non ſemper nec facile concurreret, vt, quum alter haberet, quod alter deſideraret, hic inuicem haberet, quod ille accipere vellet, emtionem venditionem mox

(i) Ouidius *Metamorph. Lib. I. v.* 128. *ſequ.*

(k) Tacitus *de Mor. Germ. cap. V.*

(l) Iuſtinus *Hiſtor. Lib. II. Cap. II.*

(m) Strabo *Geogr. Lib. III. p.* 233.

(n) Homerus *Iliad. Lib.* VII. *v.* 482. Locum habes §. 2. *Inſt. de emt. vend.* & *l.* 1. §. 1. *D. de contr. emt.*

(o) Plinius *Hiſt. Nat. Lib.* XVIII. *Cap. III.* & *Lib. XXX. Cap. I.*

(p) *l.* 1. *pr. D. de contrah. emt.*

mox nummo per gradus (q) inuento, & poſtea reliqui contractus (r) in vſu eſſe coeperunt.

§. IIII.

Quid emtio venditio? & cur contractus conſenſualis?

In his autem perpoliendis contractibus admodum ſollicita fuit Iuriſprudentia Romana, ab eiusque conditoribus in eo potiſſimum elaboratum, vt cuilibet contractui certam tribuerent formam certumque ordinem, ita quidem, vt, niſi quis iſtam ſecutus eſſet formam, nec validus eſſet contractus, nec valida inde naſci videretur obligatio. Hinc variae oriebantur ſpecies, quas recenſere meum non eſt, dum praeſentis inſtituti ratio hoc neque poſtulat, neque concedit. Quamobrem vt ad propoſitum meum eo propius accedam, omnibus aliis contractuum generibus poſthabitis, ad ſolam emtionem venditionem me conuertam, qui mihi viam muniet ad inſtitutum. Emtio venditio vero eſt contractus conſenſualis de re pro certo pretio alteri tradenda (s). *Conſenſualem* eſſe contractum dicebant Romani, quod ſolo conſenſu perficiatur, ſubſtantiamque capit emtio venditio (t); In omnibus enim contractibus ſolum conſenſum ſufficere noluerunt, ſed praeter illum in aliis *rei traditionem*, in aliis *verborum conceptionem* & in aliis *literas* deſiderabant. Quum enim ſemel diſcrimen ſtatuiſſent inter pacta & contractus, fidemque, teſte GELLIO (u), *in negotiorum contractibus ſanxiſſent*, pactum vero, quatenus nudi placiti fine ſtat, obligationem ciuilem & actionem producere nollent (x), cuius rei rationes eleganter reddit EMVNDVS MERILLIVS (y): fieri ſane non potuit, vt omnia negotia, in quibus duorum pluriumue conſenſus intercederet, pro contractibus haberentur. Si enim fingas, vnum mutuam rogare pecuniam, alterum promittere, vel duos conſentire in depoſitum dandum & reci-

(q) Egregie id docet Salmaſius *de Vſuris cap.* XV. *Aes*, inquit, *erat rude, quod in permutationem ſaepius veniebat, aurum argentumque infectum. Nam ab his ad nummum tandem per gradus deſcenſum eſt. Poſt aes rude progreſſus eſt vſus ad certam aeris quantitatem, quae pondus ſuum nota ſua praeferebat. Sic ad nummum ventum eſt. Iſque tandem communi conſenſu receptus eſt & pro inſtrumento habitus expedito & facili ad explicandas omnes permutationes.*

(r) §. 2. *Inſt. de Iur. Nat. Gent. & Ciu.*

(s) *l.* 1. §. 2. *l.* 2. §. 1. *l.* 8. *pr. de contr. emt.*

(t) §. *vnic. Inſt. de obligat. quae ex conſenſu & pr. Inſt. de emt. vendit.*

(u) Gell. *Noct. Attic. Lib. XX. Cap. I.*

(x) *l.* 7. §. 5. *D. de Pact.*

(y) Merill. *Obſeruat.* Lib. VII. Cap. XXXVIIII.

recipiendum, in rem commodato dandam & accipiendam, denique in pignus tradendum accipiendumque: nihil aliud erat hic mutuus conſenſus, quam pactum de credendo, deponendo, commodando, pignore dando, non ipſum mutuum, depoſitum, commodatum & pignus. Sed & inter pactum de dando aliquo faciendoue & contractum nihil interfuiſſet, niſi diſcrimen feciſſet verborum ſollemnitas. Itaque in his omnibus contractibus praeter conſenſum vel rei traditionem, vel verba ſolemnia, vel literas requirebant. In paucis ſolum conſenſum ſufficere credebant. Illi vero contractus, qui ſolo peraguntur conſenſu per excellentiam *conſenſuales* dici coeperunt. Conſenſum quidem tam mutuum, quam perſpicuum, & liberum & non ſimulatum; immo etiam in eandem rem directum, neceſſarium & iuxta mentem Romanorum deſideratum fuiſſe ipſa res loquitur, quum alias partim imperfecta fuiſſet venditio (z), partim nuda & imaginaria, quippe quae, vti loquitur ICtus PAVLVS (a), pro non facta haberetur.

§. V.

Dubium quod huic theſi obſtare videtur, remouetur.

Dum vero dictum eſt, emtionem venditionem ſolo conſenſu perfici, (§. IIII.) huic enunciato, id repugnare videtur, quod antequam res ex emto petatur & actio emti competat, pretium dari, & antequam actioni venditi ſit locus, rem traditam eſſe oporteat. Ait enim VLPIANVS (b): *Offerri pretium ab emtore debet, quum ex emto agitur, & ideo etſi pretii partem offerat, nondum eſt ex emto actio*; & IVLIANVS (c): *Qui pendentem vindemiam emit, ſi vuam legere prohibeatur a venditore aduerſus eum petentem pretium exceptione vti poterit, ſi ea pecunia, de qua agitur, non pro ea re petitur, quae venit neque tradita eſt.* Ex his enim colligere quis poſſet, non *ſolo conſenſu* emtionem perfici, alioquin etiam, quam primum de pretio & re conuentum fuerit etiam antequam ſolutum pretium, reſue emtori ſit tradita, actionem emti venditi eſſe naſcituram, quum perfecta cauſa perfectum ſoleat producere effectum. Enimuero *pretium offerri & res tradi debet*, non vt actio ex emto vendito naſcatur, ſed vt actio emti venditi ſit efficax, id eſt talis, quae nulla euerti queat exceptione. Paria enim eſſe videntur non habere actionem & actionem habere, quae eliditur exceptione, vel, vti PAVLVS rem

(z) *l.* 9. *D. de contrah. emt.*
(a) *l.* 55. *D. de contrah. emt.*
(b) *l.* 13. §. 8. *D. de action. emti.*
(c) *l.* 25. *D. eod.*

(d) rem eloquitur „ *nihil intereſt, ipſo iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.* Emtio venditio quamprimum de conſenſu conſtat actionem producit, ſed neuter contrahentium cum effectu illam inſtituere poteſt, nec ex ſua parte eam fundatam habet ad conſequendum id, quod ſibi viciſſim debetur, niſi contractui faciat, quod ſatis eſt. Inique enim, rem ſibi venditam tradi, petere cenſetur emtor quum contractum non adimpleuerit, nec pretium venditori praeſtiterit; Nec minus iniquus eſt venditor, qui re non tradita pretium petit. *Quam ineptum,* inquit TERTVLLIANVS (e), *quam iniquum eſt, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere.* Quare ante implementum actionem intentans per exceptionem non adimpleti contractus iuſte repellitur (f). Nullum itaque eſt dubium, quin eo non obſtante perfecta ſit emtio, ſi partes de pretio & re inter ſe conuenerint (g); licet eo ipſo nondum conſummatum ſit negotium, quum ad illud, vt & pretium ſolutum, & res tradita ſit, requiratur (h).

§. VI.

Quid de venditione, ſuper qua contrahentes inſtrumentum fieri volunt?

Quae quum ita ſint non pretii numerationem, ſed conuentionem ſine ſcriptis perficere emtionem facile intelligitur, (§. V.) praeterquam ſi eam in ſcriptis fieri placuerit; tunc enim emtio non aliter perfecta erit, vireſque habebit, niſi omnibus partibus abſoluta fuerit ſcriptura (i). Licet vero hoc caſu auctoritate iuris ciuilis contractus natura alterari videatur, vt, quod per ſe tale non erat, fiat eſſentiale (k): id tamen non impedit, quo minus contractus hic ſit conſenſualis. Ipſis enim contrahentibus conſenſum ſuum ſuſpendere placuit tantiſper, dum ſcriptura perficeretur. Contractibus vero legem dare pacta & conditiones adiectas, expeditiſſimi iuris eſt. Quamobrem licet ſcriptura, tanquam conditio, in hoc negotio praeter contractus naturam interueniat: non tamen ipſe mutatur contractus in literarium, quem

(d) *l.* 13. *l.* 112. *l.* 115. §. 1. *D. de diuerſ. reg. iur.*

(e) Tertullian. *de Poenitentia Cap. VI.*

(f) Brunnemann. *ad l.* 13. §. 8. *de action. emti.* Struu. *Ex. XXIII. th.* 113.

(g) *pr. Inſt. de emt. vendit. l.* 2. §. 1. *D. de contrah. emt. l.* 1. §. 2. D. *de rer. permut.* Vinnius *ad pr. Inſt. de emt. vendit.*

(h) *l.* 1. *C. Quando liceat ab emt. diſcedere. l.* 2. *ff. de reſcind. vendit.*

(i) *pr. Inſt. de emt. vendit. l.* 17. *C. de Fide Inſtrument.* Menoch. *Lib.* III. *Praeſumt.* 148. *n.* 1. Franzkius *ad Dig. Tit. de contrahend. emt. n.* 17.

(k) Bachouius *ad Treutl. Vol. I. Diſp.* 29. *th.* 9.

& chirographarium vocant, ſed manet conſenſualis. At conſenſus-in eandem rem & idem pretium non prius intelligitur, quam inſtrumentum emtionis (*der kauff-Receſs*) fuerit ſubſcriptum omnibusque partibus abſolutum (l). Requiritur porro, vt iam, antequam inſtrumentum conficiatur, contrahentium voluntas liquido ſit declarata, quo adpareat, hoc inter ipſos contrahentes actum eſſe: nec prius contractum perfectum eſſe debere, facile patet, quam inſtrumentum plene ſit confectum (m): quum alioquin in dubio probationis cauſſa adhibita videatur ſcriptura (n). Iuris ergo analogiae conuenientius eſt ſtatuere, vt vt de ſcriptura conuenerint, hanc tamen conuentionem eos litteris inire noluiſſe; quum verba contrahentium in dubio ſecundum naturam contractus, quem ineunt, intelligi debeant (o). Natura vero contractus emtionis venditionis, vt per ſe ſpectata conſenſu perficiatur, ſed formam accipit ex voluntate & pactis contrahentium: vnde BACHOVIVS (p) dicit, emtionem venditionem habere naturam vel *eſſentialem & communem* ex iure Gentium, vt perficiatur nudo & ſimplici conſenſu, vel *aduentitiam & accidentalem* ex conuentione ſeu partium voluntate, vt ſcilicet perficiatur in ſcriptis. Attamen haec natura aduentitia & accidentalis, ſi eam cum BACHOVIO ita vocare fas eſt, Germanis olim non fuit accidentalis ſed eſſentialis, vt egregie obſeruauit ILLVSTR. DN. PRAESES ſtudiorum meorum PROMOTOR SVMMVS (q). Apud eos enim legibus moribuſque receptum fuerat, vt accederet vel literarum teſtimonium vel teſtium auctoritas, quoties res immobiles aliaeue alicuius momenti venirent (r), praeſertim ſi quis emeret ab

(l) B. Henr. Coccei *Diſſ. de Different. pact. & ſtipulat. Sect. I.* §. 4. *& de Iure Poenitendi Sect. II.* §. 3. Perill. L. B. de Cocceii *in Iur. Controu. Lib.* XVIII. *Tit. I. Qu. I.*

(m) Mornac. *ad l.* 17. *C. de Fide Inſtr.* Lauterbach *ad Tit. Dig. de contr. emt.* §. 1. *n.* 2.

(n) *l.* 4. *D. de Pignor. l.* 5. *C. de tranſact.*

(o) B. Stryk. *Caut. Contr. Sect. II. Cap.* VIII. §. *I. & Vſ. Mod. de Contr. Emt.* §. 10.

(p) *ad pr. Inſt. de emt. vendit.*

(q) *in Element. Iur. Germ., Lib. II. Tit.* XIIII. §. 383.

(r) Hinc LEX WISIGOTH. *Lib.* V. *Tit.* IIII. §. 3. adfirmat: *Venditionem per ſcripturam factam plenam habere firmitatem. Caeterum ſi etiam ſcriptura facta non fuerit & datum pretium praeſentibus teſtibus comprobetur, plenum habeat emtio robur.* Cui quoque reſpondet LEX BAIVVAR. *Tit.* XV. *Cap. II.* §. *I. Si quis vendiderit poſſeſſionem ſuam alicui, terram cultam, non cultam, prata vel ſyluas poſt acceptum pretium, aut per chartam, aut per teſtes comprobetur firma emtio.*

ab eccleſia (s), quacum huiuſmodi contractum non ſine periculo aliquo celebrari, ſatis notum peruulgatumque eſt.

§. VII.

Conſtat itaque ex his dictis, conſenſum in rem & pretium huius contractus eſſentiam abſoluere (t). Quod adeo verum eſt, vt periculum rei venditae ad emtorem pertineat, licet pretium nondum numeratum, nec ipſa res fuerit tradita (u). Nam pretii numeratio & rei traditio non tam ad eſſentiam quam ad implementum emtionis venditionis pertinent. Alia ſcilicet eſt emtionis perfectio, alia eiuſdem adimpletio ſeu conſummatio. (§. V.) Iure quidem naturali traditio ad dominii translationem non requirebatur, ſed ſolo conſenſu rerum dominia transferri poterant, dum ſola abdicatione, ore vel litteris facta, ius ab vno in alterum tranſiit (x). Quam ſimplicitatem iuris naturae & gentium ex ipſis ICtis Romanorum agnouiſſe videtur CAIVS (y), dum ſcribit: *nihil tam conueniens eſſe naturali aequitati, quam voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam vaberi.* Si quis ergo olim rem alteri datam, translatumque dominium vellet, & alter in hac voluntate adquieſceret, dominium ipſi erat adquiſitum, & quae poſtea accedebat traditio aut adprehenſio, poſſeſſioni tantum adquirendae inſeruiebat, vti Vir Excellentiſſimus ICtus Celeberrimus I. G. WOLFIVS (z) belliſſime docet. Hinc nec opus eſt diſtinctione PVFFENDORFFII (a) inter dominium ſeparatim a poſſeſſione conſideratum, & cum eadem coniunctum. Neque enim opus eſt dominium cum poſſeſſione coniungere, quum alterum ſine altero commode ſubſiſtat. Poteſt enim dominus eſſe iure gentium, qui non poſſidet, & poſſidere qui non eſt

Cur periculum perfecta emtione pertineat ad emtorem?

N n 2

(s) vt oſtendit LEX ALAMAN. *Tit.* XVIIII. *Res eccleſiae de laicis abſque charta nullus praeſumat poſſidere, & ſi chartam non oſtenderit, quod comparaſſet a Paſtore eccleſiae poſſeſſio ſemper ad eccleſiam pertinet.*

(t) *pr. Inſt. de emt. vendit. l. 8. pr. l. 72. D. de contrah. emt.*

(u) §. 3. *Inſt. de emt. vendit. l. 8. pr. D. de Peric. & commod. rei vend.*

(x) Grotius *de Iure B. & P. Lib.* II. *Cap.* VI. §. I. *n.* 2. & *Cap.* VIII. §. 25. *it. Cap. XII.* §. 15. Otto ad Puffendorff. *de Offic. Hom. & Ciu. Lib.* I. *Cap. XII.* §. 14. Puffendorff. *de Iure Nat. Lib. IIII. Cap.* VIIII. §. 7. Huber *Lib.* IIII. *Digreſſ. Cap.* VIII. §. 2.

(y) *l. 9. §. 3. D. de A. R. D.* & §. 40. *Inſt. de R. D.*

(z) *in Inſtitut. Iuriſprud. Natural. Part. II. Sect. I. Cap.* VIII. §. 17.

(a) *in Iure Nat. & Gent. Lib. IIII. Cap.* VIIII. §. 6.

eſt dominus (b). Sed hanc ſimplicem iuris naturalis viam non retinuerunt Romani, quippe qui pro rerum qualitate ad earum dominium adquirendum in aliis partim mancipationem, partim ceſſionem in iure, partim traditionem requirebant (c). Quod ſi itaque res emtori, licet emtione perfecta, nondum tradita ſit, venditor adhuc dominus eſt, quia huius rei dominium ſecundum eorum principia non nudis pactis ſed traditione in alterum tranſit; (d) & tamen nihiloſecius rei venditae periculum ad emptorem pertinere volunt. Eius rei, vt ſit, alii alias adferunt rationes. Vir acutiſſimi ingenii rectique iudicii GER. GOTLL. TITIVS (e), Romanos ea in re iuris naturalis principium, ſecundum quod emtor & ante traditionem fiat dominus, ſequutos eſſe exiſtimat: Sed inuita, vt opinor, Themide. Quomodo enim, niſi ſui oblitos illos eſſe dicamus, ſequi potuerunt principium, quod ipſi vbique reiiciunt, negantes, ſola conuentione, & ſine traditione transferri rerum dominia (f)? Quis illos tam doctrinarum ſuarum immemores, tamque inſtabiles ipſoque trocho verſatiliores fuiſſe credat, vt principium aliquod modo deſtruerent, modo eidem tanti momenti concluſionem ſuperſtruere non dubitarent? Alias ergo, easque conſultiſſimas rationes habuerunt veteres, cur, nondum translato dominio, periculum tamen omne & commodum, perfecta emtione venditione, tranſire ad emtorem debere, cenſerent, quas veluti in nucleo exhibet eximius ICtus GER. NOODTIVS (g): *Emtor perfecta emtione, ſtatim eſt creditor rei venditae: venditor contra eſt debitor. Interitu autem naturali ſpeciei debitae liberatur ſpeciei debitor* (h). *Non minus vera eſt ſequens* IVSTINIANI *ratio* (i), *quod venditor ex natura contractus vtriusque contrahentis vtilitati conſulentis, tantum de dolo & culpa lata & leui tenetur* (k), *& quidquid ſine his accidit, in eo ſecurus*

(b) Quod etiam adfirmatur *in l.* 52. *pr. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. Proprietatem cum poſſeſſione miſceri non oportere. l.* 12. §. 1. *eod. l.* 1. §. 2. *D. vti poſſidet.*

(c) Vlpianus *in Fragment. Tit.* XVIIII. §. 2.

(d) §. 3. *Inſt. de emt. vendit. l.* 20. *C. de Pact. l.* 11. *D. de action. emti. l.* 6. *C. de hered. vel act. vendit.*

(e) Titius *Obſeruat. ad Puffend. de offic. hom. & ciu. Lib. I. Cap. XV.* §. 9. *obſ.* 372. & *ad Lauterbach. obſ.* 558.

(f) *l.* 20. *C. de Pact.*

(g) Ger. Noodt *Comment. ad Pand. p.* 412. *Tom. II. oper.*

(h) *l.* 23. *D. de verb. oblig.*

(i) §. 3. *Inſt. de emt. vendit.*

(k) *l.* 5. §. 2. *D. commod.*

curus eſt. Poſtremo ait VLPIANVS (l), *quod & alibi traditum* (m), *caſus fatales in nullo bonae fidei iudicio praeſtari.* Accedit, quod huiuſmodi iuris diſpoſitionem ipſa ciuilis prudentia ſuadere videretur. Intentio enim legislatorum fuit, vt conſuleretur venditori (n), eatenus vt de pretio eſſet tanto certior, nec emtor cunctaretur. Venditoris ſane hoc vnicum eſt votum, vt pretium accipiat, eique hac in re ſuccurrit legislator, emtorem per obligationem ad periculum etiam ante traditionem compellens ad pretium numerandum & rem accipiendam. Caeterum in hoc IVS etiam ALAMANNICVM conuenit cum Romano, quod, licet res vendita ſit in dominio venditoris, nihilominus periculum ſit emtoris, vti ſatis intelligimus ex IVRE SVEVICO (o). Neque tamen hoc vbique olim obſeruatum eſſe teſtatur THEOPHRASTVS (p). Plurimis enim legum conditoribus placuit, & hodie quibuſdam placet, vt ad traditionem vſque aut, vbi iudicialis requiritur reſignatio, ad hanc vſque res commodo & periculo ſit venditoris; (q) ſic facile adparet, qua ratione GROTIVS (r) hanc iuris doctrinam inter *iuris ciuilis commenta* referat.

§. VIII.

Verum enim vero quia non ſemper commode fieri poterat omnium rerum traditio, Romani etiam permiſerunt, vt interdum ſine traditione nuda domini voluntas ad rei translationem ſufficeret; quamquam deſiderabant, vt res eſſet talis, qualis nuda voluntate ſtatim transferri poterat, quaeque veram & naturalem rei ipſius traditionem non requirebat, quod euenire putabant, ſi quando dominus rem, antea ex cauſſa ad dominium transferendum minus habili alteri traditam, alio & fortiori inpoſterum titulo penes alterum eſſe vellet, ſcilicet ſi rem, quam ex locato, commodato vel precario antea poſſidebat, donatam alteri cuperet. Eo enim caſu ipſa declaratione facta, ex peculiari fingebant ra- *Traditio quomodo facta?*

 tione,

(l) *l. 23. D. de diuerſ. reg. iur.*
(m) *l. 6. C. de pignor. act.*
(n) *l. 17. D. de peric. & commod. rei vend.*
(o) iuxta Meichſnerum *fol. 53. Vnd gib ich einem Mann ein Gut zu kauff, vnd gibt er mir ſein Leykauff daran, vnd das Gut bleibt in meiner Gewalt, vnd vvird es mir geſtohlen, der Schad iſt ſein, vnd mein nicht, hab ich ſein gehütet, als ich von Recht ſollt.*
(p) apud Stobaeum *Serm.* CXLV. *de Legibus pag.* 458.
(q) *Ordinat. Polit. Magdeb. cap. XXII.* §. 2.
(r) Grotius *de Iure B. & P. Lib. II. cap. XII.* §. 15.

tione, quaſi res domino ſuo iam ſit reſtituta & poſtea iuſta ex cauſa in adprehendentem translata, quod ICti *breui manu traditum* vocant (s). Ab hac fictione iſte traditionis modus nominatus eſt fictus, vtpote quam fictionem neceſſario poſtulat legislatio Romana, dum iuxta illam traditio nihil efficiebat aliud, quam vt res ab acceptante naturaliter teneretur (t). Si vero iam hoc modo res apud alterum erat, ulteriori traditione, dummodo ſubeſſet titulus ad transferendum dominium habilis, non indigebat, quum hoc caſu fictio idem, quod veritas, efficeret & operaretur. (u) Alias quoque huius fictae traditionis ſpecies fuiſſe inter iuris peritos conſtat, veluti, ſi alter alteri poſſeſſionem concedit per rei demonſtrationem, quia tunc adprehenſio poſſeſſionis oculis & adfectu fieri ſolet (x). Id quod admodum conuenit iuriſprudentiae Romanae, quae in omni traditione deſiderat adprehenſionem cum animo ſibi habendi, quam adprehenſionem, quum in hac ficta traditione naturaliter fieri non poſſet, ſufficere voluerunt Romani, ſi *oculis & adſectu* fieret. Et haec fuit ratio diſpoſitionis: fictam traditionem fieri oportere in re praeſenti, vt rei traditae adprehenſio, ſi non corpore & actu, tamen oculis & adfectu fieri poſſet. Aliud hac in re placuit Germanis, quamquam apud illos ſollenniſſime expediebatur traditio, potiſſimum in rebus pretioſis: in ſymbolica tamen traditione rei praeſentia nunquam deſiderata eſt, ſed, vbicunque commodum eſſet, fieri potuit (y). Poſſemus hic

(s) *l. 3. §. penult. D. de donat. inter vir. & vxor. l. 43. D. de Iure dot. l. 9. §. 3. D. de A. R. D. l. 21. pr. D. de adquir. vel amit. poſſeſſ. l. 18. D. de precar. l. 6. D. de donat. l. 62. D. pr. de euict. §. 43. Inſt. de R. D.*

(t) *l. 1. pr. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.*

(u) *l. 6. §. 2. D. de precar. l. vnic. C. de rei vxor. act.* Cochinam Tom. I. *Reſp. IIII. n. 54. Tom. II. Reſp. 59. n. 312.* Conſil. Marpurg. *Vol. II. Conſ. XIIII. n. 1.*

(x) Hanc poſſeſſionis adprehenſionem probat PAVLVS *in l. 1. §. 21. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* putans: *Non corpore & actu poſſeſſionem adprehendere neceſſe eſſe, ſed etiam oculis & adſectu. l. 18. §. 2. eod. l. 74. D. de contrah. emt.*

(y) Vt conſtat ex LEGE WISIGOTH. *Lib. V. Tit. II. §. 6. Res donata ſi in praeſenti traditae ſunt nullo modo repetantur a donatore. Quod ſi etiam prouenerit, vt, quod donatur, longe ſit poſitum, pro eo donatio euacuari non poterit, quia tunc videtur vera eſſe traditio, quando jam apud illum ſcriptura donationis habetur, in cuius nomine conſcripta eſſe dignoſcitur.* Cui merito iungimus LVDOVICI PII Imperatoris *Capitul.* VI. *ad* LEG. SALIC. *in Conuentu Aquiſgranenſi anno* MCCCXVIIII. *additum: Si quis res ſuas pro ſalute animae ſuae, vel ad aliquem venerabilem locum vel propin-*

hic plura addere de traditione ſymbolica, quae apud Romanos itidem in re praeſente fieri neceſſe erat, niſi omnia iam pridem in vulgus nota eſſent. Sic vina tradita videbantur, quum claues cellae vinariae (z): merces in horreo, ſimul ac claues horrei emtori traditae fuiſſent (a). Quare id tantum moneo, nullas fuiſſe gentes horum ſymbolorum magis curioſos Germanis & qui eiusdem cum Germanis originis erant. Modo enim loco agri tradebant caeſpitem cum ramuſculo (b), quae ipſa Danorum *ſcotatio* eſt (c), modo per effeſtucationem (d), vel *andelangum* (e), modo adhibitis pro arbitrio aliis quibuscunque rebus (f) rerum dominia in alios transferebant. Quid? quod apud Anglos ſola propinatione ipſis ſanctis res traditas eſſe reperiamus. Exſtat enim apud CAMBDENVM charta, ex qua patet, *Indilatum quemdam Eboracum diuertiſſe, & cornu, quo bibere conſueuerit, vino repleſſe & coram altari Deo & Beato Petro, Apoſtolorum principi, omnes terras & reditus, flexis genibus propinaſſe* (g). Tam amantes nimirum iurisprudentiae ſymbolicae fuerunt Germani, vt quum V. C. OTTO *de iurisprudentia Romanorum ſymbolica* exiguum at pereruditum libellum adornauerit (h), de iurisprudentia ſymbolica Germanorum, cuius Vir doctus IO. GVIL. HOFFMANNVS

propinquo ſuo, vel cuilibet alteri tradere voluerit & eo tempore intra ipſum comitatum fuerit, in quo res illae poſitae ſunt legitimam traditionem facere ſtudeat. Quod ſi eodem tempore, quo illas tradere vult extra eundem comitatum fuerit, id eſt, ſiue in exercitu, ſiue in palatio, ſiue in alio quolibet loco, adhibeat ſibi vel de ſuis pagenſibus vel de aliis, qui eadem lege viuant, qua ipſe viuit, teſtes idoneos; vel ſi illos habere non potuerit, tunc de aliis, quales ibi meliores inueniri poſſint, & coram eis rerum ſuarum traditionem faciat, & fideiuſſores veſtiturae donet ei, qui illam traditionem accipit, vt veſtituram faciat; Et poſtquam haec traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de praedictis rebus valeat facere repetitionem. Idem eſt, quod Sigonius *Lib. III.* de Regno Italiae *ad annum* DCCLV. *refert: Fulradum Pipini Francorum Regis procuratorem, claues vrbium Pontifici Romano donatarum Romae in templo Petri depoſuiſſe.* Quod non tantum inter veteres Germanos, ſed & inter alias gentes liberas, ſemper obſeruatum fuiſſe legimus relatum apud Leonem Oſtienſem *in Chronico Caſſinenſi Lib. II. cap.* 39.

(z) *l.* 1. §. *penult. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.*

(a) §. 45. *Inſt. de Rer. Diuiſ. l.* 74. *D. de contr. emt. l.* 9. §. 6. *D. de A.R.D.*

(b) Monach. Braueuillerenſ. *apud* Leibnit. *Script. rer. Brunſu. Tom. I. pag.* 315.

(c) *c.* 2. *X. de conſuet.*

(d) Frid. Sande *de Effeſtucat.* Illuſtr. DN. PRAESES *Elem. iur. Germ. Lib. II. Tit. III.* §. 75.

[e] Ill. DN. PRAESES *ibid.* §. 76.

(f) Idem *c. l.* §. 77.

(g) Idem *c. l.* §. 78.

(h) *Vltrai.* 1730. 8.

MANNVS ſpecimen aliquod publici iuris fecit (i), iuſtum facile volumen conſcribi ab earum rerum perito poſſet.

§. VIIII.

...ſe in immobilibus ſufficiat traditio ad transferendum dominium?

Simul ac ficta haec traditio facta fuiſſet, emtori ſtatim competebat, aut ſimul data intelligebatur facultas rem ita traditam propria auctoritate occupandi. Quum autem hoc modo inſignes abuſus non tantum metuerentur, ſed etiam re ipſa poſtea ſequerentur, puta vt alter alienam rem ſic ſibi traditam iniuſte inuaderet: in ſequentibus ſeculis apud Germanos mos inualuit, vt bonorum immobilium alienatio aliter rata non eſſet, nec licet traditione accedente, dominium transferretur, quam ſi in iudicio ſollemniter eſſet declarata (k). Iſta vero traditionis ſollemnitas conſiſtebat in eo, vt vel apud acta vel in praeſentia teſtium, quorum numerus pro qualitate rei tradendae praeſcriptus erat, fieret, ſiue res eſſet parua, ſiue magna (l). Ex quo adparet traditionem apud veteres Germanos ſollenniſſime ſemper factam, idque multis retro ſeculis iam obſeruatum fuiſſe, vt in iudicio ſollenniter fieret. Quamobrem eorum ſententiam non ſequor, qui iſtam declarationem in iudicio factam, quam vulgo reſignationem, iudicialem, *die gerichtliche Auflaſſung*, vocant, antiquo Quiri-

(i) *Francoſ. ad Viadr.* 1736. 4o.

(k) *Ius Weichbild. Art. XX. & Ius Prou. Sax. Lib. I. art.* 34. *& Lib. II. art.* 30.

(l) Quod perſpicue colligi poteſt tam ex LEGE WISIGOTH. *Lib. V. Tit.* IV. §. 3. quam ex LEGE BAIVVAR. *Tit.* XV. *cap. II. §. I. Si quis vendiderit poſſeſſionem ſuam alicui poſt acceptum pretium aut per chartam aut per teſtes comprobetur firma emtio --- duo vel tres vel amplius debent eſſe teſtes.* Nec non ex LEGE RIPVARIORVM *Tit.* LVIIII. §. 1. in verbis: *Si quis alteri aliquid vendiderit & emtor teſtamentum venditionis accipere voluerit in mallo hoc facere debet, & pretium in praeſente tradat & rem accipiat & teſtamentum publice conſcribatur. Quod ſi parua res fuerit, ſeptem teſtibus firmetur: ſi autem magna duodecim roboretur.* In adhibendis vero teſtibus non reſpiciebant veteres ad eorum aetatem, vtrum iuſtae ſint aetatis, an pueri, quia actus erat memoriae, quem eo melius infantes expedire poſſe putabant; praeſertim ſi ſigno quodam ad attentionem excitarentur, vt rei eo magis eſſent memores, quod oſtendit LEX RIPVAR. Tit. LX. §. I. *Si quis villam aut vineam vel quamlibet poſſeſſiunculam ab alio comparauerit & teſtamentum accipere non potuerit, ſi medioeris res eſt cum ſex teſtibus & ſi parua cum tribus, quod ſi magna cum duodecim ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat, & ſic eis praeſentibus pretium tradat & poſſeſſionem accipiat, & vnicuique de paruulis alapas donet & torqueat auriculas, vt ei poſtmodum teſtimonium praebeant.*

Quiritium iuri adſcribere intendunt (m). Huic quodammodo ſimilem eſſe dicere licet. Sicuti enim dominium Quiritarium eo iure non nuda traditione ſolum transferebatur, ſed praeter illam iam mancipationem, iam ceſſionem in iure, interdum etiam adiudicationem requirebat, & res ſub hac qualitate hactenus poſſeſſae non prius dicebantur vere alienatae, ſi non in poteſtatem & poſſeſſionem alterius regulariter per traditionem aptumque titulum ad transferendum dominium vna cum mancipatione & ceſſione in iure perueniſſent (n): ita iure Germanico alienatio bonorum immobilium ad effectum dominii transferendi praeter traditionem iudicialem deſiderat reſignationem. Sed ex hoc antiquo Quiritium iure non petenda eſt origo moris Germanici, quo vſi ſunt maiores noſtri ante, quam ius Romanum illis innotuit. *Et ſane quamuis inter ſe commune quid habere videantur in iure ceſſio Romanorum & reſignatio illa Germanica: re ipſa tamen quam maxime differunt, vt non potuerit haec ex illa naſci, quippe plane diuerſo fundamento ſubnixa.* Nimirum apud Romanos dominus rem in iure cedebat non magiſtratui, ſed ei, cui illam traditam vellet: & magiſtratus illam huic addicebat, *non quod ſibi tradita eſſet, ſed quod cedens eam non contrauindicaret* (o). Apud Germanos *vero reſignatio non fit emtori, ſed iudici, isque deinde re illa immobili* inueſtit emtorem. Vnde Germani dicunt, *der käuffer habe das haus in Lehn vnd Würden empfangen,* ceu recte obſeruauit Vir Doctiſſimus GEORGIVS BEYERVS (p), qui etiam paullo poſt recte obſeruat, veram hanc eſſe inueſtituram a magiſtratu, tamquam domino directo factam, quamuis res ipſa ſit allodialis. Quid vero ſimile haec inueſtitura habet cum addictione, quae ceſſionem in iure ſequebatur? *Sed ita*, eodem obſeruante BEYERO (q), *torqueri ſolent, qui defixis in ius Romanum ſolum oculis, vlterius circumſpicere non audent.*

(m) Coler. *Part.* I. *Deciſ.* XVI. *n.* 20. Andreas Meyer *de Inueſtitura Saxonica in rebus allodialibus immobilibus cap.* 2. *n.* 15.

(n) Vlpianus *in Fragm. Tit.* XVIIII. §. 2. *l.* 20. C. de *Pactis. l.* 50. *D. de rei vind. l.* 18. *D. de vi & vi armat. l.* 3. §. 1. *D. de act. emti. l.* 31. *D. de A. R. D.*

(o) Barn. Briſſon. *de form. pop. Rom. Lib. V. p.* 375.

(p) Georg. Beyer *Poſit. iur. Germ. Lib. I. Cap.* XVIIII. §. 10.

(q) Beyer *ibid.* §. VIII.

§. X.

An dominium demum per reſignationem iudicialem transferatur?

Et haec ſaluberrima ſanctio de reſignationis iudicialis neceſſitate eſt, quam in bonis immobilibus alienandis tam ob vtilitatem publicam, quam ſecuritatem emtorum retinuerunt non tantum Saxones, ſed & plerique Germani (r), adeo, vt illa nec hodie obſoleuerit, ſed pro locorum diuerſitate ad reſignationem iudicialem retinendam & ius ſcriptum & non ſcriptum concurrat (s); hoc effectu, vt, niſi illa accedat traditioni, ſola rerum immobilium traditio emtori facta non proſit ad adipiſcendum dominium, ſed hoc tamdiu maneat apud venditorem, donec illa ſit ſecuta. Ex quo adparet quid ſtatuendum ſit de controuerſia, quae inter CARPZOVIVM & FRANZKIVM agitata eſt, vtrum dominium demum per reſignationem & inueſtituram, an ſtatim per traditionem transeat ad emtorem? Quum enim CARPZOVIVS (t) cum RAVCHBARO, BERLICHIO aliisque Doctoribus Saxonicis reſignationi demum iudiciali hunc effectum tribuat: traditionem potius ad transferendum dominium ſufficere ſtatuit FRANZKIVS (u), quem fere ICti Ienenſes, veluti RICHTERVS (x) & STRVVIVS (y), ſunt ſequuti. Nos vero a nobis impetrare non poſſumus, vt FRANZKIO potius, quam CARPZOVIO ſuffragemur. Nam quum praecipuum, quod in reſignatione iudiciali fieri ſolet, ſit inueſtitura *die Reichung des Grundſtücks in Vehn vnd Würden*: in rebus vero per inueſtituram transferri ſolitis ius in re vna cum poſſeſſione per inueſtituram propriam demum transferatur, adeo vt inueſtitus eam a quouis poſſeſſore poſſit vindicare (z): quis neget, etiam in allodialibus inueſtituram illam ſolam tribuere verum ac plenum dominium? Quin ne SCHILTERVM (a) quidem rem acu tetigiſſe arbitror, dum traditionis iudicialis neceſſitatem iure Saxonico communi ad bona tantum cenſitica & emphyteutica reſtringi exiſtimat. Vix enim iura Saxonica, ſi vel maxime de illis ſolis loquatur, hoc largiuntur, dum in omni alienatione quorumcunque praediorum reſignationem iudicialem deſiderant,

(r) *Specul. Saxon. Lib. I. art.* 8. & 59. *Specul. Sueuic. art.* 308.

(s) Moller *ad Conſtit. Elector. XXIII. Part. I. n.* 16. *verſ. ex vſu enim communi patriae.* Zobel *in addition. ad art. VIIII. lit. a.*

(t) Carpz. *Lib. I. Reſp.* CII.

[u] Franzk. *variar. reſol. Lib. II. quaeſt.* 12.

(x) Richter *de Concurſu Credit. Cap. II. memb. XIX. n.* 17. *ſequ.*

(y) Struu. *exerc. XXIII.* §. 109.

(z) Ill. Henr. Coccei *Hypomn. iuris feud. Tit.* VI. §. 8.

(a) *Exerc. XXX.* §. 123.

rant, quod ſatis verba generalia SPECVLI SAXONICI (b) & WEICHBILDI (c) oſtendunt, vtpote quae cum iure Sueuico (d), ac Lubecenſe (e), quorum conſtitutio etiam generalis eſt, optime conueniunt; ne dicam de generali ratione introductae reſignationis quae ad omnia bona omneſque alienationes pertinet, vt plenius euincit Celeberrimus ICtus Wittebergenſis LEYSERVS (f). Vt iam non dicam, Saxoniam Electoralem promulgata deciſione nouiſſima (g) agnoſcere vetus illud principium, vt non tantum ratione bonorum feudalium, emphyteuticorum ac cenſiticorum, ſed etiam rerum allodialium immobilium ad dominium transferendum iudicialis neceſſaria ſit reſignatio. Quamobrem ANDREAS MEYERVS (h) ad hanc deciſionem ſequentibus vtitur verbis veris magis quam latinis: *In Electoratu Saxoniae dominium plenum rerum allodialium immobilium praeceſſa cauſſa vel venditionis vel alius alienationis non transfertur, niſi & inſequatur ceſſio atque reſignatio iudicialis, & ſequatur inueſtitura.* Cui iuri etiam reſpondet Ordinatio Politica Magdeburgica (i) cum multis aliis (k).

§. XI.

Nunquam vero emtionis venditionis contractui accedere poteſt implementum, ſcilicet pretii numeratio reique traditio, niſi quoad eſſentialia plane ſit abſolutus. Conſenſum in rem & pretium huius eſſentiam abſoluere dixi, (§. VII.) inde nullus ſine re dici poteſt contractus emtionis venditionis; res autem, quae venditur, vt non ſolum ſit in commercio, ſed etiam vt exiſtat, deſideratur (l), quia alias nullus eſt contractus (m). Quod ſi maior rei pars exiſtit, valet quidem venditio, & emtor venditionem implere cogitur, pretio tamen ad aequitatem redacto, niſi ſciuerit venditor partem iam periiſſe; tunc enim quia dolus interuenit, vel nulla intuitu huius partis eſt emtio vel emtori, quod intereſt, reſtituere debet venditor (n). In eo enim actu, quippe qui eſt emtio venditio, in quo lex ex bono & aequo

Quae res venire poſſint? an & non exiſtentes?

Oo 2 vult

(b) *Lib. I. art.* 8. *&* 59.

(c) *Art. XX.*

(d) *Art.* CCCVIII.

(e) *Lib.* III. *Tit.* VI. *art.* I.

(f) Leyſer *in Meditat. ad Dig. Specim.* CCCCXXXXVI. *medit. I.*

(g) *LXI.*

(h) *de inueſtitura Saxonica in rebus allodialibus immobilibus.*

(i) *cap. XXII.* §. 2.

(k) Sande *ad Conſuet. Feud. Geld. Tr. II. cap. I.* Vinnius *ad* §. 41. *I. de R. D. n.* 4. *& ad* §. 3. *de emt. vendit. n.* 9.

(l) *l.* 15. 34. §. 1. *de contr. emt.*

(m) *l.* 69. *de Verb. Obligat.*

(n) *l.* 57. *pr. &* §. 1. *D. de contrah. emt.*

vult eſſe agendum, ad alterius detrimentum fraus cum ſcientia concurrere non debet, ſed ſi vnus contrahentium vitium aliquod ſcit, alteri illud, vt detegat, neceſſe eſt. Omnium autem rerum, quas quis habere vel poſſidere vel perſequi poteſt, venditionem recte fieri ait PAVLVS (o), ita vt non tantum res corporales, ſed etiam res incorporales, immo etiam iura, eaque tam vniuerſalia, quam ſingularia, venire poſſint, & quodlibet ius agendi contineat emtio venditio. Interdum tamen ratione iurium vendendorum multum intererat, vtrum actu, an vero potentia exiſtant; dum iura vniuerſalia, *ſcilicet hereditas* in emtionem venditionem venire non poterant, niſi actu exiſterent, quod alias illa in rerum natura non eſſe reputabant Romani (p), quum e contrario iura ſingularia vendi omnino poſſint, licet tempore contractus res, quibus inhaerent, corporales nondum exſiſtant. Quam differentiam laudatus PAVLVS nobis ſuggerit, illamque & potiſſimum intuitu hereditatis ex proprio Quiritium iure, vt pluribus demonſtrauit SCHILTERVS (q). Nimirum emtio venditio iuris vniuerſalis ſeu hereditatis, incidebat in pactum ſucceſſorium diſpoſitiuum, quod de futura hereditate certae perſonae non valebat, niſi tertius ille conſentiret, in eaque voluntate ad extremum vſque halitum perſiſteret. Immo adeo ab huiusmodi pactis ſucceſſoriis abhorrebant Romani, vt *ea odioſa & plena triſtiſſimi ac periculoſi euentus*, immo *contra bonos mores inita* vocare non dubitet IVSTINIANVS (r). Id quod eo minus mirum videtur, quod idem & aliis gentibus cultioribus, maxime Hebraeis, placuiſſe video, quibus & olim male audiuit, & ideo etiamnum vapulat Eſauus, quod ius primogeniturae fratri pro pulte vendiderit (s). Immo ne Germanos quidem, pactorum ſucceſſoriorum alioquin amantiſſimos, diſpoſitiua illa promiſcue admiſiſſe, ex vetuſtiſſimis eorum legibus ſatis conſtat (t). Haec ergo vera fuit ratio, cur iurium vniuerſalium adhuc futurorum venditionem, non admitterent Romani, quum tamen nihil obſtaret, quo minus recte veniret iam delata hereditas. Ad alias res quod attinet, parum aut nihil intereſt, illae actu, an potentia exſiſtant. Omnes enim in com-

(o) *l.* 34. §. 1. *eod.*

(p) *l.* 1. 7. *D. de heredit. vel action. vend.*

(q) *Exerc. XXX.* §. 59.

(r) *l. vlt. C. de Pact.*

(s) *Geneſ. XXV.* 29. *ſequ. Hebr. XII.* 16. 17.

(t) Capitular. *Lib. VII.* §. 328. Ius Prou. Sax. *Lib. II. art.* 30. Ius Alam. *Cap.* 272.

commercio eſſe nouimus, modo poſteriori caſu res exſiſtere poſſit. Futura enim emi & vendi poſſe, iuris eſt indubitati, eatenus, vt fiat vel purus, vel conditionalis contractus. Si enim res, quae quidem exſiſtit, ſed cuius poſſeſſio tamen futura eſt, venditur, iſta venditio ſtatim facit obligationem puram, nec exſpectatur eius rei poſſeſſio, ita, vt emtio contrahatur ac pretium debeatur, etiamſi poſſeſſionem nondum adquiſiuerit emtor, quia emtio ſpei eſt (u). Sin res, quae non actu exſiſtit, extitura tamen eſt ſeu ſperatur, in contractum emtionis venditionis deducitur, illa emtio conditionalem parit obligationem, adeo, vt ſi res ſperata non producatur, nihil etiam ab emtore ſoluendum ſit, & contractus is deficiente ſubintellecta conditione reſcindatur (x). Et hoc eſt, quod Doctores alias nominare ſolent *emtionem ſpei & rei ſperatae*, quae emtionis genera eo accuratiorem merentur diſtinctionem, quo magis variat illarum adplicatio.

§. XII.

Emtio ſpei & rei ſperatae.

Et hanc differentiam inter emtionem *rei ſperatae* & *ſpei* fundamento ſatis ſolido niti docet ICtus POMPONIVS (y), qui emtionem ſpei fieri dicit: quando alea venit in emtionem. Quamquam autem idem adfert, emtionem contrahi ſine re, quando alea emitur; id tamen non ita intelligendum eſt, ac ſi emtio aleae ſit emtio non-entis; (qui enim aleam vult vendere, illam vt habeat neceſſe eſt, ſcilicet ius capiendi feras aut piſces, quod vel ipſe ſuo commodo aut periculo exercere, vel alteri ſpem pretio ementi ipſius periculo commodoue exercendum concedere poſſit,) ſed in emtione aleae tantum emolumentum illud, quod emtor ſpe votoque ſibi deſtinat, incertum, & quaſi in alea poſitum eſt, ipſum vero ius venandi, aucupii, piſcationis certum; vt euictum dedit PETRVS MVLLERVS (z), quocum omnino iungendi ſunt, qui totum illum textum POMPONII egregie, vti ſolent, illuſtrant, GER. NOODTIVS (a) & PETR. PANTOIA DE AYA-

(u) *l.* 8. §. 1. D. *de contr. emt.* Hilliger in Donell. *Lib. XIII. cap. I. lit.* G. Franzkius *ad Tit. Dig. de contr. emt. n.* 118.

(x) *l.* 8. *pr.* D. *de contr. emt.* Brunnemann. *ad dict. leg.* Carpzou. P. *II.* C. 37. *Def.* 25. Molina *de I. & I. Tr.* II. *Diſp.* 340. *n.* 4. Tulden. *ad Tit. C. de emt. n.* 4.

(y) *cit. l.* 8. *de contrah. emt.*

(z) Petr. Müller *ad Struuium Ex. XXIII. th.* 26. *lit. e.*

(a) Noodt *Commentar. ad Pandect. Tom. II. Op. pag.* 393. *ſeq.*

LA (b), ICtus humaniſſimus, qui, quidquid ad aleam pertinet, tam praeclare expoſuit, vt aliis ne ſpicilegium quidem reliquiſſe videatur. Sicuti vero in aleae tanquam ſpei emtione deſideratur alea: ita quoque in emtione rei ſperatae requiruntur fructus futuri, atque hinc fructus in herbis in hunc cenſum non veniunt, quia res, quae venditur, tempore contractus non ſperatur, ſed iam adeſt, licet adhuc ſit imperfecta, & quoad quantitatem indefinita. Ex quo adparet, emtionem hanc eſſe puram, & in emtorem tranſire periculum, adeo, vt ſi caſu perierint fructus, hic omne pretium, niſi aliud actum ſit, ſoluere teneatur (c), nec ob ſterilitatem emtori fiat remiſſio pretii, quum hoc venditionis genus, vtpote quod directo ad fructus refertur & pertinet, emtorem inter ſpem & metum lucri damnique conſtituat, quo caſu propter incertum contractus euentum damnum contingens attendi non debet, maxime quod talis laeſio abſque dolo venditoris ex poſt facto accidat (d).

§. XIII.

An fructuum futurorum licita ſit iure Romano venditio?

Quum autem iura humana non omnibus in locis ſint eadem, ſed vtilitate & vſu communi ciuium ponderentur & conſtituantur: ſequitur, vt ad leges & mores cuiusuis ciuitatis in omnibus perficiendis negotiis praecipue ſit reſpiciendum. Et ſic quoque ratio eorum habenda eſt, ſi quaeritur, quae res in emtionem venditionem deduci poſſint, quaeque non poſſint; quum illarum rerum, quas natura, vel gentium ius, vel mores ciuitatis commercio exemerunt, nulla ſit venditio (e). Iura quidem Romana varias nobis deſignarunt res, quarum emtionem venditionem prohibuerunt; at illa tamen regulam non conſtituunt tam firmam ac ſtabilem, vt ab ea non poſſit recedi. Sane, vt rem illuſtremus exemplo, recte ac prudenter Romani vinum, oleum, & garum ſeu liquamen ad barbaros exportari prohibuerant (f), quia huiusmodi ſanctionem exigere videbatur reipublicae ſalus. Periculum enim erat, ne barbarae gentes his illectae deliciis in prouincias Romanas irrumperent, ibique quaererent ſedes, vbi fructuum tam egregiorum vberrimus eſſet prouentus. Iam pridem Romanos docuerat

(b) *Comment. in leg. fin. C. de aleat. Tit. de contrah. emt. Quaeſt.* VI. *n.* 4. *Tom.* IV. *Theſauri iuris ciu. p.* 1055.

(c) *l.* 39. §. 1. *l.* 78. §. *fin. de contrah. emt. l.* 21. *pr. l.* 25. *de act. emti.* Per illuſtr. L. B. de COCCEII *Ius Controu.*

(d) *l.* 11. *C. de tranſact.* Weidmann *de emtione ſpei th.* 19.

(e) *l.* 34. §. 1. D. *de contrah. emt.*

(f) *l.* 1. *C. quae res export. non deb.*

docuerat experientia Gallos Senones dulcedine frugum, maximeque vini noua tum voluptate captos, Alpes tranſiiſſe, agrosque ab Hetruſcis antea captos poſſidere coepiſſe (g). Idem iterum fieri poſſe, recte cenſebant principes, quin id, quod poſtea contigit, canebant vt vates. Nam & Longobardos ſubmiſſis pluribus fructuum vinorumque, quae Italia profert, generibus a Narſete eſſe ſollicitatos, vt Pannonia relicta in Italiam expeditionem ſuſciperent, fama eſt (h). At nihil horum eſt, quod hodie vereamur, partim quod non tam inſtabiles, vti olim ſunt gentium barbararum ſedes, vt eas facile inceſſat cupiditas nouas ſibi ſedes quaerendi, partim quod noua bella gerendi ratio hanc migrationem reddidit difficillimam. Hinc nulla eſt ratio, cur fructuum noſtrorum etiam ſuauiſſimorum commerciorum aliis gentibus inuidere velimus. Sic res & in reliquis ſe habet. Multa apud nos venire emique prohibentur, quae leges Romanae numquam prohibuerunt: multa apud nos ſunt in commercio, quae Romanis prohibere viſum eſt; adeoque ius Romanum hic pro norma eſſe nequit. Quidquid enim de conſtitutione & prohibitione iuris Romani dicitur, omne illud accipiendum eſt, ſtatutis & conſuetudinibus quorumuis locorum saluis. Ius ſane Romanum ab vniuerſis gentibus in legem non eſſe cooptatum, recte obſeruat STEPHANVS (i): *Leges*, inquit, *Iuſtiniani*, *quatenus a moribus noſtris non ſunt adprobatae, non magis nobis ius facere potuerunt, aut nos obligare, quam Leonis Philoſophi aliorumque imperatorum Graecorum Nouellae, quae receptae non ſunt. Vnde nemo non intelligit nos altero oculo in ius Iuſtiniani, altero autem in mores ſeculi intentos eſſe oportere.* Hinc facile reddere licebit rationem, cur tanta ſint iuriſprudentiae Romanae & Germanicae diuortia circa venditionem fructuum adhuc immaturorum. Latii enim legibus fructus futuros libere vendi potuiſſe refert & POMPONIVS (k) & LABEO (l), ſiquidem hoc contractus genus iuri ciuili non videtur aduerſum, & alias fructus futuri in commercio ſunt & in obligationem cadere ſolent (m); ſed an idem permiſſum ſit Germanorum aliarumque gentium inſtitutis, iam paulo accuratius diſquirere iuuabit.

§. XIV.

(g) Liuius *Lib. V. Cap. XXXIII.*

(h) Paull. Warnefrid. *de geſt. Longobard. Lib. II. cap. V.*

(i) *i) Comment. in Nouell. n. 52.*

(k) *l. 8. pr. D. de contrah. emt.*

[l] *l. 78. §. 3. eod.*

[m] *l. 24. ff. de legat. 1. l. 73. ff. de V. O.* Crauetta *Conſ. 145. n. 20.*

§. XIV.

An iure Germanico vetere?

Inſignis apud omnes fere gentes fuit ruſticorum fauor, & quo maior agriculturae vtilitas deprehenſa eſt, eo largior priuilegiorum iis conceſſorum fuit meſſis. In his non poſtrema erant, quae ad agriculturam agricolarumque perſonas pertinebant. Quum enim plus operae agris colendis impendere ſoleant; digni etiam viſi ſunt legislatoribus iſtas varias moleſtias ruſticorum conſiderantibus indefeſſarumque operarum rationem habentibus, qui eo pluribus ornarentur privilegiis. Hinc etiam gentibus Germanicae originis, fauore agriculturae & pauperum ruſticorum, qui facile modico praeſenti alliciuntur ad vendendam ſpem futurae meſſis prohibere placuit venditionem fructuum in herbis: idque iam antiquitus iure Carolino ſtatutum fuiſſe legimus in LANGOBARDORVM LEGIBVS (n), quibus cautum: *vt nemo propter cupiditatem pecuniae aut auaritiam det pretium, vt futuram emtionem ſibi praeparet, vt duplum vel triplum recipiat: ſed tunc tantum, quando praeſentes ſunt fructus ſibi illos comparet.* Licet vero dictum ſit, (§. XII.) fructus in herbis vel viridi non ſperari, ſed praeſentes eſſe, conſequenter hic textus de prohibita venditione fructuum in herbis non intelligendus videri poſſit: attamen nemo non intelligit, Imperatorem in adducta lege fructus iam maturos vocare praeſentes. Quare recte eam legem capit interpres Legum Longobardicarum doctiſſimus ANDREAS DE BARVLO (o), dum eam cum iure Romano contendens ita ſcribit: *Differunt iura Romana & Longobardica, quia de iure Romano futuri fructus recte emuntur, de iure autem Longobardico expreſſe prohibita eſt emtio* FVTVRORVM FRVCTVVM. Et hoc aliquoties repetiiſſe Reges Francorum adparet ex CAPITVLARIBVS apud STEPHAN. BALVZIVM (p), vbi acriter inuehuntur in quoſdam *ſacerdotes impudentes, qui antequam meſſes maturae vel collectae eſſent, decimas ſuas vendere cauſſa ebrietatis tentauerint*, idque, ne impoſterum fieret, inhibent, *canonicam invectionem*, id eſt, cenſuram eccleſiaſticam, interminari iis, qui tam turpem contractum in poſterum eſſent inituri. Quae poſtea quidem ex vetere CONCILIO CARTHAGINENSI (q) decerpta, poſtea pro parte in ipſum ius canonicum retulit GRATIANVS (r). Immo eodem quodammodo referri

[n] *Lib. II. Tit.* 31.

[o] Andr. de Barulo *in Comment. in Leg. Longob. Tit.* VI. *p. m.* 359.

[p] Capitular. *Lib.* VII. §. 214. *Tom. I. pag.* 1070.

[q] *Concil. Carthag. Can.* XXXIII.

[r] *Can. placuit* 51. *Cauſſ.* XII. *qu.* 2.

referri poſſe videtur capitulare Niumagenſe anno MDCCVI confectum, quod praeter GOLDASTVM (s) edidit STEPH. BALVZIVS, (t) cuius haec verba ſunt: *Quicunque tempore meſſis vel tempore vindemiae non neceſſitate, ſed propter cupiditatem comparat annonam aut vinum verbi gratia de duobus denariis comparat modium vnum, & ſeruat vſque, dum iterum venundare poſſit contra denarios quatuor aut ſex ſeu & amplius, hoc turpe lucrum dicimus.* Quamuis enim hoc capitulare non loquatur de fructibus immaturis, ſed tempore meſſis vel vindemiae emtis: facile tamen eſt ad intelligendum, ſi ne tempore quidem meſſis vel vindemiae lucri immodici cauſſa comparare licuit fructus: multo minus permiſiſſe Francorum Reges, vt quis eos in herbis modico praeſente coemeret, eos deinde tanto maiore pretio venditurus.

§. XV.

His Legibus & moribus, ſemper vſi ſunt Germani, ne fraudibus diuitum aperiatur feneſtra, qui facilitate agricolarum pauperum abutuntur, & oblata pecunia modica iis praeripiunt laboris in colendis agris inſumti emolumenta, ex quibus ſe alere cenſusque dominis pendere tenentur. Quamquam alii hoc interdictum, ne ſcilicet valeat fructuum in herbis venditio, in fauorem ciuitatum tendere malunt, vtpote quae iure compellendi agricolas ad merces in fora ſua deuehendas gaudent (u): attamen hanc rationem in conſtituendis his legibus ob oculos fuiſſe legislatoribus, vix veroſimile eſt, multoque aliam reddit Conſtitutio Imperii ſeu Receſſus Auguſtanus (x), in quo ſimilis facta eſt prohibitio, ſimulque cauſſae, quae legi publicae occaſionem dederunt, his verbis exponuntur: *Nachdem nicht ohne groſſe verderbliche Beſchwerden des armen gemeinen Volcks befunden, daſs demſelben durch etliche eigennützige, geitzige Leuthe im Schein des Kauffmannſchafft auf ihren Saamen, ſo noch auf dem Felde ſtehen, auch den Wein an den Stöcken und andere ihre Früchte, Arbeit und Vieh, Geld oder ein anders hinausgeliehen oder gegeben, dadurch dieſelben armen nothdürfftige Leuthe, was ſie gar härtiglich erarbeiten näher, den ſich ſonſt nach gemeinen gewöhnlichen Kauff*

An iure Germanico nouo ?

(s) Goldaſt. *Conſtit. Imp. Tom. III. p.* 151.

(t) Steph. Baluzius *Capitular. Tom. I. p.* 455.

(u) Huber. *ad Tit. Dig. de contrah. emt.* §. 10.

(x) *Anno* 1548. *promulgatus ſub Tit. XIX. Vom Verkauffung der Früchte im Felde.*

gebühret, zu geben verurſacht und gedrungen werden. Welches denn nicht allein denſelben armen Leuthen zu unwiederbringlichen Verderben, ſondern auch ihren Herſchafften, denen ſie fürter ihr Gebührniſs viel deſto weniger zu thun vermögen, zu groſſen Abbruch, Nachtheil und Schaden gereicht, neben dem; daſs ſolches wider alle Göttliche und menſchliche Satzungen die Liebe des Nächſten und gute Sitten iſt. Hierauf ſetzen und ordnen vvir, daſs männiglich den armen Mann in der Noth und damit er ſeine Güther deſto ſtattlicher erbauen, auch ſonſten mit andrer Nothdurfft ſich erhalten möge, auf Wein-Früchte und anders umb den gemeinen. Schlag, Werth und Kauff, wie die zur ſelben Zeit ſind, oder gemacht werden, fürzuſtrecken und zu leyhen unverbothen ſeyn. Wo aber anders, denn itzt obvermeldet, gehandelt und hierinnen einiger Vortheil, Argeliſt, Gefahr oder Betrug gebraucht, ſo wollen wir hiermit ernſtlich, daſs ſolcher Abkäuffer oder Ausleyher die Hauptſumma verlohren und dazu von der Obrigkeit nach Geſtalt und Gelegenheit der Sachen geſtrafft werden ſoll. Ex quibus verbis manifeſta adparet ratio, qua Germani ad prohibendam venditionem fructuum in herbis inducti ſint (y).

§. XVI.

Eius iuris declaratio per Receſſ. Imp. de anno 1577.

Haec porro conſtitutio nullam transgreſſionem, quocunque etiam fiebat praetextu, permittit, adeoque contra huius legis contemtores, nulla etiam inſtituta querela, iudices ex officio procedere procul dubio oportet. Enimuero quum in RECESSV iſto AVGVSTANO is, qui illum conceperat, vſus eſſet verbis: *Umb den gemeinen Schlag, Werth und Kauff, wie die zur ſelben Zeit ſind, oder gemacht werden*: & plures inde colligerent obſeruante SCHILTERO (z), licere cuiuis fructus futuros emere, dum emerentur eo tantum pretio, quo tunc venire ſoleant, quando contractus ineatur; paullo poſt anno MDLXXVII. in comitiis Francofurtanis (a) ita mentem ſuam expoſuerunt imperii ordines, ratam fore emtionem fructuum immaturorum eo conſtituto pretio quale illud tempore vel contractus, vel quatuordecim diebus poſt meſſem vel vindemiam eſſet futurum. Ita enim ſe habent verba Receſſus quae adiungere non praetermittemus: *Hierauf ſetzen und ordnen wir abermahls, daſs gleichwohl männiglich*

(y) Ziegler *de iuribus Maieſtatis Lib. I. cap.* XXXXI. §. 64. 65.

(z) *Exerc.* XXX. §. 30.

(a) *Ord. Polit. de anno* MDLXXVII. *Tit.* XIX.

niglich dem armen Mann in der Noth, und damit er ſeine Güther deſto ſtattlicher erbauen, auch ſonſt mit andrer Nothdurfft ſich erhalten möge, auf Wein-Früchte und anderes fürzuleyhen oder zuvorausgeben anders und mehres nit, als auf dem Schlag und gemeinen Kauff, was nemlich der Wein oder Getreyd zu Zeit des Contracts oder aber 14 Tage die nächſten nach dem Herbſt oder Erndten gelten wird, beſchehe. Woferne aber hinführo durch iemand anders, denn ietzt obermeldt gehandelt und hierin einiger Vortheil, Argeliſt, Geſahr oder Betrug gebrauchet würde; ſo wollen wir hiermit ernſtlich, daſs ſolcher Abkäuffer oder Ausleyher die Hauptſumma verlohren, und darzu von der Obrigkeit, ob auch gleich der arme Mann nit klaget ex officio nach Geſtalt und Gelegenheit der Sachen an Ehren und Gut geſtraffet werden ſoll. Quam conſtitutionem ex cauſſa iuſta & reipublicae vtili latam ac proinde ſaluberrimam ita ſibi poſtea habuerunt commendatam principes & ſtatus imperii, vt illam ſuis legibus (b) paſſim confirmarint.

§. XVII.

Quin tam aequa tamque reipublicae ſalutaris eſt haec ſanctio, vt non mirum videatur, etiam alias gentes, quibus ſalus populi ſuprema lex eſt, ſimilibus conſtitutionibus proſpicere voluiſſe miſeris agricolis, iiſque veluti praeſidium quoddam circumpoſuiſſe aduerſus eorum fraudes, qui alieno ſudore ac veluti ſanguine viuere ſuauiſſimum ducunt. Saltim in Gallia frumentorum immaturorum ſeu in viridi emtionem variis conſtitutionibus prohibitam eſſe animaduerto. Conſtitutione Regia LVDOVICI XI. hoc primo ſancitum (c), quam poſtea a FRANCISCO I. renouatam firmatamque eſſe (d) relatum legimus apud CHOPPINVM (e). Hanc enim

Aliarum gentium leges ſimile.

(b) Idem prohibitum in Ordinat. Polit. Iuliac. *Rubr. keine Früchte ſo auf dem Felde ſtehen &c.* vbi poena confiſcationis & mulctae in transgreſſores ſtatuta. Cui accedit Ordinat. Prouinc. Bauarica *Tit. XIII. Von Beſchlagung der Früchte auf den Halmen.* Magdeburgica *cap. 50.* Würtenbergica *Tit.* VI. *& Reſcriptum generale nouiſſ. de anno 1692. d. 5. Decembr.* Badenſis *Part.* V. *Tit.* III. & Ducatus Bremenſis *von vvucherlichen Contracten.* Cellenſis *cap.* 4. vbi etiam latius explicatur, quid ſub voce frugum in ariſtis extantium intelligatur. vid. Kreſſ. *de Priuilegiis agriculturae apud Germanos Sect. II.* §. 17.

(c) *anno* 1482. *Menſe Iulii.*

(d) *per edictum de anno* 1544. *d.* 25. *Nouembr.*

(e) Choppin. *de Priuilegiis ruſticorum Lib.* II. *cap.* 5.

enim negotiationem reipublicae perniciosam eſſe reputabant legislatores, dum alteruter, aut emtor, aut venditor periculum hoc modo incurrere poſſet, emtor ſcilicet, ſi non metat, ſed prius pereant fructus, quam metantur, aut longe minore pretio veneant poſt meſſem, quam quo in herbis ſunt aeſtimati; venditor contra, ſi modica pecunia fructus in herbis vendiderit emtori, quos poſt meſſem multo maiore pretio vendere potuiſſet. Emtoris quidem ad fauorem has conſtitutiones non pertinere, cenſet CAROLVS MOLINAEVS (f), rationem tantum haberi exiſtimans venditorum ruſticorum, qui facile alliciantur modica praeſenti pecunia oblata ad vendendam ſpem meſſis futurae, idque faciant tanto viliori pretio, quanto adhuc ſpes meſſis incertior pluribus quoque caſibus ſit obnoxia. Cui adſtipulatur THOLOSANVS (g): *Effecit*, inquiens, *nimia habendi cupiditas aliquorum, vt lex fieret ad intercipiendas fraudes negotiatorum, ne fructus in herba, antequam matureſcerent, emerentur, quae a Carolo Magno Tit. de prohibitione alienationis futurorum fructuum Lib. II. Legum Longobardorum primum lata, deinceps a Ludouico XI. & ſubinde a Franciſco I. huius nominis Rege repetita.* Et hanc quoque ſpeciem alienationis fructuum herbeſcentium Friſios inter ea, quae venire prohibentur, retuliſſe commemorat HVBERVS (h); dum apud illos edictum, in leges Friſicas relatum eſt (i), quod ita ſe habet: *Alle verkoopen ende Contracten van Granen by Laſten te leveren eer dieſelve ghezaeyt zün, ofte weſende noch in den Aren ende waſſende ſullen weſen null van onwaerden ende gheaboleert* (k). Varia quidem olim in hanc rem ab Hollandiae Comitibus etiam promulgata fuerunt edicta, ſed illa vſu fuiſſe abolita, & ius Romanum tum in Hollandia tum Vltraiecti ſeruari docent GROENWEGEN (l) & PAVLVS VOETIVS (m).

§. XVIII.

(f) Carol. Molinaeus *in Tr. Commercior. & vſurar. n.* 470.

(g) Tholoſanus *Syntagm. iur. vniuerſ. Lib. XXV. cap. 6.*

(h) Huber. *Praelection. Iur. Ciu. Tit. de contrah. emt.* §. 10.

(i) *anno* 1531. *d.* 23. *Septembr.*

(k) Ioh. a Sande *Theatrum practicum Lib.* III. *Tit.* IIII. *Def.* 7.

(l) Groenweg. *ad l.* 78. §. *fin. de contrah. emt.*

(m) Paul. Voetius *ad pr. Inſt. de emt. vendit. n.* 7.

§. XVIII.

Conſtitutionum emtioni futurorum fructuum oppoſitarum ratio.

Et haec quidem prohibitio iuſtiſſimis omnino nititur rationibus. Nam primo pauperum facilitate abutebantur homines callidi & hinc cupidi, vt ex hoc negotio magnum, expilatis pauperibus ruſticis, facerent quaeſtum, & ex aliorum ſimplicitate fructum turpiſſimum caperent. Deinde iſta venditio inſignem conſtituit vſurariae prauitatis ſpeciem, quae omnino lege fuit coercenda, ne inpoſterum frumentum in herba a creditoribus, modicum pecuniae in illius ſpem credentibus interciperetur. Quod etiam cum aliis (n) obſeruat IOH. COPVS (o), qui huius interdicti triplicem reddit rationem. Primo, ne, ſi frumenta, quae in herbis ſunt, emere liceret, hac occaſione oneraretur annona, cariorque ab iis redderetur, qui frumenta ſic emta ſupprimerent & aequis pretiis vendere nollent. Deinde ne inopes agricolae contenti modico praeſenti ſpem laetiſſimarum ſegetum amitterent, & ad extremam inopiam redigerentur, quum frumentis in herba venditis nihil haberent, vnde ſe ipſos, vxorem, liberos & familiam alerent. Poſtremo vt foeneratorum calliditati obuiam iretur, qui modica pecunia data maximam frumenti quantitatem acciperent. Quamquam autem COPVS exiſtimat, hoc interdictum potiſſimum intelligendum eſſe de eo caſu, ſi certum ſit, maiorem eſſe frumenti naſcituri, quam pecuniae datae, aeſtimationem, non vero ſi incertum ſit, quanti meſſis tempore frumentum futurum ſit, vel ſi nulla coniectura colligi poſſit, fore, vt venditio haec in vſurariae prauitatis ſpeciem incideret: recte tamen obſeruauit ZIEGLERVS (p), nulla huiuſmodi concurrente ſuſpicione vſurariae prauitatis vim legis iſtius prohibitiuae non illico ceſſare, quippe quae eiuſmodi contractum non tantum propter foenus ſperatum aut exſpectatum infringit, ſed & potiſſimum propter periculum deceptionis, qua agricolae facile inducuntur, vt ſpem futurae meſſis tanto viliori vendant pretio, quanto incertior pluribuſque caſibus obnoxia eſt anni vbertas. Inde etiam leges Imperii non attendunt ad ſpem futurae meſſis incertam, pretiumque de praeſenti incertum, ſed ad frau-

(n) Boer. *Deciſ. 296. n. 7.* Rodericus *de annuis & menſtr. reditibus Lib. I. Quaeſt. 12. n. 38.*

(o) Ioh. Copus *de fructibus Lib. I. Tit. III. cap. 5.*

(p) Ziegler *de Iuribus Maieſtatis Lib. I. cap. 41. §. 65.*

fraudes & technas ementium, vt perſpicue oſtendunt verba: *Wo aber anders, denn itzt obvermeldet, gehandelt, und hierinnen einiger Vortheil, Argeliſt, Gefahr oder Betrug gebraucht: ſo wollen wir hiermit ernſtlich, daſs ſolcher Abkäuffer oder Ausleyher die Hauptſumma verlohren, und dazu von der Obrigkeit, nach Geſtalt und Gelegenheit der Sachen geſtrafft werden ſoll.*]

§. XVIIII.

Sanctio poenalis addita, & quando ei locus ſit?

Grauiſſima quidem, ſed ſancta eſt poena in eos, qui hanc legem effugiunt. Ex quibus RECESSVS verbis ſimul diſcimus, quae poena immineat iis, quos ſaluberrima illa totius imperii ſanctio non abſterreat a negotiatione illa turpiſſima. Cautum enim animaduertimus, vt horum hominum malitia amiſſione dati pretii poenaque extraordinaria, iudicis officio etiam non implorato ſtatuenda coerceatur (q). Gliſcente nimirum malo non ſolum iuſta, ſed etiam neceſſaria fuit cauſſa hoc ſordidum negotium in vniuerſum poenali ſanctione prohibendi, dignaque res viſa eſt cura imperii, vt non tantum vſurariae prauitati, ſed & damnis ex huiuſmodi contractibus inconſultis miſerae agricolarum nationi imminentibus obex poneretur, & per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellerentur, & agricolis ſaluum eſſet lucrum diuina benedictione conceſſum. Attamen per has leges liberum cuique manet emere & vendere fructus immaturos, vel mutuo dare agricolae pecuniam, modo ſolutionis loco abſque omni fraude & dolo praeſtentur fructus tanto pretio, quanto tempore contractus vel poſt meſſem in foro venditur, non autem viliori. Quum enim hanc prohibitionem contra fraudes mercatorum inuentam eſſe adpareat, vnuſquiſque facile intelliget hanc venditionem, ſi iuſtum pretium ſtatuatur frumento herbeſcenti, non eſſe irritam; quod multo magis dicendum, ſi fiat ſub haſta, modo iuſta praecedat aeſtimatio. Vnde ſancitum deprehendimus in Ordinatione Concurſus Pruſſica (r): *Im Fall bey einem zu taxirenden Gut auch die beſtelte Winter oder Sommer-Saat mit verkauffet vverden ſoll, vvird ſelbige beſonders taxiret.*]

(q) Receſſ. Imperii *de anno* 1577. *Tit. XIX.* §. 3. Brunnemann. *ad l.* 8. *D. de contr. emt. n.* 3. Stryck. *Diſſ. de Dardanar. cap. II. n.* 21. *ſequ.*

(r) *Adpend. ad* §. 61. *lit. g.* §. 13. *pag.* 198.

ret, und das ausgeſäete Getreyde nach dem zur zeit der geſchehenen Ausſaat-marckgängigen Preiſe angeſetzet, und für die Beſtellung, nachdem es zvvey oder dreyfährig beſtellet, die Fahre iedes Orts landüblich angeſchlagen. Ex quibus perſpicue liquet, tunc omnem abeſſe laeſionem, dum non tantum iuſtum frumenti pretium conſtituitur, ſed etiam curae & culturae ratio habetur, ne vel hac defraudentur agricolae.

§. XX.

Sub finem quaeri poteſt, an praeter frumenta & vindemias ad alios etiam fructus proferri poſſit haec prohibitio? Idque ego quidem adfirmare non dubito. Quamuis enim hae imperii conſtitutiones iuri communi derogent (s), & huiusmodi iurium ea ſit natura ac indoles, vt ad caſus ſimiles non extendantur: immo potius, quum imperium ſolos hos fructus excipiat, haec exceptio regulam in caſibus minus exceptis firmare videatur, praeterea experientia doceat, fructus arborum etiam immaturos hodie impune vendi: ſunt tamen plures ac multo maioris ponderis rationes, quae legem hanc ex intentione legiſlatorum & ad alios fructus proferendam eſſe, ſuadent. Primo enim id patet ex verbis RECESSVS AVGVSTANI: *Auf ihren Saamen, ſo noch auf dem Felde ſtehet, auch den Wein an den Stöcken, und andere ihre Früchte, Arbeit und Viehe Geld, oder ein anders hinaus geliehen:* & paucis interiectis: *Auf Wein-Früchte und anderes.* Deinde ipſae illae rationes, ob quas venditio illa iure Germanico prohibita eſt, non minus aliis fructibus rebusque promercalibus, quibus venditis, qui ruri viuunt, pecuniam conficere ſolent, omnino quadrant: & certiſſimum ſane eſt, non minus ad incitas redactum iri ruſticos vitulos, agnos, hinnulos futuros, itemque lac, caſeum, butyrum ſimiliaque nondum confecta modico pretio vendentes, quam ſi fructus herbeſcentes in agris venales habeant. Neque obſtat, iuri communi derogare has conſtitutiones. Inde enim non ſequitur, vt proferri non poſſint ad caſus ſimiles, ipſa lege expreſſos, ſed vt ad alias diuerſas ſpecies non ſint exten-

An & ad alios caſus extendi poſſit haec prohibitio.

(s) *l. 25. D. de action. emti.* Exemplum venditae vindemiae pendentis eſt apud Plin. *Hiſtor. Nat. Lib.* XIV. *Cap.* 4. quocum iungendus Plinius Iunior Lib. VIII. Epiſt. II. *Vendideram, inquiens, vindemias, certatim negotiatoribus ementibus.*

extendendae. Tunc enim vere dici poteſt, exceptionem firmare regulam in caſibus non exceptis. Denique mos quidem in hoc terrarum tractu inualuit, vt fructus arborum etiam immaturi veneant: ſed magis inter ciues ac municipes, quam inter ruſticos. Et ſi hi adhuc impune id fecerunt, non ideo legis publicae periit auctoritas, ſed vigor tantum magiſtratuum incuria, vti fieri ſolet, elanguit. Sed vt chartae temporisque rationem habeam, hic quidem diſſertationi finem impono, Deoque O. M. pro ſuffectis viribus ſtudiisque meis benedictione ſua clementiſſime ſubleuatis gratias immortales pia mente perſoluo.

DE DOMINIS, SVBDITOS SVOS IN IVDICIO SVO CONVENIENTIBVS.

EXERCITATIO XXXV.

§. I. *Inſtituti ratio, & partitio diſſertationis.* §. II. *Teſtimonia de conſuetudine ſubditos in iudicio ſuo conueniendi, in vniuerſa Germania recepta.* §. III. *In primis in Saxonia, Ducatu Magdeburgico & principatu Hennebergico.* §. IV. *Nec non in Marchia, terris Pomeranicis & Holſatia.* §. V. *In Weſtphalia, Alſatia & Germania ſuperiore.* §. VI. *Denique in Italia, Gallia & Lotharingia.* §. VII. *Conſuetudini huic obſtare videtur* 1. *recta ratio.* §. VIII. *Idemque* 2. *ius Romanum, quod voluntariae tantum iuriſdictionis actus in cauſſa propria explicari patitur.* §. IX. *Non autem contentioſam.* §. X. *Quam late apud Romanos patuerit haec prohibitio?* §. XI. *An quidam iuris Romani textus huic conſuetudini faueant?* §. XII. *An a principibus argumentum duci poſſit ad reliquos dominos*, §. XIII. *Probatur, hanc iurisdictionem nec iuri naturae repugnare,* §. XIV. *Nec iuri ciuili.* §. XV. *Eius origo a ſtatu ſubditorum ſeruili, & herili dominorum poteſtate repetenda eſt.* §. XVI. *Cur & ceſſante paſſim ſeruili ruſticorum conditione haec conſuetudo permanſerit?* §. XVII. *Quinam poſſint alios apud ſe ipſos conuenire?* §. XVIII. *An ipſe dominus cognoſcere & iudicare poſſit?* §. XVIIII. *De quibus cauſſis huiuſmodi iudicio locus ſit?* §. XX. *An cauſſa a ſuperiore iudice pro lubitu auocari poſſit?* §. XXI. *Id iure ſit, ſi turbulenter & nulliter procedat iuſtitiarius,* §. XXII. *An ipſi iuſtitiario ſententiam ferre liceat?* §. XXIII. *A ſententia iuſtitiarii ſemper locus eſt adpellationi.* §. XXIIII. *Concluſio Diſſertationis.*

§. I.

Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.

DIuerſam admodum eſſe Romanae ac Germanicae iuriſdictionis faciem, eoſque, qui hanc ex Romanorum legibus aeſtimandam cenſent, magnopere falli ac decipi, hodie inter omnes, rerum forenſium paullo peritiores, conſtare arbitramur. Siue enim perſonas, quibus apud nos iuris dicundi poteſtas eſt, ſiue ipſam litigandi iudicandique rationem atque ordinem, ſiue diuerſas, quas vocant, inſtantias paullo accuratius conſideremus: adeo nihil prope Romani moris in foris noſtris occurrit, vt viri doctiſſimi Germanos, recepta etiam iuriſprudentia Romana, litigandi ordinem non ex iure Iuſtinianeo, ſed partim ex iure canonico & eccleſiaſtico deſumſiſſe (a), partim ex priſcis moribus patriis retinuiſſe (b) fateantur. Prius iam a multis accurate ac ſolidiſſime demonſtratum eſſe, nouimus. Poſterius hac occaſione, qua quaedam meditationes, ſpeciminis inauguralis loco futurae, more maiorum edendae ſunt, illuſtri quodam ac luculento exemplo oſtendere conſtituimus. Quum enim in Germania paſſim in mores iuerit, vt DOMINI, qui iuriſdictione patrimoniali gaudent, SVBDITOS ſuos, fraena mordentes, penſioneſque & operas ſibi proterue denegantes, in IVDICIIS SVIS prius, quam res ad ſuperiores curias deuoluatur, CONVENIANT: videmur nobis facturi operae pretium, ſi de ea veterum Germanorum conſuetudine quaedam diſſeruerimus. Quod a nobis eo fiet ordine, vt *primum* non ignotam Germanis eſſe hanc iuris dicundi rationem, oſtendamus: *deinde* eam cum iuris tum naturalis, tum Romani principiis comparemus, &, an ſimile quid viderit orbis Romanus, diſpiciamus: *denique* inquiramus in eius origines, &, quid iuſtum ſit circa illam iuris in cauſſis propriis dicundi poteſtatem, breuiter & omnibus miſſis ambagibus, explicemus. Quod vt bene vertat Deus, ex animo precamur.

§. II.

Teſtimonia de conſuetudine ſubditos

De more illo dominorum ſubditos ſuos apud ſe ipſos in ius vocandi teſtantur viri doctiſſimi, & ita quidem, vt illum non in vna alteraue prouincia, ſed in vniuerſa Germania, perpetuo ac conſtante

(a) Rhetius *de auctoritate iuris can. inter Aug. Conf. conſort.* Linck. *ad Decretal. proleg. p.* 33. Ritterſhuſ. *different. iur. ciu. & can. proleg. extr.*

(b) Dn. Praeſ. *Element. iur. Germ. toto libro III.*

ſtante vſu receptum eſſe, adfirment. Sane CASP. ZIEGLERVS (c), *non ſolum Nobiles ſuos ruſticos & ſubditos coram propriis officialibus, praetoribus, ſcabinis, & praefectis, iudicio pulſare, & in* PROPRIO INTERESSE *ibi conuenire poſſe*, fatetur, ſed & ſtatim addit : *hanc generalem in Romano Imperio* CONSVETVDINEM *exſtare*. Idem repetit IO. SCHILTERVS (d), qui hanc nobilium iurisdictionem in cauſſis propriis ita deſcribit : *Altera praedictae regulae limitatio eſt, quod ad landſaſſios & omnes, qui habent iurisdictionem hereditariam, vt ita in propria cauſſa exercere poſſint iurisdictionem contra ſubditos ſuos, actoris partis agendo, ſi conueniunt reos coram officiali ſuo, praetore & ſcabinis, qui proceſſum dirigant, & actis ad collegium IC. transmiſſis ſententiam petant: quae* GENERALIS *eſt* GERMANIAE CONSVETVDO. Quae quidem & apud alios, vt fit, verbis paene totidem occurrunt, vt plura huiusmodi adferre teſtimonia vix neceſſarium videatur. *in iudicio ſuo conueniendi in vniuerſa Germania recepta.*

§. III.

Tametſi vero doctoribus de conſuetudine teſtantibus, fidem eſſe habendam vulgo cenſeant (e) : neſcio tamen, annon ſibi nimium ſumant, qui de conſuetudine totius Germaniae teſtimonium perhibere audent, quum plerumque ex patriae ſuae moribus aeſtimare ſoleant alias prouincias, &, quod ciuibus ſuis placere animaduertunt, id nulli alii diſplicere poſſe, praecipiti iudicio exiſtiment. Quare operae pretium fuerit, illam Germaniae conſuetudinem paullo accuratius demonſtrare. Et primo quidem de SAXONIA electorali dubitare nos haud patiuntur non modo tot doctores Saxonum (f), verum etiam ipſae leges publicae, inter quas ORDIN. PROCESSVS (g) ita ſancit : *Ob wir auch wol geſchehen laſſen können, daſs dieienigen, ſo mit Gerichten von uns beliehen, wie bishero, alſo hinführo, ſich deren gebührlich brauchen, und vor denenſelben ihre Vnterthanen rechtlich belangen mögen : Dieweil aber in ſolchen Occaſionen* cetera. Cui legi in emendatiore proceſſus ordinatione nihil vel derogatum, vel ſurrogatum eſſe, obſeruamus. Similiter quae ea de re ſancit ORD. PROC. MAGDEBVRG. *In primis in Saxonia, Ducatu Magdeburgico & Principatu Hennebergico.*

(c) Ziegl. *commun. concluſ. ad aur. prax. Nic. Caluoli* §. *Nobilis n.* 17. *p.* 117.

(d) Schilt. *Exerc. VI.* §. 16.

(e) Ant. Coraſ. *comm. opin. I.* Socin. *conſil. CLXV. n.* 16. *Lib. II.* Weſenbec. *conſil. T. I. conſ.* 13. *n.* 98.

(f) Dan. Möller. *ad Conſtit. elect.* XXIII. P. *II. n.* 15. Zanger *de Except. P. II. C. I. n.* 408. Carpz. *L. I. Reſp.* LXXXVII. *n.* 21. *ſequ. L. II. Reſp.* XIIII. *n.* 8. *& in proceſſ. Tit. III. art. IV. n.* 103. *ſequ.* Berger. *Oecon. Iur. Lib. III. tit. II. p.* 914.

(g) Proceſſ. Saxon. *tit. II.* §. 3.

BVRG. (h) In noua ac recognita ORDINATIONE mutatà non eſſe, deprehendimus. Cautum vero eſt, *daſs denen von Adel und Râthen in Stâdten, ſo die Gerichte zu exerciren haben, vvenn der Gerichts-Vervvalter und Actuarius, oder Notarius in Beyſeyn der Bürger und Vnterthanen zu denen Gerichten ôffentlich vereydet, vor denenſelben ihre eigene Sachen vvieder die Bürger und Vnterthanen zu klagen unbenommen bleibe.* Neque aliter ſeſe res habet in Franconia. Saltim de tractu Hennebergico mihi retulit PRAESES, ſibi oblata eſſe acta publica, ex quibus intellexerit, nobilem ibi aduerſus ſubditos quosdam, laudemium (*das Erb-Hand-Lohn*) ſibi denegantes, egiſſe in iudicio ſuo, (*vor der Adelichen Voigtey*) & obtinuiſſe ſententiam, poſtea a Dominis Lipſienſibus firmatam, qua in quaſi poſſeſſione iſtius iuris exigendi laudemium fuerit defenſus. Prouocantibus porro reis ad ſupremam curiam, (*an die Fürſtl. Regierung*) & iam in petitorio experientibus actione negatoria, & reliquis ſubditis, tamquam in communi cauſſa, interuenientibus, pronunciatum eſſe ab Erfurtenſibus Iurisconſultis: *daſs Beklagter vor der Fürſtl. Regierung ſich einzulaſſen nicht ſchuldig, ſondern die Sache an vorige Inſtantz zu verweiſen.* Et quamuis eam ſententiam poſtea, interpoſita leuteratione, reformarint Domini Ienenſes, procul dubio tamen Nobilem ſperare potuiſſe ſententiam reformatoriam, niſi, pertaeſus litium, remedio aliquo vti noluiſſet.

§. IIII.

Nec non in Marchia, terris Pomeranicis & Holſatia.

Ne vero quis in ſola Saxonia, viciniſque terrarum tractibus, huic conſuetudini locum eſſe exiſtimet: eamdem & in Marchia Brandenburgica iam olim inoleuiſſe, teſtis eſt IO. BRVNNEMANNVS (i), cuius hic ipſa verba adducere iuuat: *Nobiles etiam ſubditos ſuos coram officiali ſuo conuenire poſſe, praeiudiciis firmat* BERLICHIVS (k) *& auctores refert plures. Sic conſuetudo eſt in Marchia, vt domini ſubditos ſuos, ob non praeſtitas operas, & alia, caſtigare poſſint. Ita deciſum in Camera Brandeb. in cauſſa Ottonis Crahmann & Hans Rôbeln, anno MDC mittewochen nach miſericordias Domini, his verbis: Wann der Krüger die Pâchte zu rechter Zeit nicht abgiebet, mag ihm der von Rôbel, wie desfals des Landes Gebrauch mitbringet, ſelbſt gebührlich verhelffen.* Sed & de terris Germanicis Suecico regno ceſſis, viciniſque prouinciis,

(h) Ord. Proceſſ. Magdeb. *cap. I.* §. 7.

(i) Brunnem. *ad l.* 10. *de iuriſd. n.* 6.

(k) Berlich. *Deciſ. VIIII. n.* 9.

ciis, idem adfirmat DAV. MEVIVS (l), ex quo ſimul patet, ſecundum eam conſuetudinem pronunciare non dubitaſſe ſupremum, quod Wismariae floret, Tribunal. Ait enim vir rerum forenſium peritiſſimus: *Ea conſuetudo inter nobiles obſeruatur, vt, quando cum ruſticis vel ſubditis ſuis res eſt, ad alium iudicem ire non cogantur, ſed ipſi ius dicant, ſi res notoria, vel leuis momenti vel praeiudicii ſit, per ſemet ipſos, aut ſi grauior cauſſa ſit, per conſtitutum iudicium, a quo ſuſpicio abſit.* Quibus verbis hanc adnotationem ſubiungit: *Eam obſeruantiam in vicinis terris per infinita exempla reperi, ſicut &, quum ſubditus a iudice domino cauſſam deriuare voluit, nullo alio, quam quod propria illius eſſet, adlegato, non auditum fuiſſe, niſi iniuſtitiam aliunde argueret.* Inter quas vicinas terras procul dubio etiam eſt Holſatia, de qua ORDINAT. PROVINC. Ducatuum Sleſuic. & Holſatici (m): *Hätte auch ein Amtmann wegen ſeines Herrn, ein Praelat, oder einer von Adel einen Ambts-Vnterthan, oder ſeiner eigenen Leute mit Rechte zu verſprechen, den ſoll er mit der That nicht beſchvveren, ſondern ihm* DING *und* RECHT LEGEN, *und ſoll ieder von beyden Theilen, der ſich der Urthel beſchvveren thut, von denſelbigen Ding, nach alter Gevvonheit, und vvie obberühret, ſich zu beruffen haben.* Vt adeo nullum ſit dubium, quin hoc ius a Saxonia ad mare Balthicum vſque vbique vigeat, neque domini in toto illo tractu colonos & ſubditos ſuos apud ſe conuenire prohibeantur.

§. V.

Eodem pertinere arbitramur iurisdictionem colonariam, quam paſſim in Weſtphalia ſupereſſe, docet HERM. ADOLPH. MEINDERS. (n) Eius enim participes olim vbique homines proprios ſine praeſcitu officialium, nec implorato iudicum officio, domi ſuae & apud ſe ipſos conuenire, & carcere, ſi officium non facerent, coercere potuiſſe, oſtendit. Quamuis vero ſub finem ſaeculi decimi ſexti, eam iurisdictionem, tamquam a iure communi exorbitantem, dominis in comitatu Rauensbergico adimendam cenſeret Dux Cliuiae: non tamen inter grauamina de hac priſtini iuris ſui iactura conqueri deſiit ordo equeſtris, donec illis anno MDCLIII eam iurisdictionem, ſed quodammodo reſtrictam, reſtituit

In Weſtphalia, Alſatia & Germania ſuperiore.

(l) Meuius *Part.* VIII. *Deciſ.* 198. *n.* 6.

(m) Reviditte Landgerichts-Ordnung *Part.* I. *tit.* III. §. II.

(n) Meinders *de iuriſdict. colonar. Diſſ.* I. *p.* 84. *ſequ.*

tuit FRIDRICVS GVILLELMVS, Elector Brandeburgicus, addita comminatione: *Solten ſie aber dieſe gnädigſte Zulaſſung zur Vngebühr, und vviederrechtlich, oder auch in anderen ſtraffbaren Fällen, und delictis, ſiue maioribus, ſiue minoribus gebrauchen vvollen: vvürden ſeine Churfürſtl. Durchl. vvieder die Verbrechere, und die, ſo dieſe Churfürſtl. Gnade miſsbrauchen vvürden, mit Aufhebung derſelben verfahren laſſen* (o). Quum vero haec teſtimonia tantum ad inferiorem Germaniam pertineant: ex ſuperiore etiam exemplum adiicere iuuabit. Exſtat IO. SCHILTERI diſſertatio de curiis dominicalibus, quales non modo in Alſatia, verum etiam per Alamanniam, plures occurrunt. Earum ius in iurisdictione conſiſtere, ait auctor doctiſſimus, & tali quidem, quae domino directo vna cum hubariis ſuis in cauſſis emphyteuticis praediorum, ad curiam emphyteuticariam ſeu dominicalem pertinentium, competat. (p) Obſeruat autem porro (q), in iudicio hoc non ſolum hubariis inter ſe de praedio emphyteuticario litigantibus, verum etiam ipſi domino, emphyteutas ſuos conuenienti, ius dici ſolere. Hinc vbi de obiecto huius iurisdictionis diſſerit, illud ita deſcribit (r): *Cauſſas, ad curias illas dominicales pertinentes melioris doctrinae gratia, duplices facimus, quaedam enim earum pertinent ad* IVS DOMINI, *quaedam vero ad ius hubariorum ſeu emphyteutarum, pro ratione ſcilicet vtilis ipſis competentis dominii. In primis itaque ad obiectum curiarum dominicalium ſeu iurisdictionis huius dominicalis vel emphyteuticae pertinent cauſſae, circa emphyteuſes, vel curias dominicales ortae, v. g. ſi ſubeſſe recuſant domo dominicali, ſi alienae ſe ſubiicere volunt iurisdictioni, itemque ſi hubarii inter ſe ratione hubarum quidquam habent diſſidii.* Vt adeo dubitare non liceat, quin & in ſuperiore Germania non ignota ſit illa dominorum in cauſſis propriis iuriſdictio.

§. VI.

Denique in Italia, Gallia & Lotharingia.

Sed haec quidem exemplorum loco adferre placuit, vt hanc iurisdictionem paſſim in Germania vigere, oſtenderemus. Omnium enim prouinciarum ſtatuta & leges, ipſarumque cauſſarum iudicatarum grandia volumina euoluere nec vacat, nec lubet. Id modo obſeruamus, de huius iurisdictionis, vere Germanicae, vſu

(o) *Ibidem p. 90. ſequ.*
(p) Schilter *de curiis dominical.* §. XI. *p. 554.*
(q) *Ibid.* §. XV. *p. 556.*
(r) *Ibid.* §. XXII. *p. 565.*

vſu adeo non eſſe dubitandum, vt & extra Germaniam, vbicunque nouas ſedes quaeſiuerunt, potentiſſimaque regna conſtituerunt gentes Germanicae, expreſſiſſima ſuperſunt huius conſuetudinis veſtigia. In Italia ſane eius iam ſaeculo XIIII. meminit OLDRADVS DE PONTE (s), & ſaeculo XV. ALEXAND. TARTAGNVS, (t) quorum ille hanc iurisdictionem ne probatione quidem indigere ſtatuit, quippe & ſatis in Italia notam, & ab omnibus Iurisconſultis agnitam atque adprobatam. Sed nuſquam terrarum ea conſuetudo frequentior, quam in Gallia, vbi notiſſima eſt iurisdictio *très-foncière, cenſuelle ou cenſière, juſtice domaniaire*, quam alii FONCERIAM, alii FVNDALEM, alii PRAEDIARIAM, alii SOLARIAM vocare ſolent (u). De ea nihil fere, quod ad rem faciat, habet incomparabile GLOSSARIVM CANGII (x), praeter haec pauciſſima: FONSSERIA IVSTITIA, Gall. *juſtice foncière, iurisdictio minor, inermis. Tabularium S. Cornelii Compendienſis: Ipſos religioſos ius habere percipiendi in dicta villa de Compendio in eorum terra & iuſtitia fonſſeria ius foragii.* Nos ex I. N. HONTHEMII ſingulari diſſertatione, ea de iuriſdictione ſcripta (y), nec non LONGOVALLIO (z), IO. PAPONIO (a), CAR. MOLINAEO (b), & reliquis conſuetudinum Gallicarum (c) interpretibus, diſcimus, iuriſdictionem fonceriam ſeu fundalem alibi reſtrictiorem eſſe, alibi latius patere, ac in Lotharingia inprimis, vti eleganter oſtendit laudatus HONTHEMIVS, ad omnes cauſas & actiones reales porrigi: at potiſſimum tamen ad id eſſe comparatam, vt domini cenſuales ſubditos ſuos adigere poſſint ad cenſus alioſque reditus ſibi ſine mora praeſtandos. Atque adeo dubitari non poteſt, quin & in Gallia, & in Lotharingia, & in ducatu Luxemburgico, & in ipſo archiepiſcopatu Treuirenſi, id fere quotidie contingat, vt domini ſubditos conueniant in iudiciis ſuis, ſi forte fraena mordere, vel domino iura ſua denegare in animum inducant.

§. VII.

(s) Oldrad. *Conſil. CCCII. n. 6. & 8.*

(t) Alexand. *Conſil.* XIII. *n.* 10. *Vol.* VI.

(u) Dn. Praeſ. *Elem. iur. Germ. Lib.* III. §. *66. p. 419. ſequ.*

(x) Car. du Freſne *Gloſſar. med. & inf. Latinit.* Tom. *III. p. 556. edit. nou.*

(y) *Excerpta ex ea dedit* Illuſtr. Dn. Praeſ. *Elem. iur. Germ. d.* §. *66. in ſchol. p. 420. ſequ.*

(z) Io. Longouall. *de iuriſd. p. 3.*

(a) Io. Papon. *corp. iur. Franc. L.* VII. *T.* VII. §. *33. p. 242.*

(b) Car. Molinaeus *Conſ. Pariſ. P. II. tit. II.* §. *73. p. 10. ſequ.*

(c) Io. Choppin. *conſuet. Andegau. L. I. C. I. p. 99. ſequ.*

§. VII.

Conſuetudini huic obſtare videtur 1. recta ratio.

Sic ſatis, opinor, demonſtratum eſt, eam conſuetudinem ſubditos in iudiciis ſuis conueniendi alibi quidem reſtrictiorem, alibi ſolutiorem eſſe, attamen tantum non ubique in Germania, immo & extra Germaniam paſſim, inoleuiſſe. Iam ſi eam cum iure illo, quod ipſa recta ratio inter omnes homines conſtituit, immo & cum Romano, quod ob aequitatem in Germania etiam recepimus, paullo accuratius contendamus: permulta profecto occurrent, quae huic iuriſdictioni dominorum in cauſſis propriis maxime obſtare videantur. Primo enim ex ipſo fine, ob quem iuris dicundi poteſtatem homines natura aequales admiſerunt, intelligitur, quod recte obſeruauit PHILO (d), eum, qui adſcenſurus ſit tribunal, praeditum eſſe oportere animo, *παντὸς ἀλόγου πάθους, καὶ πάσης κακίας ἀμετόχῳ*, *nullis perturbationibus, nullique malitiae obnoxio.* Niſi enim animo amoris, odii, irae, inuidiae, ſpei metuſque vacuo praemunitus iuris dicundi iudicandique partes quis ſuſcipiat: numquam vel cauſſam prudenter cognoſcet, vel ſuum cuique, pro eo ac decet, tribuet, nec ſatis conſtanti animo erit ad iudicata, nulla habita perſonarum ratione, exſequenda. Atqui pauciſſimi ita ſunt a natura formati, vt nec amore, nec odio, nec ſpe metuue, nec vlla animi perturbatione a regia iuſtitiae via ſe ſe abduci patiantur. Plerique mortales diro illi adfectuum imperio adeo ſubſunt per omnem vitam, vt facilius reperturus ſis ſexcentos iuris rerumque forenſium peritiſſimos, quam vnum

Iuſtum ac tenacem propoſiti virum;
Quem haud ciuium ardor, praua iubentium;
Nec vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida (e).

Quis ergo in tanta adfectuum intemperie ſperet, aliquem boni integrique iudicis officio rite functurum in cauſſis propriis, vel ad ſe ſaltim vllo modo pertinentibus? Quis non potius periculum eſſe intelligit, ne iudex leges tunc dormire, quam ex earum praeſcripto ſe ſuoſue damnare malit? Zaleuco, Locrenſium legislatori, nemo temere vel prudentiae, vel virtutis laudem, negauerit, quippe quem veteres inter *viros bonos ac honeſtos, quos Pythagorae diſciplina in Italia formarit*, referunt (f). Et tamen

(d) Philo *de iudice p.* 718. *oper.*

(e) Horat. *Lib. III, Carm. Ode* 1. *v.* 1.

(f) Diog. Laert. *Lib.* VIII. *Segm.* 16.

tamen quum tuliſſet legem de adulteris vtroque oculo priuandis, accuſato eius criminis filio, vnum oculum ſibi, alterum filio erui iuſſit, *ita debitum ſupplicii modum legi redditurus, vt ſe inter miſericordem patrem & iuſtum legislatorem partiretur* (g). Si ergo virum magnum & ſapientiae ſtudioſiſſimum; quem nullae fortaſſis tyrannorum minae peruertiſſent, ſolus amor, quo filium degenerem illum quidem, at filium tamen, complexus eſt, a conſtante illa ac perpetua ſuum cuique tribuendi voluntate dimouit: quis maiore religione ius dicturos eſſe credat dominos in cauſſis propriis, maxime quum eorum plurimi numquam fortaſſis de componendo emendandoque animo, adfectibuſque rationis imperio ſubiiciendis, ſerio cogitarint? an non potius in eos vel maxime cadere dixeris illud philoſophi (h): Σχεδὸν δ' οἱ πλεῖστοι φαῦλοι κριταὶ περὶ τῶν οἰκείων. *Plerique fere mali ſunt iudices de rebus propriis.*

§. VIII.

Deinde ſi ius Romanum conſulamus, eius conditores, homines profecto prudentiſſimos, & innatae illius omnibus mortalibus labis non ignaros, huic iurisdictioni in cauſſis propriis non ſolum locum non conceſſiſſe in republica ſua, ſed & multas ſeueriſſimas ſanctiones ei oppoſuiſſe animaduertimus. Equidem, quum actuum voluntariorum ea ſit indoles, vt cum nullius hominis iniuria damnoue coniuncti eſſe poſſint, nulla etiam ratio ſubeſſe viſa eſt Romanis, cur eos a magiſtratibus in ſuis cauſſis explicari nollent. Hinc recte docet VLPIANVS (i), Praeſidem APVD SE & adoptare, & emancipare filium, & ſeruum manumittere poſſe. Recte etiam PAVLLVS (k) noſter monet, ſi conſul vel Praeſes filiusfamilias ſit, poſſe eum APVD SEMET IPSVM vel emancipari, vel in adoptionem dari. Addit MODESTINVS (l), fuiſſe hanc NERATII ſententiam: ſed tantum abeſt, vt hic iuriſconſultus ea in re ſententiam ſuam a reliquorum doctrina ſeiunxerit, vel ſcholae Proculianae κύριον δόγμα defenderit, vt potius VLPIANVS (m), qui in nullius verba magiſtri iurauerat, ac proinde inter erciſcundos, quos vocant, a pleriſque veluti ex

2. Ius Rom. quod tantum voluntariae iuriſdictionis actus in cauſſa propria explicari patitur.

(g) Aelian. *Var. hiſt. lib.* XIII. *cap.* XXIII. Valer. Max. *Lib.* VI. *cap.* V. *exempl. ext.* 3.

(h) Ariſtot. *Polit. Lib.* III. *cap.* VI.

(i) *l.* 2. *D. de off. Praeſid.*

(k) *l.* 3. *D. de adopt. & emancip.*

(l) *l.* 4. *D. eod.*

(m) *l. vn.* §. 2. *D. de off. conſul.*

compacto refertur (n), *nullam ea de re dubitationem fuiſſe*, fateatur. Et ſane cum aliis iuriſconſultorum teſtimoniis (o), tum ipſius exemplo Auguſti Imp. id luculenter poteſt demonſtrari. Auctor enim eſt SVETONIVS (p), eum *Caium & Lucium adoptaſſe* DOMI *per aſſem & libram, emtos a patre.* Vir eximius, IS. CASAVBONVS (q), hunc locum, quod mireris, non intellexit, & hinc non parum ſe torſit, dum illud DOMI interpretari conatus eſt. *An* DOMI, inquit, *id eſt*, IN DOMVM *? ſicuti dici ſolet adoptare in domum & familiam ? vt* HVMI *ſaepe valet* IN HVMVM *? An potius haec vox a Tranquillo adiecta, vt id praeter conſuetudinem factum, indicaret ? Caius IC. titulo VI. Quae tamen mancipatio ſolebat ante praeſidem fieri, modo ante curiam facienda eſt.* Immo neutrum verum eſt. Domi enim ſuae adoptauit Auguſtus, id eſt, apud ſemet ipſum, ob proconſulare, quod ipſi ſeptennio ante, teſte DIONE CASSIO (r), in perpetuum a ſenatu tributum fuerat, imperium, probe gnarus, poſſe vnumquemque magiſtratum apud ſe ipſum adoptare. Tantum enim abeſt, vt hic quidquam praeter conſuetudinem facere voluerit, vt recte obſeruarit HENR. NORISIVS (s), eum, vt ciuilior, veterumque morum cuſtos videretur, in pueris illis adoptandis vetuſtum ritum per omnia retinuiſſe. Licebat ergo magiſtratibus tales actus apud ſe ipſos, & in propriis cauſſis explicare, quia nullius in praeiudicium vergebant. Simul ac vero cauſſae cognitione opus eſſe, exiſtimarent: tanta erat Romanorum religio, vt ne hos quidem actus in propria cauſſa explicare cuiquam permitterent. Hinc VLPIANVS (t) obſeruat, *ſi euenerit, vt minor viginti annis conſul ſit, eum apud ſe manumittere non poſſe, quum ipſe ſit, qui ex SC. conſilii cauſſam examinet : apud collegam autem, cauſſa probata, poſſe.* Quum enim lege Aelia Sentia, & condito ad hanc legem SCo, cautum eſſet, ne cui minori viginti annis aliter manumittere liceret, quam vindicta, apud conſilium, & cauſſa manumiſſionis probata (u) : non videbatur ferendum, vt ipſe conſul viginti annis minor in re ſua cauſſam cognoſceret : quamuis, ex quo IVSTI-

NIANVS

(n) Em. Merill. *Lib. I. obſ. cap.* VI. *p.* 12. Godofr. Maſcou. *de ſectis Sabinian. & Proculeian. cap.* VIII. §. 7. *n.* 2. *p.* 139.

(o) *l.* 1. *l.* 2. *D. de offic. praetor. l.* 1. *l.* 5. *l.* 18. §. 2. *D. de manumiſſ. vind.*

(p) Sueton. *Auguſt. cap.* LXIIII.

(q) Iſ. Caſaubon. *Not. ad Sueton. ibid.*

(r) Dio Caſſ. *Lib.* LIII. *p.* 518. *ſequ.*

(s) Noriſ. *Cenotaph. Piſan. diſſert.* II. *cap.* I. *p.* 84. *ſequ.*

(t) *l. vn.* §. 2. *D. de offic. conſ.*

(u) §. 4. *I. qui, & ex quibus cauſ. manum. l.* 4. §. *vlt. D. de manumiſſ. vind.*

NIANVS (x) illud legis Aeliae Sentiae caput ſuſtulit, conſulem, etiam viginti annis minorem, apud ſemetipſum manumittere potuiſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videatur.

§. VIIII.

Aſt, quod ad contentioſam iuriſdictionem attinet, neminem* patiebantur ſibi ſuiſue ius dicere veriti, ne ſui magis, quam legum, rationem habendam exiſtimaret. Hinc VLPIANVS (y): *Qui*, inquit, *iuriſdictioni praeeſt, neque ſibi ius dicere debet, neque vxori, vel liberis ſuis, neque libertis, vel ceteris, quos ſecum habet.* Adeo ergo a tali iuriſdictione abhorrebant Romani, vt prohibitionem non modo ad vxorem & liberos, verum etiam ad libertos, immo & ceteros, quos ſecum magiſtratus haberet, proferrent. At quinam illi? Vir eximius, GEORG. ADAM STRVVIVS (z), qui hanc legem ſingulari diſſertatione illuſtrauit, nos remittit ad fragmentum legis Corneliae de iniuriis (a), quo iudices ex ea lege eſſe prohibetur, *qui ei, qui agat, gener, ſocer, vitricus, priuignus, ſobrinusue ſint, propiusue eorum quemquam cognatione adfinitateue contingat, quiue eius parentisue cuius eorum patronus eſſet.* Sed praeterquam quod hic textus non ad magiſtratus, ius dicentes, ſed ad iudices pertinet: hanc interpretationem vix admittunt verba: *& ceteris, quos ſecum habet.* Potius ergo haec clauſula ad magiſtratuum, maxime prouincialium, familiam, id eſt, adſeſſores, cancellarios, domeſticos, de quibus ex inſtituto agunt SIGONIVS (b) & CVIACIVS (c), referenda eſt, quibus, tametſi nulla cognatione adfinitateue ſibi iunctis, ius dicere prohibebantur magiſtratus, quia eos non modo ab omnibus ſordibus, ſed & ab ipſa earum ſuſpicione abeſſe oportebat. Eadem ſeueritate quemquam in cauſſa ſua vel ius dicere, vel iudicare prohibet GRATIANVS Aug. (d) *generali lege decernens, neminem ſibi eſſe iudicem, vel ius ſibi dicere debere*, addita ratione, quae paullo plenior in CODICE THEODOSIANO (e), quam in IVSTINIANEO, legitur: *Quum enim omnibus in ſe propriam dicendi teſtimonii facultatem iura ſubmouerint: iniquum admodum eſt, licentiam tribuere ſententiae.*

* *Non autem iuriſdictionem contentioſam.*

(x) §. *vlt. I. qui, & ex quib. cauſ. manum.* *Nou.* CXVIIII. *cap. II.*

(y) *l.* 10. *D. de iuriſdict.*

(z) Struu. *diſſ. ad l.* 10. *D. de iuriſd.* *cap. III. p.* 9.

(a) *l.* 5. *pr. D. de iniur.*

(b) Car. Sigon. *de iure prouinc.* *Lib. II. cap. II.*

(c) Iac. Cuiac. *paratitl.* *Codic.* *Lib. I. tit.* LI. *p.* 86. *Tomo II. oper.*

(d) *l. vn. C. ne quis in ſua cauſ. iudicet.*

(e) *l. vn. C. Theod. eod.*

tiae. A teſtibus igitur ad iudices argumentum ducit Imperator, non tamquam a pari, vt dialectici loquuntur, ſed a maiori ad minus, quia, quum ne teſtis quidem aliquis admittendus ſit, in quem cadat amoris vel odii ſuſpicio, multo minus admitti oporteat talem magiſtratum vel iudicem, maxime quum multo difficilius ſit alium teſtem, quam iudicem, reperire (f). Porro ex iuriſconſultorum veterum ſententia nihil intereſt, directe quis ſibi ſuiſue ius dicat vel iudicet, an indirecte & per conſequentiam, veluti ſi ex ſententia ſua vel compendii quid ſperet, vel metuat diſpendium. Hinc apud VLPIANVM (g) ait IVLIANVS; *Si alter ex litigatoribus iudicem ſolum heredem, vel ex parte, fecerit: alium iudicem neceſſario eſſe ſumendum: quia iniquum ſit, aliquem* SVAE REI *iudicem fieri.* SVAE REI, inquit, id eſt, *in rem ſuam.* Non magis enim aequum eſt, iudicare quemquam in rem ſuam, quam tutorem in rem ſuam patrisue auctorem fieri (h). Addimus poſtremo locum inſignem ZENONIS Imp. (i) Quamuis enim hic viros illuſtres, qui ſine adminiſtratione codicillis honorariis decorati eſſent, ea praerogatiua donaſſet, vt adſidere Conſtantinopoli poſſent in conſiſtorio principis: illico tamen addidit, *ſcire ipſos quoque debere, nec* DE SE, *nec* DE SVIS FACVLTATIBVS *iudicaturos aliquid, nec probatis criminibus, (niſi prius ad Imperatorem retulerint,) poſſe ſtatuere.* Sed nolumus plura accumulare teſtimonia, quum vel ex his paucis, quam iniqua ſemper Romanis illa in propriis cauſſis ius dicendi iudicandique facultas ſit viſa, ſatis ſuperque intelligamus.

§. X.

Quam late apud Romanos patuerit haec prohibitio?

Ceterum quum id principium, tamquam ex ipſa recta ratione depromtum, ſemel adſumſiſſent iuris auctores: non potuerunt non ex limpidiſſimo illo fonte plures concluſiones elegantiſſimas, ac veluti riuulos, deriuare. *Primo* enim quum eandem rationem eſſe animaduerterent arbitrorum & iudicum: recte inde collegerunt prudentes (k), ſi de re ſua quis factus ſit arbiter, eum ſententiam dicere non poſſe, vt ſe facere iubeat, aut

(f) Emeric. a Rosbach. *Proceſſ. tit. IIII. n. 61.* Caſp. Ziegl. *Dicaſtice concluſ.* XII. §. 4. *p.* 169.

[g] *l. 17. D. de iudic.*

(h) *l. 1. l. 7. pr. §. 2. D. de auct. tut. & §. 3. I. eod.*

(i) *l. 3. §. 2. C. vbi Senatores vel clariſſimi ciuiliter vel criminal. conueniantur.*

(k) *l. 51. D. de recept. arbitr.* Euerh. *Topic. leg. loco XXXX.* Caſp. Ziegler. *dicaſt. concl. XII.* §. 9. *p.* 172.

aut petere prohibeat: imperare enim ſibi, vel prohibere ſe ipſum, poſſe omnino neminem. *Deinde* CASP. ZIEGLERVS (l) contra FRANC. MILANENSEM, alioſque (m), recte defendit, regulam hanc locum habere, etiamſi morte ſoluta ſit adfinitas. Quamuis enim certum omnino ſit, eam apud Hebraeos, Graecos & Romanos fuiſſe indolem adfinitatis, vt ſoluto matrimonio exſpiraret (n), idque ex ipſis legibus noſtris ſatis eluceat (o): plerumque tamen, ſaltim ſi diuortium non interceſſerit, prior durat adfectio, immo & aliquando, ob liberos ex eo matrimonio ſuperſtites, intereſſe poteſt coniugis, cauſſa non cadere adfines, ſed victores foro excedere. *Praeterea* ob eamdem rationem a iure dicundo iudicandoque iure meritoque arcetur fideiuſſor, quamuis TIRAQVELLVS (p) & SIG. SCACCIA (q) eum admittere non dubitent. Quum enim idem tunc debeant reus & iudex, illoque ſuccumbente, ſi ſoluendo non ſit, ad hunc eatur: quis credat, damnatum iri reum a iudice, & non potius hunc operam daturum, vt tum ipſe, tum reus, communi periculo liberentur? Nec minus *porro* recte inde colligunt (r), a iure dicundo propriaeque cauſſae cognitione abſtinere debere magiſtratus, ſi vel maxime iudicum conſeſſus ſatis numeroſus ſit. Quamuis enim tunc ad plurium ſuffragia res redeat: acute tamen, vt ſolet, obſeruauit CELSVS, (s) *poſſe & vnius praeſentiam trahere ceteros ad ſuam ſententiam.* Ac proinde ſi vnius ex illo collegio cauſſa agitur, nihil aequius eſt, quam vt ille ſecedat tantiſper, dum eatur in ſuffragia, ne vel ipſa eius praeſentia ſententias dicendi libertati officiat. *Poſtremo*, quamuis in vita ciuili ſaepenumero contingat, vt vnus homo plures perſonas ſuſtineat (t): recte tamen obſeruauit ZIEGLERVS (u), diuerſum illum reſpectum nec mutare adfectionem, nec magis iudicem ſanctiorem reddere, quam ſi alia toga indutus ferret ſententiam. Hinc ſi fingamus, academiam aliquam a-

 gere

(l) *ibid.* §. 10. *p.* 173.

(m) Franc. Milan. *Lib.* 1. *Dec.* XV. *n.* 14. *ſequ.* Sebaſt. Medices *in libro: mors omnia ſoluit. Part.* II. *concluſ.* VI. *n.* 22.

(n) Vinn. *comm. ad* §. 6. *I. de nupt.* Henr. Bern. Reinold. *Variar. Cap.* XXIV. Illuſtr. Dn. Praeſ. *ad L. Iul. & Pap. Lib.* II. *Cap.* XVII. *p.* 311.

(o) §. 7. *I. de nupt. l.* 2. *C. Theod. de inceſt. nupt.*

(p) And. Tiraquell. *in tit. C. res inter alios act. n.* 8.

(q) Sigiſm. Scaccia *de ſent. & re iud. gloſſ.* IV. *qu.* 8. *n.* 2.

(r) Ziegl. *ibid.* §. XIII. *p.* 175.

(s) *l.* 17. §. *vlt. D. de recept. arbitr.*

(t) Hert. *Diſſ. ſing. de vno hom. plures perſonas ſuſtinente.*

(u) Ziegl. *dicaſtic.* §. XIII. *p.* 176. Men. *Part.* 1. *Dec.* CIII.

gere, aduerſus parochum in iudicio eccleſiaſtico, quod theologiae & iuris Profeſſores conſtituunt : ſane hi non minus, quam ſi in concilio academico res ageretur, in cauſſa propria ius dicere videbuntur, quia vna omnium iſtarum perſonarum moralium indoles, vna voluntas, iidem denique adfectus ſunt. Ceterum quum ex his omnibus pateat, reſcindendam eſſe ſententiam a tali iudice ſuſpecto non recuſato latam, ipſo vero iure nullam habendam, ſi ea a magiſtratu, quem quis iuſta exceptione repulit, & qui iudex eſſe per leges non potuit (x), proficiſcatur (y) : conſequens profecto eſt, vt ex iuris Romani principiis, idem dicendum ſit de magiſtratu in ſua ſuorumue cauſſa ius dicente, adeoque ius ciuile minime omnium faueat iuriſdictioni illi, qua domini iudicant in cauſſis ſubditorum, quos ipſi domi ſuae vel in iudicio proprio conueniunt.

§. XI.

An quidam textus iuris Romani huic conſuetudini faueant?

Sunt tamen, qui ſibi in ipſo iure Romano textus quosdam, quibus defendi poſſit haec dominorum iuriſdictio, videntur reperiſſe. Sane enim quum *in priuatis negotiis patrem filium, vel filium patrem iudicem habere poſſe*, ſtatuat AFRICANVS (z) : quumque MACER (a) proferat SC. ex quo praeſides etiam comitibus, *ſi quid iis inuitis accidat, veluti, ſi iniuriam aut furtum paſſi ſint*, ius dicere potuiſſe, intelligimus : quum denique magiſtratibus maioribus iuriſdictionem ſuam poenali iudicio defendere (b), & filio magiſtratum gerenti *patrem, cuius in poteſtate eſt, cogere liceat adire hereditatem & reſtituere* (c) : quis miretur, Germanos etiam permiſiſſe dominis, vt ſibi ipſis ius dicere poſſent aduerſus ſubditos, fraena mordentes, operas, cenſum, laudemia denegantes, ingenioque tam ſeruili plerumque praeditos, vt nihil, ad quod obſtricti ſunt, niſi fuſtem tergo imminere videant, praeſtare ſoleant? Sed vereor, vt omnia haec veterum loca quidquam ad rem faciant. AFRICANI fragmentum ne acutiſſimus quidem eius interpres, CVIACIVS (d), ſatis videtur perſpexiſſe, partim

(x) *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Tertull. l. 1. §. 2. D. quod quiſque iur. l. 2. §. vlt. D. de poen.*

(y) Blaſ. Altimar. *de nullit. ſentent. Part. I. rubr.* VIIII. *quaeſt. LXII. p.439. & qu.* CCV. *n. 9.* 10.

(z) *l. 77. D. de iudic.*

(a) *l. 16. D. de offic. Praeſ.*

(b) *l. 1. pr. D. ſi quis ius dic. non obtemp. l. 8. D. de adpellat.*

(c) *l. 13. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

(d) Iac. Cuiac. *Comment. ad African. tract.* III. *Tom.* I. *op. p.* 1278. *ſequ.*

tim quod illud de ipſo magiſtratu accipit, partim quod contra tot alia veterum iurisconſultorum teſtimonia, ipſamque iuris Rom. analogiam, patrem & filium ſibi inuicem ius dicere poſſe, ſtatuit, non alia fretus ratione, quam quia, quod ad ius publicum attinet, filius non ſequatur ius poteſtatis (e), ſed illud, cum filii poteſtate comparatum, interquieſcat paullulum & conniueat. (f) Attamen id ad priuatas tantum cauſſas pertinere, exiſtimat, non ad iudicia publica, in quibus permulta, quae ſemel decreta, corrigi deinde nequeant, & a filio pati patrem indigniſſimum ſit, veluti carceres, catenae, verbera, tormenta incurrere ſoleant. (g) Quum vero, quo erat ingenii acumine, facile animaduerteret CVIACIVS, hanc interpretationem ſuam aperta veluti fronte incurrere in *l.* 10. *D. de iuriſdictione*: ſubtilem ſatis commentus eſt rationem, qua AFRICANVM cum VLPIANO in gratiam reduci poſſe exiſtimauit. *In hac lege*, inquit, AFRICANVS *dicit*. POTEST: *in illa* VLPIANVS : NON DEBET. *Haec vero non ſunt contraria.* POTEST, *ſed* NON DEBET : *rectius enim fecerit, ſi in re patris aut filii abſtinuerit munere iudicandi. Vno verbo ius, altero honeſtas ſignificatur.* Haec CVIACIVS, Graecos interpretes ſuo more ſequutus. Alibi tamen (h) ſua ipſe vineta cedit, dum illum AFRICANI textum non de magiſtratu, ſed de iudice pedaneo, intelligendum eſſe cenſet, notatus ideo ab EM. MERILLIO (i). Sed non opus eſt ambagibus. Ipſa enim AFRICANI verba ſatis oſtendunt, non de magiſtratibus, ſed de iudicibus pedaneis, ibi eſſe quaeſtionem : neque iis temporibus verba *ius dicere* & *iudicare* promiſcue accipere ſolebant iureconſulti, niſi ſi quando negligentius ſcriberent : quod in *libris Quaeſtionum*, accurate & πραγματικῶς ſcriptis (k), feciſſe AFRICANVM, vix veroſimile eſt. Deinde nec magis ſolidum videtur commentum iſtud, quod magiſtratus poſſit quidem, at non debeat; in cauſſa patris vel filii ius dicere, quod non ineleganter ita profligat MERILLIVS (l): *Quod quidem ſubiicitur iudicis poteſtati, non ſubiicitur neceſſitati, vt facere debeat* (m) : *Sed quod ſubiicitur neceſſitati, vt facere non*

(e) *l.* 14. *pr. D. ad SC. Trebell. l.* 9. *D. de his, qui ſunt ſui vel al. iur.*

(f) Gellius *Noct. Attic. Lib. II. cap. II.*

(g) *l. vlt.* C. *de abolit.*

(h) Cuiac. *Not. ad l.* 77. *D. de iudic.* Tomo VII. *op. p.* 766.

(i) Merill. *Variant. Cuiac. Lib. I. cap. X. p.* 36.

(k) Eu. Otto *in Papiniano cap.* XII. *p.* 234. *ſequ.*

(l) Merill. *ibid. p.* 38.

(m) *l.* 40. *D. de iudic.*

non debeat ; id facere non poteſt. Quod iudex non debet facere, nec etiam facere poteſt : & quod non poteſt facere, nec etiam facere debet. Quare nihil ſupereſt, quam vt cum FRANC. DVARENO (n) & PETRO PERENNONIO (o) diſtinguamus inter magiſtratus & iudices, & illos quidem ius dicere in cauſſa patris vel filii potuiſſe, negemus, his autem iudicare in tali cauſſa, ſaltim ex plerorumque ſententia (p), licuiſſe dicamus. Permultum enim inter vtrosque intererat. Illi iurisdictionem in inuitos explicabant: hi nonniſi volentibus addicebantur. Licebat enim litigantibus, quibus Praetor iudices ſuſpectos addicere volebat, clamare : HVNC NOLO : HIC TIMIDVS EST, ET BONA SAECVLI PARVM INTELLIGIT : ILLVM VOLO, QVIA CAESAREM FORTITER AMAT. (q) Immo non aliter, quam ex conſenſu litigantium, & veluti ex compromiſſo eorum, dari addicique ſolebant iudices (r). Quamuis ergo iudices huiuſmodi iudicare non poſſent, recuſati a litigantibus, nec inuitis illis recte obtruderentur : iudicare tamen poterant etiam in cauſſa filii vel patris, ſi aduerſariis placerent, hique cauſſae bonitate freti ſpem ac fiduciam in iis collocaſſent, perinde ac de re patris arbitro eſſe licet filio, in quem vterque litigantium compromiſit (s). Reliquos textus minus difficultatis habere arbitramur. Senatusconſultum enim, cuius verba ſeruauit MACER (t), non abſciſſe permittit Praeſidibus, vt comitibus ius dicant, (quamuis & eo caſu vix eſſet, vt eos in propria cauſſa ius dicere exiſtimaremus,) ſed vt litem tantum conteſtari, rem redhiberi, & de iudicio ſiſti ſatisdari iubeant, ipſa cauſſae diſceptatione ſucceſſori reſeruata. Id vero ideo facile indulſit Senatus, quod non modo res moram non ferret, (quo caſu & alias quaedam extra ordinem indulgentur magiſtratibus) (u), verum etiam quod ex ſola litisconteſtatione, depoſitione rei & ſatisdatione nullum damnum immineret reo. Quare tantum abeſt, vt in illo MACRI textu iuris dictioni in cauſis propriis explicandae aliquid ſit praeſidii, vt potius inde recte ducere videamur argumentum, ſi praeſides ne comitibus quidem ſuis, id

(n) Duaren. *Diſput. anniuerſ. lib. I. cap.* LI.

(o) Perennon. *Animaduerſ. iur. ciu. lib. I. cap. XII. in theſauro iur. ciu. Tomo I. p. 608.*

(p) *l. 6. D. de recept. arbitr.*

[q] Plin. Maior. *hiſt. nat. lib. I. praef.* & Plin. Secund. *Panegyr. cap.*XXXVI.

(r) *l. 23. D. de adpell. l. 80. D. de iudic.*

(s) *l. 6. D. de recept. arbitr.*

(t) *l. 16. D. de offic. Praeſ.*

[u] *l. 1. D. de damn. inf. l. 4. §. 1. 3. 7. 8. D. eod.*

id eſt, extraneis, ius dicere potuerint, multo minus cuiquam ſibi ſuisue in cauſſis propriis ius dicere apud Romanos licuiſſe. Satis porro ſpecioſum eſt, quod ex VLPIANI loco (x) ducitur, argumentum, quippe qui manifeſto de magiſtratu loquitur. Sed ſane non ibi eſt quaeſtio, an pater ſe ſubiicere teneatur filio magiſtratui, ac non potius ipſe aeque ac fideicommiſſarius, eius iuriſdictioni ſeſe ſubducere potuerint? Quod fieri potuiſſe, ex alio VLPIANI textu (y), quem ſupra laudauimus, ſatis intelligimus. Quamuis enim recuſandi facultas, teſtibus DVARENO (z) & CVIACIO (a), non ad magiſtratus, ſed ad iudices, pertineret: verum tamen eſt, non defuiſſe ciuibus cum maiorum, tum parium magiſtratuum, nec non Tribunorum plebis auxilium ſi magiſtratum ſibi ius dicturum ſuſpectum haberent (b). Id vero quaerit VLPIANVS, ſi filiusfamilias magiſtratum gerat, nec a patre, nec a fideicommiſſario reiectus, patrem ſuum adire & reſtituere hereditatem coegerit, an coactio illa teneat? Negandum id ſane videbatur, primo; quod nemo iure cogere poſſit alterum, cui maius in ſeſe ſit imperium: deinde, quod, quum pater, & filius vnam perſonam conſtituant, abſurdum videatur, aliquem veluti a ſe ipſo cogi. Sed ad prius reſpondet VLPIANVS (c) conſulis quoque maius eſſe, quam Praetoris imperium, & ne Praetori quidem in Praetorem iuriſdictionem competere: & tamen, inquit, *ſi conſul vel Praetor* SE *iuriſdictioni* SVBIICIAT, *ſolet Praetor in eos ius dicere.* Alterum κατὰ θέσιν concedit, puta, neminem ſe ipſum cogere poſſe, ac proinde, *ſi ipſe Praetor heres inſtitutus ſuſpectam dicat hereditatem, ipſum ſe cogere poſſe, negat, quia triplici officio fungi non poſſit, & ſuſpectam dicentis, & coacti, & cogentis. Sed in his omnibus caſibus atque ſimilibus principale auxilium eſſe implorandum.* Enimuero καθ' ὑπόθεσιν negat, filiumfamilias magiſtratum vnam cum patre perſonam eſſe, quia in publicis negotiis non habeatur ratio patriae poteſtatis (d), vel, vti inſequente ſtatim lege ait HERMOGENIANVS (e), quia, *quod ad ius publicum attinet, filius non ſequitur ius poteſtatis.* Quibus poſitis, VLPIANVS hanc facit cogitationum ſuarum ſummam: *Si quis filiusfamilias ſit, & magi-*

(x) *l.* 13. §. *vlt. D. ad SC. Trebell.*

(y) *l.* 10. *D. de iuriſd.*

(z) Duaren. *comment. ad l.* 10. *D. de iuriſd. Tomo* I. *op. p.* 28.

(a) Cuiac. *ad l. vlt. C. de ſentent. & interloquut. Tomo* VIIII. *op. p.* 1070.

(b) Sigon. *de iudic. lib.* I. *cap.* VII. *p.* 363.

(c) *d. l.* 13. §. 4. *D. ad SC. Trebell.*

(d) *l.* 9. *D. de his qui ſunt ſui vel alieni iur.*

(e) *l.* 14. *pr. D. ad SC. Trebell.*

ſtratum gerat : patrem ſuum in cuius eſt poteſtate cogere poterit, ſuſpectam dicentem hereditatem adire, & reſtituere, id eſt, valet coactio illa, tametſi a filio profecta, ſi vterque litigantium eius iuriſdictionem in illa cauſſa agnouerit. Denique quod ad iudicium poenale, quo magiſtratus Romani iuriſdictionem ſuam tueri poterant, attinet, id primum lex Ateria Tarpeia (f), ac poſtea Praetor (g) conceſſerat, quia non tam magiſtratuum, quam ipſius reipublicae, intererat, eorum dignitatem auctoritatemque ſaluam eſſe, adeoque, ſi quis eos parum reuerenter habuerat, non ſibi ius dicebant magiſtratus, ſed dignitatis ſuae ipſiuſque reipublicae iura tuebantur. Vnde idem hodie quoque fieri animaduertimus, obſeruatque CARPZOVIVS (h), magiſtratum delictum, ſe praeſente ac pro tribunali ſedente admiſſum, abſque omni cauſſae cognitione coercere, & iniuriam ſibi, tamquam iudici, in ipſo iudicio illatam illico vindicare poſſe, partim quod iure Germanico iudicibus & ſcabinis teſtificantibus ſuper his, quae coram illis geſta ſunt, plena fides habeatur (i), partim quod iudex vindicando talem iniuriam, non ſuam, ſed alienam cauſſam, cognoſcere dicatur (k). Id quod & auguſtum Camerae imperii iudicium in iudicando obſeruare, MYNSINGERVS (l) teſtatur.

§. XII.

An a Principe argumentum duci poſſit ad reliquos dominos?

Hactenus ergo nihil, quod huic dominorum iuriſdictioni in cauſſis propriis fauere, vel ei colorem ſaltim aliquem inducere videatur, in iure Romano reperimus. At ſunt tamen, qui illos Principis exemplo tuentur, quem in ſuis cauſſis ius dicere poſſe, non modo recta ratio, ſed & iura noſtra omnino concedunt. Saltim Imperatores in cauſſis ſuis, veluti Tiberium in cauſſa ſerui ſui, Parthenii (m), Antoninum de caducis ius dixiſſe (n), referunt POMPONIVS & MARCELLVS. Quod & ad imperii noſtri Principes iureconſulti proferunt (o). Si vero Principibus ſine ſuſpicione aliqua iniquitatis licet ſibi ius dicere : qui, quaeſo, id in perſona

(f) Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. X. antiqu. Rom. p.* 674.

(g) *l.* 1. *pr. D. ſi quis ius dic. non obtemp.*

(h) Carpzou. *Part. II. conſtit.* XVI. *defin.* 28. *n.* 1.

(i) Ius Prou. Sax. *Lib. III. art.* 88. Weichb. Sax. *art. XI.*

(k) *cap.* 1. *de poen. in* 6.

(l) Mynſinger. *cent.* VI. *obſeru. III.*

(m) *l.* 41. *D. de hered. inſtit.*

(n) *l.* 3. *D. de his, quae in teſtam. del.*

(o) Zaſ. *ad d. l.* 10. *D. de iuriſd.* Gail. *obſ. lib. I. cap. I. n.* 18. Schrader. *Vol. I. caſu II. n.* 18. It. *de feud. P. X. ſect. II. n.* 64.

perſona nobilium iniquum videatur? Enimuero permultum inter haec intereſſe, nemo non, opinor, animaduertit. Primo enim ſuperiorem, qui in cauſſa ſua ius dicat, non habet Princeps, ac proinde, niſi eum impune ſpoliari poſſe a ſubditis, dixeris, ipſa eum iudicem conſtituit neceſſitas (p). At nobiles agnoſcunt forum ſuperius, in quo ſubditos, officii immemores, poſſint conuenire. Deinde tam verecundi ſunt boni Principes, vt raro ipſi ſibi ius dicant, ſed plerumque ſe vltro ſubmittant ſupremis curiis, ſuiſque conſiliariis in ea cauſſa iuriſiurandi, quo ſibi obſtricti ſint, gratiam faciant: quod nobiles vnquam facere ſolere, non meminimus. Denique tantum eſt, ad quod magnos principes vel naſcendi ſors, vel virtus, euexit, faſtigium, vt nulla in eos cadat ſordium ſuſpicio, multoque ſit probabilius, eos cauſſa cadere, quam cum vllius mortalium iniuria damnoue victoria potiri malle. Superſunt veteres Neruae Imperatoris numi, praeferentes epigraphen: FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA (q). Quum enim Fiſci procuratores gentem miſeram, & recentibus patriae reipublicae cladibus adhuc ſauciam, innumeris rapinis atque exactionibus quotidie vexarent: eam calumniam non modo repreſſit, ſed & penitus ſuſtulit laudatiſſimus princeps, eoque edito abſtinentiae exemplo ſibi magis placuit, quam innumeris, quae fiſcum locupletare potuiſſent, exſulum iſtorum ſpoliis. Simile animi magnitudinis monimentum auro argentoque celebrare nouimus Gallos, cuſo anno MDCLXXX. elegantiſſimo numo, cui circumſcriptum: FISCVS CAVSSA CADENS. De eo CLAVDIVS FRANC. MENESTRIER (r). *L'affaire des maiſons bâties ſur les anciens foſſés de la ville ayant été portée au Conſeil, les voix furent partagées. Et le Roy pouvant décider en ſa faveur, donna ſa voix en faveur des particuliers, &* PERDIT *ainſi* SA CAVSE *par ſon ſeul ſuffrage.* Tanta animi magnitudine eſſe ſolent boni Principes. At ea profecto non ſemper cadit in dominos reliquos, qui intra priuatorum ſortem plerumque ſubſidunt, neque ſemper ſibi religioni ducunt, lucrum aliquod cum ſubditorum ſuorum detrimento captare. Quamobrem inter Principum & priuatorum iuriſdictionem non minus diſcrimen eſt, quam inter ipſam vtrorumque fortunam; neque ab illis ad hos, quod ad hanc quaeſtionem attinet, duci poteſt argumentum.

 §. XIII.

(p) Alexand. *conſil. CXXXV. ſin. col. 2. verſu: pro hoc.*

(q) Ezech. Spanhem. *de vſu & praeſtant. numiſmat. diſſ. XIII. Tomo II. p. 571.*

(r) Meneſtrier *dans l'hiſtoire du Roy Louis le Grand par les medailles p. 19. n. 6.*

§. XIII.

Probatur, hanc iuriſdictionem nec iuri naturae repugnare,

Enimuero habere nobis videmur rationes, cur illam dominorum iurisdictionem nec iuri illi, quod nobiscum natum eſt, ſempiterno, nec ipſi Romanorum iurisprudentiae aduerſari, exiſtimemus. Iuris dicundi enim poteſtas ex earum rerum numero eſt, quas neceſſitas inuexit, & quibus ſine incommodo carere potuiſſet humanum genus, ſi in primaeua illa integritate perſtitiſſet; talesque manſiſſent homines, quales aureo ſaeculo fuiſſe aiunt poëtae,

Qui vindice nullo
Sponte ſua, ſine lege, fidem rectumque colebant (s).

Talia vero iura non ita definit recta ratio, vt non liceat hominibus ea ſtatui ſuo ac neceſſitati attemperare. Nec tanta ſemper ſperari poteſt eorum entium moralium perfectio, quanta, ſepoſita hominum imperfectione, animo concipi poteſt. Iam ergo facile videt ratio, iudicem eſſe oportere virum bonum, ſanctum, integrum, cuius religionem nulla vmquam expugnet praua cupiditas, qui non modo adfectibus omnibus ſit ſuperior, ſed & adſcendens tribunal, ſemper ſibi in animum reuocat κρίνειν τε καὶ κρίνεσθαι, *iudicari ſe non minus, quam iudicare*, ceu idem, quem ſupra laudauimus, PHILO (t) praecipit. Sed vbinam terrarum talem inter mortales, accenſa etiam lucerna, reperiet Diogenes?

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt,
Qui minimis vrgetur (u).

Reliquum ergo fuit, vt homines, contenti hominibus, quales producebat ſaeculum, optimos eligerent, eosque tamdiu haberent pro bonis, quamdiu nullius vitii nullarumque ſordium comperti eſſent. Si perfectos habere iudices voluiſſent homines: carendum plane fuiſſet iudicibus. Bene ergo ſecum agi credere debuerunt, dummodo non malos & improbos haberent. Deinde vltro largimur, non temere quemquam ſibi ius dicere oportere: at id vt obtineatur, denuo numquam fieri poteſt. Siue principis, ſiue optimatium, ſiue vniuerſi populi imperio ſeſe ſubiiciant homines: non poteſt non contingere, vt lites oriantur inter imperantes & ciues. Quis vero tunc iudicis partibus fungetur? Quis, niſi vel Princeps, vel optimatium concilium, vel populus? Neque tamen quiſquam id rectae rationi aduerſari exiſtimabit, quod euitare

(s) Ovidius *Metamorph. Lib. I. v.* 90.

(t) Philo *de iudice p.* 719. *Op.*

(u) Horat. *Serm. lib. I. ſat. III. v.* 68.

euitare nequit humanum genus. Si ergo in ſe ratio non abhorret a iuriſdictione ſummorum imperantium in cauſſis propriis: quis rectae rationi in ſe aduerſari dixerit iuriſdictionem illam nobilium? maxime quum haec ob ius ſupremae adpellationis minus, ac illa, periculoſa ſit, nec deſint media, illam ita inter fines ſuos coercendi, vt non admodum formidoloſa ſit ſubditis, quibus, ſi iudex ille litem ſuam fecerit, ſemper ad Principem, tamquam ad ſacram anchoram, confugere integrum eſt.

§. XIIII.

Parum quoque refert, leges noſtras ciuiles huic Germanorum conſuetudini non fauere. Neque enim iurisdictio Germanica ex legibus Romanis, ſed ex iure ac moribus patriis, eſt aeſtimanda: (x) niſi credere velis, Germanos, recepto iure Romano, ipſam reipublicae formam mutare, omniaque ſusque deque vertere voluiſſe. Quin, ſi tanti res eſſet: facile demonſtraretur, ne Romanis quidem talem iurisdictionem plane ignotam fuiſſe. Notiſſimum enim eſt, patresfamilias olim cum inter liberos & ſeruos, tum ſibi contra vtrosque ius dixiſſe, vel, vti eleganter loquuntur DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS, Auguſti (y), *eos* DOMI *conueniſſe*. Hinc & offenſi a liberis patres domi ſuae iudices ſedebant, & veluti *domeſtici magiſtratus*, ceu a M. SENECA (z) vocantur, adhibitis in conſilium propinquis & amicis, ferebant ſententiam (a), & multo magis domini ſeruos apud ſe ipſos conueniebant, ſi quid contra officium feciſſent. De qua priuata ac domeſtica patrumfamilias iurisdictione nuper admodum tam accurate diſſerere memini Illuſtr. DN. PRAESIDEM (b), vt actum hic agere omnino nolim. Si vero Romanis ipſis, qui alioquin neminem in propria cauſſa iudicem eſſe patiebantur, non abſurdum viſum eſt, parentes & dominos liberis ſeruiſque ſuis domi ſuae diem dicere poſſe: quis, quaeſo, vitio verterit Germanis, quod dominis idem indulgere non dubitauerint? Non cadebat in bonum patrem ſuſpicio, eum hac poteſtate abuſurum, vel iniqua ſententia oppreſſurum ſanguinem ſuum, nec periculum erat, ne dominus ſer-

Nec iuri ciuili.

 uum,

(x) Stryk. *Vſ. mod. Dig. Lib. II. Tit. I. p.* 172. Carpz. *prax. crim. quaeſt.* CVIIII. *n.* 6. Schilt. *Exercit.* VI. *ad Pand.* §. *I.*

(y) *l.* 6. *C. an ſeru. pro ſuo facto poſt manum. ten.*

(z) M. Seneca *Lib. II. controu. cap. III.*

(a) Valer. Max. *lib.* V. *cap.* VIII. Seneca *de clement. lib.* I. *cap.* XV.

(b) Dn. Praeſid. *diſſ. de locat. conduct. iuriſdict. cap.* I. §. VIIII.

uum, meliorem patrimonii ſui partem ſine cauſſa ſontica perderet: & ſi forte alteruter litem ſuam male iudicando feciſſet, tertio laeſo in promtu erat magiſtratuum auxilium, cuius in actione tributoria exemplum luculentiſſimum exſtat (c). Si enim pater vel dominus, tamquam magiſtratus domeſticus, merces peculiares vel nollet inter creditores diſtribuere, vel easdem male tribuiſſe diceretur, ea actione experiebantur aduerſus patrem vel dominum, vt Praetor iniquam iſtam diſtributionem emendaret (d).

§. XV.

Eius origo a ſtatu ſubditorum ſeruili, & herili dominorum poteſtate repetenda.

Et haec quidem ratio Germanos etiam mouit, vt dominis hanc iuriſdictionem in cauſſis propriis concedendam exiſtimarent. Vere enim haec iuriſdictio non aliunde eſt repetenda, quam ex ſeruili ſubditorum conditione, poteſtateque herili dominorum. Ruſtici olim in Germania omnes erant ſeruilis conditionis. Et quamuis aliorum tolerabilior, aliorum paullo durior eſſet ſeruitus: in eo tamen nulla erat in eorum ſtatu differentia, quod glebae adſcripti, dominiſque ſuis obnoxii eſſent. Quis vero negauerit, fas eſſe dominis, mancipia ſua, fraena ſi mordere auſint, coercere, & ad praeſtandas operas, penſiones, canones, mulcta pignoriſque capione, quin & carcere & verberibus, adigere? Auctorem equidem habemus TACITVM (e), Germanos ea diſciplina domeſtica raro eſſe vſos. *Verberare*, inquit, *ſeruum & vinculis atque opere coercere rarum.* Enim vero ideo non negat ſcriptor accuratiſſimus, dominos Germanos ea poteſtate herili vſos eſſe, ſed illos tantum ea moderatione fuiſſe ait, vt illo iure ſuo rarius vterentur, comparati cum Romanis, apud quos, corruptis luxu opumque magnitudine moribus, quotidiana corporum ſeruilium carnificina ſpectabatur (f). Idem & poſtea obſeruatum eſſe, ex elegante diplomate HENRICI III. Imp. apud POTGIESERVM (g) patet, vbi, *ſi quis ex villanis vel manſionariis cenſum debitum neglexerit, & ſtatuto die vel tempore non dederit, facultas datur villico abbatis, ſtatim ſequente die vadimonium de domo ipſius*, SINE ADVOCATO, *tale accipiendi, cum quo illud, quod ipſe ad ſeruitium debuit fratrum, pleniſſime perſoluat.* Itaque haec pignoris capio fiebat ſine *aduocati* vel iudicis ordinarii praeſcitu ac conſenſu, perinde, ac poſtea

IVRE

(c) *l. vlt. D. de tribut. act.*

(d) Cuiac. *Paratitl. D. de tribut. act.* Maranus *in Paratitl. D. ibid. p.* 322.

(e) Tacit. *de mor. Germ. cap. XXV.*

(f) Io. Meurſ. *Auctar. philolog. ad libell. de gloria cap.* XXII.

(g) Potgieſſ. *de ſtat. & cond. ſeru. lib. II. cap. I. §. 22. p. 220. edit. nouiſſ.*

IVRE SAXONICO, cuius haec verba euidentiſſima ſunt (h): *Der Herr mag wohl ſelbſt pfanden auf ſeinem Gut, umb ſein Zinſs und Geld, das man ihm davon gelobet hat, ohn des Richters urlaub.* Quae ſane argumento ſunt luculentiſſimo, dominis olim licuiſſe in ordinem cogere homines proprios, & aduerſus eos, fraena mordentes, iura ſua & pignorationibus & poenalibus iudiciis tueri; & hanc ipſam conſuetudinem originem dediſſe iudiciis, quae nobiles & domini etiam hodierno die ſolent in cauſſis propriis explicare.

§. XVI.

Cur & ceſſante paſſim ſeruili ruſticorum conditione, haec conſuetudo permanſerit?

Nec quiſquam, credo, mirabitur, eam iuriſdictionem & hodie ſaluam eſſe dominis, quum tamen paſſim ruſtici, exſoluti ſeruitutis vinculis, iampridem ad libertatem adſpirarint. Quiſquis enim meminerit eorum, quae TACITVS (i) de Germanorum libertis memoriae prodidit, *eos non multum ſupra ſeruos eſſe*, is facile animaduertet, manumiſſiones illas & redemtiones nihil fere mutationis circa illam dominorum iuriſdictionem adferre potuiſſe, ſi praedia retinerent homines proprii manumiſſi, nec in vrbes vel alio migrarent. Eſt enim iuriſdictio illa, in quam paullatim degenerauit herilis illa poteſtas, non perſonalis duntaxat, ſed per totum illum tractum, qui in domini iſtius patrimonio eſt, porrigitur, ac proinde, quicunque in illo tractu habitant, ſiue ſeruilis ſint conditionis, ſiue manumiſſi, nullius, quam domini, iuriſdictionem agnoſcere poſſunt, niſi exemtionem eiuſque iuſtam cauſſam, rite probare poſſint. Praeterea, quum poſt Francorum tempora rariſſime iuſtam ac plenam libertatem conſequerentur homines proprii: fieri non poterat, quin variae ac diuerſiſſimae eſſent, ad quas ruſtici tenebantur, praeſtationes. Hinc POTGIESERVS (k): *Germani ſanguinem libertinum faſtidiebant, ideoque liberti non multum ſupra ſeruos erant, & raro aliquod momentum in domo, nunquam in ciuitate. Sed & deinceps nullis fere aliis iuſta tribuebatur libertas, praeterquam illis, qui ad ſacros ordines ſuſcipiendos e manu dimittebantur: reliquorum libertati leges dicebantur ex voluntate dominorum. Vnde non niſi retento obſequio, annuo cenſu, operarum & mortuarii reſeruatione, conferebatur libertas, aliiſque conſtringebatur vinculis. Atque iſta manumiſſionum diuerſitas cum ingens*

(h) Ius prou. Sax. *lib. I. art. LIIII.*
(i) Tacit. *de mor. Germ. cap. XXV.*
(k) Potgieſſ. *de ſtat. & condit. ſeru. Lib. IIII. cap. I. §. IIII. p. 668. edit. nouiſſ.*

gens inter agreſtes diſcrimen, tum tantam praeſtationum varietatem dubio procul inuexit. Quae & alibi repetit, & depromtis e VADIANO & HERM. STAMMIO teſtimoniis firmat vir doctiſſimus (l). Quum ergo ita natura comparatum ſit, vt vel minimam nacti libertatis particulam, iuſtam & plenam adfectent: quid iuſtius erat, quam ea de re diſceptari in domini iudicio, vbi & acta manumiſſionis facilius reperiebantur, & nota erat ruſtici ad libertatem proclamantis, obſequiumque detrectantis, conditio? maxime, quum, ſi dominus litem ſuam faceret, via pateret ruſtico ad ſuperiora principum iudicia, ac proinde non eſſet periculum, ne miſer ſubditus iniuſta ac praecipiti ſententia opprimeretur. Atque ita mos qui hominum propriorum cauſſa inoleuerat, quique ex herili in eos poteſtate fuerat profectus, etiam poſtea manſit, quum plerique homines proprii paullatim manumitterentur.

§. XVII.

Quinam poſſint alios apud ſe ipſos conuenire?

Sed quamquam de ipſo iure dominorum ſubditos ſuos in iudicio ſuo conueniendi dubitari non poteſt: ipſae tamen prudentiae regulae omnino ſuadent, vt non omnia iis permittantur, ſed haec iurisdictio, quippe quodammodo exorbitans, ita temperetur, ne facile dominis feneſtra, ſubditis quidquid libeat, extorquendi aperiatur. Quamobrem ſupereſt vt poſtremo loco, quid iuſtum ſit, circa hanc iurisdictionem, diſquiramus. Primo omnium vero merito quaeritur, cuinam id ius ſubditos apud ſe conueniendi competat? In ORD. PROC. SAX. ELECT. (m) id indulgetur *denenienigen, ſo mit Gerichten beliehen*, in ducatu Magdeburgico (n) *denen von Adel und Râthen in denen Stâdten, ſo die Gerichte zu exerciren haben.* Sed origo huius iurisdictionis, paullo ante a nobis deſcripta, ſatis oſtendit, id ius pertinere ad omnes, qui iurisdictionem patrimonialem ſiue feudi iure, ſiue quocunque alio iuſto titulo nacti ſunt, adeoque & ad Praelatos, immo & ad eccleſiae miniſtros, quibus certi coloni dotales cum praediis ſuis ita ſubſunt, vt ſimul in eos iurisdictionem inferiorem exerceant. Hi enim omnes ius dicunt ſubditis tamquam domini: adeoque & ratio, ob quam illud ius inuectum eſt, in eos omnino quadrat. Alia ergo omnia dicenda erunt, ſi qui tamquam officiales, quos vocant, iuri dicundo praeſunt, vel mandatam iurisdictionem exercent, tamquam Iuſtitiarii, *Gerichtshaltere*, qui quum domini non ſint,

(l) Ibid. *lib. IIII. cap. VIII.* §. 6. p. 720. *ſequ.*

(m) Ord. Proc. Sax. *tit. II.* §. 3.

(n) Ord. Proc. *Magd. cap. I.* §. 1.

ſint; non poſſunt quemquam apud ſe ipſos conuenire, ſed cauſſa merito a iudice ſuperiore cognoſcitur. Hinc ORD. PROC. MAGD. EMEND. (o) *Wann auch der Underrichter vor ſic und die Seinigen bey einer Sache intereſſirt wäre: ſoll ſolche zu unſerer Regierung gezogen werden.* Et noua lex, quae ſub titulo *allgemeine Juſtitz-Ordn.* anno MDCCIII. prodiit (p); *Wann die Dienſte und andere Amts-praeſtationes geweigert werden, oder ein und anderer Amts-Unterthan von ſeinem Gute einige Dienſt-Freyheit praetendiret, ſolche gehöret einzig und allein zur cognition der Cammer.* Itaque ius hoc non aliis, quam dominis iuriſdictionis, quos vocant (*denen Gerichts-Herrn*) competit, neque illo vti poſſunt alii, qui iuriſdictionem non in patrimonio habent, ſed eam iuſſu Principis vel aliorum mandato exercent.

§. XVIII.

Deinde ex his omnibus facile patet, poſſe quidem ſubditos a dominis in iudiciis ſuis conueniri, neque tamen his ipſis licere iudicum partibus fungi, ſed opus eſſe viro bono, cui mandata ſit iuriſdictio, vt non tam ipſe, quam alius, videatur cauſſam cognoſcere, & ferre ſententiam. Quamuis enim de Pomeraniae nobilibus obſeruet MEVIVS (q), eos per ſemet ipſos ius dicere ſubditis, ſi res notoria, vel leuis momenti vel praeiudicii ſit, & in cauſſis grauioribus duntaxat iudicium, a quo ſuſpicio abſit, conſtituere; alibi tamen non licet dominis per ſemet ipſos cognoſcere & iudicare, ſiue leuior ſit cauſſa, ſiue grauior, ſed, vti recte obſeruat BRVNNEMANNVS (r) *coram officiali ſuo.* Quamuis enim parum intereſſe videatur, per ſemet ipſum quis, an per alium iudicis partibus fungatur, quum quod quiſque per alium facit, id ipſe feciſſe videatur (s): hic tamen aliter videtur ſentiendum, quia nemini ius pro alio dicere, vel mandatam iuriſdictionem ſuſcipere licet, niſi iureiurando ad ius religioſe & ſine ſordibus dicendum praeſentibus ſubditis obſtricto. Id ſane diſerte exigit ORD. PROC. SAX. ELECT. (t) *Dieweil aber in ſolchen occaſionen der Partheyligkeit und anderer Unrichtigkeit halben, die bey Haltung derer Acten, und ſonſten mit unterlaufft, bey unſer Regierung allerhand* Be-

An ipſe dominus cognoſcere & iudicare poſſit?

[o] Ord. proc. Magd. emend. *cap. I.* §. *31.*
[p] Allgem. Iuſt. Ord. §. IIII. *n. 7.*
[q] Meu. *Part.* VIII. *Dec.* 198.
[r] Brunn. *ad l.* 10. *D. de iuriſd. n. 6.*
[s] *l.* 1. §. 12. *D. de vi & vi arm. l.* 5. §. 3. *D. de adminiſtr. tut. cap.* 68. & 72. *de reg. iur. in 6.*
(t) Ord. Proc. Saxon. *Tit. II.* §. 3.

Beſchwerden einkommen: wollen wir, daſs zu Vorkommung derſelben, dieienigen, ſo ſich zu Gerichts-Vervvaltung gebrauchen laſſen, bey Antretung ihrer Beſtallungen, in Beyſeyn derer Unterthanen, wie auch die zu denen Proceſſen erforderten Notarii, gleich andern Actuariis, wann ſie nicht obgedachter maſſen ſemel pro ſemper, und in genere, zu denen Gerichten geſchworen, iedesmal vereidet, und wie, und wann ſolches geſchehen, bald anfangs derer Acten regiſtriret werden ſolle. Quibus in nouis additionibus & emendationibus id adſtruitur (u), *daſs es in Zukunfft ohn Unterſcheid auch bey denenienigen, ſo bereits in dergleichen Beſtallung ſtehen, alſo gehalten werden, und keiner vor der auf dieſe Maſſe beſchehenen Verpflichtung bey 5 Rthlr. Straffe etwas zu expediren ſich anmaſſen ſolle.* Quandoquidem tamen ſaepe contingit, vt ſubditi ad videndum iurari euocati non omnes adſint: ibidem additur, modo omnes rite vocati ſint, iusiurandum etiam coram paucis praeſtitum recte praeſtitum videri debere. Ita & ORD. PROC. MAGD. exigit (x), *daſs der Gerichts-Verwalter und Actuarius oder Notarius in Beyſeyn der Bürger und Unterthanen zu denen Gerichten öffentlich vereydet ſey.* Quod, vti aequitati conuenientiſſimum, ita merito ſtricte ſeruandum eſt, niſi quis occaſionem dare velit ſubditis prouocandi ad iudicium ſuperius, nulloſque dicendi actus, a iuſtitiario & notario minus rite conſtituto explicatos.

§. XVIIII.

De quibus cauſſis huiuſmodi iudiciis locus ſit?

His obſeruatis, nullum eſt dubium, quin dominus omnibus actionibus, realibus aeque, ac perſonalibus, ſubditos ſuos pulſare, multoque magis actus voluntariae iuriſdictionis, ad ſe ſuamue familiam pertinentes, recte explicare poſſit, modo is, cui mandata eſt juriſdictio, ad omnes actus generatim datus ſit, nec eorum vllum ſibi reſeruarit dominus, ſiquidem tunc ſine mandato ius diceret iuſticiarius, quum tamen alienis in rebus nemo quidquam contra domini voluntatem facere poſſit (y), & qui alienis negotiis ſeſe imprudenter ingerit, eo ipſo ſe ſuſpectum reddere cenſeatur (z). Quod ita prudenter exprimitur in additionibus & emendationibus ad PROCESS. SAXON. ELECTOR. (a) *Wann dieſes alſo erfolget, kan ein Gerichts-Verwalter alles dasienige, ſo der Gerichts-*

(u) *Erläut. und verbeſſert. der Churf. Sächſ. Proc. Ordn. Tit. II. §. 3.*

(x) Ord. Proceſſ. Magdeb. *cap. I. §. 7.*

(y) *l. vlt. C. de pact.*

(z) *l. vlt. C. de adparit. procoſ. & leg. l. 25. D. de procur.*

(a) *Addit. & emend. proc. Saxon. tit. II. §. 3.*

richts-Herr nicht ausdrücklich reſeruiret, und denen Unterthanen zugleich bekannt gemacht, auch ohne denſelben verrichten, ſowohl der Gerichts-Herr ſelbſt vor ſolchen ſeinen Gerichten nicht allein ſeine eigene in ſeiner iuriſdiction gelegene Erbgüter verpfänden, und die Glaubiger darauf beſtändig verſichern, allerley Contracte errichten, Verzicht leiſten, ein Teſtament machen, auch hinterlegen, und dergleichen, ſondern auch vor ſelbigen ſeine Unterthanen in perſonalibus & realibus, auch feudalibus cauſſis, rechtlich belangen. At ſunt tamen quaedam cauſſae ita comparatae, vt ſtatim deuoluendae ſint ad ſuperius iudicium vel ad regimen, quales in hoc Ducatu ſunt, quae ad operas a ſubditis praeſtandas pertinent. Hinc ORD. PROC. MAGDEBVRG. (b) *Wo aber auch die Sachen ſelber der Beſchaffenheit ſeind, daſs ſie ſofort ohne Mittel zu der Magdeburgiſchen Regierung cognition gehören, als wann zwiſchen des Hertzogthums Magdeburg Vaſallen und dero Leuten, der Dienſte, Baufuhren, und anderer Praeſtationen halber Streit vorfällt, ſollen ſelbige ſofort bey der Cantzley an-und zu ſchleunigen Anstrage gebracht werden.* Id quod & in emendata ORDIN. PROC. (c) totidem paene verbis repetitur. Nec dubitandum eſt, quin & alibi paſſim ea iuriſdictio legibus reſtringi, & hi aliique caſus eximi poſſint. Si tamen huiuſmodi exemtio doceri nequeat: dominus, ſubditos ſuos ad ſe in ius vocans, procul dubio fundatam habet intentionem, nec recuſare ſubditi poſſunt iudicium legibus moribuſque Germaniae vbique paene probatum.

§. XX.

Ex quo facile intelligitur, nec ſubditis, in domini iudicio nullo decreto grauatis, ad iudicium ſuperius prouocare, nec ſupremis curiis cauſſas huiuſmodi ſuo lubitu auocare licere. Quamuis enim licitam eſſe cauſſarum auocationem a quocunque ſuperiore factam, vulgo ex loco IVLII PAVLLI (d) colligant Iuriſconſulti (e): ſatis magnum tamen atque euidens diſcrimen eſt inter iudices pedaneos, de quibus PAVLLVM loqui manifeſtum eſt, & eos, qui iuriſdictionem habent in patrimonio, quibuſque omne ius ſuum indirecte adimi poſſet, ſi iudici ſuperiori integrum eſſet cauſſas, quotieſcunque collibitum eſſet, euocandi. Non ergo promiſcue id indulgendum eſt ſupremis curiis, ſed ob iuſtas & ſonticas *An cauſſa a ſuperiore iudice pro lubitu auocari poſſit?*

(b) Ord. Proc. Magd. *cap. I.* §. 12.
(c) Emend. Ord. Proc. Magd. *ibid.* §. 34.
(d) *l. 58. D. de iudic.*
(e) Math. Berlich. *Deciſ.* CLVIII. *vol. I.*

ſonticas cauſſas, de quibus prolixius CASP. ALEXANDRI (f) diſſeruit, *ne detrimentum a maiore capiat minorum iuriſdictio, ſi nulla horum culpa nunc huc, nunc illuc rapiatur, nec iudices vmquam abſoluere poſſint coeptum ſuo iure iudicium* (g). Accedit, quod ex VALENTINIANI & collegarum ſententia (h) *ſacrilegii inſtar ſit, ſuper quibuſcumque adminiſtrationibus promulgandis diuinis obuiare beneficiis*, id eſt, adminiſtrationem, ſiue iuſtitiae, ſiue reipublicae, impetratis reſcriptis, auocationibus ſimilibuſque artibus turbare. Si vero nefas eſt, cauſſas ab inferioribus iudicibus ſine iuſta ac ſufficiente cauſſa auocare: nefas quoque erit, dominos in hac iuriſdictione ſua in cauſſis propriis, legibus moribuſque adprobata, turbare, niſi iuſtiſſima cauſſa id ſuadeat. Hinc iam ſupra vidimus ſententiam, qua ruſticis, petitorium ad regimen trahentibus, pronunciatum eſt, *Daſs beklagter vor der Fürſtl. Regierung ſich einzulaſſen nicht ſchuldig, ſondern die Sache an die vorige Inſtantz zu verweiſen.* Solent quidem ſubditi plerumque conqueri de dominorum iniquitate, eoſque ex variis cauſſis ſuſpectos reddere: ſed tunc, praeuia relatione, quam ſupremae curiae iure exigunt, deprehenſa precum falſitate temeritateque ſubditorum, acta ad dominos remittenda, eorumque iuſtitiariis, quid eos agere, & quomodo procedere oporteat, praeſcribendum, ſubditis vero, ne dominis obſequium negent, ſeuere iniungendum eſt. Hinc quum vidua nobilis in Principatu Halberſtadienſi ſubditis aliquoties inhibuiſſet, quo minus ius paſcendi in loco quodam controuerſo exercerent, poenamque comminata eſſet quinquaginta imperialium, id mandatum proterue violantibus: conquerentibus ea de re ruſticis, expenſa relatione iuſtitiarii, cauſſaque plane cognita, ab illuſtri Regimine d. VII. Maii MDCCXXXIII. decretum eſt: *Communicetur & detur dem Iuſtitiario zu A. nebſt Remittirung der Acten, zur Reſolution, daſs da die dortige Gemeinde vor ſich anführet, daſs ſie in momentanea poſſeſſione, den ſo genannten Vorbuſch mit ihrem Vieh zu betreiben ſich befinde, ſolches auch gehörig zu beſcheinigen ſich offeriret; Iudicium deshalb beyde Theile mit ihrer Nothdurfft hinlänglich annoch zu hören, und vvann cauſſa gnugſam inſtruiret, ſodann, was rechtens, zu erkennen habe. - - - Die dictirte Straffe iſt zwar der Gemeinde vorkommenden Umſtänden nach* zu

(f) Caſp. Alexandri *de auocat. cauſſarum cap. IIII. apud* Fritſch. *Exercit. iur. publ. Tomo I. p. 724. ſequ.*

(g) Alexandri *ibidem* §. VII. *p.* 732.

(h) *l. 5. C. de diuerſ. reſcript. & pragm. ſanct.*

zu erlaſſen, derſelben aber pro futuro bey einer gemäſſigten Straffe zu unterſagen, ſich der K. Wieſe zu enthalten: wie dann dieſelbe ſowohl hierinnen, als auch ſonſten, ihrer Obrigkeit den ſchuldigen Gehorſam zu leiſten angewieſen vvird. Quod ſane decretum tam aequum ac moderatum eſt, vt illud merito tamquam exemplum ponendum ob oculos ſit iſtis, qui ruſticorum querelas, ſaepe maxime proteruas & temerarias, cum voluptate audiunt, eamque adripiunt occaſionem, cauſſas quaſcunque a iudiciis inferioribus ad ſe auocandi, atque ita turbandi iura nobilium.

§. XXI.

Illud porro dubio caret, iuſtitiarios, apud quos ſubditos ſuos conueniunt domini, cauere debere, ne turbato ordine ac veluti tumultuarie procedant, vel iuſtitiam ſubditis plane denegent, ſed leges de ordine & modo litigandi latas accurate ſeruare debere. Quum enim, niſi id fiat, auocationi locus ſit: ſi vel maxime cauſſa ad dominum non pertineat (i): quanto minus patientur principes eorumque curiae tumultuarie procedere & quadrata rotundis, ſumma imis, miſcere in cauſſis dominorum, in quibus tanto religioſius verſari decet eos, quibus ab illis mandata eſt iurisdictio, quanto magis ipſum iudicium ſuſpectum eſt ſubditis? Hinc illuſtris HENR. A BERGER (k), in Saxonia hoc caſu & Scabinorum praeſentiam exigit, non ſolum ob verba ORD. PROC. SAX. ELECT. (l) *ſich der Gerichten gebührlich gebrauchen*, ſed &, quia §. LI. diſerte praecipiatur, vt nobiles iudici adiungant adſeſſores idoneos, *und daſs durch den Notarium iedesmahl in Beyſeyn derer Gerichts-Perſonen denen Acten und Gerichts-Büchern dasienige einverleibet, regiſtriret, und geſchrieben werde, was ſich nach Gelegenheit des Negotii und Proceſſus gebühret.* Vbi tamen addit BERGERVS, ſecundum fori vſum non eſſe neceſſarium, vt ſcabini *ſua manu ſubſcribant*, ſed ſufficere, de eorum praeſentia atteſtari actuarium. Si ergo in his quoque, quae tamen non adeo magni momenti eſſe dixeris, tam accurate obſeruandae ſunt leges proceſſus: quanto minus ferendus fuerit iuſtitiarius qui ſubditos non rite citatos trahat ad iudicium, qui eorum exceptiones nec audiat, nec eas referat in protocollum, qui ab exſequutione auſpicium capiat, mandatis poenalibus, mulctis, quin carcere & verberibus

Id iure fit, ſi turbulenter & nulliter procedat iuſtitiarius.

(i) *l. 16. C. de iudic.* Petr. Rebuff. *de euocat. ad leg. Reg.* Alexandri *de auocat. cauſſar. cap. IIII. §. X. p. 734.*

(k) Berger. *Oecon. iur. Lib. III. tit. II. p. 914.*

(l) Ord. Proc. Sax. *tit. II* §. 3.

beribus in reos ſaeuiat, ſecundum dominum; nulla licet probatione vmquam defunctum, litem dare non dubitet? His vero hominibus quis dixerit fieri iniuriam, ſi illis in huiuſmodi cauſſis abrogetur dominica illa, qua tam turpiter abutuntur, iuriſdictio?

§. XXII.

An ipſi iuſtitiario ſententiam ferre liceat?

Illud porro quaeſitum memini, liceatne iuſtitiario in huiusmodi cauſſis ferre ſententiam, an vero acta ad dicaſteria vel collegia iuridica transmittere teneatur? Quamuis vero facile largiamur, non melius exiſtimationi ſuae conſulere poſſe iuſtitiarium, quam ſi a ferenda ſententia abſtineat, & eam a neutrarum partium iurisconſultis concipi patiatur (m), quin ſaepe id iniungi ſoleat nobilibus a ſupremis curiis: negauerim tamen, litem ſuam facere iuſtitiarios, qui ipſi pronunciarunt. Quum enim primo iis in huiusmodi cauſſis iudicandi poteſtas legibus publicis moribusque patriis data ſit: quis negauerit, iis & ſententiam, quae extremum eſt in iudiciis, ferre licere (n)? maxime quum in cauſſis ciuilibus non aeque neceſſaria ſit actorum transmiſſio, ac in criminalibus, in quibus hanc transmiſſionem ipſa lex imperii iniungit iudicibus (o). Deinde vix vllius legis memini, quae abſciſſe interdicat iuſtitiariis, quo minus ipſi ſententiam concipiant, quamuis omnes iisdem id conſilii dent, vt in grauioribus & arduis cauſſis acta ad dicaſteria & collegia iuridica transmittant. Hinc in ORD. PROC. MAGDEB. (p) legimus: *Doch ſoll denen Gerichts-Verwaltern und Actuariis obliegen, in wichtigen Dingen, allen Verdacht zu vermeiden die Acta nach rechtlicher Erkäntniſs iedesmal zu verſchicken.* Non ergo ipſi ſententiam ferre abſciſſe prohibentur, ſed tantum in cauſſis grauioribus. Nec aliter FRIDERICVS AVGVSTVS Rex Poloniae in nouis emendationibus ordin. Proceſſ. Saxonici (q): *Iedoch daſs in dergleichen Fällen die Gerichtshaltere, ſonderlich in vvichtigen und zvveiffelhafftigen Puncten, für ſich keine Beſcheide geben, ſondern die Acta zum Deciſo oder Verſpruch in ein Dicaſterium unſerer Lande verſenden, und die einkommenden Deciſa oder Urtheile nicht zurückhalten, ſondern ſchlechterdings auf Art*

(m) Berger *Supplem. Elect. Diſcept. forenſ. Parte II. p. 38. ſequ.* Philippi *ad proceſſ. Sax. tit. II. conſiderat.* 8.

(n) Berger. *Oecon. iur. Lib. III. tit. II. p. 915.*

(o) Conſt. crim. Caroli V. *art. 160. 169. vlt. & paſſim.* Schilter. *Exercit. II. §. 3. ſequ.*

(p) Ord. Proc. Magd. *tit. I. §. 7.*

(q) Nou. addit. Proc. Sax. *tit. II. §. 3. ſub fine.*

Art und Weiſe, vvie unten ad tit, XXXIV. überhaupt verordnet, publiciren. Multo minus vero fas erit iuſtitiario, concipere ſententiam definitiuam, ſi vel vtraque pars, vel rei ſaltim acta ad dicaſterium aliquod transmitti petant, ſumtusque neceſſarios erogare parati ſint. Tunc enim ne in vulgaribus quidem cauſſis, in quibus in iudicem non cadit tanta ſuſpicio, partibus denegari poteſt hoc beneficium, niſi leges prouinciales obſtringant iudices, vt primam ipſi ſententiam ferant, quod in terris Pruſſicis ſingulari edicto (r) cautum eſſe, nemo ignorat.

§. XXIII.

A ſententia iuſtitiarii ſemper locus eſt adpellationi.

Ceterum cum actori, tum reo, ſi ſe ſententia illa grauatos exiſtiment, integrum eſſe, adpellare ſuperiorem iudicem, aliisque legitimis mediis vti, nemo negauerit. Quo caſu, & in cauſſis reliquis, quum non liceat iudici inferiori, adpellationem reiicere, ſed quaeſtionem illam, ſitne recipienda adpellatio, an reiicienda, ſuperioris iudicis cognitioni ac iurisdictioni reſeruare teneatur (s): multo minus ſuſpicione carebit poenamue effugiet iudex inferior qui in his litibus, quae domino cum ſubditis intercedunt, adpellationem impedire conatur. Ex quo porro colligimus, ne illum quidem iuſtitiarium carere ſuſpicione, qui, interpoſita apud ſe adpellatione, apoſtolos, quos refutatorios vocant, decernit. Quamuis enim ii nec legibus, nec moribus, aduerſentur: magis tamen exiſtimationi ſuae conſulet iuſtitiarius, ſi totam cauſſam integram ſeruet ſuperiori iudici, qui, ſi nullius momenti ſint grauamina, id per ſemet ipſum facile deprehendet, & adpellationem reiiciet, ſin digna vlteriore cognitione viſa fuerint, actori non denegabit facultatem grauaminibus iſtis exceptiones, quas voluerit, opponendi. Itaque hic vel maxime verum eſt, quod generatim ſcribit CASP. ZIEGLERVS (t): *Id vero excuſari nullo modo poteſt, quod iudices inferiores indignari & excandeſcere in adpellantem velint, ſi ille in ſententia a ſe pronunciata adquieſcere nolit. Cuiuslibet iniuriae genus & varias contumelias, tum & carceris cruciatum & tormenta in adpellantes olim exercita fuiſſe, diſcimus* ex *l.* 2. *l.* 15. *l.* 22. *C. Theod. de adpellat. immo & ex Capitular. Caroli Lib. VII. tit.* 128. *& ex edicto* Theodorici Regis *cap.*

(r) Edict. Regium *d.* XVII. *Febr.* MDCCXXIII. §. 1. 2.

(s) *l.* 21. *C. de adpellat. l.* 3. *l.* 19. *l.* 31. *C. eod. Nou.* LXXXII. *cap.* XII.

(t) Ziegler. *in Dicaſtice concluſ.* L. I. §. 9. *p.* 913.

cap. L. V. quum tamen, vti dicitur in d. l. 15. non recte iudices iniuriam ſibi fieri exiſtiment, ſi litigator, cuius negotium ſententia vulneratum eſt, a principali cauſſa prouocauerit, quod idem dicitur in l. 20. C. Iuſtin. eod. Nec enim adpellatio ad contumeliam iudicis, ſed ad priuilegium iurgantis inuenta eſt l. 11. C. Theod. eod. Vtique ſibi gratulari potius deberet iudex primae inſtantiae, quod per adpellationem liberetur a periculo conuentionis, cui ſe per iniuſtam ſententiam, ſi talis inuenta fuerit, expoſuit (u). Hactenus Zieglerus. Quibus addo, ſi vel maxime alias ab interloquutione nec non in poſſeſſorio ſummario adpellationes in quibusdam iudiciis non temere admittantur (x): facile tamen eas admiſſum iri in his cauſſis, in quibus & interloquutiones, & ſententiae, ſuper poſſeſſorio latae, cum intolerabili plerumque ſubditorum praeiudicio coniunctae eſſe ſolent.

§. XXIIII.

Concluſio diſſertationis. Sed haec quidem de ſingulari hac iurisdictionis Germaniae ſpecie dicta ſufficiant. Plura de illa moneri potuiſſe, fateor, niſi & temporis, & chartae habenda fuiſſet ratio. Mihi, eo librorum rerumque iudicatarum adparatu, quo talia ſcripturo opus eſt, nondum inſtructo, ſatis fuerit, & iuſtitiam huius iurisdictionis, & eiusdem originem, & quid circa illam iuſtum ſit, breuiter, & additis vbique teſtimoniis & exemplis, oſtendiſſe. Deo vero O. M. qui ſtudiis meis adhuc propitius adfuit, pro tot in me collatis beneficiis me totum iure meritoque deuoueo conſecroque.

(u) Chriſtoph. Beſold. *de adpellat. cap. I. n. 6.*

(x) Boehmer. *Iur. eccleſ. proteſt. lib.* II. *tit.* XXVIII. §. 8. *ſequ.*

INDEX

INDEX OPVSCVLORVM
IN
VTRAQVE SYLLOGE
COMPREHENSORVM.

* * * * * * * *

SYLLOGE I.

EXERCIT. I. de habitu & inſignibus ſacerdotalibus apoſtolorum. *Pag.* 1
EXERCIT. II. de genuina natiuitatis Chriſti era ex nummis & inſcriptionibus antiquis illuſtrata. 77
EXERCIT. III. de verae falſaeque ſapientiae characteribus, *Programma inaug. publicatum XV. Kal. Octobr.* 1713. 108
EXERCIT. IIII. de inceſſu, animi indice, *Diſſertatio moralis, Halae* 1713. *reſpond. Io. Mich. Schumanno, Halenſi.* 130
EXERCIT. V. de philoſophis ſemichriſtianis, *Diſſert. hiſt. & philoſ. Halae* 1714. *reſpond. Chriſtiano Hechtio, Halenſi.* 177

Exercit. VI. de origine atque indole iuris dictionis patrimonialis, *Diſſert. auſpical. pro conſequendis ſupremis in vtroque iure honoribus habita Hal.* 1714. pag. 229
Exercit. VII. de leuis notae macula *ad l.* 27. *C. de inoff. teſtam. Diſſert. Hal. d.* 17. *Aug.* 1720. *reſpond. Chriſtophoro Gottlieb Stockmanno, Gerano-Variſco.* 256
Exercit. VIII. de nauibus ob vecturam vetitarum mercium commiſſis, *Diſſ. reſpond. Keſtero, Regiomontano Pruſſo.* 310
Exercit. VIIII. de collegiis & corporibus opificum, *Diſſ. Hal.* 1723. *reſpond. Schumanno.* 367
Exercit. X. de iuris prudentia veterum Romanorum formularia, ritibuſque, quibus negotia ciuilia explicabant, ſollemnibus, *Oratio auſpicalis Franequerae* 1724. 419
Exercit. XI. de vitiis negotiationis collybiſticae vel cambialis, *Diſſ. inaug. Franequer. defend. Lochauio, Hamburgenſi.* 441
Exercit. XII. de origine teſtamenti factionis, & ritu teſtandi antiquo, *ad l.* 120. *D. de verb. ſignif. Diſſ. Franequer. defend. Lindenquiſtio.* 484
Exercit. XIII. de P. Iuuentio Celſo, ICto eximio, ſuique ſaeculi ornamento, *Progr. inaug. Francof. ad Viadr. a. d.* 2. *Nou.* 1727. 518
Exercit. XIIII. de ICtis ſemidoctis, *Orat. inaug. Francof. ad Viadr. dicta a. d.* 4. *Nou.* 1727. 533
Exercit. XV. de mercatorum, qui foro ceſſerunt, rationibus & codicibus, *Diſſ. inaug. Francof. ad Viadr. reſpond. Schoepfero, Roſtochienſi.* 545
Exercit. XVI. de vſu fructu iuris Germanici, & maxime Hamburgenſis, *Diſſ. Francof. ad Viadr. reſp. Nicolao Rumpfio, Hamburgenſi.* 579
Exercit. XVII. de lubricitate iuris iurandi ſuppletorii, *Diſſ. Francofurti ad Viadr. menſ. Oct.* 1730. *reſpond. Io. Theod. Reinolde, Bremenſi.* 629
Exercit. XVIII. de religione iudicantium circa reorum confeſſiones, *Diſſ. inaug. Francof. ad Viadr. a. d.* 10. *Maii* 1730. *reſpond. Henrico Duſingio, Bremenſi.* 661
Exercit. XVIIII. de Vlpiani ICti Hebraiſmis, *Progr. inaug. Francof. ad Viadr. non. Maii* 1730. 707

Exercit. XX. de ſuprema principum magiſtratuumque tutela, *Diſſ. inaug. Francof. ad Viadr. VIII. iduum Iunii.* 1730. *reſpond. Chriſtiano Eberhardo Ruſſel, Auricenſi.* pag. 713

Exercit. XXI. de ICtis, reformationi eccleſiae praeludentibus, *Progr. inaug. Francof. ad Viadr. non. Iun.* 1730. 747

Exercit. XXII. de eminentioribus ducatus & ducum Lotharingiae praerogatiuis, *Diſſ. Francof. ad Viadr. reſpond. Engelkenio, Roſtochienſi.* 754

Exercit. XXIII. de C. Aquillio Gallo, ICto celeberrimo, *Orat. Francof. ad Viadr. dicta XVII. Kal. Nouembr.* 1731. 777

Exercit. XXIIII. de Saluio Iuliano, ICtorum ſua aetate coryphaeo, *Progr. inaug. Halae idib. Iun.* 1733. 798

Exercit. XXV. de marito tutore & curatore vxoris legitimo, *Diſſ. inaug. Hal.* 1734. *reſpond. Martino Ottone, Quedlinburgenſi.* 819

Exercit. XXVI. de praeſcriptione annali iuris Lubecenſis a iure communi diuerſa, *Diſſ. inaug. Hal. a. d.* 12. *Octobr.* 1734. *reſpond. Petro Burgeſohn, Geualienſi Sueco.* 886

Exercit. XXVII. de teſtamenti factione iure Germanico arctiſſimis limitibus paſſim circumſcripta, *Diſſ. inaug. Hal.* 1734. *reſpond. Ioh. Henrico Gunthero, Zittauienſi.* 929

SYLLOGE II.

Exercit. XXVIII. de pecunia in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus, alioque remedio vtentibus, deponenda, *Diſſ. inaug. Hal. menſ. Oct.* 1736. *reſpond. Petro Chriſtophoro Lepſio, Marchico.* pag. 1

Exercit. XXVIIII. de reductione monetae ad iuſtum pretium, *ad l.* 1. *C. de vet. numiſmat. poteſt. Diſſ. Hal. a. d.* 4. *Maii* 1737. *reſpond. Io. Matthaeo Egelgraſero, Ratisponenſi.* 36

Exercit. XXX. de iure principis circa commerciorum libertatem tuendam, *Diſſ. Hal. menſ. Mart.* 1738. *reſpond. Magno Henningo Miles, Holſato.* 79

Exercit. XXXI. de iure principis circa ciuium ſtudia, *Diſſ. Hal. menſ. April. 1738. reſpond. Friderico Miles, Holſato.* pag. 133

Exercit. XXXII. de cauſſa ſeruitutum perpetua, *Diſſ. inaug. Hal. a. d. 20. Iun. 1738. reſpond. Iacobo Henrico Kutella, Neidenburgenſe Pruſſo.* 177

Exercit. XXXIII. de locatione conductione iuris dictionis, *Diſſ. inaug. Hal. a. d. 1. Iul. 1738. reſpond. Io. Hieron. Heilsbergero, Ragnitienſi Pruſſo.* 222

Exercit. XXXIIII. de venditione illicita fructuum in herbis, *Diſſ. inaug. Hal. a. d. 5. Sept. 1738. reſpond. Antonio Friderico Reimers, Halenſi.* 275

Exercit. XXXV. de dominis, ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus, *Diſſ. inaug. Hal. menſ. Decembr. 1738. reſpond. Paſchen Coſſel, Sundenſi Pomerano.*

INDEX II.

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM ET VERBORVM

Quæ

In utrâque OPVSCVLORVM *Sylloge continentur.*

Numerus I. Primam, II. ſecundam Syllogen deſignat.

A.

ABBADIE (Iacobi) *de notitia ſui ipſius libellus a vera ſapientia alieniſſimus.* I. Pag. 121

ABBO Floriacenſis: *eius de dalmaticâ ſententia.* I. 25

ABDIAS *Babylonicus: ſub hoc nomine latet auctor hiſtoriae Apoſtolicae.* I. 32

eius libri nugis pleni 74. ſq.

Vide Auctor.

ABVRNIVS (*Valens*) Iauoleni *diſcipulus.* I. 810

Academiae & *ſcholae; quodnam circa illas ſit Principis officium?* II. 158

Quid de illarum inſtitutione? 162

Academia *ludorum aleae & chartarum.* II. 163

Academica *iuriſdictio ad quamnam ſpeciem iuriſdictionis referenda?* I. pag. 233

Acceptans *quis audiat in cambio?* 446

Acceptatio *in confeſſionibus reorum hodie frequentiſſima ex iure Rom. antiquo deriuanda.* I. 681

Accidentalia *cambii, ſi falſum inuoluant, an contra actorem decernatur inquiſitio de falſo?* I. 465

ACCURSIVS *ridetur a* Cuiacio I. 639

Actien, *teſſerae chartaceae.* II. 92

Actio *hypothecaria quo caſu annali praeſcriptione excludatur ſecundum ius Lubec.?* I. 911

Actio *ad ſupplendam legitimam fratribus & ſororibus, perſona turpi inſtituta, vnde competere dicatur?* I. 297

Actio *iniuriarum Lubecae exſpirat intra*

tra. tres dies. I. pag. 890
Actio *confeſſoria, vel ex confeſſo.* I. 674
Actione *in rem extincta, an ad aeſtimationem agere, analogiae iuris repugnet?* I. 904
Actiones *inter poenales & perſequutorias nihil differentiae ſtatuit ius Lubecenſ.* I. 891
Actiones *legis Pontifices olim, vel ICti componebant.* I. 504
Quaenam actiones aduerſus tutorem durante tutela inſtitui potuerint iure Rom.? 743
Actionum *legis inuentores qui?* I. 434
Actore *non probante reus abſoluendus: axioma hoc de quanam probatione intelligendum?* I. 643
Adamantes *inferri, venumque exponi vetant Imperator & Rex Gall.* I. 316
Adelheidis, *Ottonis M. vidua, vrbem feciſſe dicitur ſub libertate Romana.* I. 407
Adfectatio *ſe prodit* I. 140
ad eam detegendam regulae praeſcribi nequeunt. ibid.
Adfectus *quomodo differant a propenſionibus?* I. 142
Adminiſtratio *vicaria tutorum in Germ. legibus publ. fundata* I. 737
Adminiſtrationis *tutelae differentia ſecundum ius Rom. & Germ.* I. 741
Admiralitaeten, *collegia archithalaſſica.* II. 118
ſic vocantur naues, in claſſis modum conſociatae, 127
Admiralſchafften. *ita vocantur naues conſociatae.* I. 358
Adoptionem *hereditas nominis, pecuniae, ſacrorum, teſte Cic. ſequebantur* I. 496
Adpellatio *quid apud Romanos,* II. pag. 4
temere adpellandi pruritus coercebatur, praefinito adpellationibus certo tempore. 6
Adpellatione *non niſi bis conceſſa* 7
Ea quibuſdam caſibus plane prohibita, 9
Adpulſum *ad littora hoſtilia quibus legibus ſibi ſtipulati ſint Belgae ab Hiſpanis?* I. 353
Adſecurationis *diuiſio* I. 363
ea non ad praeteritum, ſed futurum periculum eſt extendenda ibid.
Adſecurato *quamdiu expectandum, antequam reſtitutionem exigat?* I. 365
Adſecuratores *an nauium pro commiſſo occupatarum pretium reſtituere teneantur?* I. 363. ſeq.
Adſidere *an inter ſacra permiſſum?* I. 45
Adſignatio *an indoſſari poſſit in cambio & inde actio inſtitui?* I. 473
Aduentitia *bona in quantum mater uſufructuaria in inuentario recenſere adſtringatur?* I. 620
Aduerſariis *mercatorum an aeque fides habenda ac codicibus eorum?* I. 562
Adulterium: *qui in eo deprehendebantur, ante ſententiam infames erant* I. 286
Aedilitas *proximus a quaeſtura locus* I. 793
Aedium *religio veterum vnde repetenda?* I. 340
Aegidivs, *Remenſis Epiſcopus, perduellionis accuſatus* I. 671
Aegyptii *erae martyrum inuentores* 82

Aelivs

AELIVS (Sex.) *formulas, quibus olim vtebantur Romani, publicauit* I. pag. 435
Aes *alienum an mater vſufructuaria ſoluere teneatur?* I. 623. ſeq.
Aeſtimatio: *an ad eam agi poſſit, actione in rem extincta?* I. 903
Africa *egregiorum ICtorum mater* 800
AFRICANVS (Sex.) *ICtus*, Salvii Iuliani *diſcipulus* I. 811
Ἅγια, *quamnam templi partem notent?* I. 63
Agio *Gall. vocabatur* Collybus *vel* Aſpratura. II. 44
Agnati *ipſo iure tutores mulierum erant iure Rom.* I. 835
Agnatis *& cognatis iure Germ. relinquenda eſt legitima* I. 971
Agnatorum *tutela legitima Graecis ſuſpecta videbatur* I. 717
Agraria *lex Hebraeorum: quinam de ea egerint?* I. 887
AGRESTINVS, *Notarius Regis Galliae, controuerſiam mouet de tonſura* I. 36
Agrorum *Romanorum olim magna erat anguſtia* I. 369. ſq.
Ἀκύλιον, *ita legendum pro* Ἀτύλιον I. 782
Ἀκειβῶς χειϛιανίζειν *qui videri volebant, pallium ſumebant* I. 8
Alamannia *ſub Car. Craſſo regnum fit* I. 760
ALBERICI ROSCIATIS *de materia ſubſtitutionum ſententia* I. 978
Alchemiſtici *ſtudii vanitas* I. 128
Cornelii Agrippae de eo ſententia ibid.
Alcibiadis *iudicium de mutatione legum* I. 437
Alemanni: *apud eos tutela legitima non erat gratuita* I. pag. 853
Alemannia *a Francis in ſeruitutem redacta* I. 247
ALEXANDRI SEVERI *inſtitutum circa religionem* I. 184
Alienatio *bonorum vxoris libera effectus tutelae maritalis olim in Germ.* I. 865
quae κατ' ἐξοχὴν *ita dicta iure Rom.?* 833
Alimenta *vtrum mater vſufructuaria tantum conſequatur, an plenos fructus?* I. 617
Alimenta *liberis a matre vſufructuaria praeſtanda quomodo comparata eſſe debeant?* I. 625
ALIXIVS & SALMASIVS *quid de pallio Tertulliani demonſtrarint?* I. 7
Ἀλληγορικῶς *omnia interpretabantur Platonici* I. 182
Alphaeus *& Cleophas legi poteſt* I. 59
Altare *thymiantis: ad Sanctum, vbi hoc altare erat, non admittebantur Iſraelitae* I. 64
ALTESERRA (Ant. Dad.) *refutatus* I. 813
Ambitionis *diviſio in ſtultam, Thraſonicam & ſpecioſam* I. 160
haec denuo vel erudita, vel aulica, vel militaris, vel Phariſaica 162
Ambitio *ſtulta quonam inceſſu ſe prodat?* ibid.
Thraſonica? 164
Specioſa? 165
Phariſaica? 168
Ambitus *falſae ſapientiae character ſecundum Platonem* I. 115
AMBROSII *ſententia de ſecundis nu-*

ptiis I. pag. 590

AMBROSIUS, *Mediolanenſis Epiſcopus, quid ex inceſſu amici collegerit?* I. 148

Amiras, *vel* Emirs *Saraceni principes ſuos vocabant* I. 358

AMMIANVS Marcellinus *quid ſcripſerit de* Damaſo? I. 25

AMMONII Saccae *ſchola eiuſque celebritas* I. 195

de eius religione diſquiritur ib. ſq.

eius Chriſtianiſmus vnde probetur? 199

Amond *quid ſignificet Germanis* I. 848

Ἀμφιβολία *definitur a Diog. Laert.* I. 816

ANACLETVS: *quid epiſtola eius praecipiat?* I. 21

an aliquid probet ratione habitus ſacerdotalis? ibid.

Anconitani *quamnam poenam alienis inſignibus nauigantibus ſtatuerint?* I. 355

ANCVS MARCIVS Tarquinium Priſcum *liberis ſuis teſtamento tutorem dedit* I. 598. 718

ANCYRANI *monimenti fragmentum exhibetur* I. 96

Ἀνδρας κηρύκας *celebrabant Graeci* I. 590

ANDRO (Sextilius) *an vxorem in tutela habuerit?* I. 825

Angelorum & *Archangelorum an meminerit Orpheus?* I. 189

Anglia: *quaſnam merces eâ exportare non liceat?* I. 316

ibi nulla iuriſdictio eſt hereditaria 236. ſq.

Angli *cuiuſdam conſilium de euitanda morte corporis* I. pag. 128

Anglorum *cum Polonis & ciuitatibus Hanſeaticis de commercio lites* I. 318

Anima: *quid de ea ſenſerit* PORPHYRIVS? I. 206. ſq.

variae de ea philoſophorum ideae, Platonicorum, Stoicorum, Iudaeorum 121

Annalis *praeſcriptio cur obtineat Lubecae?* I. 890. 897

ſecundum ius Lubecenſe de forma aedificiorum 920. ſq.

an iſtum articulum recte interpretetur Meuius? 921

quid hac in re interſit inter Ius Lubecenſe & Rom.? ibid.

ANNEIVS (M.) *a naturali patre teſtamento praeteritus* I. 502

Annona *Auguſta: eius curam habebant Principes Romani* I. 326

Annos *olim feminae non conſulum, ſed maritorum numero computabant* I. 425

Annus *emortualis Herodis M.* I. 91

de eo Ioſephi *teſtimonium cum Iudaeorum hypotheſi conſpirat* ibid.

Annus & *dies quid iure Lubec.* I. 890. 892

haec formula in variis diplomatibus occurrit 892

ANSELMVS *accurate ſibi oſtendiſſe videtur originem Dalmaticae* I. 25

Anteſtatus *in teſtamento per aes & libram adhibebatur* I. 505

eius officium ibid.

ANTIPHONTIS *ſophiſtae de Socrate ſententia* I. 114

quid ei reſponderit Socrates? 115

Antiquas

Antiquas *res rimari debet verus ICtus* I. pag. 486
Antiquitatis *ſtudium commendat Iuſtinianus* I. 485
Antiſtites *Chriſtiani maximis perſequutionibus obnoxii erant.* I. 13.
Antonini Pii *Imp. iudicium de ſeruis, qui ad Statuam Principis confugerant* I. 903
Ἄπερα *quae dicta veteribus?* I. 816
Ἀπόῤῥηται *ita a Graecis vocabantur merces, quarum vectura vetita erat* I. 321
Apoſtoli *an gladio cincti iter fecerint?* I. 49
an tonſi fuerint? 26. ſq.
Pontificii id adfirmantes, quanam auctoritate nitantur? ibid.
an Sacerdotes proprie dicti? 68
Apoſtoli, *Ioannes & Philippus, an conſpiciantur in numo Theodoſii?* I. 71
Apoſtoli: *ab eorum temporibus habitus Clericalis deriuatur* I. 20
eos habitu hodierno induit Baronius ibid.
Apoſtoli *cur ſimplicioribus veſtibus vſi?* I. 16
plerique arte illiberali victum quaerebant 30
cur eos habitu communi vſos credendum? ibid.
eorum gladius 50
Grotii *locus de eo quomodo explicandus?* ibid.
eorum veſtes litteratae 76
eorum inſigne ſacerdotale gladius dicitur 50
Apoſtolicae *hiſtoriae auctor perſonatus ſub nomine* Abdiae I. 32.
Appellatio. *Vid.* Adpellatio.
Apronianum *SC. quid indulſerit municipiis?* I. pag. 401
Ἀπρόσωποι *iure Rom. erant serui & liberi* I. 584
Apvleivs: *ex eius loco obſeruata ſignificatio verborum: inopia probationum* I. 648
Aquaeductus, & Aquaehauſtus *ſeruitutes.* II. 190. 191. 195. 198. 202. 203. 204. 208. 215. 216. 217. 218. 219.
Aquila Aquisgrani *in palatio praefulgens mox huc, mox illuc verſa a victoribus* I. 763
Aquiliae *gentis fata* I. 782. ſq.
Aquisgranum *Regni Lotharingiae palatium* I. 762
in protectione Comitum Iuliaci, Cliuiae, Montium, fuit, I. 766.
Arabes *quando ab adſcenſione Chriſti numerare inceperint?* I. 82
Archidux *Lotharingiae primus quis?* I. 769
Archiepiſcopalis, *habitus reſtrictus Concilio Monſpelienſi:* I. 20
Archimareſchallus *Elector Saxoniae* I. 768
Archontes *quinam apud Athenienſes?* I. 717
illis curam pupillorum demandauerat Solon. ibid.
Arelatenſe *regnum* I. 756
Argentariorum *priuilegium ad numularios prolatum* I. 556
eorum in iure Rom. paſſim fit mentio 442.
quodnam olim eorum officium? ib.
cur vocentur ἀργυροπρᾶται 443
Argentarii *Romani non ſimiles fuere hodiernis* I. 442. ſq.

Argentariorum *ſcriptura olim plenam fidem habebat* I. pag. 555.
Argyris *ethnica Rauennae religioſe culta* I. 81
Aristidis *priſtinus habitus quid?* I. 8
Ariſtocratia *Romae inſtituta, multae concertationes ortae inter Optimates & plebeios* I. 380
Aristoteles: *quid in eius philoſophia deſideretur?* I. 122
de eius dialectica, metaphyſica & phyſica iudicium ibid.
eius principium de cognoſcendis hominum propenſionibus admodum lubricum 134
Baconis de Verulamio de eo iudicium I 35
laudat Lacedaemonios 717
quomodo leges in rep. diſtinguat? 836
quamnam rempubl. felicem praedicet? 715
Arma *quaenam priuatis geſtare permiſerit Iuſtinianus?* I. 326
Arma *priuatorum commercio & fabricationi exemta* ibid.
Arma *Saracenis vendere in expeditionibus ſacris vetitum* I. 327
Arma *Barbaris vendere cur prohibuerit Marcianus?* I. 324
Arnvlphvs Arnulphi *mali filius, primus comes palat. Bauariae* I. 760
Arnvlphvs *Imp. quo iure acceperit Lotharingiam a Carolo Craſſo?* I. 757
Aromata *fraudulenter corrupta inter merces vetitas referuntur iure Germ.* I. 332
Arrii *iudicium de filio in parricidio deprehenſo.* II. 236
Arrogandum *auctorem apud Romanos fieri oportebat* I. pag. 496
Artem *ludicram qui faciebant, pro infamibus habebantur* I. 287
illam facere quid? ibid.
an in eorum cenſum relati, qui priuatos ludos agebant? ib.
Aruales *fratres, an ad eorum collegium lex Decemuiralis ſpectarit?* I. 382
Ἀσκήσεις primorum Chriſtianorum I. 8
Aſceticae *vitae amatores pallio philoſophorum induti* I. 17
Aſpratura *quid?* II. 44
Aſſyriorum *veſtimenta deſcribuntur* I. 31
Atellanarum *actores artem ludicram facere non dicebantur* I. 287
Athenienſes: *an apud eos axioma valuerit, quod confeſſus pro iudicato habendus?* I. 671
cui iniurato credendum putarint? 645
eorum iudicia publica qualia fuerint? 677
cur damnarint Timocratem? 670
eorum leges quinam auctores explicarint? 826. ſq.
Athenis *quando innotuerit teſtamentifactio?* I. 597
nefas habebatur, teſtamentis ſpem agnatorum interuertere 598
Solon quos caſus exceperit? ib.
A toga ad pallium: *vulgi dicterium* I: 6
Atrium *Iſraelitarum; eius limites nemini tranſire licebat* I. 64
Atticae *mulieres in legitima virorum ſuorum*

ſuorum tutela erant I. pag. 824
nihil, ſiue in iudicio ſiue extra illud valide agebant inconſulto Κυρίῳ 828
Auarorum *inceſſus* 171
Auctor *perſonatus hiſtoriae Apoſtolorum ſub nomine* Abdiae I. 32
quid de Ioanne Apoſtolo memoriae prodiderit? ib.
quid de Simone & Iuda? ib.
quid de S. Bartholomaeo? ib.
Auctores *antiqui: ex iis perpaucos ad nos perueniſſe putat* Harduinus I. 79
Non Audiri *quomodo iuridice accipiatur?* I. 640
Auditores *vocati contumeliae cauſſa ICtorum diſcipuli* I. 785
Aufgebrachte Schiffe *reclamiren quid?* I. 365
Auguſtae *Vindelicorum quando Senatus inſtitutus?* I. 408
AVGVSTI *cenſuum chronotaxis* I. 97
AVGVSTINI *locus de Ammonio* I. 199
eiuſdem locus de iureiurando commendatur 661
AVGVSTVS *fiſco vacantia bona adiudicabat* I. 915
is quadriennium praefiniuit, intra quod bona vacantia agnoſcenda ib.
a quonam tempore iſtud computandum fuerit? ib.
is de Tiberio ex inceſſu iudicat 145
is monarchia Romae introducta, collegia opificum ſupprimit 389
Aurea Bulla *quid in auguratione Germaniae regum praecipiat?* I. 766
Aurea Bulla *Friderici II. edita a Dn. de Ludewig* I. pag. 896
Auri *argentique analogia quae fuerit apud Hebraeos & Graecos?* II. 69
quae apud Romanos? 70
quae apud Germanos veteres & recentiores? 72
Aurifices *quinam fuerint?* I. 372. ſq.
Aurum *offerendum erat Sophiſtis ab iis, qui eorum diſciplinae ſe credebant* I. 114
Authentica Omnes Peregrini, *quid ea abolitum?* I. 960
Authenticae *Praeterea exiguus vſus in Germ.* I. 595
Ἀξιῶσις *L. IX. ad L. Rhod. de Iactu quid probet?* I. 311

B.

B. *& V. medio aeuo permutarunt librarii* I. p. 519
Baculus *Paſtoralis: eius origo fruſtra in Petro quaeritur* I. 40
Hiſtoricorum de eo teſtimonia ib.
Canoniſtarum de eo doctrina 41. ſq.
auctorum variae de hoc baculo ſententiae 42
quem in finem fuerit geſtatus? 44
deponendus erat, quum Euangelium legendum eſſet ib.
quomodo in ſymbolum Epiſcopatus commutatus fuerit? ib.
an vmquam a Ieſu fuerit geſtatus? ib.
Baculus Paſtoralis *Petri an Treuiris cuſtoditus fuerit?* I. 45
cur ab eo abſtinere dicantur Pa-

pae ? I. pag. 45
Balbvs (L.) *Lucillius ICtus in reſpondendo paullo tardior* I. 786
Baldvinvs *refutatus* I. 599
Mucianam iuriſprudentiam adornans 487.
Baldvs *quantum controuerſiis de ſubſtitutionibus ſe lucratum fateatur ?* I. 978
Baptiſmus *in fluminibus celebratus* I. 16
Baptiſmi *die qui infantum loco ſponſionem fecerant, vocabantur ἡγεμονέυοντες* I. 109
Barbam *imitata antiquitas* I. 137
Barbaries *in hodierna iuriſprudentiam addiſcendi ratione* I. 542. ſq.
Barbarius Philippus *a domino vindicatur* I. 894
Baronivs *a* Caſaubono *refutatus* I. 16
ei reſpondetur ad obiectionem ratione habitus Cypriani 26. 23. ſq.
eius ſententia mutata de libello Tertulliani de pallio 7
quid eum fefellerit in deriuandis mitris epiſcopalibus ? 69
futili argumento vtitur ad probandam tonſuram Petri 37 ſq.
an recte interpretetur Hieronymi teſtimonium de Rom. proteruia ? 5.
quid ex Tertulliani libello de pallio colligat ? 6
Bartholomaei *indumenta a quibuſnam deſcribantur ?* I. 74
Baſilicῶν *interpres* I. 637
Βασιλικῶν *Autores citati,* II. 42. 43
Bauariae *primus comes Palat. ?* I. pag. 760
Bebenberg (Lupoldus de) *iur. Rom. peritiſſimus & Ludouici Bauari defenſor contra Papam* I. 751
Bedae & Germani *teſtimonia nullius momenti reſpectu tonſurae Apoſtolorum* I. 38
Belgae *quibus conditionibus adpulſum ad littora hoſtilia ſibi ſtipulati ſint ab Hiſpanis ?* I. 353
Belgium : *quid ibi circa praeſcriptionem bon. vac. iuris ?* I. 918. ſq.
ibi magna maritorum auctoritas circa bona vxorum I. 862. ſq.
ibi & teſtamentum ſine heredis inſtitutione valere poteſt I. 976
Bella *Romani non niſi auſpicato adminiſtrabant* I. 497
Bella *indicendi mos Romanorum* I. 423.
Bellum, *a principibus aliquando adhibitum ad libertatem commerciorum tuendam.* II. 130
Belmontis Cagnoli *vita exemplum praebet ambitionis ſtultae* I. 160
Bernardi, *Ducis Sax. numus* I. 85
quid in eo characteres Mſſ. ib.
Bernatenſibus *quodnam priuilegium conceſſerit Fridericus II. Imperator ?* I. 408
Berkelii (Abrah.) *coniectura de Epaphrodito an locum habeat ?* I. 201
Bianco : *vitioſum eſt indoſſamentum* in bianco I. 477
Bibliotheca Vſſeriana : *in ea reperta harmonia Euangelica* I. 98
Birrum *lacernum quid ?* I. 26
Birrus *quid ?* I. 23
Boeti *cur ex antiquiſſimorum opificiorum*

ciorum more Knechte *vocentur?* I. pag. 407
Boethii *locus an tutelam maritalem Romanorum confirmet?* I. 840
Boethivs (Seu.) *an ex eius libello de conſolatione ex Philoſophia concludendum, eum non fuiſſe Chriſtianum?* I. 221
Bombyces: *eorum alitio & progreſſus in Europa.* II. 169
Bona *paraphernalia: eorum adminiſtratio iure vet. non niſi ex pacto ad maritum pertinebat* I. 845
Bona *adquiſita & hereditaria* I. 964
diſtinctio inter ea frequentiſſima iure Germ. ib.
Bona *mobilia: de iis in quibusdam Germ. prouinciis modo teſtari licet* I. 963
Bona *vacantia quae?* I. 914. 917
quomodo vocentur a Strabone? 914
quomodo iis praeſcribatur? ib.
Bona *aduentitia in quantum mater vſufructuaria in inuentario recenſere teneatur?* I. 620
Boni *viri olim adpellabantur iudices* I. 789
Bononia: *eo Germani iur. Rom. diſcendi cauſſa frequentes proficiſcebantur* I. 978
Bonorum *poſſeſſio dabatur ex teſtamento Praetorio* I. 506
Bonorum *diuiſio qua ratione ſuſcipiatur vſufr. materno finito?* I. 628
Boſphoro *cuſtodes impoſiti* I. 336
Brabantiae *Dux cur Lotharingiae nomen adfectarit?* I. 772
cur ius gladium praeferendi ſibi vindicauerit in coronatione Imp.? I. pag. 772
Brabantini *quid ſibi vindicarint?* I. 766
Breitenbachivs (Io.) *ICtus Lipſ. librum contra indulgentias ſcripſit* I. 752
Bremenſes *quando conſules habere coeperint?* I. 407
Bvdaevs (Guil.) *ICtus laudatur* I. 752
librum conſcripſit de Aſſe ib.
Burgundia *Regni Arelatenſis vocabulo diſtincta a Lotharingia* I. 756
Burgundionum *leges de vſufructu qua in re diſcreparint a Wiſigothorum* I. 597
Bvrnetii *quaeſtiones de rerum omnium origine veram ſapientiam non ſapiunt* I. 128
Βῦρος *vel* Βίῤῥος *quid ſignificet?* I. 19
Bvsbeqvii *iudicium de monimento Ancyrano* I. 95
Byl-Brieff *quid?* I. 342
Bynkershoek (Cornel.) *laudatus* I. 500

C.

Cabbaliſtici *ſtudii vanitas* I. pag. 123
character falſae ſapientiae ib.
Caduca *omnia fiſco cedebant ex L. Iul. & Papia Caducaria* I. 915
pleraque ſuſtulit Iuſtinianus ex hac lege ibid.
Caducaria *Lex* I. 515
Caducorum *nomine olim veniebant legata* I. 914
Caecilii *de Societatibus Chriſtianorum locus* I. 4
Caedes *liberorum hominum olim in Germ.*

Germ. non erat capitalis I. pag. 245
Caelibes *teſtari prohibentur per ius Hageſtolziatus* I. 960
CAEPOLLAE *Tract. de ſeruitutibus: de illo iudicium* II. 178
Caeſaries *quid?* I. 28
CAESARIS *de Neruiis & Sueuis locus, ex quo patet, ad has gentes mercatoribus nullum aditum fuiſſe* I. 315 ſq.
eius dictum de regnandi cupidine 634
ei vitio verſum, quod dalmaticatus in publicum prodiiſſet 24
opificum collegia tamquam odioſa ſupprimit 389
CAINVS, *in eius poſteris vera ſapientia defecit* I. 125
CAIVS, *dum legem de opificibus ex Solonis lege translatam eſſe ait, quomodo intelligendus?* 381. ſq.
quando floruerit? 646
an ex eius fragmento probetur iurisiurandi ſuppletorii fundamentum? ibid.
quot ei genera iurisiurandi? 636
Calae *matronae lites cum filiis*, II. 234
CALLIMACHI *de magno libro ſententia* I. 928
eiuſdem de vino ſententia 695
Cambia *propria quaenam?* I. 447
Cambia *propria praeſcriptione ſeptenni plane vitiantur* I. 457
a minoribus traſſata vel acceptata num vitioſa? 459
vel ipſo iure tolluntur, vel per modum exceptionis 458
Cambiales *formulae* I. 445
Cambiales *litteras qui accipit alio loco offerendas quomodo vocetur?* ib.
Cambiales *litteras ſe ſcripſiſſe negans an ad iuratam diffeſſionem ſit admittendus?* I. pag. 462
quae in iis omitti, vel non omitti poſſunt 454
an in iis neceſſario valutae facienda ſit mentio? 455
Cambiantes *qualem contractum ineant?* I. 451
Cambiare & cambium *quid?* I. 445
Cambii *definitio*, I. 455
Cambio *ſi praeter quatuor perſonas in eo neceſſarias, aliae ſubſcribant, fideiuſſiſſe cenſentur* I. 447
Cambium *ſi ſuppoſititium, ſubſcriptio autem recte ſe habeat, an reus ad iuratam diffeſſionem admittatur?* I. 462. ſq.
an, ſi quid in ſubſtantialibus mutatum? 464
Cambium, *teſſera amiſſa, quo caſu inutile fiat?* I. 474. ſq.
id vitiatur proteſtatione amiſſa 475
cur nec pactum nudum, nec legitimum dici poſſit? 449
cur non contractus innominatus? ibid.
Cambium *ſi falſi arguatur in die ſolutionis, quid iuris ſit?* I. 464
eius vitium 457
Cambium *ad iur. ciu. principia reduci nequit* I. 451
Cambium *proxime accedit ad contractum litteralem* ib.
eius vitia ob correalem obligationem 467
an in eo nec plures, nec pauciores, quam quatuor perſonae eſſe

eſſe poſſint? I. pag. 446
Cambium *ſcriptura contrahi negantes refelluntur* I. 452
eius vitia extrinſeca 464. ſq.
ex falſo quis damnum ferat 464. ſq.
Cambium *quando prorſus vitioſum?* 461. ſq.
an omne cambium indoſſari poſſit? 476
Cambium *ſi per multorum manus ambulet, giro vocatur* I. 447
inuentum Longobardicum 444
in quo cambii non fit mentio vitioſum 473
an illud vitioſum in quo valutae non fit mentio? ib.
Cambium *proprie inter duas perſonas vertitur, reliquae vi mandati accedunt* I. 454
Canones *ſpeciales* 1. *de inceſſu ſtolide ambitioſorum* I. 162
2. *Thraſonum* 164
3. *prudentiae & fortitudinis gloriam adfectantium* 165
4. *ambitione Phariſaica turgidorum* 168
5. *laſciuorum* 169
6. *voluptati amicae deditorum* 171
7. *auarorum* ib.
8. *vecordium hominum, ſimulatorum & crudelium, perfidorum & inquietorum* 173. ſq.
Canonibus *de inceſſu iungendae obſeruationes in vita communi obuiae* I. 159. ſq.
Canoniſtae *& Scholaſtici quid ſentiant de antiquo habitu ſacerdotali?* I. 11
eorum doctrina de baculo Petri 41
quaenam iura Clero vindicent ob gladium Petri? I. pag. 49
Capitis *accuſati voluntarium exilium eligere poterant iure vet.* I. 703
Capitis *deminutionem patiebatur mulier in poteſtatem mariti redacta.* I. 825
Capitis *an damnari poſſint ſurdi & muti?* I. 701
Cappa *Hetruſco ſermoni originem debet* I. 14
Capulatores *qui?* I. 397
Caracalla *lacte Chriſtiano educatus* I. 194
eius reſcriptum de probationibus 641
quomodo id interpretati ſint Diocletianus & Maximianus? ib.
Caravana *quid?* II. 127
Car. M. *tabulae quibus Aquisgranum ſedem Regni Lotharingici declaraſſe fertur, νοϑεύσεως poſtulantur a Criticis* I. 762
eius de dalmatica ſententia 25
is Germanis teſtamentifactionem ademiſſe fertur 943
Carnes *diſtrahendi modus edicto elegantiſſimo abolitus.* II. 97
Carnifices *an iure leuis notae macula laborare dicantur?* I. 295. 300
eorum officium apud Romanos 300
ſi heredes ſcripti, an frater teſtamentum euertere potuiſſet apud Rom.? ib.
cur ad eos redundarit macula quaedam? ib.
eorum conditio in Germania ib.
quales ſe gerere debeant in torquendo? 694
verbis durioribus non vti debent aduerſus reum ib.

CARPZOVIVS *contra* Schilterum *defenſus* I. pag. 727
eiuſdem & Richteri controuerſia de vſufr. mat. 603
vtriuſque argumenta 604
CARTESII *fictiones veram ſapientiam non redolent* I. 128
Carthaginienſes Tertullianum *rident ob pallium*, I. 6. ſq.
Caſati & *non* Caſati: *quando haec diſtinctio orta?* I. 247
CASAVBONO (Iſaaco) *quid reſpondeatur ad eius Criticam de monumento Ancyrano?* I. 95
Casleu, *menſis ad cuius diem VII. Iudaei Synagogae ſupplicationem indicebant, ob mortem Herodis* I. 91
CASSIVS *damnat patrem*, II. 235
Caſula & Cappa *an voces latinae?* I. 14
Caſula *quid Pontificiis?* ib.
CATO *vxorem ſuam Q. Hortenſio cedebat* I. 503
eius locus an tutelam maritalem probet? 840
CATO Vticenſis *in iudicando religioſiſſimus* I. 668
ex eius oratione quid probetur? ibid.
CAVE (Guil.) & Salmaſius *quando* Tertullianum *pallium ſumſiſſe ſtatuant?* I. 7
Cauſſa *falſa cur non vitiet legatum?* I. 512
Cauſſae *pecuniariae: in iis ſerui contra dom. interrogandi* I. 648
quaenam iusiur. plane reſpuant? 658
Cauſſarum *Patroni: in eos magna crudelitate ſaeuiebant Germani* I. 230
Cauſſae *accurate cognoſcendae*; II. pag. 2
Cauſſa *perpetua ſeruitutum*, II. 177. ſqq.
de illa varii ICtorum loci, 183. 185. 187. 188
de illa Doctorum quorundam ſententiae excuſſae, explicatio, iudicium, &c. 192. 194. 195. 198. 199. 201. 204
Perpetuitas cauſſae ſemper fuit inter adfectiones ſeruitutum praedialium, 209
Cauſſa *perpetua quid ſit?* 211. ſq.
Regulae de cauſſa ſeruitutum perpetua, 215
Vide Seruitus.
Cautionis *Mucianae inuentor quis?* I. 487
eam commentario illuſtrauit Fr. Balduinus ib.
Cautionem *an praeſtet mater vſufructuaria?* I. 620
an poſſit alienare? ib.
CEBES Thebanus: *eius philoſophia* I. 108
eius tabula multa praeclara habet. ib.
CELSVS *quando vixerit?* I. 518
eius natales & ſtudia 521. ſq.
eius ſtemma exhibetur 520
in philoſophia Stoicus, in iurisprudentia Proculeianus 525
eius ſcripta 530. ſq.
quid in fragmento eius notatu dignum? 532
quando deceſſerit? 529
Celtarum *nomine qui olim populi venerint?* I. 849
haec gens ſibi vxores coemebat 850

Cenſuales

Cenſuales *tabulae diu ſuperſtites* I. pag. 102
Cenſuum *Auguſti chronotaxis* I. 96
quiſnam ad Chriſti natales pertineat? 97
Cenſus *indicti ab Imperatoribus per aliquot annos protrahebantur.* ib.
eius rei exempla 98
non ab ordinariis Praeſidibus agebantur 101
Cenſus *vniuerſales Reges ſub Caeſaribus Rom. recuſare non poterant* I. 94
Cenſus *ſub Auguſto actos quid illuſtret?* ib.
de Cenſu *D. Lucae locus* I. 93
Centonarii *quodnam opificum genus?* I. 373
Centum *aureorum poena tenebantur curatores collegiorum, ſi quem inuito domino recepiſſent* I. 397
Centumuirale *iudicium querela inofficioſi vocabatur* I. 267
Certepartien *quid?* I. 346
Certificats *ſunt litterae, quas leges nauticae exigunt* I. 344. ſq.
earum formulae 345
Romanis non ignotae 346
earum utilitas, II. 123
Ceſſiones *inter Iudaeum & Chriſtianum in Germania prohibentur legibus publ.* I. 478
Ceſſitia *tutela quid?* I. 835
Chalcidivs: *eius commentarius in Platonis Timaeum* I. 211
quando floruerit, incertum ib.
an fuerit Chriſtianus? ib.
Characteres, *quorum meminit Tertullianus, quibusnam temporibus conueniant?* I. 7
Characteres *ab Euangeliſtis dati Chronologis obſeruandi in computanda era Chriſtiana* I. pag. 86
Characteres *propenſionum quomodo diuidantur?* I. 133
Characteres *verae falſaeque ſapientiae quis primus dederit?* I. 111
petendi ex definitione ſapientiae 120
Chiffletii (Io.) *de antiquo habitu ſacerdotali locus* I. 11
Childeberti *decretum in materia praeſcriptionis* I. 908
Chirographum *in iure* confeſſio *vocatur* I. 679
Christi *natalis quantum temporis inter eam & Herodis M. exceſſum interceſſerit?* I. 92
eam eſſe VIII. Kalend. Ian. ſtatuit Eccleſia Occidentalis ib.
conſecratus ab Eccleſia Latina aemulatione gentilium ib.
Chriſtianae *Eccleſiae miſera conditio oſtenditur* I. 4
Chriſtiani *vbi* Iudaeorum *nomine veniant?* I. 201
eorum religio cum Iudaeorum religione quaedam communia habebat ib.
Chriſtiani *familiari conuitio* Galilaei *audiunt* ib.
ii mores publicos innoxios non abrogabant 2
ii ab Ethnicis arguuntur variorum criminum ib.
primi philoſophiae Ethnicae Studioſi 17
in primis Platonicae ib.
quinam ex illis pallio philoſophorum induti? ib.
Chriſtiani *priſci an Presbyteros ſuos* ſingu-

ſingulari habitu exornatos voluerint? I. pag. 10
Romanenſium ea de re ſententia 11
Chriſtianorum *antiſtites maximis perſequutionibus obnoxii* I. 13. ſq.
eorum conſuetudo cum paganis philoſophis quid effecerit? 192
eorum ſcholae frequentatae a paganis 194
eorum ſacerdotibus indumenta ſacra V. T. tribuuntur συνεκδοχικῶς 70
quid eis in contractibus cum Iudaeis obſeruandum? 331
Chriſtiani *cum Iudaeis ſaepe confuſi* I. 393
eorum conuentus religionis cauſſa ἑταιρείαις *accenſiti* 393. ſq.
an togam cum ſuperſtitione Romana poſuerint? 5. ſq.
Chriſtiani *ludibrio erant Iudaeis & gentilibus ob tenuiorem fortunam* I. 9
quid in veſtimentis immutarint? 5
ii in habitu nihil adfectarunt? 9
an nudis pedibus, vel ſoleis inambulauerint? ib.
an veſtitus ratione ſe prodiderint? 4
eorum ſocietates a gentilibus exprobratae ib.
eorum notae quaenam? 4
Chriſtianorum *primorum* ἀσκήσεις I. 8
ii quonam veſtium genere vſi? 2
Chriſtianae *religionis perſequutiones quando ceſſauerint?* I. 17
CHRISTIANI VI. *Daniae regis, laus, & autoris pro illo vota* II. 132. 175. ſq.
CHRISTVS *an in Euchariſtiae inſtitutione peculiarem habitum adhibuerit?* I. pag. 16. ſq.
an in communi vita? ib.
CHRISTVS *ſub Quinctilio Varo, Syriae Praeſide naſcitur* I. 100
vnde id oſtendatur? 101.
cur eius natiuitatis era hodienum tam obſcura? 82
quonam veſtimentorum genere vſus? 31
Chronologici *quidam lapſus notantur* I. 99
Chronotaxis *imperii Archelai: ex ea demonſtratur, Herodem Antipam regnare coepiſſe anno Iul. XLIII.* I. 90
CHRYSOSTOMI *& Baronii ſententia de prouerbio* Ὦ γεραϊκὸς ἐπιθίτης I. 6
CICERO *Caium Aquillium Gallum* ſuum *vocat* I. 794
de ICtorum excellentiorum paucitate conqueritur 535
Cicero *Caii Aquillii Galli collega in Praetura* I. 793
eius locus de teſtamentis in procinctu factis explicatur 499
is collegiorum opera in ciuitatem ſe reuocatum fatetur 386
exprobrat M. Antonio, quod libertinam duxerit 282.
eiusdem iudicium de formulis Romanorum 428
illud expenditur 436
eiusdem locus de C. Aquillio Gallo 790
an ille tamquam tutor cum Publicia in matrimonio vixerit? 841
quomodo eleganter is definiat vſucapio-

capionem ? I. pag. 885
eius locus de tormentis 692
Cidares *ſacerdotum, nec cum Pontificis Maximi, nec cum hodiernis Epiſcoporum mitris ſunt comparandae* I. 69
a gentilibus in Eccleſiam inuectae ib.
Cifrae *Arabicae Romanis intermixtae conſpiciuntur in numo Bernardi, Ducis Sax.* I. 85
Cinctus Gabinus *quid?* I. 498
quando eum ſumſerint Romani milites? 497
Cirri *quid?* I. 28
Cirri *Alexandrinorum puerorum cur detonſi a Diodoro?* I. 29
Ciſterna, *circa illam ſeruitutes,* II. 200. 202
Ciſterna *vini,* II. 203
Citatio *olim fiebat in diem decimum quartum* (über vierzehn nachte) I. 892
Ciuilia *verba quaenam?* I. 512
Ciuitates *quaedam municipales in Germania iure conſtituendi tutores gaudent* I. 732
Ciuitatum *Hanſeaticarum circa merces vetitas Statuta* I. 333
Ciuitates *integrae olim manumiſſae* I. 408
huius rei exemplum ib.
inde paroemia : Keine Henne flieget über die Mauer 409
an ſeruis fugitiuis tutum perfugium fuerint? 896
Civitatis *ius intra quodnam tempus recuperandum iure Lubecenſi?* I. 890
Ciuium *Rom. domi ſuae maieſtas oſtenditur* I. 494
Ciuium *ſtudia, ius Principis circa illa,* II. pag. 133. ſeqq. *Vide* Studia.
Claſſes *adhibent Principes ad libertatem commerciorum tuendam.* II. 127
Claſſici *teſtes quinam Romae dicti?* I. 950
Clavdivs *Liuiam ſuam praegnantem Auguſto cedebat* I. 503
Claverii (Iac.) *vita exemplum ſuppeditat ambitionis ſtultae* I. 161
Clauſula *teſtamento priori inſerta, qua ſe teſtator, illud mutandi facultate abdicauit, an valeat?* I. 501
Clementis *epiſtola allegata a Pontificiis nihil probat* I. 21
Clementis Alexandrini *libri* Stromatum *quid de Sophiſtis contineant?* I. 117
eius verba de Sophiſtis non recte interpretantur 118
quot characteres verae falſaeque ſapientiae tradat? ib.
quatuor eius characteribus de vera falſaque ſapientia tres noui adduntur a Buddeo 119
Clemens IV. Papa *decimas per vniuerſam Germaniam exigit* I. 750
Clerici *Occidentales Graecos in tondendis capillis imitabantur* I. 19
cur eis opus fuerit legibus veſtiariis? ibid.
eos peculiarem habitum in prima Eccleſia habuiſſe, oſtenditur 10
exempla Aegyptiorum, Graecorum & Rom. ib.
eorum veſtimenta a laicis non attingenda 12
Clerici, *quinam ſic vocati in Britannia & Belgio?* II. 162
Clerus *abhorret ab habitu philoſophico*

co I. pag. 18. ſeq.
Cloaca *quid?* II. 196. ſq.
CLODIVS (P.) *abolita Romae collegia reſtituit, iiſque noua addidit* I. 387
quantum ipſi profuerit hoc conſilium? 388
Codex *Iudaei mercaturam exercentis an aequiparandus ſit codici decoctoris?* I. 576
Codices *decoctorum vbi edendi?* 570. ſq.
admittunt probationem contrarii, quamuis iis vel maxime ſuffragentur alia adminicula 574
Codicilli *quinam* Seelen-Geräthe *dicti?* I. 946
COELESTINI P.P. *epiſtola ad Epiſcopos Narbonenſem & Viennenſem ſcripta quid contineat?* I. 14
quidque exinde colligendum? ib.
Coemtione *nuptiae olim fiebant* I. 433. ſq.
Coena *ſacra intra priuatos parietes celebrata* I. 16
Cognoſcementen *quid?* I. 347
Collegia *ſacrorum cauſſa coeuntia* συνάξεις *vocabantur* I. 389
ea Romae gaudebant iure ſuffragandi 386
quid ad ea tollenda mouerit Imperatores? ib.
ea omnia, praeter antiqua, SCto abolita 387
Collegia *abolita reſtituta, iiſque noua adiecta a Clodio* ib. ſq.
eorum quae a Numa inſtituta, conuentus & ſacra 375
eorumdem fata ſub Tullo *Hoſtilio,* Seruio Tullio *& Tarquinio Superbo* pag. 378. ſq.
cur vni tantum collegio accedere licuerit? 399
Collegia *noua inſtituta Principum indulgentiâ: quaenam illa ſint?* ib.
ea vel licita, vel illicita 396
illicitorum poena 397
in licita quinam recepti? ib.
eorum immunitates 402
harum cauſſae 403
priuilegia 400
Collegiis *licitis quinam excluſi?* I. 398
eorum, vt & opificum variae denominationes medio aeuo 408
Collegia *tenuiorum quae?* I. 398
Collegia *mercatorum Romae duo inſtituta* I. 384
horum vnum Mercuriale, alterum Capitolinum audiebat ib.
alia collegia recenſentur ib.
ea multarum turbarum in rep. cauſſa fuerunt 385
Collegii *Serapidis & Iſid. mentio fit in marmore* I. 390
Collegia *artificum quot inſtituerit Numa?* I. 372
cur ea iure antiquo heredes inſtitui non potuerint? 401
id mutauit Leo 402
Collegia *Iudaeorum numquam aliquid ex hereditate capere poſſunt* ib.
Collegiis *inimiciſſimi fuerunt Claudius & Traianus* I. 394
quibusnam coire licuerit? 395
Collegia *opificum in vſum reuocantur a Decemuiris* I. 381
Collocari *quid?* II. 244
Collybiſtarum *definitio,* II. 44
Collybiſticae *negotiationis origo incerta*

certa I. pag. 442
Collybus *quid?* II. 44.
Colobium, *quando adſumpſerint Clerici?* I. 25
Id quando commutarint cum dalmatica, ibid.
Colobium Bartholomaei I. 74
Comae: *ita vocabantur puerorum capilli, qui vſque ad annum ſeptimum non tondebantur* I. 28
COMES AVG. *Cur ita vocetur* Minerua *in Imperatorum Numis* II. 134
Comici *Graecos potius, quam Romanos perſtringebant* I. 286
Comites *Palatini qui, & in quibusnam Germ. prouinciis olim fuerint?* I. 759
Comites *Iuliaci in vrbem Aquisgranum protectionis iura exercuerunt* I. 766
Comites *tres fingunt Canoniſtae irriſiur.* I. 652
Comitia *calata: in eis & extraneos heredes inſtituere licebat* I. 264
ea quid fuerint? 496
cur in eis teſtamenta condita? ib.
Comitiorum *apud Rom. moleſtia* I. 422
quid in illis ſancte obſeruandum fuerit? ib.
Comitum *Palatinorum ad Rhenum ſedes.* I. 764
Comitum *iuriſdictio apud Wiſigothos, Burgundiones, Francos, &c.* II. 254
Commercia *nulla olim erant Germanis* I. 405
cur ea exteris cum ciuibus noſtris denegare, inhumanum ducant Grotius & Scaccia? 316
ea ſalua eſſe debent in ſtatu pacis ib.
an exterorum cum exteris hoſtibus prohiberi poſſint? I. p. 317
an Grotius diſtinctionibus ſuis rem recte deciderit? 318
Commercium. *De iure Principis circa Commerciorum libertatem tuendam,* Exerc. XXX. per totam. II. 79. ſqq.
eius definitio: dicitur rerum operarumque cum aliis communicatio. 82
Commerciorum *neceſſitas inter ciues eiuſdem reipublicae.* II. 85.
nec non inter gentes liberas, 86
An Commercia ſemper libera eſſe oporteat? 88
Libertas commercandi qualis eſſe debeat inter ciues eiuſdem reipublicae? 91
Hoc ius Princeps quibuſdam dare ac adimere poteſt, 92
idem definire poteſt quae res in commercio eſſe debeant, 94
nec non ipſis commerciis certum modum praeſcribere, 96
Ceſſat libertas commerciorum cum hoſtibus, 98
cum gentibus dubiae amicitiae eatenus admodum reſtricta eſſe ſolent, 100
cum gentibus amicis per foedera reſtringuntur, 102
An gens gentem commercio cum alia gente iure prohibeat? 105
Quid commerciorum libertas a principe tuenda. 109
Quot modis illa turbari ſolet, 110
Principis eſt illam tueri. 112
Quibus modis hoc fiat? 114. 116. 117. 119. 123. 125. 127. 128. 130.

Commiſſum *quid iure Rom. vocetur?* I. pag. 342
Communicatio *rerum operarumque cum aliis dicitur Commercium.* II. 82
cur eam ex obligatione perfecta oriri dicamus? 84
Communio *bon. an iure Germ. obſtet tutelae mariti?* I. 851
Comparationi *litterarum an locus ſit in cambio, reo fatente, litteras ſuis quidem eſſe ſimillimas, ſuas tamen eſſe negante?* I. 462
Concilium *Tridentinum quid diſponat de Presbyterorum habitu?* I. 11
Concilium *Laodicenum quando habitum?* I. 18
in eo exiſtimarunt, miniſtrum orarium ferre non oportere ibid.
Concilium *Carthaginienſe diſponit, vt Diaconus alba veſte vtatur* ib.
Concilium *Narbonenſe quando habitum, quidque in eo Clericis interdictum?* I. 20
Concilium *Monſpelienſe quid diſponat de habitu Epiſcopali?* ib.
illud veſtes Sacerdotales ab Apoſtolis deriuat 29
Concilium *Matiſconenſe Agreſtinum cenſura notat* I. 37
Condemnatoria *ſententia an in criminalibus ſemper opus?* I. 676
Condictione *ex mutuo conuenti, ſi poſt inducias 30. dierum creditoribus non ſatisfeciſſent, ipſis vincti tradebantur per leges XII. Tab.* I. 667
Conductio. *Vid.* Locatio.
Conductoris *iuriſdictionis obligatio,* II. 270
quos ille iuriſdictionis fructus percipiat, pag. 271
Vide Iuriſdictio, Locatio.
Confarreatio *ritus nuptias faciendi antiquus* I. 433
Confeſſi *an in criminalibus pro iudicatis habendi?* I. 668
Confeſſio *an ex ſilentio colligi poſſit?* I. 704
eius in criminalibus requiſita 687. 691. ſeq.
Confeſſionis *extraiudicialis effectus* I. 687
Confeſſio *ebriorum & furioſorum, quid de ea ſentiendum?* I. 695
Confeſſio *duorum generum erat apud vet.* I. 673
Confeſſio chirographum *vocatur in iure* I. 679
Confeſſioni *tormentis extortae non temere credendum* I. 690. 692. ſq.
Confeſſio *reorum an valeat, ſi ex taedio vitae orta?* I. 688
ſigna eius in criminalibus non incerta eſſe debent 697
Confeſſio *mulierum non nocebat ſine curatoribus iure Germ. antiquo* I. 682
Confeſſio *reorum an valeat, ſi ſpe impunitatis facta?* I. 690
an, ſi ex metu tormentorum? ib.
Confeſſio *ſurdi & muti qualis* I. 697 ſq.
an efficax eſſe poſſit? 699. ſq.
Confeſſio *an ex factis colligi poſſit?* I. 701. ſq.
Confeſſioni *reorum multum tribuendum* I. 662
Confeſſionis *validae requiſita* I. 679. ſqq.

Confeſſio

Confeſſio *conſcientiae vox dicitur a Seneca* I. pag. 672
Ambroſii de ea verba 673
an de ea ſemper verum, quod ſit vox conſcientiae? 677
Confeſſio *voluntaria ſuſpecta videtur Calpurnio Flacco* ib.
Confeſſioni *propriae reorum adplicandum axioma iuris:* volenti non fit iniuria I. 673. ſeq.
Confeſſiones *a procuratoribus factae quibus conditionibus reuocari poſſint?* I. 682
Confeſſoria *actio, vel ex confeſſo* I. 674
Confeſſos *condemnaſſe Germanos, patet ex paroem. vet.* I. 672
eos in cauſſis capitalibus pro iudicatis non fuiſſe habitos, oſtenditur 675
Confeſſus *iure Rom. pro iudicato eſt* I. 666. 674
origo huius axiomatis 667
is in iure tantum pro iudicato habendus ex Conſtit. Caracallae 680
caſus contrarii 681
Confirmare *tutores, quid ſit iure Rom. multi minus recte intelligunt* I. 734
Confirmatio *tutorum iure Rom. ad ſolos teſtamentarios pertinebat* I. 733
ea in omnibus tutoribus neceſſaria iure Germ. 732
ea non indigebant tutores rite dati iure Rom. ib.
eius effectus iure Germ. 736. ſq.
quid ſit iure Rom.? 734
Confiſcatio *mercium prohibitarum non iniuſta* I. 337
Confiteri *quid?* I. 678
Conflictus *probationum: in eo pronunciandum pro reo* I. pag. 650. ſq.
Coniugia *inter Patricios & plebem quando promiſcua eſſe coeperint?* I. 281
Connubii *ius patrum cum plebe Leges XII. Tab. non permittebant* I. 281
Conſacramentales *qui fuerint apud Francos?* I. 631
Conſanguineos *inter & vterinos quando differentia ſublata ſit a Graecis?* I. 260
Conſenſualis *contractus quid?* II. 279. ſqq.
Conſenſus *mariti curatoris quo caſu vxori non ſufficiat iure Sax.* I. 871
CONSTANTINI M. *numus ſuppoſititius* I. 84
CONSTANTINVS M. *pompae ſtudioſiſſimus* I. 17
is ſplendidum adparatum circa ſacra ordinat ib.
templa & baſilicae eius iuſſu extructae 17
is Macario, Epiſcopo Hieroſolymitano ſacram veſtam donat. ibid.
an noui quid inuexerit circa querelam inofficioſi? 279
Wateri ſententia refellitur ib.
cur perſonas leuiter notatas fratribus anteferri noluerit? 281
eius conſtitutio euincit, ſemiplenam probationem ignorare ius Rom. 639
eius numos minus recte interpretatur Peireſcius 80
eius temporibus Chriſtiani melius ſe habere incipiunt 25

Conſtitutio *Seueri & Antonini quo caſu ſeruos contra dominos interrogari permittat?* I. 648
Conſtitutio *curatoris apud Rom. ignominioſa* I. 741
Conſuetudines *Syluæducenſes* I. 866
Conſulatum *reſpuebat Caius Aquillius Gallus* I. 793
Conſules *in vrbe tutores ex inquiſitione conſtituebant iuſſu Claudii* I. 720
Conſules *& Senatores quando apud Romanos inſtituti?* I. 407
Contrabande Waahren *quaenam?* I. 321
quid hodie? 328
Contrabando *vnde deriuetur?* I. 321
Contractus *litteralis & cambii conuenientia monſtratur* I. 451
Contractus *multi ad conuentiones iur. ciu. referri nequeunt* ib.
Contractus *cambialis quomodo differat a reliquis?* I. 444
Contumaces *an vet. iure Germ. pro confeſſis habiti fuerint?* I. 705
Conuentio *in manum, eius effectus in vxoribus* I. 825. 834
Conuentionis *quodnam genus ſit cambium?* I. 448
COROCOTA *latro famoſus* I. 689
praemium eum exhibituro propoſitum, qua ratione ipſe abſtulerit? ib.
Corona *triplex imagini Petri adpicta* I. 33
Corona *tonſa Cleri quid dicatur?* I. 34
Corpus *delicti quid?* I. 706
COTHMANNVS *refutatus a Meuio* I. 018
COTTA, *ratiocinandi facultate homines indigere poſſe, veſane putat* I. pag. 110
eius rationes refelluntur ib.
CRATES *pecuniam in mare proiiciens quid dixerit?* I. 685
Credere & parum probare *ſibi inuicem opponuntur* I. 643
Creditores *an ex libris decoctorum probationem debiti aduerſus tertium petere poſſint?* I. 567
Halenſ. ICtorum ea de re reſponſum 569
an iidem admittendi ad cautionem iuratoriam? ib.
Creditores *cambiales in quam claſſem collocentur?* I. 481
ii praeferuntur in multis locis chirographariis ib.
Credulitas: *an de ea iurari poſſit?* I. 656
de ea iurans teſtis fit in propria cauſſa 645
quo caſu heredes de ea iurare poſſint? ibid.
Crinis *puerilis alicui Deo olim ſacrari ſolebat* I. 29
Critica *ad veram ſapientiam non pertinet* I. 122
Criticae *nimis ſtudioſi ridentur a Richardo Simonio* I. 538
Cryptae: *Chriſtianorum in iis conuentus* I. 4
CVIACII *ſententia de inopia probationum* I. 648
eiuſdem ſententia de origine querelae inofficioſi 269
quando confeſſos pro iudicatis habeat? 674
Curatores *iure Rom. inuitis minoribus*

bus dari non poterant I. pag. 740
hodie conſtituuntur a magiſtratibus, quamuis repugnent minores ibid.
Curator *vxoris quomodo hodie fiat maritus in Saxonia?* I. 871
vtrum matri, bonis liberorum male vtenti fruenti conſtituendus, an familiae erciſcundae iudicium decernendum? 616. ſq.
eius conſtitutio Rom. ignominioſa videbatur 741
Curatores *an feminae habuerint apud Rom.?* I. 839
fragmenta ICtorum, in quibus eiuſmodi curatio occurrit, recenſentur 840
Curatorium *& tutorium quid iure Germ.?* I. 737
Curioſitas *nimia an ſapientem deceat?* I. 125. ſq.
CYLO *diſciplina Pythagorae excluſus quomodo hanc contumeliam vltus ſit?* I. 144
Cynici *decori negligentiſſimi* I. 126. ſq.
CYPRIANVS: *vita eius a quonam deſcripta?* I. 22
habitus eius, in quo ad ſupplicium ductus, deſcribitur, & an Clericalis fuerit? ib.
eius locus de veſtibus Chriſtianorum 3
inſidiae ei ſtructae a Decio 13
cur non credibile ſit, eum dalmaticam geſtaſſe? 24

D.

DAeniſch Loo-Buch, *quis?* II. p. 115
Dalmatica *vox recentior* I. pag. 24
quando inuenta? ib.
ita vocabatur tunica clauis purpureis inſignis ib.
veſtium hoc genus viris grauioribus ſordebat ib.
vera huius tunicae origo ib.
Caroli M. de ea ſententia 25
haec an veſtis ſacerdotalis ib.
ſub Sylueſtro Papa in Eccleſiam introductae ib.
Dalmaticae *litteratae* I. 76
DAMARETVS Corinthius: *quid de eo memoret Liuius?* I. 508
DAMASVS, *Papa, quamdiu Eccl. Rom. praefuerit?* I. 25
dalmaticae ſub eo in Eccleſ. introductae ib.
luxus eius ib.
is ditatur oblationibus matronarum ib.
cuinam comparetur ab Ammiano Marcellino? ib.
Damnum *ex falſo cambio quis ferat?* I. 496
Datiuos *tutores an iure Germ. non confirmandos eſſe, recte putat Strykius?* I. 735. ſeq.
Decemuiri *nouae teſtandi rationis ap. Rom. inuentores* I. 500
ii Leges XII. Tab. ad reip. Rom. ſtatum attemperant 827
quibusnam vocabulum patrisfamilias *applicuerint?* 501
ante eos & heredes extraneos inſtituere licebat 264
ii opificum collegia in vſum reuocant 381
Decennes *pueri quo caſu teſtati ſint ap-*

ap. Wiſigothos? I. pag. 956
Decidere *dicuntur qui cauſſam tranſigunt.* II. 34
Decimas *exigebat Clemens IV. per vniuerſam Germ. bello ſacro impendendas* I. 750
Decivs *inſidias ſtruxit* Cypriano I. 13
Decivs (Phil.) *Ital. ICtus celeberrimus* I. 752
eius libri prohibiti mutilatique ib.
Decoctoris *dolus malus an probari poſſit ex libro non rite, nec ex arte ſcripto?* I. 575
eius codex quo caſu probet? 567
eius indoſſamenta vitioſa habentur 479
is indignus habetur priuilegiis mercatorum 551
is ſi, vel ipſe, vel eius curator bonorum ex libris agat, an admittendi ſint ad cautionem iuratoriam? 560
eius codex vbi edendus? 570. ſq.
Decori *fundamenta* I. 126
id qui negligunt non veri ſapientes ib.
illud plane proſcribebant Cynici ibid.
Decretum *quid?* II. 20
Decretum *de re monetaria nuper a variis Germ. circulis editum laudatur.* II. 61. ſq.
Definitio *quid ICtis?* I. 488
quid regulariter definire? ib.
Definitio *verae ſapientiae* I. 119.120
Definitiones *nominales in arbitrio hominum poſitae* I. 120
Definitiones *iuris, idem quod regulae iuris* I. 488
Delatorem *qui corruperunt, confeſſis aequiparantur* I. pag. 702
Delicti *corpus quid?* I. 706
Demetrivs *hoſtibus frumentum transmittere parantem ſuſpendio punit* I. 336
Demonſtratio *falſa cur non perimat legatum?* I. 512
Dendrophori *quinam?* I. 373
Der letzte macht die Thüre zu: *qualis haec paroemia?* I. 594
Deteſtabilis *& inteſtabilis promiſcue ſumitur* I. 281
Deuotorum *vltimae voluntati refragari Rom. inauſpicatum viſum* I. 499
Diaconis *quando albis veſtibus vtendum fuerit?* I. 17
Dictatores *dici potuiſſent Hebraeorum iudices* II. 252
Romani iudices. ib.
Diem *vet. Germ. vocabant dilationem legitimam* I. 892
Differentiae *vſusfructus materni Germ. & Rom.* I. 595
Dignitates *vendi non poterant.* II 248. 249
Diocletiani *&* Maximiani *reſcriptum: an in eo fundatum ſit ius iur. ſupplet.* I. 647. ſq.
Diodorvs *gentiles ob detonſos puerorum crines irritat* I. 29
Dionysivs Exiguus, *Abbas Rom. erae Chriſti inuentor* I. 83
Diploma Henrici V. *cur non genuinum videatur?* I. 407
Diplomata Ottonis I. *&* Henrici II. I. 250
Diplomatum *fidem quis impugnarit?* I. 79

Diſtrictio *maritalis ac domeſtica quid?* II. pag. 235
Diui Fratres *quinam Imperatores audiant?* I. 804
Diuiſio *bonorum quomodo inſtituenda, vſufructu materno finito?* I. 628
Diuortiorum *olim Romae frequentia vnde demonſtretur?* I. 425
Do, dico, addico, *quid de his verbis?* II. 237. ſqq. 243
Dolabrarii *qui?* I. 373
Dominium *maris: variae de eo Doctorum ſententiae* I. 311 ſq.
vera ſententia 312
auctores qui de hac materia ſcripſerunt, recenſentur 311. ſq.
id ſemel quaeſitum animo retinetur 313
huius dominii effectus quales? ib. ſq.
Dominium *improprie vocat* vſumfructum *Veracius* I. 601
Dominium *rerum legatarum quando transeat ad legatarium?* I. 491
Dominii *origo.* II. 276
Poſſunt eius effectus, & inprimis libera de rebus diſpoſitio lege reſtringi ib.
illo inuecto opus fuit contractibus, & praecipue emtione venditione, 277
An hodie in immobilibus ſufficiat traditio ad transferendum dominium? 288
An dominium per reſignationem iudicialem transferatur? 290
Vide Fructus.
Dominus *rem ſuam alteri locare poteſt?* II. 245
De Dominis ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus; Exerc. XXXV. per totam, II. p. 305. ſq.
An a Principe ad Dominos hoc ius extendi poſſit? 322
Quinam poſſint alios apud ſe ipſos conuenire? 328
An ipſe Dominus cognoſcere & iudicare poſſit? 329
De quibus cauſſis huiuſmodi iudicio locus ſit? 330
Vide Subditus, Iudex, Iuſtitiarius.
Donationis *mortis cauſſâ natura* I. 878
Donelli *opinio de confeſſione reorum refutatur* I. 679
eius de iureiurando ſententia 635
Donellvs *an* Salv. Iulianum *Proculeianorum ſectæ recte accenſeat?* I. 811
Donelli *&* Noodtii *aliorumque ſententia de Cauſſa ſeruitutum* II. 195
Dos *promiſſa quanam actione peti poſſit iure Rom.?* I. 922
quid de eius praeſcriptione diſponat ius Rom. ib.
quid Lubecenſe? ib.
Dos *an debeatur a matre vſufructuaria filiae vitam monaſticam electurae* I. 626
eam apud Germanos maritus vxori offerebat 850
Dotes *mulieribus conſeruari, reip. intereſſe dicit Pomponius* I. 614
Dotis *fructus, an de iis diſponere poſſit maritus?* I. 491
eorum illationem an mulier iureiurando probare poſſit? 655
Drvsvs: *eius imperia aequo animo fere-*

ferebant Romani I. pag. 230
Ducatus *ex regnis nati variis gauiſi ſunt praerogatiuis* I. 759. ſq.
obſeruatio Speculatoris Sax. de comitibus Palat. in Ducatibus qui ex regnis nati ſunt 760
Dux *Iuliacenſis quo fundamento ſibi ius gladium praeferendi adſeruerit?* I. 772
Dux *Brabantiae cur Lotharingiae nomen adfectarit?* ib.

E.

Eccleſia *quaelibet olim veſtes ſacras pro lubitu confici curabat* I. p. 18
Orientalem inter & Occidentalem differentia ratione harum veſtium ib.
Eccleſia *Treuirenſis ius coronandi regem Germaniae ſibi vindicat* I. 42
Eccleſia *Occidentalis natalem Chriſti diem VIII. Kalend. Ianuarii eſſe credit* I. 92
ea in diebus feſtis conſtituendis ſaepe nullam temporis habebat rationem ib.
Eccleſiae Chriſtianae *miſera conditio deſcribitur* I. 4
Edictum *perpetuum quid?* I. 799
id quando compilarit Salu. Iul.? 804
Edictum *translatitium quid?* I. 506
Edictum *Regio-Pruſſ. quoſnam pro decoctoribus malitioſis habeat?* I. 575
Elagabalvs *dalmaticatus* I. 24
Elegia, *locus, vbi Maternus in vitam reuocatus dicitur* I. pag. 44
an recte interpretetur de Ellouico prope Seleſtadium ib.
Ellychnia, *quibus in templo opus erat, ex quanam materia confecta?* I. 64
Emancipationis *Rom. ritus & formula* I. 423. ſq.
Emblemata *Triboniani: an inter ea referenda ICtorum Rom. Fragmenta, in quibus mentio fit de curatione maritorum in feminas?* I. 838
Emporia *quaedam recenſentur, quae ſub Francorum temporibus floruerunt* I. 406
in iis praeſcriptionis tempora contractiora eſſe oportet 889
Emtione *venditione opus fuit, invecto dominio,* II. 277
Quid emtio venditio, & cur contractus conſenſualis? 279
Dubium huic theſi obſtans remouetur, 280
Cur periculum perfecta emtione pertineat ad emtorem? 283
Emtio *ſpei & rei ſperatae,* II. 293
Vide Dominium, Fructus, Ius, Venditio.
Enthuſiaſtae; *quid de eis ſentiendum?* I. 126
Ephod *quid Italis?* I. 23
an idem quod linea? ib.
ἐπίκληρος, *quaenam mulier Graecis ita dicta?* I. 829
Epictetvs *quis?* I. 200
eius laudes ibid.
an ab Epaphrodito Chriſtianae religionis principiis imbutus fuerit? 201
an mere Stoica docuerit, 202

Epicteti

EPICTETI *locus egregius de celebratione numinis* I. p. 202. ſq.
eius explicatio verborum Socratis 113
EPIPHANIVS *quid de habitu Iacobi memoret* I. 52. & 55
is explicatus a Gu. Caue 6
Epiſcopale *indumentum non in birro lacerno quaerendum* I. 26
Epiſcopalis *mitrae antiquitas vnde adſeratur a Baronio?* I. 53. & 68
ea non ab Apoſtolis deriuanda? 68. ſq.
Epiſcopatus *dignitatem conſequebantur veteres philoſophi ethnici, qui Chriſto nomen dederant* I. 17
eius ſymbolum ratione factus baculus 45
Epiſcopi *Graecorum hodierni habitum monachalem retinent* I. 19
quomodo caedem ſeruorum vindicarint? 251
eorum habitus Saec. III. ib. ſq.
ἐπιϛάτης *Graecis idem quod Praeſes* I. 101
ἐπιθέτης *an pallium notet?* I. 5
Era *Chriſti an in numis medii aeui occurrat?* I. 85
in ea computanda chronologi ad characteres ab Euangeliſtis datos attendere debent 86
ea cur tam obſcura? 82
eius inuentor 83
Erae *martyrum inuentores quinam?* I. 82
ERASMI *verba de ſcholaſticis.* I. 127
Erbloſe Güter *quae?* I. 917
interpretatio de bon. vac. ib. ſq.
Erfurtum *emporiis adnumeratur* I. 406
Erfurtum *quando Senatum habere coeperit?* I. pag. 408
Eris *Hiſpanorum, Romanorum & Syro-Graecorum vtebatur Eccleſia primitiua* I. 82
Eruditus *quis vocandus?* I. 120
Ἑταιρίαι *quid Graecis?* I. 394
cur eas Imperatores tam ſeuere prohibuerint? ib.
Ethnici *quid de Chriſtianis ſenſerint?* I. 2
Eucharistia, *an in eius inſtitutione peculiaris habitus adhibitus fuerit?* I. 16
EVCHARIVS *an Treuiros miſſus a Petro?* I. 43
EVPHRATES, *philoſophus, quam philoſophiae partem pulcherrimam crediderit?* I. 538
EVRIPIDIS *locus de gente nautica* I. 360
EVSEBII *locus an Apoſtolorum tonſuram indicet?* I. 27
EVSTATHIVS *Epiſcopus Sebaſtenorum cur ſacerdotio priuatus?* I. 18
Euxinus. *Vide* Pontus.
Exagium *quid?* II. 98
Exceptioni *an locus ſit, litteris cambialibus agnitis?* I. 444
Exheredare *liberos an pater potuerit apud Rom.?* I. 495
Exheredatis *quis ante querelam inofficioſi ſuccurrerit?* I. 265
Exilium *voluntarium eligere poterant capitis accuſati iure vet.* I. 703
Expeditiones *ſacrae: in eis vetitum a Papis, ne quis Saracenis arma venderet* I. 327
Expeditoriae *res* (das Heer-Gewette) *an de iis diſponere liceat teſtan-*

teſtantibus? I. pag. 965
Expeditoriae *res cui cedant, deficientibus filiis, vel agnatis?* I. 966
Exportandae *quae merces ſint e regione, Principis eſt ſtatuere* I. 315
illuſtratur hoc exemplo Lycurgi ibid.
Extraiudicialis *confeſſionis effectus* I. 687
Extranei & extrarii *promiſcue ſumuntur* I. 278
EZECHIEL, *Propheta, dictum Domini ad eumdem male trahitur ad tonſuram Apoſtolorum* I. 38

F.

FABIVS Eburnus *filium damnat*, II. p. 235
Fabri *aerarii & tignarii qui?* I. 373
Faciei *hominis miranda ſtructura* I. 132
quae ea ſigna morum praebeat, oſtendit Thomaſius 159
Facta *in confeſſione reorum criminali ſignis accenſentur* I. 701. ſq.
Facultatis *Iuridicae Halenſ. reſponſum ad quaeſtionem leuis notae maculam concernentem* I. 305
FALCIDIA *lex; quid eâ cautum?* I. 515
Fame *necatus Pauſanias a Lacedaemoniis* I. 670
Familia *quotuplici ſenſu in iure ſumatur?* I. 502
Familiarum *Romanarum confuſio* I. 800
Fateri *a* Fari *deriuat Varro* I. 678
Feminae *an iure Rom. antiquo inſcriptis teſtari prohibitae?* I. p. 954
eae in Germ. non indiſtincte teſtandi facultate gaudent 955
eae ibidem ſub tutela viuunt 729. 823
earum iudicium lubricum 820. ſq.
dictum Ennii huc ſpectat 821
it. locus ex Euripide ib.
eas in perpetua tutela leges eſſe volunt 822
exempla Hebraeorum & Graecorum ibid.
Feminae *Graecae an in ius vocari potuerint ſine tutore?* I. 828
Feminae *negotiantes an ſine curatore obligentur in Saxonia?* I. 877
cur eas in tutela mariti noluerint Romani? 823
Gregorii Tholoſani & aliorum ea de re errores ib.
Feminae *an cambiare poſſint?* I. 460
an apud Rom. in maritorum curatione fuerint? 837
Feminae *illuſtres an curatorum conſenſu indigeant in contrahendo?* I. 874
Feminam *tutor in eius tutela conſtitutam ducere prohibetur iure Germ.* I. 844
id & productum ad caſum, ſi maritus vxoris ſuae curam poſt nuptias ſuſciperet vellet ib.
FERRARIENSIS (Io. Petrus) *ICtus celebris* I. 751
Feuda, *de iis regulariter diſponere per vltimam voluntatem non licet in Germania* I. 967
quibus caſibus id permiſſum? ib.
Feuda *hereditaria allodiis aequiparantur* ibid.

Fictiones *Carteſianae & Burnetianae de rerum omnium origine an veram ſapientiam indicent?* I. pag. 128
Fidicines *Tibicinum collegio acceſſerunt* I. 372
Filii filiaeue fam. iure Rom. in tutela eſſe non poterant I. 825
Filiis *quorumdam opificum cur nefas fuerit, opificia addiſcere?* I. 412
Filius *patri ex quo principio iur. Rom. non ſit teſtis idoneus?* I. 644
Filiusfam. *an cambiare poſſit?* I. 461
Firma *quid ſit, & ad Firmam dare?* II. 260
Quid ad Firmam dari non poteſt? 259
Fiſci *ſcriptura in quantum probet?* I. 553
Flavius (Cnaeus) *formulas vet. Rom. publicat.* I. 435
Foedera, *libertatem commerciorum tuendi modus,* II. 119
Fonſſeria *iuſtitia.* II. 311
Forma, *quid ratione eius homines prae brutis peculiare habeant?* I. 132
Formula *olim qui cadebat, cauſſa cecidiſſe videbatur* I. 426
Formulae *cambiorum quae in iis ſuperuacua?* I. 454
praecipuae, quibus vtebantur Romani, recenſentur 421. 422. 423. 424. 425. 434
a quibuſnam Imperatoribus abrogatae? 436
earum myſteria quis aperuerit? ibid.
Formularia *iuriſprudentia cur plerisque hodie videatur ridicula?* I. 427
ad eam ridentium obiectiones reſpondetur 429. 430. 431. 432. 433. 434. ſeq.
Foro *qui ceſſerunt, an eorum libri probent?* I. 564
Fragmenta *XII. Tab. an ſeruarint?* I. 827
ICtorum Rom. in quibus curatio maritorum in feminas occurrit, an recte inter emblemata Triboniani referantur? 838
Franci *tutelam* Mundeburde *vocant* I. 723
Francigenum *Regem ſe vocat* Otto M. I. 758
Francorum *Reges de ſalute pupillorum ſolliciti* I. 722
eorum ſub imperio quaenam iuriſdictionis in Germ. facies I. 249
eorum temporibus ſerui vrbes habitabant I. 406
eorumdem miniſteriales varii generis recenſentur ibid.
Fratribus *quo caſu non debeatur legitima iure Rom.?* I. 970
Fratrum *arualium collegium: an ad illud decemuiralis lex pertineat?* I. 382
Fructus: *De illorum in herbis venditione illicita*, Exerc. XXXIIII. per totam, II. 275
Quae res venire poſſint? an & non exiſtentes? 291
An fructuum futurorum licita ſit iure Rom. venditio? 294
An iure Germ. vetere? 296
An nouo? 297
eius iuris declaratio per receſſ. Imp. a. 1577. 298
Aliarum gentium leges ſimiles 299
Conſtitutionum emtioni futurorum fructuum oppoſitarum ratio, 301

Sanctio poenalis addita, & quando ei locus ſit? II. pag. 302
An & ad alios caſus extendi poſſit haec prohibitio? 303
Vide Emtio, Venditio, Ius.
Fugiens *reus damnato aequiparatur iure Rom.* I. 703
an id etiamnum obtineat? ib.
Fugitiui *inter ſeruos relati ex L. Fuſia Can.* I. 894
FVLVIVS *filium necari iubet.* II. 235
Fumi *immittendi ſeruitus.* II. 217. ſq.
Fundum *vxorem in Saxonia ſine mariti conſenſu alienare poſſe, an recte exiſtimet Meuius?* I. 873
Fundus eſt in agro, qui Sabinus vocatur, eum &c. *formula Rom. petendi vindicias* I. 426
alterius ad eam reſponſio ib.
Furioſi *confeſſio: quid de ea ſentiendum?* I. 695

G.

GAbinus *cinctus quid?* I. p. 497. ſq.
Galilaea, *an ex eius obſeſſione recte colligatur, Apoſtolos gladiis vſus fuiſſe?* I. 50
Galilaei *: ita dicti Chriſtiani familiari conuitio* I. 202
GALLI *ſeceſſus in Caecinam, Hetruriae oppidum* I. 791
GALLI *cognomine ICti plures* I. 778
Gallia *: ibi teſtatura mulier auctoritate viri indiget* I. 879
ibi diſputatum de tonſura 36
quid ibi requiratur ad deferendum iusiurandum ſuppletorium? 652
Gallina *fumoſa* (Rauch-Huhn) *cur ſignum iurisdictionis patrimonialis?* I. pag. 252
Gallorum *cum Germ. communis origo* I. 849
eorum ineptiae in interpretandis nummis antiquis 81
GALLVS (Aelius) *quando floruerit?* I. 778
ſcripſit librum de Verb. Sign. ib.
GALLVS (Iulius Aquilla) *non confundendus cum* Caio Aquillio ib.
GALLVS (Caius Aquillius) *ſtipulationis Aquillianae auctor* I. 779
is gente celebri natus ib.
eius res geſtae illuſtrantur monumento ex Gruteri inſcript. 780
ex eius familia multi Flori, Tuſci *vel* Corui *cognominati ſunt* 781
is maiores habuit tribunicios conſulares & praetorios 781 ſq.
horum vnus legem Aquilliam tulit. ib.
pater eius quis fuerit? 782
ex eius ſcriptis in pandectis nihil ſupereſt 792
is iurisprudentiam heurematicam excoluit 787
is variorum iuris capitum auctor 788
eius iuſtitiae ſpecimina 789. ſq.
is in reſpondendo de iure maximam famam conſequutus 786
is de facto conſultus, quid reſponderit? ib.
eius ſtudia 782
eius praeceptor Q. *Mucius Scaeuola Pontifex Max.* 783
eius diſcipulus fuit Seru. Sulpicius 791

GALLVS (Cai. Aquill.) *quibus dignitatibus functus in rep. Rom.?* I. p. 793
is conſul fieri nolebat ib.
an cum filio eius gens. Aquillia extincta? ib.
quando mortuus? ib.
GALLVS (M. Aquillius) *ob euulgatas ſortes occiſus a Tarquinio* I. 782
GALVANVS (M. Aurelius) *quo fundamento neget, patribus non licuiſſe liberos exheredare per XII. Tab.?* I. 264 ſq.
GANENTIVS *Weſt-Saxonum Rex* I 36
epiſtolae Aldhelmi ad eum ſcriptae fit mentio ib.
Garus *quid?* II. 100
Gaſindi (Geſinde) *quid iuris circa eos?* I. 242. 248.
GASTO Chamillar *Apoſtolos tonſos ait, & refutatur* I. 27
Geburths-Brieffe *cur a ciuibus nouis exegerint Germani?* I. 409
GELLIVS *Caii* σύγγονος I. 649
ex eius noctibus Att. probatur, iusiurandum veterum praxi repugnare I. 649. ſq.
Gentes *integrae inter ſe vſae praeſcriptione* I. 883
id illuſtratur exemplo Hebraeorum ibid.
& Lacedaemoniorum ib.
Gentiles *cur philoſophiam ſuam doctrinis Chriſtianis exornauerint?* I. 181
ii Chriſtianis exprobrabant ſocietates 4
Gentiliſmi *partes duae* I. 185
Gentilium *Theologiae quot genera?* I. 182
Gentium *integrarum diuerſitas in greſſu* I. pag. 142
Gentium *arbitrium circa formam veſtium* I. 3
Gerada: *de ea diſponere prohibentur mulieres Saxon.* I. 878. 965
huius iur. antiquitas demonſtratur ex L. Angliorum & Werinorum ib.
Gerhabere: *ita in ſuperiore Germ. vocantur tutores* I. 859
Germani *pudicitiae laudem ſortiuntur a Tacito* I. 302
eorum mercatura I. 316
ii in conſtituendis collegiis imitati ſunt Romanos 404. 408
Germani *antiqui vrbibus & oppidis caruere* I. 404
eis nulla olim erant commercia 405
apud eos quatuor hominum ordines erant ib.
quando conſules & Senatores apud eos inſtituti? 407
qua ratione proſpexerint pupillis? 730
apud eos Principes ſuprema tutela gaudent 721. ſq.
quando teſtamenta condere coeperint? 945
eorum teſtamentifactionem memorant leges variae ib.
eis non minus competebat ius vitae & necis, quam Romanis 244. ſq.
ii morum ſuorum tenaciſſimi 852
ii cauſſarum Patronos male habebant 230
cur fundos non facile alienari paſſi ſint? 963
Germani *Gallorum imitatores in greſſu* I. 137

d 3 Germani

Germani *conſeſſos an condemnarint?* I. pag. 671
cur in materia de teſtamentis peregrinos, quam maiorum mores ſequi maluerint? 977
it iuris Rom. addiſcendi cauſſa frequentes Bononiam profecti 978
eorum poteſtas in ſeruos an fuerit iuriſdictio 249
quibuſnam abſolute denegarint teſtamentifactionem? 959
ii ſuprema iudicia vocant ihren letzten Willen 977
Germania: *ibi teſtamentifactionem paſſim impediunt heredes ab inteſtato* I. 957
an id iuri Rom. conſentaneum? 958
ibi in multis locis non de omnibus bonis teſtari licet 962
ibi & feminae adultiores tutelae ſubſunt 729
ibi heredis inſtitutio in teſtamento non abſolute neceſſaria 975
id probatur ex iure Hamburg. ib. ſq.
idemque in Belgio obtinet 976
ibi inter bona adquiſita & hereditaria paſſim diſtinguitur 964
ibi non omnibus promiſcue teſtari licet 948
Germaniae *Reges vbi inaugurandi per Aur. Bull.* I. 766
ei quando vnita Lotharingia? 757
Germaniae *veteris mores fere exoleuerunt* I. 232
Germanicas *leges qui ediderint?* I. 598
Germanici *iuris ſtudium commendatur* I. pag. 582
Germanvs: *de eius libro iudicium* I. 38
Germon (Bartholomaeus) *diplomatum fidem impugnat* I. 79
Gibeonitae *veſtium vetuſtate Ioſuae illudunt* I. 30
Giro *quid vocetur in negotio collybiſtico?* I. 447
Gladii *cuiuſdam inſcriptio ſuppoſititia* I. 83. 84
Gladium *praeferendi ius cur ſibi vindicarit Dux Brabantiae in coronatione Imperatoris?* I. 772. ſq.
item Dux Iuliacenſis? ib.
cur Pontificii eum adſcribant Petro & reliquis Apoſtolis? 49
quaenam inde iura Clero vindicent Canoniſtae? 50
eum inter inſignia Apoſtolorum referunt ibid.
eum praeferendi iure gaudet Elector Sax. 772
Gloſſatores *excogitarunt priuilegium, quod habent mercatorum libri.* I. 553. 558. ſq.
Goeddaei (Io.) *de occaſione Legis CXX. D. de V. S. ſententia* I. 490
Gorgiae *Leontini faſtus* I. 114
Goslarienſes *leges municipales,* II. 17
eaedem citatae, 57
Gothofredi (*Iac.*) *verba de interpretatione iuridica* I. 492
Graeca *linguâ ſcriptum legatum cur non valuerit?* I. 512
Graecae *litterae olim cum latinis eiuſdem figurae* I. 87
Graecae *feminae an ſine tutore in ius vocari potuerint?* I. 828
quomodo citatae? ib.

Graeci *quid vocent iuſiurandum voluntarium?* I. pag. 637
quid neceſſarium & iudiciale? ib.
quonam genere veſtium vſi? 3
ii celebrabant ἀνδρῶν κουρεῖς 590
Graecorum *cura pro pupillis in conſtituendis tutoribus* I. 717
ipſis tutela legitima agnatorum ſuſpecta videbatur ib.
GREGORIVS M. *veſtitus ſacri leges vbique obſeruatas vult* I. 18
GREGORIVS Turonenſis & Iſidorus *nugarum amatores* I. 35
GROTII *locus de Apoſtolorum gladiis* I. 50
Guelphorum & Gibellinorum *factiones* I. 750
GVIDO PANCIROLVS *refutatur* I. 813

H.

HAbitus *Clericalis an prudentiae regulis & decoro aduerſetur?* I. pag. 10
Habitus *ſacri nouitatem agnoſcunt Pontificii cordatiores* I. 12
Habitus *philoſophicus non erat ſacerdotalis* I. 15
Habitus *Archiepiſcopalis & Epiſcopalis reſtringitur in Concilio Monſpelienſi* I. 20
Habitus *philoſophicus indecorus habetur a Clero* I. 19
Habitus *meretricius in quo conſtiterit?* I. 290
Habitus *Ariſtidis priſtinus quid?* I. 8
Habitus *ſacerdotalis vbi primum inualeſcere coeperit?* I. 14
is Pontificiis non indifferens 12
eiuſdem antiquitas 20
Habitus *a Pontificiis ab Apoſtolorum aeuo deriuatur* I. pag. 20
Habitus *ſacer Noui Teſtamenti* I. 22
Habitus *Cypriani, in quo ad ſupplicium ductus, deſcribitur* ibid.
Habitus *Sacerdotalis antiquus an in numo Theodoſii quaerendus?* I. 71
Haec, vti in his ceris ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor &c. *formula teſtandi vet. Rom.* I. 424
Haereſes *vnde ortae?* I. 222
Halenſ. *ICtorum reſponſum in cauſſa mercatoris a mercatore bonis euerſo pecuniae ſummam ex litteris priuatis petentis* I. 565
Hamburgenſes *quid circa inſignia nauium ſtatuerint?* I. 355
Hamburgi *aeque breuis eſt immobilium praeſcriptio ac Lubecae* I. 910
ibi vir ad defendendam vxorem in iudicio inuitus obſtringitur 873
idem obtinet Lubecae ib.
an ibi ex praeſcripto iur. communis teſtari liceat? 969
ibi indoſſamentum inſcio debitore factum vitioſum eſt 480
Hand muſs Hand wahren: *paroemia in iure Lubec. recepta* I. 913
Handwercke: ehrliche und zünfftige, *Germanis ſynonyma* I. 413
HARDVINI (Io.) *de antiquis auctoribus ſententia* I. 79
eiuſdem ſententia de anno Herodis XLII. reiicitur 90
Harmonia *Euangeliorum vbi reperta?* I. 98
Haſtae *iudicium quid?* I. 273
Hebraei *terram maritimam non colebant* I. 538
an mercaturam exercuerint? ib. ſq.
quid ap. eos circa praeſcript. rer. mob.

mob. iuris fuerit, incertum I. pag. 887.
Hebraei: *de eorum lege agraria quis egerit?* ibid.
an in cauſſis capitalibus confeſſum condemnarint? 669. 676
ii in nulla cauſſa teſtem ſingularem admittebant 669
Hebraei *cur viduas Deo curae eſſe putarint?* I. 822
an pupillis tutoribus proſpexerint? 716
quibus conditionibus eis permiſſa fuerit teſtamentifactio? 938
eorum teſtamentifactio an ex verbis Ieſaiae elici poſſit? ib.
Hebraeorum *iudices qua poteſtate functi, & quibus nominibus dici potuiſſent.* II. 252
Hebraismis *Vlpianum non vſum eſſe oſtenditur* I. 710. ſq.
in eius ſtilo multi notantur 708
Hegesippvs *de pallio Iacobi allegatus* I. 54
is multa commenta tradit ib. & 62
quid per lineam Iacobi *intelligat?* 64
Henrici V. *diploma cur non genuinum videatur?* 407
Henrici *Comitis Palatini Lotharingiae ſtemma genealogicum* I. 762
Henricvs Auceps *vrbium per Saxoniam conditor* I. 406
ſub eo alia eſſe coepit oppidanorum conditio ib.
Henricvs Furioſus *primarius Comes Lotharing. conſtitutus ab Henrico IV.* I. 762
Heraclas *quando vixerit?* I. 15
exemplum eius oſtendit, Presbyteros nullo peculiari veſte a plebe diſcrepaſſe I. pag. 15
Herbam *Nicotianam an hoſtibus ſubminiſtrare liceat?* I. 329
Herculeus *morbus comitiorum olim impedimentum* I. 422
Heredes *ſui quinam?* I. 265
Heredes *plures inſtituere licet iure Rom.* I. 976
in Germania paſſim ne vnus quidem inſtitui poteſt 976
huius rei exempla ib.
Heredes *cur iure antiquo non potuerint inſtitui collegia?* I. 401
Heredes *ab inteſtato extantes paſſim teſtamentifactionem impediunt in Germania* I. 957. ſq.
quo caſu eos de credulitate iurare poſſe putent Pragmatici? 645
Heredi *in iuſta ignorantia verſanti an detur reſtitutio in integrum aduerſus praeſcriptionem iur. Lubecenſ.?* I. 918
Heredis *inſtitutio in teſtamento abeſſe poteſt iure Germ.* I. 975
vnde id probetur? ib.
idem in Belgio obtinet 976
haec caput ac fundamentum teſtamenti iure Rom. 974
hac omiſſa an legata eo relicta ſubſiſtant? ib.
haec in diem iure Rom. fieri non poterat 511
Hereditaria *bona immobilia iure Lubecenſi heredibus ab inteſtato relinquenda ſunt* I. 963
quid de reliquis iſtud ius diſponat? ibid.
Hereditas *luctuoſa: ad eam vocatur mulier ingenua ex SC. Tertulliano*

no I. pag. 837
Heres *an praelegatum accipere poſſit?* I. 510
Heres *ex aſſe quis?* ib.
HERODES M. *quantum temporis inter eius obitum & imperium Antipae intercеſſerit?* I. 91
annus eius emortualis ib.
quantum temporis effluxerit inter eius mortem & natalem Chriſti? 92
HERODIS *Antipae numus deſcribitur & νοθείας abſoluitur* I. 87
quando is regnare coeperit? 88
portio eius ex teſtamento patris ib.
is priores patris tabulas poſterioribus praeferri vult ib.
Hetruria: *quando ibi teſtamenta innotuerint?* I. 508
Heurematica *iurisprudentia quid?* I. 787
Hiberni *baculum a Ieſu geſtatum falſo credunt, & ſancte cuſtodiunt.* I. 46
Hierocles *quis?* I. 207
ſcripſit commentarium in aurea Pythagorae carmina ib.
eius philoſophia ib. ſq.
Hieromartyres: *ab eorum imaginibus non concludendum ad veſtes Apoſtolorum* I. 16
Hieronymi *teſtimonium de Romanorum proteruia, & an recte explicetur a Baronio?* I. 5
HIPPOLYTVS *pallio philoſophico indutus vbi conſpiciatur?* I. 17
cur hic habitus pro Clericali haberi non poſſit? ib.
HISPALAE *Fecenniae tutoris optio data a Senatu* I. 833
Hiſpani *in explicandis numis prae reliquis ineptiunt, quod exemplo oſtenditur* I. pag. 80
Hiſpania *Sueuorum, Vandalorum, Viſigothorumque olim ſedes* I. 864
Hiſtrio *ne quis habitu ſacro vtatur, ſancit Iuſtinianus Imp.* I. 19
Homines *reſpectu morum ad quatuor claſſes referri poſſunt* I. 150
quid ratione Formae prae brutis habeant? 132
Homines *diuerſi iuris qui?* I. 279
Hominum *ordines quot apud veteres Germanos?* I. 405.
Homo *proprius. in eius vindicatione obtinet praeſcriptio annalis iure Lubecenſi* I. 893
Hoſtes *apud Romanos dicebantur peregrini* I. 888
aduerſus eos erat perpetua auctoritas ibid.
quid de commercio cum illis? II. 98
Hoſti *vtrum merces ſint deſtinatae, nec ne, vnde iudicetur?* I. 352
Hoſti *deditioni proximo neceſſaria ſufficientes quomodo puniantur?* I. 336
Hoſtilium *nauium ſigna quaenam?* I. 355
Hoſtium *proprias eſſe merces, vnde pateat?* I. 354
HOTOMANVS (Franc.) *quid conqueratur de teſtamentifactione in Germania?* I. 947
Hunc ego hominem liberum eſſe volo: *Formula manumiſſ. vet. Rom.* I. 423. ſq.
Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio &c. *Formula in emancipationibus adhibita* I. 424

Hypothecaria *actio quo caſu annali praeſcriptione excludatur ſecundum ius Lubec.* I. 911

I.

IACOBI *tres an ſtatuendi?* I. p.57
Patrum teſtimonia huc nihil faciunt 58
IACOBI *minoris, Hieroſolym. Eccleſ. Epiſcopi, indumenta ſacra* I. 51
ei lineam veſtem adſcribit Euſebius 52
auctorum teſtimonia de eius indumentis 53. ſq.
is cur ſacerdos eſſe non potuerit? 56. & 60
eius Familia 57. ſq.
IACOBVS *Frater Domini vtrum ab Alphaei filio diſtinguendus?* I.59.ſq.
is Domini nec germanus, nec vterinus, nec conſanguineus dici poteſt, 58
dum ad παλαιὰν ἱερωσύνην adſpiraſſe dicitur, quomodo id intelligendum? 61
is Sancta Sanctorum non ingreſſus I. 59.ſq.
an fuerit iuuenis relicta ſindone aufugiens? 62
is inſignem ſapientiae ſtultitiaeque characterem inculcat 124
IAMBLICHVS *an Platonicis philoſophis accenſendus?* I. 208
variorum de eo iudicia, ib. ſq.
ſtricturae Chriſtianiſmi in eius operibus obuiae quid? 209
IANVS A COSTA *putat confeſſionem reorum non niſi verbis & litteris fieri poſſe* I. 683
IAVOLENVS (Priſcus) *Ictus* I. p.810
is iniuria dubiae ſanitatis homo *dicitur.* ib.
eius Fragmenta in pandectis reperiuntur ib.
IESVS *an baculum vmquam geſtarit?* I. 44
I, lictor, colliga manus: *Formula haec explicatur* I. 431
Illationem *dotis an mulier iureiurando probare poſſit?* I. 653
Illegitimorum *in bonis an vſusfructus competat matri?* I. 587. ſq.
Illuſtris *femina an curatoris conſenſu in contrahendo indigeat?* I. 874
ἱμάτιον *quid?* I. 30. ſq.
Imitatio *ad eam valde procliues ſunt homines* I. 137
Immobilibus *aequiparantur reditus* (Renten) *iure Lubecenſi* I. 874
Immunitates *collegiorum* I. 402
earum cauſſae 403
Imperatores *collegiis in Germania inſtitutis maxime aduerſabantur* I. 409
id quod patet exemplo Friderici II. & aliis pluribus 378. 410
Imperatoribus *in inauguratione cura pupillorum commendata* I. 724
huius rei exempla ib.
Imperium *priuatum quid?* II. 234
publicum? 236
an ſit idem ac iuriſdictio? 240
Quid Imperium, & quid inter merum mixtumque interſit, 243. ſq.
Imperium *domeſticum an locari potuerit?* II. 244
Imperium *publicum locari non potuit.* II. 246

Implere *in iure ſaepe idem eſt ac probare* I. pag. 642
Impudentia: *de ea duo inter ſe certant apud Ariſtophanem* I. 687
Incedere *an purioris latinitatis vocabulum?* I. 136
Inceſſus: *ex eo diiudicare mores, omnium optime ſciebat Pythagoras* I. 143
itemque Auguſtus 144. ſq.
Gregorius Nazianzenus 145
nec non Ambroſius, Mediolanenſis Epiſcopus 147
Inceſſus, *animi index non poſtremus* I. 133
auctorum teſtimonia ib.
de eo paucis, nec cum cura actum 134
quid per eum intelligatur? 136
quaenam ex eo propenſionum ſigna petenda? 138
an ex eo certo, an probabiliter iudicandum ib.
eum ſignum morum eſſe, ex phyſicis demonſtrari poteſt, prout fecit Borellus 139
eius cauſſa ib.
eius varietas vnde? 140. ſq.
is affectibus potiſſimum mutatur 141
Sanguineorum, Melancholicorum, Cholericorum, Phlegmaticorum 157
virtute praeditorum 175
de eo regulae 157. ſq.
eius ſtatus ſingulos propriis vocabulis exprimunt Graeci 137
ex naturali tantum de hominum moribus iudicandum ib.
aliorum ſaepe mutatur ib.
Inceſſus *diuerſitas inter integras gentes* I. pag. 142
Hiſpanorum ib.
Gallorum, Hungarorum, 143
de eo Phyſiognomonum regulae 157
Indiuidua *confeſſio: quid de ea ſentiendum?* I. 684
Indoſſamentum *vocatur ceſſio, vel mandatum in cambio* I. 446
an recte latine vertatur inductio? ib.
hoc inſcio debitore factum Hamburgi vitioſum 480
hoc an iudaeus Chriſtiano cedere poſſit? 477
hoc a decoctore factum vitioſum eſt 479
hoc vitioſum in bianco 476
Indoſſare *quoties liceat?* I. 479
Indoſſari *an omne cambium poſſit?* I. 476
Indoſſari *an adſignatio poſſit in cambio, & inde actio inſtitui?* I. 473
Indoſſatarius *quo caſu dominus fiat cambialis ſchedulae?* I. 446
Infallibilitatem *Papae in dubium vocauit Semeca, Praepoſitus Halberſtadienſ.* I. 750
Infamia *notantur a Praetore pacti ſuper delicto priuato* I. 702
Infamis *perſona: ea inſtituta herede fratres & ſorores legitimam petere poſſunt iure Germ.* I. 97
Infantia *maiores quo caſu infantibus comparentur?* I. 680
Inficiando *lis quibus cauſſis creſcat iure Rom.?* I. 686
Ingenua *ius trium liberorum habens ex SC. Tertulliano ad luctuoſam*

hereditatem vocatur I. pag. 836. ſq.
Ingenuis *quando licuerit libertinas ducere?* I. 283
an omnibus id fuerit indultum? ib. ſq.
Iniurato *cuinam credendum putarint Athenienſes?* I. 645
Iniuria *Chriſtianae religioni illata a quibuſnam vindicetur?* I. 2
Iniuriarum *patientia commendatur a Seruatore?* I. 31
earum actio Lubecae intra tres dies exſpirat 890
INNOCENTII PP. III. Epiſtolae, *in quibus de baculo Petri loquitur* I. 41
Inofficioſi *querela: quo caſu ab hac ad illam de inoſſicioſa donatione & dote liceat argumentari?* I. 297
quibuſnam detur? 267
haec iudicium centumuirale vocabatur κατ' ἐξοχὴν ib.
cur eo colore inſtituenda, quaſi turbatae mentis fuiſſent parentes? 270
quando ea ad Fratres & alias perſonas fuerit porrecta? 272. ſq.
Inopia *probationum quando eſſe cenſeatur?* I. 648.
ſignificationem huius vocis quis obſeruarit? ib.
an idem ac probatio ſemiplena? ibid.
Inſcriptio *in gladio Conſtantini M. ſuppoſititia* I. 83. ſq.
Inſcriptio *Spoletana eiuſdem notae* I. 85
Inſcriptio *legis ab interprete numquam negligenda* I. 802
Inſidiae *Polycarpo & aliis ſtructae* I. 13
Inſtitutio *heredis in diem apud Romanos fieri non poterat* I. p. 611
Inſtrumentum *Meklenburgicum torturae genus* I. 691
Inſtrumentis, *ſi ſemiplene probatum, an iuriiurando ſuppletorio locus ſit?* I. 655. ſq.
Interceſſio, Intercedere, *quid apud Romanos?* II. 3
Interdicere: *an ex huius vocis vſu Hebraiſmus Vlpiani pateat?* I. 711
Interloquutio, *quid & quomodo Graecis?* II. 12
Interpretationis *iuridicae myſterium* I. 492
Iac. Gothofredi verba huc ſpectant ibid.
Intertiare *ſtilo vet. iuris Germ. idem ac* ſequeſtrare I. 908.
Inteſtabilis & deteſtabilis: *vocabula haec promiſcue vſurpantur a veteribus* I. 281
Inuentarium *an mater vſufructuaria conficere teneatur?* I. 618
Inuocatio *nominis Diuini in cambiis ſuperuacua* I. 454
IOANNES Apoſtolus *tunicam ſuam Ariſtodemo dediſſe fertur* I. 32
an is bracteas in fronte geſtauerit? 65. ſq.
an epiſcopalem mitram geſtauerit? 68
IOANNES & Philippus *an conſpiciantur in Numo Theodoſii?* I. 73
IOSEPHI *teſtimonium de anno emortuali Herodis M. cum Iudaeorum hypotheſi conſpirat* I. 92
ISIDORI *locus an tutelam Romanorum confirmet?* I. 840
ISIDORVS *fidem non meretur in probatione ſua de tonſura Petri* I. 37. ſq.

Isidorvs Mercator: *ex eo variae epiſtolae decretales deſumtae* I. p. 21
Italiam (in) *pellecti Langobardi* I. 323
Italica *ſtatuta continent priuilegium codicum mercatorum* I. 558
Italorum *commercia longe lateque ſe extendebant medio aeuo* I. 560
ii priuilegium libris mercatorum tributum in Germaniam inferunt ibid.
Ite in ſuffragia *&c. Formula haec quando apud Romanos adhibita fuerit?* I. 422
Itinera *literaria ciuium*, II. 163. ſq.
Iudaei *in ſupremo Imperii dicaſterio admittuntur ad iusiurandum ſupplet. aduerſus Chriſtianos* I. 657
eorum libri an comparandi libris decoctorum? 576
an eis contra Chriſtianos deferri poſſit iusiurandum ſuppletorium? 657
eorum collegia heredes inſtitui nequeunt 402
Iudaei *an Chriſtianis cedere poſſint indoſſamentum?* I. 478
eorum auctoritas in tempore mortis Herodis M. deſignando valet 91
ii mancipia Chriſtiana comparare prohibentur 325
ii ad diem VII. menſis Casleu Synagogae ſupplicationem indicunt 91
eorum collegiorum Fata 390
eorum contemtus ob ſingularem habitum 4
eorum veſtes ad religionem pertinebant 30
Iudaeorum *libertinorum vltra quatuor mille Romae habitaſſe, refert Tacitus* I. pag. 390
Iudaeorum *nomine veniunt Chriſtiani* I. 201
Iudex *quando iusiurandum decernere poſſit?* I. 647
quando torturam? 692
Conſtitutio Carolina quid ea de re diſponat? 693
ad eius religionem pertinet ne perire quidem volentes innoxios damnare 677
eius periurium, quo rei confeſſionem, ſpe impunitatis falſo oſtenſa elicuit, an excuſandum? 690
Iudex: *An cauſſa a ſuperiore iudice pro lubitu auocari poſſit?* II. 331
Iudices *quales olim eſſe oportuerit?* I. 789
viri boni *adpellati* ibid.
Iudices *ſuccumbentiam, deficiente lege vel conſuetudine, exigere non poſſunt*, II. 19
niſi priuilegium impetrauerint, 20
Iudices *Hebraeorum, Carthaginen. & Rom. quomodo dicti?* II. 252
Iudices *hodie non ſeliguntur, ſed ſumuntur*, II. 272
Iudicia *publica Athenienſium* I. 677
Iudicia *mercatoria & nautica adhibent Principes ad libertatem commerciorum tuendam.* II. 117
Iudicium *lubricum Feminarum* I. 820. ſq.
Iudicium. *De Dominis ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus*, II. 305. ſq.
Vide Dominus, Subditus, Iudex, Iuſtitiarius.

Iudicum *Romanorum religio laudatur a Tertulliano* I. pag. 694
Iuliacenſis Dux, *quo fundamento ſibi adſeruerit ius gladium praeferendi?* I. 772
IVLIANVS (Saluius) *vnde deriuandus?* I. 800
quando floruerit, edictumque perpetuum compilarit? 804
eius ſtemma genealogicum Reineſiano accuratius exhibetur 803
laudatur a Spartiano 801
eius patria 799
eius praeceptor, elogia & diſcipuli 810. 811
ex eius fragmentis patet, eum Stoicae philoſophiae fuiſſe addictum 807
eiuſdem deciſiones in iure Rom. obuiae 809
cenſor eius acerrimus Vlpius Marcellus ibid.
is amicus *vocatur a Marco & Lucio, Imperatoribus* 804. 812
is latinarum Graecarumque litterarum peritiſſimus 805
in Fragmentis eius multa antiquitatis veſtigia occurrunt 806
is Soriten accuratius definiuit ib.
Proculeianae Sectae perperam eum adſcribit Hugo Donellus 811
eius obſeruatio de quinque infantibus vno partu fuſis 807
eius mors, & vbi ſepultus? 814
Filius eiusdem nominis ib.
nepos eius cur a Commodo necatus? ibid.
eius opera 816. ſq.
Iuramentum *quae cauſſae reſpuant?* I. 658
eas oſtenderunt in primis Seraphinus a Seraphinis & Berlichius ibid.
Iurans *in ſupplementum teſtis fit in propria cauſſa* I. pag. 644
Iurantem *qualem eſſe deceat?* I. 658.
Iurare *manu ſexta ſeptima quid?* I. 631
Iurare *an de credulitate poſſit?* I. 656
Iure *communi an in cauſſis criminalibus in contumaciam poena decernatur?* I. 705
Iure *Colonienſi quomodo teſtari oporteat?* 969
Iureconſulti *nomen maius, quam vulgo creditur eſſe, oſtenditur* I. 536
eius officium duabus partibus abſoluitur ib.
Iureconſulti *quinam laudentur a Cicerone?* I. 423
eorum doctrina Reformationi praeluſit 752
ICtorum *ſemidoctorum numerus cur hodie tam magnus?* I. 540
quanam re potiſſimum ſe prodant? 539
ICtos *veteres ſaepe in medium conſulere iubebant Principes* I. 812
illorum moderatio erga diſſentientes ib.
Iureiurando *an mulier illationem dotis probare poſſit?* I. 653
Iuri *Rom. nimium a multis ſtatuitur pretium* I. 539
Iuris *ignorantia quibus caſibus noceat?* I. 927
Iuris *Rom. & Lubecenſ. in praeſcript. bon. vac. differentiae* I. 915
Romani & Longobardici diſcrimen

men ratione tutelae maritalis I. pag. 854
Iuris *Sueuici & Saxonici ſimilitudo in eadem tutela* 859
Prouin. Saxon. locus inſignis de eadem materia 857
Iuris *diuerſi homines qui ?* I. 297
Iurisdictio *an fuerit Germanorum in ſeruos poteſtas ?* I. 249
quotuplex ib.
quibusnam demandata apud Germanos ? ib.
patrimonialis cur ita dicta ? 251
ea deſcribitur 235
circumſepta 253
germanicae a Rom. diſcrimen 232
academica ad quamnam ſpeciem iurisdictionis referenda ? 233
Statuum imperii perperam pro patrimoniali venditatur ib.
qualis conceſſa, ex formulis, litteris inueſtiturae inſertis, iudicandum 234
omnis apud Romanos erat perſonalis 235
in Anglia nulla eſt hereditaria 236 ſq.
baſſa quid ? 732
patrimonialis, iure Rom. incognita 235
quando in Germania innoteſcere coeperit ? 237
non ſolum ibi vſu recepta eſt 236 ſq.
Hertii & Conringii *argumenta de eius origine examinantur* 238 ſq.
Iurisdictionis *extraordinariae erat tutoris datio apud Rom.* I. 720
Iuriſdictio. *An locatio conductio iuriſdictionis ex principiis iuris Rom. ſit licita ?* II. pag. 222
Quid iuriſdictio ſecundum Duarenum ? 224. *& alios,* 226
Iuriſdictionis *definitio Cuiaciana,* II. 228
Obiectiones & vindiciae, ibid. 229. 232
Quid iuriſdictio priuata ? 234
quid publica ? 236
Imperium an idem ac iuriſdictio, 240
An locari potuerit iuriſdictio & imperium domeſticum ? 244
Publica iuriſdictio & imperium locari non potuerunt, quod probatur ex ipſa eorum indole, 246. *& ex natura dignitatum ac magiſtratuum,* 247
Iuriſdictio *non potuit mandari nec locari,* II. 249
Illa apud pleraſque gentes non niſi regibus, ſummis magiſtratibus, ipſique populo competiit, 251
Idque & apud veteres Germanos obtinuit, 253
Cur mutatio paullatim facta ſit iuriſdictionis Germanicae, 255
Hodie locari poteſt, 258. *tum vna cum praedio, tum ſeorſum,* 259. *ſiue in longum, ſiue in breue tempus,* 260
an etiam quae non eſt fructuoſa ? 262
an & criminalis, extraordinaria & voluntaria, 263
Quis eam poſſit locare ? An & conductor eam alii ſublocare

poſſit; II. pag. 264
Iuriſdictio: *Quis eam recte conducat?* II. 265
Obligatio locatoris, 267. & *conductoris*, 270
Vide Locatio.
Iuriſdictio *Fonceria*, *ſeu Fundalis*, *ſeu Praediaria*, *ſeu Solaria*, II. 311
Iuriſdictio *contentioſa*, II. 315
Iurisprudentia *Romanis olim propria* I. 780
Iurisprudentia *Formularia Romanorum a viris ſapientiſſimis inuenta* I. 420
cur ea plerisque hodie videatur ridicula? 427
ad eam ridentium obiectiones reſpondetur 429 ſqq.
Iuriſprudentia *heurematica quid?* I. 787
ei nauaturos operam quomodo praeparatos eſſe deceat? 541
ea quomodo differat a Politica? 749
Ius *adminiſtrandi tutelam quando incipiat?* I. 736
Ius *Albinagii quid?* I. 960
Ius *Canonicum quid circa merces vetitas ſtatuat* I. 327
Ius *Lubecenſe à ciuili in praeſcriptionis potiſſimum termino diſcrepat* I. 890
Ius *Ciuitatis intra quodnam tempus recuperandum iure Lubecenſi?* ib.
Ius *Gentium quomodo differat a ciu. in eadem materia?* I. 885
Ius *Germanicum non negligendum eſſe oſtenditur* I. 581
quasnam merces vetitis adnumeret? 330
Veteris eiusdem iuris effectus quidam tutelae maritalis ſuperſunt etiam iis locis, vbi ius Rom. introductum I. pag. 880
Ius *Geranii* (Das Krahnen-Recht) *quid?* I. 335
Ius Hageſtolziatus *quid?* 960
Ius *Hamburgenſe an diſtinguat inter bona mobilia & immobilia in materia teſtamentifactionis?* I. 963
quid Bremenſe, Dithmarſicum & Mindenſe in eodem iuris capite? 965
Ius *Lubecenſe res mobiles aeque ac immobiles anno praeſcribit* I. 905
in materia praeſcriptionis bon. vac. ſequitur principia iur. Germ. antiqui 916
id quod demonſtratur ex iure Longobardico & Alamannico ib.
quomodo differat a communi iure in praeſcriptione rerum mobilium & immobilium 904. 907. 908
deſumtum ex Suſatenſi iure 892
ex eo periocha interpretatur 900. ſq.
eiusdem aequitas 882
Ius περιβκλεύσεως *tribus competebat in regno Lotharingiae* I. 767
Ius *Quiritium nauem fabricantibus conceſſum a Claudio* I. 340
Ius *Recadentiae* (Das Rückfalls-Recht) *quid? & vbi vigeat?* I. 959
id teſtamento peruerti non poteſt ib.
Ius *Romanum in Germania receptum, alibi tutelam maritalem excluſit*, 868. *alibi mutauit in curam* I. 870

id alibi mutauit in curam p.870
id priſcis olim Germanis inuiſum 230
id apud Germanos in ſubſidium modo receptum 231
an ignoret iuramentum de credulitate? 645
Ius *Saxonicum quid diſponat de praeſcriptione immobilium?* I. 909
quid Belgicum? ib.
Ius *Stapulae quid?* I. 334
Ius *Sueuicum quid praecipiat eis, qui teſtari volunt, & heredes ab inteſtato habent?* I. 958
an exinde colligendum, extantibus cognatis extraneos heredes inſtitui non poſſe? ib.
Ius *teſtandi ante Romam conditam in Italia viguit* I. 508
Ius *vitae & necis in ſeruos Germanis aeque competebat ac Romanis* I.245
quis illud dederit Romanis in liberos? 583
Ius regnandi gratia violare, *ait Caeſar.* I. 634
Ius *Principis circa Commerciorum libertatem tuendam*, Exerc. XXX. per totam. II. 79
Ius *Principis circa ciuium ſtudia*, Exerc. XXXI. per totam, II. 133
quod ius fluit ex natura & fine ſocietatis ciuilis, 143
Idem ius exigunt ſingularum rerumpublicarum formae, 144
nec non ipſa ſtudiorum ratio, 146
Hoc ius conſiſtit 1°. *in ingeniorum delectu*, 150
2°. *circa ſcholas & academias*, 158
3°. *circa reliquas ſocietates litterarias*, II. pag. 162
4°. *circa itineraria ciuium*, 163
5°. *circa ſtipendia literaria & praemia diligentiae*, 166
6°. *circa explorandos ciuium profectus*, 167
7°. *circa ſocietates ad artes mechanicas pertinentes*, 168
8°. *circa docendi diſcendique rationem praeſcribendam*, 170
9°. *circa impedimenta quae artium incrementis obſtant, remouenda*, 173
Ius *delectum ingeniorum habendi*, II. 150. ſq.
eius abuſus, 155
Vide Princeps, Studia ciuium.
Ius *Rom. Quid illud de venditione fructuum futurorum?* II. 294
quid ius Germ. vetus? 296
quid nouum? 297
eius iuris declaratio per Receſſ. Imp. de an. 1577. 298
Iusiurandum *omnibus gentibus vinculum adſtringendae fidei* I. 630
quomodo vocatum ab Aegyptiis? ibid.
quid Paullo Apoſtolo? 631
quid ICto eiusdem nominis? ib.
eius vſus oſtenditur ib.
id diuiditur in voluntarium, iudiciale & neceſſarium 635 ſq.
Species hae definiuntur, & earum denominationum redditur ratio 636
neceſſarium quomodo ſubdiuidatur a nonnullis? ib.
an tria genera ſint iurisiurandi? ib.
id a muliere in Saxonia ſine curatore

ratore praeſtitum an valeat? I. pag. 875
Iuſiurandum *quando a iudice decerni poſſit?* I. 647
eius frequentia perfidiae humanae indicium 632
elegans Senecae & Aeſchyli de eo iudicium ib.
Iuſiurandum *vniuerſitati delatum a quonam praeſtandum?* I. 657
id de credulitate non praeſidium reperit in iure Rom. 645
id delatum & intra 14 dies non praeſtitum pro deſerto habetur iure Lubecenſ. 890
Iuſiurandum *ſuppletorium an in iure Rom. praeſidium reperiat?* I. 637
eius fundamentum an recte probetur ex fragmento Caii? 646
illud ſex conditionibus deferri poſſe, ſtatuit Mynſingerus 653
ei an locus ſit, ſi per inſtrumentum ſemiplene probatum? 639. 655.
id veterum praxi repugnare, oſtenditur ex Gellio 648. ſq.
itemque ex loco Senecae 650
quid ſit? 637
controuerſia de eo inter Dd. 638
eius vſus in foro magnus 651
in Gallia ſpeciali Regis iuſſu deferendum 652.
id an ſemper petendum? 660. ſq.
id caute deferendum 652
eiusdem tres comites fingunt Canoniſtae ib.
Ivstinianvs *antiquitatis ſtudium commendat* I. 485
is laicis interdicit habitum ſacrum 19
Ivstiniani *mutatio circa praeſcriptionis tempus* I. pag. 888
eius verba de teſtamentis 494
Ivstinvs Martyr: *locus eius de veſtibus Chriſtianorum* I. 3
Iuſtitiarius, *quis?* II. 264
Quid ſi turbulenter & nulliter procedat? 333
An ipſi ſententiam ferre liceat? 334
Ab eius ſententia ſemper locus eſt adpellationi 335.
Vide Dominus, Subditus, Iudex.
Iuuenes *Romani quando ad honores promoti?* I. 792
Ivventivs Celsvs *quando vixerit?* I. 518
eius fata ib.
is perperam vocatur Ivlivs *&* Ivbentivs 519
vnde nomen Ivventii *tulerit?* ibid.
eius laudes ib. ſq.
in philoſophicis Stoicus, in iuridicis Proculeianus 525
eius calliditas in coniuratione aduerſus Domitianum 526
eiuſdem ad honores gradus ib.
is bis Conſul fuit 527
eius in Conſulatu collegae ib.
ſtemma eius exhibetur 520
patris eius merita in iurisprudentiam 521. 522. 523
eius natales & ſtudia 523. ſq.
eius Fragmenta laudantur ob puriorem latinitatem 524
eius philoſophia & profectus in iuriſprudentia 524. ſq.
is quid ſcripſerit? 530. ſq.

IVVENTII σύγχεων quis ? I. pag. 530
quid notatu dignum in eius fragmentis ? 532

K.

KEine Henne fliegt über die Mauer : *paroemia haec vnde orta ?* I. pag. 409
Κυρίοι *cur dicti tutores Graeci?* I. 829

L.

LABEO (Antiſtius) *laudatur* I. 542
quomodo ad iuriſpr. ſtudium ſe praeparrarit ? ib.
400 *volumina ſcripſiſſe fertur* 791
antiquitatum callentiſſimus habitus a Laelio Fel. 495
Lacedaemonii *ab Ariſtotele laudantur ob curam tenerae aetatis ciuium* I. 717
ii ad damnandum tardiſſimi erant 670
ii confeſſos vltro pro iudicatis habebant ibid.
id quod illuſtratur exemplo Pauſaniae ib.
eorum teſtamentifactio liberior, quam Athenienſium erat 941. ſq.
Lacernum *quid?* I. 26
Lacus, *quid de illis circa ſeruitutem?* II. 185
eorum diſcrimen a ſtagnis, 186
dicitur Lacuna magna, 187
eorum diſtinctio in duo genera, ibid.
Lacuum *variae definitiones,* II. p. 203
LAELIVS Felix *ad libros Mucii notauit* I. 489
Lamina *aurea male tributa Iacobo* I. 62
Land. *huius vocabuli varia notio* I. 912
Langobardi : *apud eos ſeruus fugitiuus praeſcriptionem* 30. *annorum domino opponere poterat* I. 895
ii in Italiam pellecti 323
Lângſt Leib : lângſt Gut : *quid ſibi velit haec paroemia ?* I. 602
Lapis *a monachis Romae inuentus ſuperſtitioſe adoratur* I. 80
Lares *permarini* I. 340
eis aedem vouit L. Aemilius ib.
Laſſi *quinam ?* I. 240
Latina *Eccleſia natalem Chriſti aemulatione gentilium conſecraſſe dicitur* I. 92
Laurentia *meretrix a Tertutio heres inſtituta* I. 508
Lectulo *adfixi vbi teſtari prohibeantur ?* I. 951
Legare *vocabulum legislatorium dicitur* I. 493
quid veteribus denotet ? ib.
Legare *olim dicebantur & ii, qui heredem inſtituebant* I. 490. 509. ſq.
Legari *per vindicationem quaenam olim potuerint ?* I. 491
Legari *an omnia poſſint, quae per filiumfamilias & per ſeruos adquirimus ?* ibid.
Legata *relinquendi poteſtas variis legibus circumſcripta* I. 515
Legata caduca *quid erant?* I. 914
Legata *cur dari oportuerit* verbis ciuilibus ? I. 512

Legata-

Legatarius heres in marmore apud *Reineſium*, *quid ſit?* I. pag. 510
Legatarum *rerum dominium quando tranſeat ad legatarium?* I. 491
Legati *vnde nomen acceperint?* I. 493
ii nauibus iniuſte captis mittuntur eas repetituri I. 365
Legati *Procoſ. in prouinciis pupillis de tutoribus proſpiciebant* I. 720
Legationes *adhibent Principes ad libertatem Commerciorum tuendam*, II. 125
Legatum *vindicationis quid?* I. 511
quid damnationis? ib.
quid per praeceptionem? ib.
quid ſinendi modo? ib.
quid caducum? 919
Legatum *imperatiue erat relinquendum* I. 512
Legatum *cur nec falſa cauſſa, nec falſa demonſtratio peremerit?* ib.
id graeca lingua ſcriptum non valebat ib.
Legatum *conditionale filio relictum patri adquiri non poteſt die eius nondum cedente* I. 491
Lege *Decemuirali Pop. Rom. omnem facultatem ſuam νομοθετικὴν in quemlibet patremfamilias transſcripſit* I. 501
Lege *Aelia Sentia manumittendi modus terminatus ab Auguſto* I. 512
Lege *Iul. Pap. Popp. cautum ne quis ſponſam decenni minorem haberet* I. 843
quomodo haec diſpoſitio intelligenda? ib.
Lege *Regia quid populus in principem contulerit?* I. 500
Lege *Atilia quid cautum?* I. 719
Lege *Iulia & Titia quid cautum* I. pag. 719
Lege *Papiria quid?* I. 500
Leges *XII. Tab. a Graecis petiere Romani* I. 264
ſecundum eas fratribus & ſororibus nihil debebatur ex hereditate, ne quidem liberis ib.
eae collegia opificum in vſum reuocant 381
an maximam partem ex iure Attico deſcriptae? 826. ſq.
earum fragmenta qui ſeruarint? 827
eae κατ' ἐξοχὴν leges dictae 667
Leges *ciuiles cuiuſque reip. fini populique genio ſunt attemperandae* I. 548
Leges *Normannicae a quonam dictae?* I. 859
Leges *publicae a Chriſtianis ſeruabantur* I. 2
Leges *Athenienſium quinam auctores explicarint?* I. 827
Leges *Burgundica & Wiſigothica an prorſus ex iure ciu. petitae?* I. 852. ſq.
Leges *Germ. de Re Nummariâ ſaluberrimae.* II. 53
Leges *variae de ſeruitutibus explicatae* II. 183. &c.
Leges, *libertatem commerciorum tuendi modus*, II. 114
Legi *Decemuirali de teſtamentifactione cur additum* SVAE REI? I. 503
de hoc Noodtii ſententia ib.
Legibus *decimariis ſublatis mariti vxoribus vſumfructum bonorum immobilium legare ſolebant* I. 592
Legibus *de ſucceſſione inteſtatorum non niſi noua lege poterat derogari* I. 500

Legibus *veſtiariis cur opus fuerit Clericis Occidentalibus*, I. pag. 19
Legis *XII. Tab. de teſtamentifactione variae lectiones* I. 492. ſq.
ea quomodo ſcripta a Decemuiris? ib.
Legis *CXX. ff. de V. S. inſcriptio & variae lectiones*, I. 486
Legis *Burgundicae verba allegantur* I. 597
Legis *Iul. de Maieſt. quae poena?* I. 396
Legis *actionum inuentores quinam?* I. 434. 504
Legitima *: ad eam fratribus & ſororibus, perſona turpi inſtituta, adimplendam, noua actio inuenta* I. 297
quibus ea debeatur iure Rom.? 970
quibusnam iure Germ. ib.
Legitima *agnatorum tutela Graecis ſuſpecta* I. 717
Legitimi *tutores qui iure Rom.?* I. 733
Legum *Romanarum contemtus* I. 420
in eius cauſſas inquiritur ib.
Legum *Germanicarum editores* I. 598
Legum *multitudo, quid, obſeruante Platone, innuat?* I. 432
Leib an Leib, Gut an Gut: *qualis haec paroemia?* I. 593
Lenae *& lenones ex hereditate nihil capere poterant iure Rom.* I. 285
Leo *Imp. collegia heredes inſtitui poſſe, ſanxit* I. 402
Leuis *notae macula quomodo diſtinguatur a turpitudine?* I. 285
de ea doctrina vulgaris 294
Leuiter *notati quinam?* I. 288. 290
Leuterationes & oberleuterationes, II. 24. 29
Lex *Aelia Sentia* I. pag. 283
Lex *Agraria Hebraeorum quid diſpoſuerit?* I. 939
Lex *Arcadii & Honorii circa inſignia nauium* I. 356
Lex *Atilia quando lata?* I. 719
Ἀξίωσις IX. ff. ad L. Rhodiam de iactu, quid ex ea demonſtretur? 311
Lex *Baiuuariorum quando & a quo compilata?* I. 598
Lex *Falcidia: quid ea cautum?* I. 515
Lex *Iulia de viceſimis hereditatum quid diſponat?* ib.
Lex *Caducaria quid?* ib.
Lex *Langobardica: in ea expreſſiora tutelae maritalis veſtigia occurrunt* I. 854
Lex *Pap. Poppaea ad locupletandum aerarium comparata erat* I. 291
haec quomodo deſcribatur ab Horatio? 282
quando & a quonam lata? ib.
cur Iulia & Papia dicta? ib.
quid ea cautum? ib.
poena ex hac lege 284
Lex *Solonis de tutela nuptarum peruerſa a Sam. Petito* I. 829
Lex *Scribonia quid circa praeſcriptionem ſeruitutum mutarit?* I. 921
Lex *Vectibulici ad prouinciam porrecta* I. 528
Lex *Voconia feminas hereditate excludebat* I. 515
Lex *cum prologo abſurda videtur Senecae* I. 512
Lex 4. *C. de edendo ſemiplenae probationi aduerſatur* I. 643
Lex *vn. C. de Caduc. toll. a Iuſtiniano abolita* I. 515

Lex 27. *C. de inoff. teſt. a Triboniano interpolata* I. pag. 258
longa eidem lacinia adſuta ex L. 3. C. Theodoſ. de inoff. teſt. 259. ſq.
eius explicatio 262
an ea noui quid ſanxerit Conſtantinus M. 264
Lex *I. Cod. de Vet. Numiſm. poteſt. Eius explicatio. Vid.* Diſſert. XXIX. per totam. II. 36. &c.
Liber *magnus magnum malum videbatur* Callimacho I. 928
Liberi *a matre vſufructuaria alendi elocandique* I. 625
ii iure Rom. ratione patris erant res, ratione aliorum perſonae I. 503
ii ritu mancipationis a patre vendebantur ib.
ii poterant vindicari ex iure Quiritium ib.
Liberi *naturales, ſeu ſpurii Romae tribu non mouebantur* I. 299
Liberi *ex rapta procreati ad quem pertinuerint?* I. 853
Liberi *mortuo patre fiebant capita libera iure Rom.* I. 513
Liberi *praecoces an macula laborent?* I. 303
Liberi *Romae adductius regebantur, quam Athenis* I. 509
Liberis *non extantibus quid obtineant vxores ratione hereditatis iure Hamburg.?* I. 613
Libertas *non vna olim omnium* I. 290
Libertas *Commerciorum,* II. 110 *Vide* Commercium.
Libertates *dandi facultas quibuſnam legibus circumſcripta?* I. 515
haec in teſtamento ex XII. Tab. competebat 512
Libertatis *fauor apud omnes gentes maximus* I. 904
Liberti *apud Rom. alii ciues, alii Latini, alii dedititii* I. 242
Liberti *veterum Germanorum aequiparantur hodiernis ruſticis* I. 248
Libertinas *vxores ducere non licebat ante L. Pap. Popp.* I. 282
Libertini *in Germania quinam?* I. 301
iis quo ad ſucceſſionem aequiparantur peregrini a Friderico ib.
Libertorum *apud Germanos conditio* I. 242
Libri *opificum an aeque priuilegiati ac codices mercatorum?* I. 578
Libri *decoctorum quando probent?* I. 567
an creditores ex iis probationem debiti aduerſus tertium petere poſſint? ib.
Libri *publici in Germania ex parte cum tabulis cenſualibus Romanorum comparari poſſunt* I. 925
illorum praeſcriptio ſecundum ius Lubecenſe ib. ſq. *&* *Hamburgenſe* 926.
quando & quamdiu quae in hos libros relata ſunt, impugnari poſſint? ib. ſq.
Libripens *in teſtamentifactione per aes & libram requirebatur* I. 505
Librorum *mercatorum requiſita* I. 561
Licitis *collegiis qui accedere potuerint?* I. 397
Lictores *cur Romae leuiter notati viſi?* I. 301
Linea *feminalia lumbis adſtringebant Orien-*

Orientales I. pag. 30
quomodo vocentur ea Hebraeis & Graecis? ib.
Linea *an de hodierno* Ephod *recte explicetur?* I. 23
Liquamen *ſeu* Garus, *quid?* I. 323. II. 100
Lis *inficiando quibus in cauſſis creſcat iure Rom.?* I. 686
Lites *non oportet eſſe ſempiteras, at cauſſae tamen accuratae cognoſcendae:* II. 2
Litterae S. Viar. *ex iis nouum Sanctum exſculpunt Hiſpani* I. 80
Litterae *Graecae cum latinis olim eiusdem figurae* I. 87
Litterarum *natalitiarum origo* I. 412
Litterarum *Gothicarum origo* I. 84
Litteras *cambiales qui accepit alio loco offerendas quomodo vocetur?* I. 446
Litteratae *veſtes Apoſtolorum* I. 76. ſq.
quaenam litterae in iis conſpiciantur? ibid.
Litteris *cambialibus agnitis, an exceptioni locus?* I. 444
Livius; *quid in eius ſtilo a nonnullis deſideretur?* I. 708
eius locus inſignis explicatur 498 ſq.
Locatio *Conductio Iuriſdictionis. Vid.* Diſſert. XXXIII. per tot. II. 222. &c.
An illa ex principiis iuris Rom. ſit licita? ib.
Locatio *iurisdictionis ex iuris Germ. principiis,* II. 250. ſeqq.
An regulis prudentiae ſatis conueniat haec locatio conductio? 272
Vide Iuriſdictio.
Locatoris *iuriſdictionis obligatio.* II. pag. 267
Vide Iuriſdictio.
Lombardi *& Coracini Iudaeis aequiparati* I. 561
Lombards Hauſſer *quid?* ib.
Longi *temporis praeſcriptio quando a Romanis inuenta?* I. 888
ad quas res ea pertinuerit? ib.
ea ignota iure Lubecenſi 890
Lotharii *I. ſtirpe extincta, Lotharingia inter Germanorum & Francorum Occidentalium conſilia fluctuabat* I. 759
Lotharingia *olim regnum* I. 757
Arnulfus quo iure id acceperit a Carolo Craſſo? ib.
archiducatus 769
Lotharingiae *Palatinatus cur ad ſuperiorem Rhenum migrarit?* I. 765
Lotharingiae *inferioris potentia* I. 771
ex ea nati Ducatus Limburgicus, & Brabantinus 772
eius Regum auctoritas in eligendo Rege Germanorum 766
Lotharingiae *ſuperioris praerogatiuae* I. 773
eius nexus cum Imperio ib.
eius amplitudo & opes 770
ex ea nati primo duo Ducatus ibid.
poſtea plures 770. ſq.
Lotharingiae *Duces cur Marchiſi dicti?* I. 774
eorum tituli & inſignia honoris ibid.
quali archiofficio in coronatione Ottonis I. functi ſint? 769
Lotharingiae *Regni Palatium quodnam?* I. 762

Lotharin-

Lotharingiae *veteris magnitudo & nominis ratio* I. pag. 756
Lotharingiae *nomen cur adſectarit Dux Brabantiae?* I. 772
Lotharingiae *familiae ſplendor* I. 775
ea eiuſdem cum Habsburgica originis ib.
Lotharius *Imp. in fratrum regna imperium adſectauit* I. 758
Lubecae *cur annalis praeſcriptio obtineat?* I. 890
ibi quando exſpiret actio iniuriarum? ib.
ibi quo caſu rata ſint teſtamenta reciproca inter coniuges? 955
Lubecenſe *ius ex Suſatenſi deſumtum* I. 892
eius aequitas 882
Lubecenſes *inter & Danos de commercio lites* I. 317
Lubecenſium *ſtatutorum conditores an ius Rom. ante oculos habuerint?* I. 891
eorum priuilegia I. 899. ſq.
Lvcae, *Euangeliſtae, locus de cenſu* I. 93
an per eius verba : πᾶσαν τὴν οἰκουμένην: ſola Iudaea intelligatur? ib.
quemnam cenſum cum natalibus Chriſti coniungat? 97
eum conciliare ſtudet Baronius cum ſcriptoribus profanis in materia de natiuitate Chriſti 100
Lvdovicvs Pius *Germanis teſtamentifactionem a Car. M. ademtam reſtituiſſe fertur* I. 943
eius verba de tutoribus pupillis conſtituendis 723
Lvdovicvs XIV. *Rex Galliae foedus maritimum cum ciuitatibus Hanſeaticis iniit.* I. pag. 345
Lvdovicvs Germanicus *quasnam prouincias vini cauſſa emerit?* I. 756
Luminum *ſeruitus;* II. 215
Lvpi (Chriſtiani) *coniectura de palliis Epiſcopor. Orient. refutatur* 75. ſeq.
Luſatia *ſuperior : ibi maritus pro vxore poſtulaturus non indiget magiſtratus confirmatione* I. 872
Lycvrgvs *emtionem venditionem rerum fundi plane inhibuiſſe fertur* I. 887
quosnam e rep. proſcripſerit? 539
eius leges circa peregrinationes ciuium & exterorum cum his negotia 317
Lydvs (Io.) *an philoſophus ſemichriſtianus?* I. 212
Lynkervs *an matri vſumfructum in bonis illegitimorum recte adſcribat?* I. 588

M.

Macarivs, *Epiſcopus Hieroſolymitanus, veſte ſacra donatus a Conſtantino M.* I. 17
Macrinvs *Imperator quid imitatus ſit in Marco?* I. 137
Macula *leuis notae : de ea doctrina vulgaris* I. 294
qui hodie ea laborare dicantur? 295
olim latius patebat; quam nunc 296

Maculae *leuis notae effectus* I. p. 297
qui ea laborant ad quaſuis dignitates inhabiles cenſentur ib.
quinam ea notati apud Rom.? 298
ea ab infamia recte diſcernitur ib.
errores Doctorum circa naturam huius maculae ib. ſq.
eius definitio immutanda 300
ea haeret liberis praecocibus 303
quid de effectibus, quos Doctores ei tribuunt, ſentiendum? 304
reſponſum Facultatis Iuriſd. Halenſ. ad quaeſtionem hanc maculam concernentem 305
Maecianvs (Voluſius) *ICtus, Salu. Iul. diſcipulus* I. 811
Magiſtratus *in Germania etiam non rogati tutores conſtituunt* I. 739
eorum tutela ſuperior non ſemper a iuriſdictione promanat. 731
ea Romae ignota initio 718. 720
Magiſtratus *Carthagin. & Rom. quomodo vocabantur,* II. 252
Magiſtratus *domeſtici,* II. 325
Maiorennitas *in Germ. a curatela non ipſo iure liberat.* I. 742
Maioris (Io. Dan.) *de praeſtantia numorum iudicium* 78
Mancipia *Chriſtiana comparare cur Iudaei prohibeantur?* I. 325
Mandati *defectus an poſſit ſuppleri iureiurando?* I. 659
Manichaeorum *origo* I. 224
Manipulus *quid Latinis?* I. 14
quid Pontificiis? ib.
Mann-Recht *quid iure Germanico?* I. 897
Manu ſexta ſeptimaque iurare *quid?* I. 631
Manumiſſio: *ritus in ea obſeruandi* I. p. 423
formula: Hunc ego hominem liberum eſſe volo 424
Marcae *ſigna mercatorum* I. 355
Marchia *Brandenburgica; ibi non obtinet tutela maritalis* I. 868
quo caſu ibi feminae curator detur? 869
Marchiſi *cur dicti Lotharingiae Duces?* I. 774
Marci, *Euangeliſtae, indumenta* I. 75. ſq.
Marci Antonini *libri* εἰς ἑαυτὸν I. 121
is an ſapiens praedicandus, ib.
Marcianvs, *cur & ſub quanam poena Barbaris arma vendi noluerit?* I. 324
Mare, *de eius dominio variae lites* I. 311
auctores de hac materia recenſentur ib. ſeq.
eius dominii effectus 313. 315
Marianvs Scotvs *nihil memorat de reſuſcitatione* Materni I. 43
Maritalis *tutelae effectus in Germ.* I. 865
Mariti *poteſtas in vx. qualis in Saxonia?* I. 874
qualis alibi? 876
eo mortuo quis tutelam viduae conſequatur in Saxonia? I. 857
quomodo hodie vxoris curator fiat in Saxonia? 871
Maritus *an de fructibus dotis diſponere poſſit?* I. 491
ſi de reliquis rebus vxoris diſpoſuerit, & haec res ſuas eſſe contendat, cui incumbat probatio?

batio? I. pag. 491
Maritus *an non aliquando iure Rom. vxoris tutor, vel curator fuerit, quamuis non legitimus?* I. 841
vxoris nomine in Saxonia in iudicio ſine curatorio, vel cautione de rato non admittitur I. 870
Marsilivs Ficinus, *philoſophus ad paganiſmum procliuior* I. 223
eius doctrina de immortalitate animae & pactum cum Mich. Mercato ib.
Marsilivs de Menandrinis *Ludouici Bau. Imp. contra Papam defenſor* I. 750
eius ſtudia ib.
Martyrum *erae inuentores quinam?* I. 82
Masii *diſſertatio commendatur* I. 74
Mater *vſufructuaria liberos alere & elocare tenetur* I. 625
an iure Rom. poteſtate in liberos gaudeat? 587
an in ſpurios? 588
Mater *vſufructuaria ad inuentarium conficiendum tenetur* I. 618
quid in eo recenſendum? 620
Mater, *an filiabus vitam monaſticam electuris dotem debeat?* I. 626
an aes alienum ſoluere teneatur? 623
an omnes fructus percipiat? 616. ſq.
diſpoſitio iur. Lubecenſ. ea de re inconcinna Statuto Hamburgenſi 617
an ea ad cautionem obligetur? 620. ſq.
ICti quinam id negauerint? 621
Mater *an poſſit alienare?* I. p. 621
an vſumfructum teſtamento relictum amittat ob ſecundas nupt.? 593
quo caſu non vtatur fruatur bonis liberorum? 615
quid ſi initio frugalis, ſucceſſu temporis bona abligurire inceperit? ib.
Mater *boni viri arbitratu non vtens fruens, an ſtatim vſufr. priuetur?* I. 597
Materna *poteſtas fundamentum vſusfructus, quo matres gaudent in Germ.* I. 609
Materni *reſuſcitatio inter fabulas referenda* I. 441
eius conditorium vbi oſtendatur? 49
is a Petro Treuirim miſſus 40
mortuus in itinere Petri virga paſtorali ſuſcitatus ib.
Matresfamilias *quaenam vxores dictae?* I. 834
Matri *vſufructuariae an rationes reddere incumbat?* I. 622. ſq.
quo caſu ei conſtituatur vſusfructus iure ciu.? 689. ſq.
Matronae, *oſculis & ſpe futuri matrimonii a iudice ad confeſſionem parricidii adactae exemplum* I. 689
Maximi Tyrii *& aliorum, qui phyſiognomiae nihil tribuunt, argumenta expenduntur* I. 148. ſeq.
Maximiliani I. *contentiones cum Ioanne, Danorum rege* I. 317
Mecklenburgicum *inſtrumentum torturae genus* I. 691
Medeae *querela, quod auri adulterini ſigna dentur, non hominum* I. 131

Menenivs Agrippa *opifices inutiles cenſet reip. Rom.* I. pag. 380
Menſam *argentariam an ſeruus iure Iuſtinianeo exercere potuerit?* I. 555
Mentis *cum corpore arctiſſimum commercium demonſtratur* I. 149
Mercatores *honoribus adficiendos eſſe ſuadet* Xenophon I. 549
eorum aduerſariis an aeque fides habenda ac codicibus eorum? 562
an eorum libris, qui foro ceſſerunt? 564
eorum libros quales eſſe oporteat, ſi probare debeant? 561
eorum collegia duo inſtituta Romae 384
horum vnum Mercuriale, *alterum* Capitolinum *audiebat* ib.
eorum codicibus veterrimo iure credebatur, ſi libri creditorum cum libris debitorum conſpirarent in expenſilatione 554
id quod probatur variis teſtimoniis ib.
an eorum libri ſemiplene probarint, quorum negotiatio publicam cauſſam non habebat? 548
eorum priuilegiis indigni decoctores 550
Mercatura *pluribus gentibus ſuſpecta* I. 547
eam reip. prodeſſe, probatur, & ad obiectiones reſpondetur 548
cur ea priuilegiis opus habeat? 549
quinam de ea ſcripſerint? ib.
feminae eam exercentes, an obligentur ſine curatoris conſenſu in Saxon.? 875
eam multi e rebuſpublicis excluſerunt I. pag. 546
id illuſtratur exemplis Hebraeorum & aliarum gentium ib.
De Mercatura *ſcriptores*, II. 80. ſq.
Merces *vetitae iure Canonico* I. 327
quas ad hoſtes deferre, nefas habeatur, hodie variis conuentionibus explanatum. 328
quarum negotiatio inter ipſos ciues Rom. prohibita? 324
quarumnam negotiatio vetita fuerit iure Rom. ratione exterorum? 322
Merces *illicitae, ſi non a domino, ſed magiſtro nauis naui ſint impoſitae, quid iuris?* I. 344
Merces *licitae naui impoſitae an cum illicitis fiſco cedant?* I. 348
Merces *hoſti deſtinatas eſſe, vnde diiudicetur?* I. 352
eas hoſtium eſſe proprias vnde pateat? 354
earum ſi neglecta profeſſio, an ipſa nauis in commiſſum tollatur? 341
earum iure Germanico vetitarum catalogus 330
Merillivs (Em.) *an recte putet, feminas olim Romae non in ſcriptis teſtari potuiſſe?* I. 954
exempla in contrarium adferuntur ibid.
Methodii *reuelationes ſunt ſuppoſititiae* I. 22
Metroclis *ſententia de ſolida eruditione comparanda* I. 541
Micheas (Propheta) *ab eo fit mentio veſtium Iudaeorum* I. 31

Milites *quinam in procinctu eſſe dicti?* I. pag. 498
cur eorum teſtamenta rata habuerit populus tacito ſuffragio? ib.
cur excluſi collegiis? 398
anne tenuioribus quidem accedere potuerint? ib.
eorum priuilegia circa teſtamenta 496
Militia; *in ea non locus erat opificibus, niſi in re trepida* I. 383
Militia *veterum Rom. ſelecta non erat mercenaria* I. 379
Militia *forenſis ad maiora nitentibus olim magno adiumento erat* I. 526
Militiae *emi & vendi poſſunt,* II. 248
MINERVA *cur in Imperatorum numis vocetur* COMES AVG. II. 134
MINICIORVM *ſtemma* I. 815. ſq.
Miniſteriales *Francorum varii generis recenſentur* I. 408.
Minorennes *an poſſint cambiare?* I. 459. ſq.
Minoribus *inuitis curatores dari non poterant* I. 740.
quomodo ad eos petendos adacti? ib.
Minorum *iure gauiſa collegia* I. 401
Miſſam *ſibi reperiiſſe viſus eſt Peireſcius in numis Conſtantini M.* I. 80
Mitrae *Epiſcopalis antiquitas vnde adſeratur a Baronio?* I. 53
ea non ab Apoſtolis deriuanda 69. ſq.
Mobilia *& immobilia ius Lubecenſe vno eodemque tempore praeſcribit* I. 905
MODESTINVS (Herennius) *quis fuit?* I. 709
eius libri ad Mucium 489
MOLINAEVS *refutatus a Deſiderio Heraldo* I. p. 235
Monachi *tonſura ſanctitatis famam ſibi conciliant* I. 19
ii pallium philoſophicum qua occaſione ſumſerint 6
Μονάζοντες *dicti ſunt à Ioſepho Hebraeorum iudices,* II. 252
Moneta: *De eius reductione ad iuſtum pretium,* Exerc. XXVIIII. per totam, II. 36. ſeqq.
De re monetaria decretum a variis circulis editum, 62.
Muntz-Fuſs, *de hac norma, vide ſuo loco.*
Monetae *etymologia,* II. 134
Monetagium *quid in Normannia?* I. 860
Monetarii, II. 54. 56.
Monimenta *antiquiora era Chriſti ſignata ſuppoſititia ſunt* I. 83
Monimentum *Ancyranum cenſus illuſtrat.* I. 95
quid in eo reprehendat Caſaubonus? ibid.
confirmatur a Suetonio 96
Monopolium, *eius origo,* II. 93
Morbus *Herculeus comitia olim vitiabat* I. 422
Mores *veteres Germaniae ſenſim ſenſimque exoleuerunt* I. 232
Mors *corporis. de ea euitanda conſilium iniens Anglus quidam* I. 128
Mortis *cauſſa donatio inter pactum & vltimam voluntatem fluctuat.* I. 878.
Motus *corporis a loco ad locum a mente determinatus quo ordine fiat?* I. 139. ſq.

Mucianae *cautionis inuentor quis ?* I. pag. 487
Mvcivs (Q.) Scaeuola *non confundendus cum illo, cui* Auguris *nomen eſt* I. 486
eius honores ib.
occiſus a Damaſippo quodam 487
quomodo vocatus a Velleio Paterc. & Cic.? ib.
eius domus totius ciuitatis oraculum ib.
inter eius diſcipulos & Cicero erat ib.
is ſcripſit libros XVIII. iur. ciu. ib.
an ſint iidem cum libro ὅρων *?* 488
eius libros commentario illuſtrauerunt Ser. Sulpicius, Laelius Felix & Herennius Modeſtinus 489
is Caii Aquillii Galli praeceptor 783
is laudatur ob inſignem eruditionem 784
Muciorum *ſtemma genealogicum* ib.
Mulier *an iureiurando illationem dotis probare poſſit?* I. 653
Mulier *in Gallia teſtatura auctoritate mariti opus habet* I. 879
Mulier *in poteſtatem mariti redacta capite minuebatur* I. 825
Mulier *ſui iuris, quae non in manum conuenerat, in quorum tutela fuerit?* I. 835
quid ſi filiafamilias eſſet? 836
Mulier *in Saxonia fundum alienare nequit ob vſumfr. marito competentem* I. 874
ei condictionem indeb. concedunt Dd. ſi ſe inconſulto marito obligarit I. pag. 874
Mulieres *in iuſto connubio viuentes, vel in manum conuenerant, vel in matrimonium iure Rom.* I. 834
cur in teſtamentis teſtes eſſe nequeant? 507
Mulieres *Germanicae maritos ſuos, in bello conſtitutos, ſequebantur* I. 609
eae iure Germ. vet. confeſſione ſua ſibi haut nocebant 682
Mulieres *Chriſtianae ſapienter viuebant* I. 193
Mulieres *Atticae nihil, ſiue in iudicio, ſiue extra illud valide agebant, inconſulto tutore* I. 828
teſtimonia auctorum adferuntur ib.
eae legari poterant iure Attico 830
exemplum Demoſthenis vxorem ſuam Aphobo legantis ibid.
earum tutela quando ad Archontem redierit? 831
eae in legitima virorum ſuorum tutela erant 823
Mulierum *ſeruili amore bacchantium poena* I. 291
Mulieres *quae in manum non conuenerant, auctore tutore heredes ſcribere poterant* I. 502
Mulieres *in ſcenam prodeuntes infamia notabantur* I. 287
Mulieres *corpore quaeſtum facientes matronalem habitum deponere cogebantur* I. 289
Mundeburdi *qui apud Francos?* I. 725
Mundium *tutelam ſignificabat vet. Germ. Pop.* ib.
Municipales *quaedam ciuitates in Germania*

mania iure conſtituendi tutores gaudent I. pag. 731
vnde ipſis haec facultas competat ? ibid.
Munimenta, *ad libertatem commerciorum vtilia,* II. 123
Muntz-Fuſs, *norma circa monetam,* II. 66
ea attemperanda auri argentique pretio. 68
Ob diuerſitatem pretii norma haec aliquoties mutata, 73
Qua rite conſtituta cogitandum eſt de ſurrogato, 77
Munz-valuation, II. 55
Landmunzen, Heckemunzen, 54. 61. 74. 77
Muntze brechen, 65
Muſagetes, *quid ſignificet & cuius cognomen fuit,* II. 136. 160
Mutuum: *formulae, quibus ex eo agentes vtebantur Romani* I. 434. ſq.
ex eo conuenti quo caſu creditoribus vincti traditi per leges XII. Tab. 668
MVNSINGERVS *quot conditiones deſideret ad delationem iurisiur. ſupplet. ?* I. 653
quaſnam cauſſas id reſpuere doceat ? 658. ſq.
Myſteria *Chriſtianorum ſacratiſſima* I. 193
Myſterium *an quaeſiuerint antiqui in veſtibus ſacris ?* I. 18

N.

NAITONVS *Pictorum rex; epiſtolae a Ceolfrido, Abbate, ad eum ſcriptae fit mentio* I. 36
is Clericos in coronam tondi iubet I. pag. 36
Naſiraeorum *mores circa tonſuram* I. 37. ſq.
Natalis CHRISTI: *quantum temporis inter eum & obitum Herodis M. interceſſerit ?* I. 92
eum eſſe VIII. Kalend. Ianuarii, ſtatuit Eccleſia Occidentalis ib.
an ex hiſtoria cenſuum, Auguſti & Praeſidum Syriae poſſit illuſtrari ? 93
Natiuitatis CHRISTI *era cur hodienum tam obſcura ?* I. 82. ſq.
Naue *capta an merces licitae vna cum illicitis in commiſſum cadant ?* I. 348
id quidam ex iure Rom. adfirmant. ib.
a nauibus imperantium bellicis, cui praeda cedat ? 356
publicata, an ſcapha eximatur ? 343
fiſco addicta, ſub haſta omnia venduntur 362
quis hoc caſu protimiſeos iure gaudeat ? 363
Nauem *communi nomine qui refecit, eam in ſolidum obtinet* I. 341
ad eam reficiendam qui credidit pecuniam, praelationis iure gaudet ib.
Naues *hoſtium, ſi merces amicorum contineant, quid iuris ?* I. 349
Naues *amicorum, ſi hoſtium mercibus ſint onuſtae, quid tum ?* ib.
Naues *hodie, quamuis magna earum priuilegia, ſaepe ob merces vetitas capiuntur, & pro commiſſo tenentur* I. 342

Naues

Naues *quae reuerentiae ſigna ſibi inuicem hodie exhibent, non ignorarunt Romani* pag. 334
Naues *a fiſco occupatae* Priſen *vocantur* I. 338
hinc loquendi mos : vor gute Priſen erklären 339
Naues *captae an ſtatim in commiſſum cadant ?* I. 360
Naui *impoſitas res hoſtium eſſe, vnde poſſit cognoſci ?* I. 352
Nauibus *iniuſte captis, quomodo procedendum ?* I. 365
Nauium *& nautarum permulta priuilegia in iure Rom.* I. 340
Nauium *pro commiſſo occupatarum pretium an ab adſecuratoribus reſtituendum ?* I. 363
Nauium *hoſtilium ſignum* die Flagge I. 355
Nautica *gens* indomita *dicitur apud Euripid.* I. 360. ſq.
Nazaretha : *ibi non erant ſacerdotes* I. 60
Negotiandi *ius dare ac adimere quibuſdam Princeps poteſt,* II. 92
Negotiatio *qualium mercium iure Rom. vetita fuerit ratione exterorum ?* I. 322
Negotiationis *collybiſticae hodiernae rigor.* I. 444
ea Romanis fuit ignota. ib.
Neratius Marcellus *quomodo* Celſi *collega dici poſſit ?* I. 528
Nerui *mercatores ad ſe excurrere, cur non paſſi ſint ?* I. 547. ſq.
populus ciſrhenanus 315
Niceta Paphlago : *ab eo excogitatum pallium Iacobi* I. 54
Nicotianam *herbam an hoſtibus ſubminiſtrare liceat ?* I. pag. 329
Nimbus *capitibus Imperatorum adpictus* I. 71
Nobiles *Germ. pupillis in pagis ſuis tutores conſtituunt* I. 732
eorum iuriſdictio patrimonialis non a principibus in eos eſt translata 238
Nobilium *Romanorum ſtudia* I. 784. ſq.
Nomen *in delectibus militum ac cenſibus, boni ominis cauſſa primum eloquutum* I. 800
Noodt (Ger.) *laudatus* I. 503
Norisii (Henrici) *merita in ſtudium numiſmaticum* I. 82
Normanni *origine Germani* I. 723
Noui *operis nunciatio iactu lapilli peragebatur* I. 425
Nuditas *hominis velanda ob pudorem naturalem* I. 2
Nullitatis *querela,* II. 22
Nvma *regnum oblatum reſpuens, quomodo ad id ſuſpiciendum fuerit admonitus ?* I. 377
is opificibus quaeſtum permiſit, eorumque collegia inſtituit 371
quot collegia inſtituerit ? 372
quid eum mouerit ad eiuſmodi corpora ſtabilienda ? 377
Numi *Regis* Agrippae *quam plurimi extant, quid in eis conſpiciatur ?* I. 90
Numi *neceſſitas,* II. 37
De Numorum valore conſeruando 39
De Numis Principum non detrectandis, 42
Quinam dicantur diſtrahere Numos ? 43
Poena eorum qui probum numum reiecerint,

reiecerint, II. pag. 47
Numi : *de improbis Numis reiiciendis*, 49
Rom. iudicium de Numorum bonitate, 51
In magnis Imperiis Principum a ſubditis non reiiciendi, 52
An idem in Germania ſeruetur? Leges Germ. de re numaria, 53
Saepe Numi in Germania ad iuſtum pretium reducendi, 55
Numorum emendatio & reductio ad iuſtum pretium requirit morbi cognitionem, 64
Statuenda norma der Muntz-Fuſs *vocata*, 66. *Vide ſupra hanc vocem*
Cur Minerua in Numis Imp. vocetur Comes Aug. 134
De Numi inuentione egregius Salmaſii locus, 279
Vide Moneta.
Numinis *celebratio a ratione non abhorret* I. 202
Numiſmatum *medii aeui delineatores recenſentur* I. 85
Numorum *praeſtantia & auctoritas oſtenditur.* I. 78
eorum vſus in Hiſt. Eccleſ. 80
in eis explicandis ſaepe ineptiunt Pontificii ib. ſq.
in primis Hiſpani & Galli ib. ſq.
Numularii *argentariorum priuilegio gauiſi* I. 556
Numus *Bracteatus* Bernardi, *Ducis Saxoniae* I. 85
Numus *Herodis Antipae deſcribitur* I. 86
νοθείας abſoluitur 87
antiquitas eius patet ex littera L. *pro* Λ. *poſita* I. pag. 87
ex eo demonſtratur auſpicium regni Herodis 88
Numus *Theodoſii non habitum ſacerdotalem, ſed conſularem exhibet* I. 71. 80
Numus *quidam Conſtantini M. ſuppoſititius* I. 84
Nundinae *quibus exercere prohibitae ab Imperatoribus Honorio & Theodoſio?* I. 324
Nuptiae *an patriam poteſtatem finiuerint iure Rom.?* I. 836
de eis nihil cautum Legibus XII. Tab. 433
ritus antiqui, quibus contractae ibid.
Nuptiae *ſecundae Romanis odio dignae* I. 590
Nutus *an ſufficiat ad confeſſionem in criminalibus?* I. 695

O.

OBligatio *correalis qua ratione vitiet cambium?* I. p. 467
Obligatio *cambialis ſolis ex litteris naſcitur* I. 452
Obligationes *& actiones a Iudaeo aduerſus Chriſtianum emere prohibitum* I. 331
Octroyen *quid?* II. 116
Oculatum teſtem plus, quam decem auritos valere, *dicunt Pragmatici* I. 645
Ominis *mali obnunciatio teſtamenta olim irrita faciebat* I. 507
Omophorium *inter Iacobi indumenta a quibuſnam referatur?* I. 53
De Omophorio Nicetae Paphlagonis & Syncelli;

& Syncelli, fabulae I. pag. 65
Ὁμόπλοιαν *Graeci vocabant naues conſociatas* I. 358
Oneris *ferendi ſeruitus*, II. 194
Opifices : *an eorum codicibus priuilegium adplicandum, quod mercatorum libris tributum?* I. 578
ii Francorum temporibus non alii erant, quam ſerui 406
ii ignobiliores habiti apud Aegyptios & Lacedaemonios 369. ſq.
iis quaeſtum permiſit Numa 371.
eorum conditio Romae ſemper parum honorifica fuit 383
quo caſu iis in militia locus? ib.
Opificia : *circa ea magna mutatio accidit Saec. XI.* I. 407
ea addiſcere cur quorumdam opificum filiis nefas fuerit? I. 412
Opificia *olim nulla erant Germanis* I. 405
ea cur olim non permiſſa? 368. 386
Opus *nouum nunciaturis quid factu opus fuerit?* I. 425
Orarium *vox recentior* I. 14
id ferre non oportere miniſtrum, ſtatuit Concil. Laodicenum 18
Ordinatione *politica de an.* 1675. *quid caueatur ratione tutelae?* I. 730
Ordines *ſacri a leuis notae macula laborantibus ſuſcipi nequeunt* I. 296. ſq.
Orientales *tria veſtimenta geſtabant* I. 30
veſtimenta haec recenſentur ib. ſq.
ORIGENES *in Chriſtianae religionis principiis inſtituit* Iuliam *Mammaeam* I. 194
ORIGENIS *teſtimonium non pertinet ad habitum ſacrum noui teſtamenti* I. pag. 22
ὄρος *quid ICtis?* I. 488
Ὡσεὶ : *particulam hanc cum latitudine ſumendam in interpretando Lucae textu, nonnulli putant* I. 103
OTTO M. in *diplomatibus quibusdam ſe Regem Lothārienſium & Francigenum vocat* I. 757. ſq.
OTTONIS *Bauari factum quid probet ratione iurisdictionis patrimonialis?* I. 238

P.

PACII (Iul.) *lectio L. CXX. de Verb. ſign. omnium optima* I. p. 486
Pacta, *ne naues vna cum mercibus fiſco vindicentur* I. 347
qualia Hiſpanorum & Belgarum ib.
it. Gallorum & ciuitatum Hanſeaticarum ib.
Luſitanorum & Belgarum 348
Pacta *ſucceſſoria cur non permiſſa apud Rom.?* I. 500
Pacti *ſuper delicto priuato infamia notantur a Praetore* I. 702
Paedonomon *quem vocarint Spartiani?* I. 717
Paganae *ſuperſtitionis decrementum* I. 192
Pagani *philoſophi qua ratione ad veritatem Chriſtianam peruenerint?* I. 193
Paganos *ſacerdotes quis ad ſemichriſtianam philoſophandi methodum ſit cohorta-*

cohortatus? I. pag. 192
PAGI (Ant.) *induſtria in ſtudio nu-
miſmatico laudatur* I. 82
Palatia *plura olim erant in ſingulis re-
gnis, quae recenſuit Mabillonius*
I. 760
Palatinatus *Lotharingiae cur ad ſu-
periorem Rhenum migrarit?* I. 765
Palatinorum *Comitum ad Rhenum ſe-
des* I. 764
Pallium *linteum* Iacobo *tribuitur ex
cerebro* Hegeſippi I. 62
id ad ἀρχήν *primorum Chriſtia-
norum pertinebat* 8
Pallium *Tertulliani: an recte in eo
quaerant Chriſtianorum habitum?*
I. 6
id veſtis Graecorum 3
cur habitus ſacer *vocetur?* 8
Pallium *philoſophicum: priuatus ob
id ſacerdotio Euſtathius Ep. Seba-
ſtenorum* I. 18
Pallor *non ſemper timiditatis ſignum*
I. 138
Pannorum *genera quaenam prohibita
iure Germ.?* I. 331
Papa *quibus artibus imperium in or-
bem Chriſtianum ſibi vindicauerit?*
I. 748
*eius infallibilitas in dubium vo-
cata a Io. Semeca, Praepoſito
Halberſtadienſi* 750
*cur is a baculo paſtorali abſtinere
dicatur?* 47
origo huius fabulae ib. ſq.
Browеri ea de re argumenta
48 ſeq.
Paraphernalium *bonorum adminiſtra-
tio iure vet. non niſi ex pacto ad
maritum pertinebat* I. 845
Paraphernalium *bonorum vſumfr. igno-
rant iura Rom.* I. pag. 866
Parentum *vitium in quantum liberos
leui nota adſperſerit apud Rom.?*
I. 299
Paroemia: Die Aemter und Zünffte
müſſen ſo reine ſeyn, als wenn
ſie eine Taube geleſen hätte, *vn-
de nata?* I. 412
Parthi *& alii populi perdomiti* I. 7
Partiarius legatarius *quis dicatur?*
I. 510
Paſſeporti *oſtendendi magiſtris na-
uium* I. 345
formula eiuſmodi paſſeporti ib.
Patauinitas *ſtilo Liuii haerere dici-
tur* I. 708
Pater *an liberos exheredare, vel prae-
terire potuerit ap. Rom.?* I. 495
*an ei legatum, filio ſub conditio-
ne, quum annorum 14 factus
fuerit relictum, hocque intra
pubertatem mortuo, adquira-
tur?* 491
Paterfamilias *quiſque apud Romanos
familiae ſuae iudex* I. 495
*is vxori, quae in manum conue-
nerat, teſtamento tutorem re-
cte conſtituebat* 513
quis dicatur in iure Rom.? 501
Patria *poteſtas Rom. an reuiuiſcat iu-
re poſtliminii?* I. 837
haec nuptiis non finiebatur 836
Patrimonialis *iuriſdictio fundo inhae-
rens ad quosuis ſucceſſores tranſit*
I. 233
haec ad ſolos ruſticos pertinet ib.
PAVLVS *Apoſtolus quomodo tonſus fue-
rit?* I. 36
*an ei pallium ſacerdotale recte
tribuatur?*

tribuatur? I. pag. 72
PAVLVS *Ap. quid de eius tonſura ſentiendum?* ib. ſq.
locus eius illuſtratur 513
PAVLVS, *ICtus: locus eius de ſilentio reorum quomodo explicandus?* I. 704
Paupertas *mentis ſoror*, II. 166
PAVSANIAS *ob conſilia de opprimenda patria condemnatus* I. 670
quodnam mortis genus ſubierit? ib.
is interrogatus, cur nefas exiſtimetur Lacedaemone, vllam priſcarum legem refigere, quid reſponderit? 537
Peculia, Caſtrenſe & quaſi Caſtrenſe *ſeparata habebant filiifamilias a rationibus paternis* I. 492
illius origo 585
eis inuentis adqueſtui patris per liberos derogatum ib.
Pecunia *quid in iure denotet?* I. 502
Pecuniam ſcribere & reſcribere, *quid ſit, explicatur* I. 555
Pecuniam *in mare proiiciebat Crates* I. 685
De Pecunia *in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus aliiſque, ſententias impugnantibus deponenda*, Exercit. XXVIII. per totam II. 10. ſeqq.
Conſilium agendi de pecunia ſuccumbentiae, 10
eius origo, ib. ſeqq.
eam, deficiente lege vel conſuetudine, exigere non poſſunt iudices, 19. *niſi impetrato priuilegio*, 20
Ea exigitur tum ab adpellantibus, tum ab alio remedio vtentibus, II. p. 21. ſq.
Pecunia *an a ſingulis deponenda, pluribus ſententiam impugnantibus?* II. 25
quanta deponenda? 29
Victor hanc repetit, 31. & *amittit victus*, 32
Cuinam cedat pecunia illa, ſi pro commiſſa habeatur, 34
Pecuniae *neceſſitas*, II. 37. & *requiſita*, 38
Pecuniariae *cauſſae: in iis ſerui contra dominum interrogari poſſunt per Conſt.* Seueri & Antonini I. 648
Pedibus *nudis, vel ſoleis an Chriſtiani inambularint?* I. 9
Pedorum *ſacerdotalium antiquitas* I. 45
PEIRESCIVS *caſtigatus a* Sponio I. 80
Perduellium *filii nihil ex hereditate capere poſſunt* I. 515
Peregrini *quoad ſucceſſionem aequiparantur libertinis a Friderico* I. 301
ii alicubi in Germ. teſtari prohibentur 960
ii hoſtes *vocantur in antiquitate* 322
Perfidorum & *inquietorum inceſſus* I. 174. ſq.
Peribolaeum *ſumentes condemnat canon, in Synodo Gangrenſi conditus* I. 19
Περιέργων *vſus Chriſtianis diſſuadetur* I. 9
Περισκελή *quid Graecis?* I. 30
Periuria *cur tam frequentia?* I. 633
Periurium *iudicis, quo rei confeſſionem, ſpe impunitatis falſo oſtenſa, elicuit, an excuſandum?* I. 689
Permutatio *pecuniae localis an Romanis*

manis fuerit ignota? I. pag. 443
ea duplici modo fieri poteſt 445
Perſonas *turpes ex hereditate capere vetuit Lex Pap. Poppaea* I. 281
quales iſtae? 284
Πέπλον *an recte explicetur* bractea aurea? I. 66
Petere *tutores quid?* I. 739
cur ipſi pupilli hoc non potuerint? ib.
PETRVS, Apoſtolus, *quonam indumento inceſſerit?* I. 31
quomodo veſtitus fuerit ex mente Pontificiorum? 33
imagini eius corona triplex adpingitur a Io. Palatio ib.
eum tonſum ſiſtunt Pontificii ib.
qua ratione tonſus fuerit? 35
eius tonſura negatur ex duplici fundamento? 38. ſq.
tonſus dicitur in honorem Chriſti;
de eius tonſura auctores 39
ei fruſtra adſcribitur baculus paſtoralis 39. & 45
eum Romae fuiſſe, ex numo Neronis fingunt Pontificii 81
an gladio cinctus iter fecerit? 49
Pfal-oder Zaun Gerichte *oponitur* den Straſſen-Gerichten I. 253
vbi occurrat? ib.
an poſſeſſor huius iurisdictionis teneatur edere titulum? ib.
vtrum cumulatitue, an priuatiue data intelligatur? 254
PHAEDRVS, *quid in eius ſtilo reprehendat* Scioppius? I. 708
Φελόνης *&* Φαιλόνιον *quid?* I. 72
PHILIPPVS *Tetrarcha, ex eius imperii chronotaxi demonſtratur tempus, quo Herodes Antipas regnare coepit* I. 90
PHILOSOPHI *quidam Chriſtiani falſae ſapientiae characterem prae ſe ferunt* I. pag. 121
Philoſophi *veteres ethnici ad Chriſtianorum caſtra transgreſſi, ad ſacra munera euehebantur* I. 17
Philoſophi *ſemichriſtiani qui?* I. 181
in quot claſſes diuidantur? ib. & 200
Philoſophi *chriſtiani quidam ad paganiſmun procliuiores recenſentur* I. 223. ſq.
Philoſophia *viam munit ad religionem chriſtianam* I. 178
eius abuſus 180
Philoſophia *Ariſtotelica & Scholaſtica in permultis nihil facit ad ſapientiam* I. 122
quaenam eius pulcherrima pars ex mente Euphratis, philoſophi eximii 538
Philoſophia *Platonica praecipue a primis Chriſtianis exculta* I. 17
Philoſophicus *habitus non erat ſacerdotalis* I. 16
Phyſiognomia *an ars futilis & fundamento deſtituta?* I. 147. ſq.
Pici Mirandulae & aliorum ea de re opiniones expenduntur I. 148. ſq.
Piae *cauſſae: iis in quibusdam Germ. locis aliquid relinquendum ex teſtamento* I. 970
Picti *a finibus Romanae prouinciae excluduntur* I. 7
Pignus *quomodo conſtitutum ſollemniter?* I. 425
Pileati *ſi lecticam ſequerentur, Romani honori ducebant* I. 513
PLATO, *eius humeros incuruos imitabantur* I. 137

PLATONIS *character falſae ſapientiae* I. pag. 115. ſq.
iocoſae eius ſophiſticae definitiones ib.
is ſanctiſſimum depoſitum *vocat pupillos* 716
quid de praeſcriptionis tempore praeceperit? 888
eius dialogus, quem Sophiſtam *inſcripſit* 115
eius κειτήρια *explicauit* Themiſtius ib.
Platonicorum *idea de anima* I. 121
PLOTINI *ſtudiorum ratio* I. 203. ſq.
PLVTARCHI *obſeruatio de teſtamentis* I. 497
an is philoſophus ſemichriſtianus fuerit? 220. ſq.
Pœna *cum gente hoſtili negotiantium* I. 337
Poena *collegiorum illicitorum ex Lege Iul. de Maieſt.* I. 396
Poena *hoſti, deditioni proximo neceſſaria ſubminiſtrantium quae* I. 336
Poenam *nemini praecipitanter infligendam monet Seneca* I. 686
Poenitudo, *quid?* II. 33
Politices *ſtudium a Clericis ſummo odio proſequutum* I. 749
Pollizza *quid?* I. 364
Polonia: *ibi ſeruorum & libertorum fere eadem conditio, quae olim in Germania* I. 246. ſeq.
Πολυμαθείας *laus adfectatur a ſophiſtis* I. 117
eo pertinet locus Plauti ib.
POLYCRATIS *locus de bractea aurea explicatur* I. 67. ſeq.
Polypolium *unde?* II. 93
POMPONIVS (Sex.) *quando floruerit?* I. pag. 489
POMPONII *libri* XXXIX. *ad Mucium* ib.
quo ordine in iis explicarit materias iuris? ib.
Ponderatores, *ſeu* zygoſtatae, II. 52
Pondus, *quid?* II. 64
Pontifex *Romanus habitum ſacerdotalem reiicit* I. 14
Pontificii *Apoſtolis veſtes ſacerdotales tribuunt* I. 30
quinam agnoſcant nouitatem habitus ſacerdotalis? 12
eorum in numis explicandis ineptiae 80
eorum argumenta ratione originis habitus Clericalis 20. ſq.
Pontificum *Rom. teſtimonia an aliquid probent intuitu habitus ſacerdotalis?* I. 21
Pontus Euxinus, *ἄξενος, id eſt, inhoſpitalis, a veteribus dictus*, II. 87
Populus *Rom. quid Lege Regia in Principem contulerit?* I. 500
PORPHYRIVS, *Chriſtianis parentibus natus ad paganam ſuperſtitionem tranſibat* I. 205
ſublimioris philoſophiae ſtudioſus ibid.
eius praeceptores recenſentur 206
eius doctrina de anima 207
PORTAE (Io. Baptiſt.) *vultuum hominum cum animantium lineamentis comparatio* I. 135
an ex ea aliquid certi colligi poſſit de moribus hominum? ib.
Poſſe *in iure ciu. ſaepe vſurpatur pro* oportere, debere, cogi. I. 845
Poſſeſſio *naturalis: ab ea omne dominium incipit* I. 313
Poſſeſſionem *bon. olim dabat ex teſtamento*

ſtamento Praetor I. pag. 506
Poteſtas *patria an nuptiis finita fuerit iure Rom.?* I. 836
Tholoſani ſententia refellitur ib.
Poteſtas *parentum in liberos Germanis quoque* tutela *dicta* I. 608
Poteſtas *mariti in vx. iure Germ. an diuerſa fuerit a tutela?* I. 850
Poteſtas *materna genuinum fundamentum vſusfructus materni in Germ. recepti* I. 608. ſq.
Poteſtas *mariti in vx. quanta in Saxonia?* I. 874
Poteſtas *iure Rom. matri in liberos non competit* I. 587
an in ſpurios? 588
Praecoces *liberi an macula laborent?* I. 296. 303
Praeda *cui cedat, ſi naues captae a nauibus imperantium bellicis?* I. 356
cui, ſi naues priuatae auctoritate publica naues ceperint? 357. ſq.
Praediales *ſeruitutes quomodo conſtitui poſſint inter viuos?* I. 491
Praediorum *ſeruitutes perpetuas cauſas habere debent,* II. 210
Praefectura *vrbana Praefecturae Praetorianae praeferebatur* I. 812
Praefectus *vrbi tutores conſtituebat ſecundum ſuam iuriſdictionem* I. 720
Praelegatum *an accipere poſſit heres?* I. 510
Praemia *diligentiae in literis,* II. 166
Vide Stipendia.
Praerogatiuae *Ducatuum, qui ex regnis nati ſunt* I. 759. ſq.
Praeſcriptio: *ea vſae integrae gentes* I. 883
id illuſtratur exemplo Hebraeorum & Lacedaemoniorum I. pag. 883
Praeſcriptio *iur. gentium explicata a Grotio & aliis* I. 884
quatenus ſit iur. ciu.? ib.
an iuri nat. & gent. contraria ſit? ib.
quomodo vitiet cambium? 482
Praeſcriptio *annalis cur Lubecae obtineat?* I. 890
Praeſcriptio *ſeptennis actionem perimit ex cambiis propriis* I. 457. ſq.
Praeſcriptio *annalis ſecundum ius Lubecenſe an iniqua?* I. 909
Praeſcriptio *annalis de forma aedificiorum* I. 920. ſq.
Praeſcriptio *annalis in dote ſecundum ius Lubecenſe* I. 922
comparatio huius iuris & Romani 923
Praeſcriptio *interrupta an cuiquam proſit?* I. 902
an vindicationi ſeruorum obſtet iure ciu.? 893
Praeſcriptio *longi temporis an proſit ſeruo, qui furtum ſui ipſius fecit?* I. 894
Praeſcriptio *qua ſe homines proprii in vrbibus tuentur, ex priuilegio eſt* I. 897
Praeſcriptio *longi temporis quando a Romanis inuenta?* I. 888
ea ignota iure Lubec. 890
Praeſcriptionis *aequitas* I. 885
eius tempus a quo momento currat iure Lubec.? 911
apud gentes non vnum idemque 887
eius fini cuiusque reip. adcommodandum 888

Praeſcriptionis *tempus in emporiis breuius eſſe debet* I. pag. 889
Praeſentans *quis vocetur in cambio?* I. 446
Praeſidem *Graeci* ἐπιτρόπον *vocabant* I. 101
Praeſides *Syriae tempore nati Chriſti exhibentur tabula chronologica* I. 99
Praeſtigiatoribus *ſimiles cenſentur ſophiſtae* I. 117
Praetextatus *Conſul miratus Damaſum quid dixerit?* I. 25
Praetores *ipſi non numquam Prouincialium tutelam ſuſcipiebant* I. 719
Praetores *tutelares tutores dabant ex conſtitutione D. Marci* I. 720
Praetorii *teſtamenti requiſita* I. 506
Praetoris *formula in petitione vindiciarum* I. 426
Praetoris *tuitio*, & II. 207. 208. 214
Presbyterorum *& Diaconorum habitus Saec. III.* I. 17
an pallium iis fuerit proprium? 7
Principes *ſuprema tutela gaudent ap. Germ.* I. 720. ſq.
eorum cauſſae ad comitia referebantur 249
ICtos veteres ſaepe in medium conſulere iubebant 812
horum moderatio erga diſſentientes ib.
ii minoribus hodie curatores etiam inuitis conſtituunt 740
Principes *Germaniae ſuprema pupillorum tutela inueſtiti ab Imperatoribus* I. 724
Principis *ius circa exportandas merces e regione* I. 315
Principis *ius circa Commerciorum libertatem tuendam.* Vid. Diſſert. XXXI. per totam. II. p. 79. &c.
Princeps *negotiandi ius dare ac adimere poteſt*, 92. *definire quae res in commercio eſſe debeant*, 94. & *ipſis commerciis certum modum praeſcribere*, 96
Quid commerciorum libertas a Principe tuenda? 109
illius eſt eam tueri, 112
quibus modis hoc facere poſſit? 114. 116. 117. 119. 123. 125. 127. 128. 130
Principis *ius circa ciuium ſtudia*; Exerc. XXXI. per totam, II. 133. ſq.
Quid huic iuri obiici poſſit? 140
Hoc ius fluit ex natura & fine ſocietatis ciuilis, 143
Exempla Principum hoc iure ſuo cum laude vtentium, 147
An Princeps prohibere poſſit, quominus omnes promiſcue animum ad literarum ſtudia adpellant, 153
abuſus huius iuris. 155
Per quos Principem hunc delectum habere deceat? 156
Idem ius Principis ſeſe exſerit circa ſcholas & academias, 158
Vindiciae huius iuris aduerſus canoniſtas. 161
Felicitas reipublicae, in qua hoc iure ſuo rite vtitur princeps, 174
Vide Ius, & Studia ciuium.
Principum *ſupremae tutelae in Germ. effectus eſt vſusfr. in bonis vaſallorum* I. 744
huius tutelae indoles 727
Schilteri *error circa hanc materiam* ib.

Principum *tutela iam temporibus Ludouici Pii nota fuit*: I. pag. 723
Priſe : Das Schiff iſt vor gute Priſe erklâret : *quaenam loquutio ?* I. 338. ſq.
Priuilegia *mercatorum cur non ex iure communi deducenda ?* I. 551. ſq.
Priuilegia *collegiorum* I. 399
illuſtrantur ex marmore vetuſto ibid.
cur ea mercaturae concedenda ? 549.
Priuilegia *multa nauibus & nautis conceſſa iure Rom.* I. 340
quibuſnam iure nouiſſimo fruantur ? 341
Priuilegia, *quaſi* priuae leges *vocantur,* II. 116
haec ſunt libertatem commerciorum tuendi modus, ib.
Priuilegium *codicum mercatorum manauit in varia ſtatuta Ital.* I. 559
an iuri antiquo aduerſetur? 553
Probare parum, & nihil, *iuridice ſynonyma* I. 643
Probare & credere *ſibi inuicem opponuntur* I. ib.
Probaſſe *quomodo quis dicatur?* I. 641
Probatio *ſemiplena non debet eſſe eliſa, ſi iuriiurando locus eſſe debet* I. 660
Probatio *ex libris mercatorum quonam praeſcriptionis tempore elidatur per ſtatuta Veneta ?* I. 559
Probationem *ſemiplenam ignorat ius Rom.* I. 639
ea petenda a teſte rei conſcio 656
Accurſii argumentum in contrarium ridetur a Cuiacio ib.
Probationum inopia *an idem ac* probatio ſemiplena ? I. pag. 648
Probationum *in conflictu an pronunciandum ſit pro reo ?* I. 650. ſq.
PROCAS *Albanorum rex,* I. 508
in Procinctu *facta teſtamenta cur Populus rata habuerit?* I. 498
PROCOPIVS *an Chriſtianis potius, quam gentilibus adnumerandus?* I. 213. ſq.
Procurator *mandati defectus an iureiurando ſupplere poſſit ?* I. 659
Procuratores *quod confeſſi, quibus conditionibus poſſit reuocari ?* I. 682
Profectio *in numo Septimii Seu. Imp.* Aug. Felix *vocatur* I. 755
Propenſiones *humanae, & earum ſigna varia* I. 131
Plutarchi locus huc ſpectans 132
earum characteres 133
Propolium, *eius noxietas,* II. 93
Proprius *homo : in eius vindicatione praeſcriptio annalis obtinet iure Lubec.* I. 893
PROSPERIS (M. Ant. de) *philoſophia minus ſobria* I. 223
cynica eius viuendi ratio a quo deſcribatur? ib.
PROTAGORAS *ſophiſta famoſus* I. 113
Proteſtatione *omiſſa cambium vitiatur* I. 475
quid, ſi id culpa notarii mandatariiue factum ? 476
Prouerbium : ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, *quid ſibi velit ?* I. 6
Prouinciae *Germaniae, quae olim ſub Francis regnatae ſunt, reliquis dignitate praecelluerunt.* I. 759
Prouinciae *vini cauſſa emtae a Ludouico Germ.* I. 756
Prouincialis *habitus* I. 3
Prouincialium *inſcriptionibus quid indulgen-*

dulgendum? I. pag. 95
Pruſſiae *Regis conſtitutio noua tutelaris* I. 722
Prytanea *a* Sigonio *deſcripta*, II. 10
a Iul. Polluce *&* Suida. 11
Ψάλις, *forceps ad abradendum numi circulum*, II. 50
Pſeudo-Eruditi *ſecundum Cebetem exitio proximi* I. 109
Puberes *an vbique in Germania teſtari poſſint?* I. 957
Pubertate *cur tutela non ipſo iure finiatur apud Germ.?* I. 741
Publica *teſtamenta cur paſſim in Germania condere oporteat?* I. 968
PVBLICIA: *an cum ea Cicero in matrimonio tamquam tutor vixerit?* I. 841
Pudicitiae *laudem ſortiuntur Germani a Tacito* I. 302
Pudor *naturalis nuditatem hominis tectam vult* I. 2. ſq.
Puellae *Romanae tenerae admodum aetatis deſpondebantur* I. 842
Pueri *olim vſque ad annum ſeptimum non tondebantur* I. 28
Puerorum *Alexandrinorum cirri cur detonſi a Diodoro?* I. 29
Pueros *decennes teſtari patiebantur Wiſigothi* I. 956
Pupillaris *ſubſtitutio aeque ac vulgaris ex XII. Tab. eſt.* I. 511
l. 1. pr. ff. de vulg. & pup. ſubſtit. an obſtet? ib.
Pupilli *quomodo vocentur a* Platone*?* I. 716
Schrifftſaeſſige *qui dicantur in Saxonia?* 731
Pupillis *in prouinciis, ſi eorum facultates non magnae, quis tutores conſtituerit?* I. pag. 720
eis omnes fere gentes tutoribus proſpexiſſe, oſtenditur 716
Pupillorum *cura Imperatoribus in inaugurationis ſacris commendata* I. 724
Pupillos *non deſtitui aliorum praeſidio, reip. intereſſe dicitur* I. 715
Seuero Imp. hoc curae cordique fuit ib.
Pupillus *tutores petere iure Rom. non poterat* I. 739
PYTHAGORAS. *eius philoſophia laudatur* I. 143
quid fecerit, antequam aliquem in diſciplinam receperit? ib.
Aſtraeum quomodo explorauerit? 144
Cylonem Crotoniatam in diſciplinam ſuam recipere non vult ib.

Q.

QVadrangula *veſtis quid?* I. 30
Quaeſtum *corpore facere iis non permittebat* Tiberius, *quorum pater aut maritus Eques Rom. fuerat* I. 289
Querela *inofficioſi* I. 265
vbi inſtituenda? 266
quibusnam detur? 267
eius effectus ib.
quid circa eam mutatum a Iuſtiniano? ibid.
eius origo ib.
quando olim locum habuerit contra teſtamentum fraternum? I. 276
an Conſtantinus M. noui quid circa

circa eam inuexerit ? I. p.279
Querela *inofficioſae donationis, & dotis* I. 297
Querela *inofficioſi an hodie locum habeat, ſpuriis inſtitutis heredibus ?* I. 303
Querela *Nullitatis, quid ?* II. 22
Qui haec ſentitis, in hanc partem, qui alia omnia, in illam partem ite, qua ſentitis : *formulae huius explicatio* I. 421. ſq.
QVINCTILIVS VARVS. *ſub eius imperio ius Rom. Germanis maxime inuiſum erat* I. 230
Quiritium *ius nauem fabricantibus conceſſum a Claudio* I. 340
Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatum ac ſalutare ſit : *quaenam haec formula ?* I. 421

R.

RAbulae : *in eos inuehitur* I. pag. 540
Ratiocinandi *facultatem haut neceſſariam hominibus putat* Cotta I.110
Rationes : *ad eas reddendas quando tutores coegerint iudices Rom. ?* I. 729
eae reddendae quotannis a tutoribus in Germania 741
& quomodo ? 743
Rationes *defuncti : in bonis eius inuentae an probent debitam quantitatem ?* I. 655
an eiusdem teſtamentum ? ib.
ad eas reddendas an obſtricta ſit mater vſufructuaria ? 622
eae a tutoribus Rom. durante tutela exigi non poterant 742
Rationis *abuſus hominibus noxius* I. pag. 110
Rauch-Huhn : *eius variae denominationes* I. 252
erat penſio annua ib.
Receſſu *Imp. de an.* 1529. *quid cautum ratione matris vſufructuariae ?* I. 622
Reciproca *teſtamenta quo caſu Lubecae rata inter coniuges ?* I. 955
Redite in viam : *quaenam formula ?* I. 426
Reditus (Renten) *ſi irredimibiles ; aequiparantur immobilibus iure Lubecenſi* I. 910
Den Referenten, *quid ?* II. 35
Reformationi *ICtorum doctrina anſam dedit* I. 752
Reges *ſub clientela Caeſarum Rom. imperantes cenſum vniuerſalem recuſare non poterant* I. 94
Reges *Perſarum, Medorum, Macedonum, iuri dicundo etiam vacant,* II. 252
Regia *Lege populus Rom. omne ius in principem conferebat* I. 501
Regulae *iuris vbi dicantur vitiari ?* I. 457
Regum *apud Germanos poteſtas in iudicando* I. 250
Relegati *qui dicti ?* I. 494
Religio *Diuina habitu philoſophorum vindicari dicitur* I. 8
Religio *Chriſtiana : ad eam viam muniit Philoſophia* I. 178
eius incrementa 179
quando perſequutiones eius ceſſauerint ? 17
ea ſtatus ciuilis praeſidium 2
Religio *iudicis : ad eam quoque pertinet,*

tinet, ne perire quidem volentes innoxios damnare I. pag. 678
Religionem *iudicum Rom. laudat Tertullianus* I. 694
Religionis *iudicantium exemplum* I. 665. ſq.
quid ad eam pertineat? 666
Vlpiani locus egregius huc ſpectat ibid.
Religionis *Chriſtianae vindices qui?* I. 2
Remedia *ſemichriſtianiſmo philoſophico opponenda oſtenduntur* I. 227. ſq.
Remiſſa, *vel* Remeſſa, *quid in cambio?* I. 446
Reorum *confeſſioni multum tribuendum* I. 662
ea tamen ſaepe fallit 663
id quod illuſtratur exemplis 664. ſq.
an valeat, ſi ex taedio vitae orta? 688
an, ſi ſpe impunitatis? 689
an, ſi ex metu tormentorum? 690
Reparatio *Adpellationum, quid ſecundum veteres?* II. 7
Repetitio *promiſſi in cambiis propriis ſuperuacua* I. 454
Repreſſaliae *non numquam decernuntur, nauibus captis* I. 365
Repreſſaliae, *quando adhibeantur a Principibus?* II. 128. ſq.
Requiſita *confeſſionis validae* I. 679. ſqq.
Requiſita *vſusfructus materni* I. 612. ſq.
Requiſita *confeſſionis in criminalibus* I. 687. ſqq.
Res *mancipi mulieres auctoritate tutoris alienabant* I. pag. 833
Res tuas tibi habeto *: formula diuortii ap. Rom.* I. 424
Reſcriptum *Caracallae* de probationibus I. 641
Reſcriptum Diocletiani & Maximiani: *an ex eo probandum ſit iurisiurandi ſuppletorii fundamentum?* I. 647. ſq.
Reſtitutio *in integrum apud Romanos,* II. 6
Reuerentiae *ſigna, quae naues hodie, ſibi obuiam factae, adhibent, an Romani ignorarint?* I. 334
Reum *in ſe falſo confeſſum, ſi adpareret, an nihilominus condemnarint veteres?* I. 669
Reus: *an pro eo pronunciandum ſit in conflictu probationum?* I. 650. ſq.
Rhetorum *ſcholae floruere Romae* I. 385
Rhodi *quae olim fuerit laus, refert* Strabo I. 882
Rhodiorum *cura pro pupillis laudatur* I. 718
Ritus *teſtandi per aes & libram a quo inuentus?* I. 505
la Robe de l'ennemi confiſque celle de l'ami *: paroemia haec vbi locum habere dicatur?* I. 348
in negatiuam verſa 349
Robertvs (Annaeus) *exemplum refert hominis ex confeſſione ſua ad mortem innocenter damnati* I. 664
Rochetto *quid Italis?* I. 23
Le Roi perd ſa cauſe par ſon ſeul ſuffrage. II. 323
Roma *patria maior* I. 508
Romae *quo tempore floruerint teſtamenta?* I. 507. ſq.

Romae *quaenam res venire non potuerint?* I. pag. 321
Romanae *Eccleſiae curiaeque naeui detecti a Guil.* Budaeo I. 752
Romanenſibus *quid iniungat habitum ſacerdotalem antiquiſſimum?* I. 11
Romani *cur tam breue praeſcriptionis tempus ſtatuerint?* I. 888
ii bella non niſi auſpicato adminiſtrabant 498
Romani *nobiliſſimi iurisprudentiam ciu. olim* in latenti retinere cogitabant, *vt ait* Pomponius 780
cur ii collegiorum numerum auxerint? 385
cur ii pacta ſucceſſoria non admiſerint? 500
ii Athenienſibus tutelam non debent 825
id probatur per omnes ſpecies tutelae ib. ſq.
cur ii noluerint vxores in maritorum tutela eſſe? 823
ii initio legum multitudinem abhorrebant 432
eis locale vel traiectitium cambium non ignotum 443
eorum iuuenes quando ad honores promoti? 792
ii tutelam initio magiſtratibus non demandabant 718
poſtea id factum in vrbe per L. Atiliam 719
deinde in prouinciis per L. Iuliam & Titiam ib.
Romani *rituum & formularum ſollemnium ſtudioſiſſimi* I. 421
ii quonam veſtium genere vſi? 2
eos leges de confeſſis ad criminalia, produxiſſe, conſtat ex ſententia M. Catonis Vticenſis I. pag. 668
Romanarum *familiarum confuſio* 800
Romanorum *militia ſelecta erat, non mercenaria* I. 379
eorum victoriae praeſcriptionis alioquin breue tempus in longius mutarunt 888
eorum ritus in indicendo bello 423
Romanorum *ciuium domi ſuae maieſtas oſtenditur* I. 494
eorum poteſtatem in ſeruos quis cohibuerit? 244
Romanorum *iudicum religio laudata a Tertulliano* I. 694
Romvlvs *patribus ius vitae & necis in liberos conceſſit* I. 583
is opificia olim non permiſit 368
& cur? 369. ſq.
quem finem habuerit in cuſtodienda rep. Rom.? ib.
Rvotgervs: *eius narrationi de baculo Petri plurima fides habenda* I. 46

S.

Sabini *a Romanis ad incitas redacti* I. 377
Sacerdotalem *habitum reiecit ipſe Pontifex* I. 14
Sacerdotes *an Apoſtoli proprie ſic dicti?* I. 68
Sacerdotes *trium priorum Saeculorum quomodo ſe diſtinxerint a laicis?* I. 12
Sacerdotibus λειτεργεῖν *aditus ad Sancta patuit* I. 63
Sacerdotibus *chriſtianis indumenta ſacra V. T. tribuuntur* συνεκδοχικῶς I. 69. 70

Sacra *Romanorum priuata; ſi in alium transferenda, id Pontificum auctoritate fieri oportebat ante L. Papiriam* I. pag. 499. ſq.
in Sacris paternis eſſe, *quid?* I. 588
SALMASIVS & Alixius *quid demonſtrarint de pallio* Tertulliani? I. 7
SALMASIVS & Caue *quando* Tertullianum *pallium ſumſiſſe, ſtatuant?* ib.
SALVIA *gens Romae celeberrima, vnde orta* I. 800
eius nomen auſpicatum ib.
SALVIVS IVLIANVS *an ex* Saluia *gente deriuandus?* ib.
SALVII, *quos leges Romanae memorant, an agnati* Saluii Iuliani? ib.
SANCTORII, *Medici Patauini, experimentum curioſum* I. 149
Sanctum *Sanctorum cur non ingreſſus Iacobus?* I. 62
Sapiens *an dicendus, qui multa nouit?* I. 120
Sapientia *cum eruditione ſaepe confunditur* ib.
Sapientia *vera in doctrina chriſtiana docetur* ib.
Sapientiae *verae falſaeque characteres probe attendendi* I. 110
vtriuſque characteres praecipui 109-115
eius characteres qui dederunt, in pleriſque parum accurati 119
Sapientiae *verae definitio* ib. ſq.
obiectum 122
Saxonia: *quid ibi poſſit vxor ſine curatore in rebus iudicialibus?* I. 877
extra Electoralem vſusfructus materni varia veſtigia deprehenduntur 608
ibi viri de rebus expeditoriis diſponere non poſſunt I. p. 965. ſq.
Saxonia *ſub quonam regni formam induerit?* I. 760
quomodo ibi fiat maritus vxoris curator? 871
quomodo aliis locis? 872
in Electorali olim vſusfructus maternus erat receptus 604
Saxonicae *mulieres de* gerada, I. 965
Saxonici *Dd. negant, maritum vxoris nomine in iudicio eſſe admittendum, priuſquam produxerit curatorium, vel de rato cauerit* I. 870
Saxonicum *ius quid de praeſcriptione immobilium ſtatuat?* I. 909
quid Belgicum? ib.
Scalarii *qui?* I. 373
Scepticismus *ad quid perducat homines?* I. 126
Schatz der Welt, *libellus de Metallis,* II. 75
Schiffe: Die aufgebrachten reclamiren *quid?* I. 365
SCHILTERVS *tutelam mariti in vxorem iure Rom. obtinuiſſe, an recte probet ex loco* Ciceronis? I. 823. ſqq.
SCHNEIDEWINVS *ad iusiurandum refert* ſuppletorium, purgatorium & in litem I. 636
Schola *Chriſtianorum Alexandrina* I. 194
ea Doctores quosnam habuerit? ib.
doctrinae in ea propoſitae ib.
Schola *Ammonii Saccae* I. 195
Scholae *Chriſtianorum frequentatae a paganis* I. 193
Scholae, *circa eas & Academias Principis officium,* II. 158
Scholaſtici *an veri ſapientes?* I. 127. ſq.

Scholaſticorum *quaeſtiones ridiculae* I. pag. 127. ſq.
eorum ſententia de antiquo habitu ſacerdotali 11
it. Canoniſtarum ib.
Scribere & reſcribere pecuniam *quid?* I. 555
Scriptura *argentarii iure Rom. plenam fidem habebat* ib.
cambium ea contrahi negantes refelluntur 452. ſq.
Scriptura *priuata qui probat, ſibi deberi, an ad iusiur. ſupplet. admittendus?* I. 655
Sectae *ſtudium quo abducat homines?* I. 226
Seelen-Geräthe: *quinam codicilli ita dicti, & quam neceſſariae fuerint eiusmodi donationes medio aeuo?* I. 946
SEMECA (Io.) *praepoſitus Halberſtadienſis* I. 750
is ius Rom. ſub Azone didicerat ibid.
is Papae decimas exigenti reſtitit ibid.
Semichriſtiani *philoſophi qui?* I. 181
Semichriſtianiſmo *nihil pernicioſius* I. 180
Semichriſtianiſmi *cauſſae* I. 224. ſqq.
Semichriſtianiſmo *philoſophico quaenam remedia opponenda?* I. 227. ſq.
Semiplena *probatio non debet eſſe eliſa, ſi ad iusiurandum ſuppletorium deueniendum* I. 660
ea a teſte rei conſcio petenda 656
an ex iure Rom.? 639
quid Accurſius ad hanc quaeſtionem? ib.
Senatusconſulto *collegia omnia, praeter antiqua fuerunt abolita* I. p. 387
Senatusconſultum *Apronianum quid indulſerit municipiis?* I. 401
illud deinceps extenſum ad colgia ibid.
SCtum *Tertullianum. ex eo vocatur mulier ingenua ad hereditatem luctuoſam* I. 837
SCtum *Venetum de cambiis* I. 444
SCtum *in re trepida factum quid contineat?* I. 430
SENECA: *quid ei vera ſapientia?* I. 124
eius diſtinctio vocabulorum officium, beneficium & miniſterium 266
locus eius egregius de actionibus humanis 129
eiusdem de diuerſitate formae hominis 132
quid ei abſurdum videatur in lege? 512
locus eius inſignis de poena non ſtatim exſequenda 686
Sententia *condemnatoria an ſemper opus ſit in criminalibus?* I. 676
Separatio *vim renunciationis habere dicitur iure Hamburgenſi* I. 614
SEPTIMIVS Seu. *Imp. in eius numo profectio* AVG. FELIX *vocatur* I. 755
Sericum *regno exportare vetat rex Galliae* I. 316
Serui *Romanis erant res mancipi* I. 512
an omnia per eos adquiſita legari poſſint? 491
an omnibus plane collegiis excluſi apud Rom.? 397
in Germania an olim duorum generum? 240. ſq.

Serui *apud vet. Germ. ſoli vacabant rebus conficiendis* I. pag. 405
quando contra dominum interrogari poſſint iure Rom.? 648
Seruilis *conditionis quaenam poſt tempora Taciti in Germania facies?* I. 247
Seruitia *tota manumittebant Romani* I. 512
Seruitutes *praediales inter viuos per ſtipulationem conſtitui poſſunt* I. 491
Seruitutum *praeſcriptionis tempus quodnam, ſublata L. Scriboniana?* I. 921
De cauſſa ſeruitutum perpetua, Exerc. XXXII. per totam, II. 177. ſqq.
Doctrinae de ſeruitutibus ſubtilitas, 178
Conceptus ſeruitutis ſecundum principia rectae rationis, 179
Seruitus *perſonalis & realis*, II. 180
Seruitutum *conceptus*, II. 181
De cauſſa ſeruitutum perpetua locus I. PAVLLI, 183. *locus alter, eiuſdem*, 185. *locus* 3. VLPIANI, 187. *locus* 4. POMPONII, 188
Obſeruationes ex his iureconſultorum teſtimoniis, 189
De cauſſa ſeruitutum perpetua ſententia Io. Superioris, 192
Duareni, Cuiacii *aliorumque excuſſa*, 194
Donelli & Noodtii *explicatio*, 195
Interpretatio M. Aur. Galuani *expenſa*, 198
Hypotheſis Hyberi, 199
Schilteri *ſententia*, 201
De Seruitutum *cauſſa perpetua Iudicium Thomaſii*, II. pag. 204
Perpetuitas cauſſae ſemper fuit inter adfectiones ſeruitutum praedialium, 209
De quibuſnam ſeruitutibus diſceptatum fuerit; an cauſſam perpetuam habeant? 214
Regulae de cauſſa ſeruitutum perpetua, 215
Regularum iſtarum adplicatio ad l. 28. D. de ſeru. praed. vrb. 216
nec non ad ſeruitutem fumi immittendi, & aquae hauſtus e ciſterna, 218. *& aquae rota e flumine tollendae, vel e caſtello ducendae*, 219
Seruitutem *locare nemo poteſt*, II. 259
Seruo *an menſam argentariam exercere licuerit iure Iuſtinianeo?* I. 555
Seruorum *vindicationi an iure ciu. obſtet praeſcriptio?* I. 893
Seruorum *Romanorum diuerſa officia* I. 241
Seruorum *Germanorum conditio* I. 242
eorum numerus quando creuerit? 242
Seruum *primitiuum ſe occidiſſe, metu ad dominum reuertendi, memorat Vlpianus* I. 688
Seruum *necare olim impune erat* I. 248
Seruus *qui praeſcriptione liber factus an a praeſtatione aeſtimationis liberetur per praeſcriptionem iur. Lubecenſ.* I. 903. ſq.
an ciuis Rom. factus, ſi nomen ſuum in tabulas cenſuales, iuſſu domini contuliſſet? 901
Seruus *fugitiuus apud Langobardos domino*

domino preſcriptionem. 30 annorum opponere poterat I. pag. 895
Seruus *fugitiuus an in ciuitatibus tutum perfugium habuerit?* 896
SEVERVS *perperam cognominatur* Salu. Iul. I. 801. ſq.
SEVERVS *Imperator: eius conſuetudo cum Chriſtiano quodam*, Proculus Torpacion *dicto* I. 194
eius verba de religione quomodo interpretetur Wiſſenbachius? 666
Sibyllinae *ſortes: ob eas euulgatas pereundum erat* M. Aquillio Gallo I. 782
Signa *humanarum propenſionum* I. 131
Signa *confeſſionis in criminalibus qualia eſſe debeant?* I. 697
an nutus ſufficiat? ib.
Signa *mercatorum* marcae *vocantur* I. 355
Silentium: *an ex eo colligi poſſit confeſſio?* I. 704
SIMPLICIVS *cur a* Bona *Cardinali in Chriſtianorum numerum referatur?* I. 209
Simulatorum *&* *crudelium inceſſus* I. 174. ſq.
Slaui *non tam gentis, quam ſeruitutis nomen* I. 247
Societas pares aut accipere, aut facere *dicitur* I. 851
Societates *Chriſtianorum exprobratae a gentilibus* I. 4
Socii *pro fratribus habentur* I. 851
SOCRATES *primus characteres verae falſaeque ſapientiae detexit* I. 111
rationes quae eum ad id mouerint? ib.
SOCRATES *nihil ſcripto conſignauit* I. pag. 112
quid de eius ſcriptis ſeruatum? ib.
is ſophiſtarum iactantiam inſectatus eſt 112
is quaeſtionibus eorum ignorantiam eliciebat ib.
is ab Apolline Delphico ſapientiſſimus iudicatus, quid reſponderit? ib.
iocus eius lepidus de ſophiſtis 113
eius diſſertationem recenſuit Xenophon. ib.
interrogatus, an ſapientes putaret eos, qui ſcirent, quid agere oporteat, his contraria facerent, quid reſponderit? ib.
an voluntatis emendationem ex emendatione intellectus recte deriuet? ib.
is a diſcipulis nullam mercedem accipiebat 114
eius gibbus imitatus 137
Soleae *Atticae Chriſtianis commendantur* I. 9
iis vtebantur prouinciales plerique in Oriente ib.
SOLON *curam pupillorum demandauerat Archontibus* I. 717
is teſtamentifactionem indulſit Athenienſibus 940
eius leges circa exportationem mercium 316
Sophiſtae: *quid factu opus fuerit eorum diſciplinae ſe tradituro?* I. 114
eorum ridicula diſtinctio inter finem externum & internum 118
Sorites: *eam accuratius definiuit* Salu. Iul. *ICtus* I. 806
SOTERIS *Papae leges de veſtimentis ſacris*,

– *ſacris a monialibus non tangendis* I. pag. 21
SPARTIANVS *laudat* Saluium Iulianum I. 801
Speculatoris Saxon. *obſeruatio de comitibus Palatinis in Ducatibus, qui ex regnis nati ſunt* I. 760
Spirae *quando floruerit collegium Senatorium?* I. 408
Spoletana *quaedam inſcriptio ſuppoſititia* I. 85
Sponſam *decenni minorem habere non licebat per L. Iul. & Pap.* I. 843
Spurii *in quibusdam Germ. locis prohibentur teſtari* I. 961
ii leuis notae macula laborant, 296
an ad iusiur. ſint admittendi? 658
an in poteſtate matris ſint? 589
ii cur non ad opificia admittantur? 412
eis inſtitutis an hodie querelae inofficioſi locus ſit? 303
Statua *Principis: pro ſeruis, qui ad eam confugerant, aeſtimatio erat praeſtanda ex decreto* Antonini Pii I. 903
Statua *aurea a Gorgia Leontino ex quaeſtu ſuo ſibi ipſi erecta* I. 114
Statuae mercuriales (Zoll-Stangen) I. 337
Status *ciuilis in religione Chriſtiana conditio* I. 2
Statuta *an valeant, quibus teſtandi facultate interdicitur ciuibus?* I. 947. ſq.
Statuti *Lubecenſis de vſucapione immobilium interpretatio* I. 910. ſq.
Statutorum *contortas interpretationes peperit regula,* ea ita eſſe interpretanda; vt a iure communi quam minime exorbitent I. pag. 958. ſq.
Stemma *genealogicum Henrici, Comitis Palat. Lotharing.* I. 762
Stemma *Salu. Iuliani, Reineſiano accuratius exhibetur* I. 803
STEPHANI *epiſtola de veſtimentis ſacris* I. 21
Stephanus *interpres Baſilicῶν* I. 637
Stipendia *litteraria,* II. 166
Vide Praemia.
Stipulatio: *per eam ſeruitutes praediales inter viuos conſtitui poſſunt* I. 491
STRABO *mentionem facit veſtium Aſſyriorum* I. 31
de laude Rhodi, 882
– STRACCHA *mercatorum codicibus plus iuſto tribuit* I. 574
STRYKIVS *cauſſas, quae iusiurandum non admittunt in regulas redegit* I. 659
eius verba de teſtamentis 978
– Studia ciuium: *De iure Principis circa illa,* Exerc. XXXI. per totam, II. 133. ſqq.
Qualia ſtudia hic intelligantur? 137
Huius vocis origo, ib.
Studiorum *rationem ius Principis exigit,* II. 146
Hoc ius conſiſtit primum in ingeniorum delectu, 150
An Princeps prohibere poſſit, quominus omnes promiſcue animum ad litterarum ſtudia adpellant, 153
Per quos Principem hunc delectum habere deceat, 156

Stultos *quos ſcriptura ſ. dicat ?* I. 124
Subditus : *De Dominis ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus ,* II. 305. ſqq.
Teſtimonia de conſuetudine ſubditos in iudicio ſuo conueniendi in vniuerſa Germania recepta , 307. *in primis in Saxonia , Ducatu Magdeburgico & Principatu Hennebergico ,* 307. *nec non in Marchia , terris Pomeranicis & Holſatia ;* 308. *in Weſtphalia , Alſatia & Germania ſuperiore ,* 309. *denique in Italia , Gallia & Lotharingia ,* 310
Huic conſuetudini obſtare videtur 1. *recta ratio ,* 312. 2. *ius Rom. quod tantum voluntariae iuriſdictionis actus in cauſſa propria explicari patitur.* 313
Non autem iuriſdictionem contentioſam. 315
Quam late apud Romanos patuerit haec prohibitio , 316
An quidam textus iuris Romani huic conſuetudini faueant ? 318
An a Principe argumentum duci poſſit ad reliquos Dominos ? 322
Quae iuriſdictio nec iuri naturae repugnat , 324. *nec iuri ciuili ,* 325
Eius origo a ſtatu ſubditorum ſeruili , & herili dominorum poteſtate repetenda. 326
Cur & ceſſante paſſim ſeruili ruſticorum conditione , haec conſuetudo permanſerit ? II. p. 327
Vide Dominus , Iudex , Iuſtitiarius.
Subſtitutionem *pupillarem viri docti negant ex XII. Tab. eſſe* I. 511
Subſtitutionem *controuerſiis quantum ſe lucratum eſſe glorietur* Baldus ? I. 978
Alberici Roſciatis *ſententia de hoc iuris capite* ib.
Subtilitas *doctrinae de ſeruitutibus ,* II. 178
eius cauſſa & definitio , 179
Subucula , *veſtium genus , quo lautiores vtebantur* I. 31
Succeſſoria *pacta cur non permiſſa fuerint ap. Rom. ?* I. 500
Succumbentiae *pecunia , quid ?* II. 10. ſqq.
Huius ſuccumbentiae vſus , natura & indoles , 18. ſq.
Vide Pecunia.
Succumbenz-Gelder , *depoſitio pecuniae ,* II. 13
Suffetes *apud Carthaginienſes , qui ?* II. 252
Suffragandi *iure Romae gaudebant collegia* I. 386
Svlpicivs (Seruius) Caii Aquillii Galli *diſcipulus* I. 791
is inſtinctu Q. Mucii aetate prouectior ad iuris ſtudium ſe contulit ib.
is laudatur a Cicerone 792
is ſententias pleraſque ex Aquillii libris in ſuos tranſtulit ib.
is eloquentia magna erat ib.
is quomodo , memorante Cicerone , ſtudiorum ſuorum rationem inierit ? 542

Svlpi-

SVLPICIVS (Seru.) *Commentariis illuſtrauit Mucii Libros* I. pag. 489
Συμπλοιαν *Graeci vocabant naues conſociatas*, I. 358
Suppletorium *iusiurandum an in iure ciu. praeſidium reperiat ?* I. 637
id qui adfirmarint; negarintue ? 638
Supplicatio *quid apud Romanos ?* II. 5
Supplicia *damnatorum in* 30. *dies differri iubet* Theodoſius I. 686
Supremae *tutelae definitio* I. 729
Surdi *& muti confeſſio qualis ?* I. 697. ſq.
an efficax eſſe poſſit ? 699
an hi rerum moralium intelligentiam ſibi adquirere poſſint ? 700
Surrogatum *quando locum habere debeat ?* II. 77
Sybaritae *gens olim voluptuoſiſſima & ſuperbiſſima* I. 142
de eorum faſtu adagium : Sybaritae per plateas ib.
Sycophantae *quem in finem conſtituti a Solone ?* I. 316
Syluaeducenſes *conſuetudines*, I. 866
SYLVESTER, *Papa, quamdiu Romanae Eccl. praefuerit ?* I. 25
SYNESIVS *Epiſcopus vrbis Ptolemaidis* I. 214
eius religio eclectica I. 215
ex hymnis eius quid colligendum? 216
Synodus *Gangrenſis condemnat peribolaeum ſumentes* I. 19
Syriae *Praeſides, qui tempore nati Chriſti fuerunt, exhibentur tabula chronologica* I. 99. ſeq.

T.

TAbernariorum concitator *L. Sergius vocatus a Cic.* I. p. 386
Tabulae XII. *an maximam partem ex iure Attico deſumtae ?* I. 826
in eas omnes mores patrios migraſſe ait Dionyſ. Halic. 511
Tabulae *Cenſuales diu ſuperſtites* 102
ſi ſeruus nomen in eas contuliſſet, iuſſu domini, liber fiebat 901
Tacens *in iudicio pro fatente habetur* I. 704
is neganti in iure aequiparatur 705
TACITVS *teſtis eſt, ſeruos vet. Germ. conficiendis rebus neceſſariis vacaſſe* I. 405. ſq.
eius locus de teſtamentis Germanorum varie interpretatus 943
eius locus de Germ. vet. ſeruis explicatur I. 240. ſq.
eius locus de libertis apud Germ. 242
eius locus de Germ. poteſtate in ſeruos an recte explicetur ab Alexandro ab Alexandro *?* 244
an poſt eius tempora ſeruilis conditio in Germ. imminuta fuerit ? 247
Talmudici *quibus vocabulis pallium & tunicam exprimant ?* I. 31
TARTVTIVS *Laurentiam meretricem heredem inſtituit* I. 508
quomodo haec inſtitutio explicanda ? ibid.
TASSILO, *Boiorum dux maieſtatis reus condemnatur* I. 671

Telearchus *quis?* II. pag. 158
Telonarii *qui?* II. 120
Temperamenta *Sanguineum, Cholericum, Melancholicum & Phlegmaticum deſcribuntur* I. 152. ſqq.
eorum diuerſitas vnde? 152
eorum mixtura & propenſiones, 154
Templum *quodnam Iudaei, Chriſto reſpondentes intellexerint?* I. 93
Zorobabelis cur eos intellexiſſe non credibile ſit? ib.
Materni vbi eius veſtigia ſuperſint? 49
Tempus *genuinum de compilatione libelli* Tertulliani I. 7
Tenzelii *delineatio de monumento Hippolyti commendatur* I. 17
Θεοπνευςίαν *oraculorum quis impugnarit?* I. 193
Terentivs (Clemens) *ICtus* Saluii Iuliani *diſcipulus* I. 811
Tertvllianvs *iudicum Rom. religionem laudat* I. 694
eius commentarius de pallio *an primum operum ſuorum?* 6
eiuſdem locus de cenſu examinatur 102
is laudatur 667
an ſtatim pallium ſumſerit, ſimul ac Chriſtianus? 6
quando is Presbyter factus videatur? 8
eius locus de veſtibus Chriſtianorum 3
is ridetur a plebe Carthaginienſi ob pallium 6
Tertvllianvs (Q. Septimius Florens) *ICtus* I. 800
Teſſera *amiſſa quo caſu inutile fiat cambium?* I. pag. 474
Teſtamenta *per vet. iur. principia priuata auctoritate condi non poterant* I. 496
ea iuri, quod vel ſcriptum, vel non ſcriptum, comparantur 496
Teſtamenta *nuncupatiua quomodo Lubecae facere oporteat?* I. 968
Teſtamenta *publica cur in quibuſdam Germ. prouinciis fieri oporteat?* ib.
ea condendi modus apud Romanos 424. ſq.
quando ea in Germania condi coeperint? 917
Teſtamenta endo procinctu *facta qualia fuerint?* I. 497. ſq.
cur ita dicta, oſtendit Theophilus ib.
Teſtamenta *alicubi non valent, niſi ad piam cauſſam, vel reip. aliquid relictum* I. 970
cur ea in comitiis calatis facta? 495
ea cauſſae litium eſſe dicuntur 978
Strykii *verba huc pertinent* ib.
Teſtamenta *reciproca inter coniuges quibus conditionibus Lubecae rata?* I. 955
an poſt adlatas XII. Tab. in comitiis calatis non amplius condita? 504 ſeq.
Teſtamenta *in procinctu facta cur populus rata habuerit?* I. 498
qualia in vſu fuerint tempore Vlpiani? 506
ea in procinctu fieri quando deſierint? 499
ea temporibus antiquiſſimis duorum generum erant 495

Teſtamenta *condere qui prohibeantur per legem decemuiralem ?* I. p. 501
ea cur apud Romanos per modum legis condita ? 978
proſcribenda ea eſſe e rep. non nulli cenſuerunt 938. 979.
an fuerint Abraami & Iacobi diſpoſitiones ? 938
Teſtamenti *Praetorii requiſita* I. 506
hodierni requiſita ib.
Teſtamentifactio *in ſolatium hominum inuenta eſſe dicitur* I. 930
teſtimonia Conſtantini M. *Imp. & Quinctiliani huc ſpectant* 931
cur eam indulſerint Romani ? 931. ſq.
ea comparatur legislationi 932
ea cur rectae rationi non conueniat ? 933
cur nec regulis prudentiae ? 935. ſq.
ea plerumque ex prauis adfectibus proficiſcitur 936. ſq.
a quibusdam gentibus ea maxime circumſcripta 938
ea quatuor potiſſimum modis in Germania reſtricta 947
ea poſt introductum ius Rom. in Germania innotuit 946
eius origo vnde repetenda ? 507
an ab Athenienſibus ad Romanos migrarit ? ib.
ea quomodo priuati arbitrii eſſe coeperit ? 501
eam in Germania paſſim impediunt heredes ab inteſtato 957. ſq.
eius in Germ. receptae effectus quinam ? 978
eius fata & mutationes inſpicere vtiliſſimum I. pag. 485
Teſtamento *quod relinquitur*, iure publico *legari dicit Papinianus* I. 950
Teſtamentorum *iura pleraque ex antiquis principiis fluunt* I. 506
Teſtamentum *eſt vocabulum iur. ciu.* I. 506.
Teſtamentum *per aes & libram, abolitis reliquis ſolum ad ius ciu. requirebatur* ib.
ex Praetorio non hereditas, ſed bon. poſſ. dabatur ib.
Teſtamentum *ſine heredis inſtitutione nullum iure Rom.* I. 973
Teſtamentum *ſi quis aliquo loco ſecundum iſtius leges condiderit, an & alibi ſubſiſtat ?* I. 972
Huberi & Strykii obſeruationes de hac quaeſtione ib.
Teſtamentum *eius, qui apud nos habilis cenſetur, an valeat de bonis alibi ſitis, vbi inhabilis cenſetur ?* I. 973
quando & a quibusnam ingratum coarguere licuerit ? 274
Teſtamentum inofficioſum, *cur ita dictum, in quo liberi iniuſte exheredati ?* I. 266
an vno verbo conſtare poſſit ? 973
id mutandi facultate an teſtator ſe abdicare poſſit ? 501
Teſtamentum *defuncti an probet ſibi debitam quantitatem ?* I. 655
Teſtamentum condere *quid* Io. Chryſoſtomo I. 494
Teſtandi *facultas liberrima ex XII. Tab.* 264
ea maxime coanguſtata ſub Auguſto

guſto I. pag. 514
Teſtandi *noua ratio per Decemuiros inuecta* I. 500
Teſtandi *quaenam ratio Romae fuerit ante XII. Tab.?* I. 949
quaenam poſt eaſdem? ib.
Teſtandi *libertas homini ex Iur. Nat. & Gent. deberi dicitur* I. 930
Teſtandi *ritus per aes & libram an ex XII. Tab.?* I. 505
Teſtandi *ius ante Romam conditam in Italia viguit* I. 508
Teſtari *in Germaniae quibuſdam locis non licet de bonis omnibus* I. 962
nec omnibus promiſcue in Germ. 948
comparatio huius iuris cum Romano 949
Teſtator *an de rebus vxori datis diſponere poſſit?* I. 491
Teſtaturi *iur. Lubecenſi proximis heredibus ad minimum* octo ſolidos & quatuor denarios *relinquere tenentur* I. 959
Teſtatus *pro parte & pro parte inteſtatus nemo decedere poteſt iure Rom.* I. 962
quo caſu contingere poſſit, vt quis pro patre teſtatus & pro parte inteſtatus decedat? ib.
an haec regula in Germ. vbique valeat? ibid.
Teſtem vnum oculatum plus, quam decem auritos valere, *dicunt Pragmatici* I. 645
Teſtem *depoſuiſſe oportet de ipſa re, ſi iusiurandum ſupplet. decernendum* I. 654
Teſtem vnum audire *quid Vinnio?* I. 640
Teſtes *in teſtamento adhibendos quomodo olim rogari oportuerit?* I. pag. 507
quinam olim in teſtamentis admiſſi? ib.
Teſtes Claſſici *quinam Romae dicti?* I. 950
Teſtimonia *Euſebii & Hegeſippi ae veſtitu* Iacobi *ponderantur* I. 63
Teſtimonium *quomodo comparatum eſſe debeat, ſi iusiur. ſupplet. deferendum?* I. 654
Teſtis *vnus non audiendus iure Rom. per Conſtitutionem Conſtantini* I. 639
Teſtis *in propria cauſſa ſit de credulitate iurans* I. 645
an filius patri ſit idoneus teſtis ſecundum ius Rom. an pater filio, an domeſtici patrifamilias? 644
Teſtis *in propria cauſſa nemo eſſe debet ſecundum ius Rom.* I. 643
id quod illuſtratur loco Ciceronis ibid.
Teſtis *ſit in propria cauſſa in ſupplementum iurans* I. 644
THEODORVS, *monachus Graecus, Angliam petit* I. 36
is tantiſper Romae latet, dum in coronam tonſus ib.
is Archiepiſcopus Cantuarienſis ordinatus a Papa Britanniam remeat ib.
THEODOSIVS M. *quid ratione matris iterum nubentis ſanxerit?* I. 591
quid ex hac diſpoſitione ſucceſſu temporis mutatum? 592
eius numus explicatur 70. ſq.
an ex eo habitus ſacerdotalis antiquus

tiquus recte dedicatur? I. p.71
THEODOSIVS M. *in conſtitutione, de codicis ſui auctoritate edita, de paucitate verorum ICtorum conqueritur* I. 534
is laudatur, quod ſupplicia damnatorum in 30. dies differri iuſſerit 686
Theologiae *gentilium quot genera?* I. 182
THEOPHILVS *an recte putet, antiquitatum ignorantiam nullo cum periculo coniunctam eſſe?* I. 435
Theoriae *iuris neglectus* I. 539
THOLOSANI (Greg.) *error de tutela mulierum* I. 823
THOMAE Aquinatis *obſeruatio de baculo* Petri I. 42
THOMASII (Chriſtiani) *regula de ſignis morum ex facie humana petendis* I. 159
Thracismum *in Phaedri fabulis ſibi reperiſſe viſus eſt Scioppius* I. 708
Thymiamatis *Altare; ad id non admittebantur Iſraelitae* I. 63
TIBERIVS. *quando eum Auguſtus Imperii conſortem adſumſerit?* I. 104
eiusdem anni varie numerantur 105
eius era Proconſularis illuſtratur, & ad natiuitatem Chriſti adplicatur ib.
is SCo feminis quaeſtum corpore facere prohibet, quarum aut pater, aut maritus eques Romanus fuerat 288
eius chronotaxis 103
eiuſdem principatus duplex initium 104
Tibicinum *collegium primum erat eorum, quae Numa inſtituit* I. p.372
TIMOCRATES *cur damnatus ab Athenienſibus?* I. 670
Tinctores *apud Romanos deſcribuntur* I. 374
Toga *Romanorum, genus veſtium* I. 3
Togam *an Chriſtiani cum ſuperſtitione Romana poſuerint?* I. 5. ſq.
Tonſura *olim inter adiaphora referebatur* 35
variae de ea opiniones I. 26. ſq.
ad eas reſpondetur 27. ſq.
an ex Euſebii *loco Apoſtolorum colligatur?* ib.
an ex Gregorii Nazianzeni? ib.
an ex Ammiani Marcellini? ib.
de ea diſputatum in Gallia 36
ad eam de Petro probandam Pontificii argumentis futilibus vtuntur 37. ſq.
Tonſura *Petri neganda ex duplici fundamento* I. 38. ſq.
Tonſura *Pauli cur non admittenda?* I. 74
Hiſtoria controuerſiae Anglicanae de tonſura Petri & Pauli I. 35. 36
Tonſura *triplex in Anglia ſtatuta* I. 36
ea in formam coronae facta quid ſignificet? 36
Tonſura *Clericorum vnde originem habeat?* I. 19
ea initio monachorum propria ib.
ea quando omnibus Clericis neceſſaria viſa? 20
eius ritum a quo deducant Romanenſes? 34
Tormenta *quando decernere poſſit iudex?* I. 692

Tormen-

Tormentis *extortae confeſſioni non temere credendum* I. pag. 690
Tormentorum *anceps effectus demonſtratur exemplo* I. 690. ſq.
Tortura, *an confeſſio extraiudicialis ad eam ſufficiat?* I. 687
Traditio *quid circa ſeruitutes?* II. 207
quid & quomodo fiat, quoad Dominos? 285
an illa hodie in immobilibus ſufficiat ad transferendum dominium? 288
Vide Emtio *&* Venditio.
Transactio *an de criminibus capitalibus licita?* I. 702
Translatitium *edictum quid?* I. 506
Trapezitarum *vbi fiat mentio in iure Rom.?* I. 442
Traſſa *vel* Tratta *quid in negotio collybiſtico?* I. 446
Traſſans *quis dicatur in cambio?* ib.
Tresuiri *a Romanis legum deſcribendarum gratia Graeciam miſſi;* I. 508
Treuirenſis *Eccleſia ob antiquitatem ſuam quid ſibi adſerat?* I. 42
Treuiros *an miſſus fuerit* Eucharius? I. 43
TRIBONIANO *iniuria multi tribuunt errores* I. 538
Tribuni plebis *turbas exitant in rep. Rom.* I. 385
Tribuum *in Germ. inſtitutarum effectus fuere triſtiſſimi* I. 410. ſq.
TVLLVS HOSTILIVS Numae *inſtituta circa collegia opificum ſuſtulit* I. 378
is omnia ad virtutem bellicam retulit ibid.
Tunica *non numquam loco dalmaticae legitur* I. 26
Tunica *clauis purpureis inſignis quomodo vocata, & a quibus geſtata?* I. pag. 24
Tunicae *lineae quando induendae a Sacerdotibus?* I. 64
veſtium harum ſanctitas ib.
, eae detritae quibuſnam vſibus deſtinatae? ibid.
Tunica *Chriſti inconſutilis, de illa* Nonnus. II. 96
Turpes *perſonae ex hereditate aliquid capere prohibentur per L. Pap. Popp.* I. 281
quaenam iſtae ſint? 284. ſqq.
quomodo vocentur ab Vlpiano? 285
Turpitudo & *leuis nota quomodo diſtinguantur?* ibid.
TVSCIANVS, *ICtus, cum* Iuliano *&* Aburnio Valente Iauoleni *diſcipuli* I. 810
Tutela *: ita dicta a Germanis parentum poteſtas in liberos* I. 608
Tutela *maritalis hodienum non in vniuerſa Germ. obtinet.* I. 867. ſq.
prouinciae, vbi ea exoleuit, recenſentur ib.
eius effectus in Germania 865
qui adhuc hodie ſuperſunt paſſim in Germania; etiam vbi ius Rom. receptum 880
Tutela *maritalis Romanorum in vxores a quibuſnam Imperatoribus abolita?* I. 842
an ei obſtet communio bonorum inter coniuges iure Germanico? I. 851
ea in legibus Germ. praeſidium reperit 852
id oſtenditur ex Lege Wiſigothica & Bur-

& Burgundica I. p. 852. ſq.
it. ex chartis & formulis 855
ea firmata iure Sax. Suecico, Normannico, variis Statutis Germ. Galliae, Belgii, Italiae, aliarumque orig. Germ. gentium 864
cur ei vxores credere noluerint legislatores? 824
Tutela *muliebris perpetua Rom. quando euanuerit?* I. 844
Tutela *mulierum Romanarum quotuplex?* I. 832
Tutela *mulierum Atticarum qualis fuerit ante nuptias?* I. 827
qualis iam nuptarum 829. *viduarum?* 830
Tutelae *mulierum Atticarum & Romanarum comparantur* I. 831. ſq.
ea quando ad Archontem redierit iure Attico? 831
Tutela *ſuprema gaudent Principes apud Germanos* I. 721. ſq.
eius indoles 727. *& fundamentum* 731
huius definitio 729
eius veſtigia occurrunt in antiquis Germ. legibus 722
ea inueſtiti Principes Germ. 724
eius effectus 732. 744
eiuſdem differentia quatenus vel Principi, vel magiſtratibus inferioribus competit 730. ſq.
Tutela *ſuprema magiſtratuum in Germ. non ſemper a iuriſdictione promanat* I. 731
Tutela *perpetua feminarum quomodo diuidatur?* I. 833
Tutela *teſtamentaria in XII. Tab. fundamentum reperit* I. 718
eius antiquitas ib.
Tutela *legitima apud Alemannos non erat gratuita* I. pag. 853
an nota fuerit ante XII. Tab.? 718
Tutela *agnatorum legitima Graecis ſuſpecta viſa?* I. 717
Tutela *ceſſitia quae ſit?* I. 833
ea apud Rom. gratuita erat 744
ea cur iure Germ. non ipſo iure finiatur? 741
ea apud Rom. hereditatis inſtar erat 733
Tutela *pupillorum Ducibus & Principibus in inaugurationibus commendata* I. 725
id quod patet exemplis Ducum Bauariae & Carinthiae 726
Tutela & poteſtas mariti in vxorem *apud Germanos vnum idemque* I. 849
Tutelae *cur facta mentio in lege Decemuirali* PATERFAM. *&c.* I. 502
Tutelae *in Germania & feminae adultiores ſubſunt* I. 729
Tutelae *genus mixtum perperam ſtatuunt* Vinnius & Huberus I. 735
ei ſubeſſe non poterant filiifamilias iure Rom. 825
Tutelam *fructuariam in Germ. non fuiſſe ignotam, oſtenditur* I. 745
eam adminiſtrandi ius quando incipiat? 736
eam initio Romani magiſtratibus non demandabant 718
eam non debent Athenienſibus 825
Tutelas *teſtamento conſtituendi facultas ex XII. Tab. eſt.* I. 513
Tutor *quis eſſe poſſit iure Rom.* I. 841
is ex L. Iul. Pap. Popp. feminae

quo caſu conſtituendus ad dotem dandam, dicendam promittendamue I. pag. 835
Tutor; *cur is eiusue filius iure Rom. feminam ducere prohibeatur, quam tutela regit?* 842. ſq.
Tutor *acturus in iudicio quomodo ſe legitimare teneatur iure Germ.?* I. 738 ſq.
Tutor *non rei ſed perſonae datur* I. 503
inter eum & curatorem iure Germ. nihil differentiae 728
Tutores *pro pupillis petere quem oportuerit iure Rom.?* I. 739
ii iure Germ. omnes confirmandi 732. 735. 736
eos magiſtratus in Germania etiam non rogati conſtituunt 739
ita per Receſſus Imp. cautum ib.
Tutores *Datiuos iure Germ. non confirmandos putat* Strykius I. 735
an recte ſe habeat eius ſententia? 736
Tutores *furioſos & minores pater liberis conſtituere poterat ap. Rom.* I. 513
Tutores *legitimi qui in iure Rom.?* I. 733
ii quando ad rationes reddendas coegerint iudices Rom.? 729
Tutores *Graeci cur* κυρίοι *dicti?* I. 829
Tutores petere *quid iure Rom.* I. 739
id pupillus non poterat ib.
Tutoris *confirmatio quidnam efficiat iure Germ.?* I. 736
quid ſit iure Rom.? 734
Tutoris *datio iure Rom. non erat ordinariae iuriſdictionis* I. 235. 720
ea neque imperii eſt, neque iuriſdictionis. II. pag. 223
Tutorium *vel curatorium quid iure Germ.?* I. 737. ſq.
Tutorum *adminiſtratio vicaria in Germania in legibus publ. fundata* I. 737
Tyrus *colonia iur. Ital.* αὐτονόμος. I. 709

V.

V*Acatio a muneribus publicis nautarum priuilegium* I. 340
Vadia *quid?* II. 16
Vadimonium: *promittentes manus tollebant* I. 425
Vaginae *an vna cum armis prohibitis cenſeantur prohibitae?* I. 328. ſq.
Valeria *an in* Andronis Sextili, *mariti tutela fuerit?* I. 825
Valesii *ad* Euſebii *locum commentatio* I. 15
Valuta *quid in cambio?* I. 446
an eius facienda ſit mentio in litteris cambialibus? 455. 473. ſq.
Varronis *vetus dictum de philoſophis, hodiernis temporibus quoque adplicandum* I. 109
Varus (Quinctil.) *Syriae Praeſes* I. 100
ſub eo Chriſtus natus 101
Tertulliani locus ea de re explicatur 102
Vaterloſe & Muterloſe Wayſen: *quid ex hac loquendi ratione demonſtretur?* I. 610
Vecordium *hominum inceſſus* I. 173. ſq.
Vectigalia *plurima apud Romanos* I. 335
ea an iure exigi queant? ib.

Vectiga-

Vectigalia *an in libero mari exigi queant?* I. pag. 335
Danorum & Suecorum ea de re contentiones ib. ſq.
an in fretis ſoluenda? ib.
ea defraudantium poena non eadem 336
de Vectigalibus *quid?* II. 113. 116 119. 123
Velitis iubeatis Quirites : *formulae huius explicatio* I. 422
Venditio *illicita fructuum in herbis?* II. 275. ſqq.
Quid de venditione, ſuper qua contrahentes inſtrumentum fieri volunt? 281
Quae res venire poſſint? 291
Vide Dominium, Emtio, Fructus, Ius.
De Venditore *quid in Edicto Turcii Aproniani?* II. 97
Venena *mala qui vendiderant, quomodo puniti?* I. 325
quanta circumſpectione ea hodie vendantur? 330
Verba *in ſe nec ad veritatum, nec ad bonorum claſſem pertinent* I. 122
Verba *ciuilia quaenam?* I. 512
Veſtali *ſacerdotio tutela mulierum perpetua finiebatur iure Rom.* I. 832
Veſtes *ſacrae a monialibus non tangendae* I. 21
Veſtes *Iudaicae ad Religionem pertinebant* I. 30
Veſtes *litteratae Apoſtolorum* I. 76. 77
Veſtes *antiquae ſacerdotales an hodiernis ſimiles fuerint?* 16
Veſtes *ſacrae, in Occidente multo tardius definitae quam in Oriente,* I. 18
Veſtimenta *Clericorum a laicis non attingenda* I. 12
Veſtimenta *inter gentilium & Chriſtianorum an diſcrimen ſit?* I. pag. 5
Veſtis *alba : quos ea vti oportuerit?* I. 17
Veſtis *Romanorum toga* I. 2
Veſtitus *ratione an Chriſtiani ſe prodiderint?* I. 4
Veſtium *ſacrarum mentio fit a Patribus nonnullis* I. 17
myſterium in eis non quaeſiuerunt antiqui 18
eae non eiuſdem vbique formae ib.
quando vbique introductae? ib.
Veſtium *genus Chriſtianorum quodnam?* I. 2
earum forma pendet ab arbitrio gentium
Vicaria *tutorum adminiſtratio in Germ. legibus publ. fundata* I. 737
Vidua *quo iure fructus liberorum ſuorum percipiat iure Hamburgenſi?* I. 631
Viduae, *cur eas Hebraei Deo curae eſſe cenſuerint?* I. 822
earum tutela qualis fuerit iure Attico? 830
VIGL. ZVICHEM. *de teſtandi ritu ſententia.* I. 504
Vindicatio, *quae per eam legari olim potuerint iure Rom.* I. 491
Vindiciae *qua formula olim petitae?* I. 426
Vindicationi *ſeruorum an iure ciu. obſtet praeſcriptio?* I. 893. ſq.
Vini *adulteratores quomodo puniendi?* I. 333
eius effectus oſtenſus a Callimacho 695
Vini *cauſſa emtae quaenam prouinciae a Ludouico Germ.?* I. 756

VINNIVS *an recte ſtatuat mixtum tutelae genus?* I. pag. 735
Vinum *plurimis Germaniae gentibus olim ignotum* I. 316
Vir *an vxori mente captae curator dari poſſit ex diſpoſitione iur. Rom.?* I. 844
Virtute *praeditorum qualis inceſſus?* I. 175
Vitia *cambii ob correalem obligationem* I. 467
Vitia *cambiorum extrinſeca* I. 480. ſq.
Vitiorum *cambialium cauſſae triplices* I. 458
Vitiari *quando dicantur regulae iuris?* I. 457
Vitium *quomodo a morbo differat?* ib.
Vitium *cambii quid & quotuplex?* ib.
Vlmenſes *quando ſibi Conſules & Tribunos plebis conſtituere coeperint?* I. 408
VLPIANVS, *qui Athenaei ſympoſio interfuiſſe fingitur, cum ICto confunditur* I. 709
VLPIANVS *ex Domitia familia prodiit.* ib.
ei iniuria affinguntur Hebraiſmi ib. ſq.
eius laudes & natale ſolum 707
ſemi-iudaeus is vocatur ab Eu. Ottone 708
eius temporibus quaenam teſtamenta in vſu fuerint? 506
locus eius emendatus a Corn. van Bynkershoek 973
VLPIVS MARCELLVS *& aemulus* Salu. Iul. *acerrimus* I. 812
Vnitas *perſonae inter patrem & filium impediebat, quo minus iure Rom. patri in bonis liberorum vſusfructus eſſet* I. pag. 594
Vniuerſitati *delatum iusiurandum ab iſtius Senioribus praeſtari debet* I. 657
VOCONIA *lex feminas hereditate excluſit* I. 51[illegible]
Volenti non fit iniuria. *id axioma adplicandum ad propriam reorum confeſſionem* I. 673
Voluntati *vltimae deuotorum refragari inauſpicatum videbatur Romanis* I. 498
Voluntatem *vltimam νόμον vocat Priſcus* I. 494
Voluntatis *emendatio an ex emendatione intellectus recte deriuetur a Socrate?* I. 113
Voluptatis *venereae, ſeu laſciuorum inceſſus* I. 169
Voluptatis *Bacchicae inceſſus* I. 171
Vota pro ſalute tua facimus: *formula Romanorum in precibus.* II. 9.
Vrbem Templum ſibi viſam eſſe, *profitentur* Pyrrhi *Epirotae caduceatores* I. 423
Vrbes *habitabant ſerui Francorum temporibus* I. 406
Vrbibus *& oppidis caruere Germani antiqui* I. 404
Vſucapio. *eius origo ex iure ciu.* I. 883
ea quomodo eleganter vocetur a Cicerone? 885
Vſucapione *annua vxor iure Rom. antiquo materfamilias fiebat* I. 433
Vſucapionis *interruptio qua ratione olim facta?* I. 425
Vſurae *damnantur a Pontifice* I. 447
Vſus *iurisiurandi ſupplet. in foris Germ. oſtenditur* I. [illegible] ſq.
Vſusfructus *in poenam ſecundarum nuptiarum*

nuptiarum conſtitutus an in Germ. receptus? I. pag. 594
ICti qui id adfirment? ib.
Vſusfructus *maternus Iur. Germ. quomodo differat a Romano?* I. 595
is an extra Germaniam obtineat? 599
is finitur in Belgio confecto inuentario ib.
prouinciae in Germania recenſentur, in quibus viget 601
eius fundamentum quodnam? 609
deſcribitur verbis Statuti Hamburgenſ. 583
an ex Authentica Praeterea *adhuc in vſu ſit?* 593
eum origine Germanicum eſſe, demonſtratur ex L. Wiſigothica 596
is apud Burgundiones in vſu erat 597
quibus modis is finiatur? 626. ſq.
eo finito quomodo fiat bonorum diuiſio? 627. ſq.
Vſusfructus *paraphernalium iure Rom. ignotus* I. 866
is vnde ſit receptus moribus Ger.? ibid.
Vſusfructus *paternus an in bonis aduentitiis liberorum iure antiquo Rom. obtinuerit?* I. 583. ſq.
is quomodo inualuerit iure Rom. 585
Vſusfructus *legitimus an matri iure Rom. competat?* I. 587
eius fundamentum patria poteſtas ib.
Vſusfructus *bonorum liberorum an matri illa abligurienti adimatur?* I. 615
Vſusfructus *in bonis pupillorum vaſallorum eſt effectus ſupremae tutelae in Germ.* I. pag. 744. ſq.
is improprie dominium *adpellatur* 601
quid iure Rom.? 584
Vſusfructus *teſtamento relictus an adimatur matri ob ſecundas nuptias?* I. 592. ſq.
Vſusfructus *in bonis aduentitiis liberorum inuectus a* Conſtantino M. I. 585
Vſusfructus *in bonis emancipatorum pro parte dimidia a Iuſtiniano* I. 586
Vſusfructus *in bonis illegitimorum an competat matri?* I. 588
quid Lynkerus ad hanc quaeſtionem? ib.
is quo caſu matri iure ciu. conſtituatur? 589. ſq.
is iure Germ. antiquo multo pinguior quam Rom. 616
ille refertur ad ſpecies dominii vtilis a Thomaſio & Schiltero ib.
Vſusfructus *legati & legitimi differentia* I. 617
Vterini *quando inter hos & conſanguineos diferentia ſublata fuerit a Graecis?* I. 260
Vuae *ad vindemiam nondum maturae commercio exemtae ſunt per ordinationem Polit.* I. 332
Vultus *hominum non fruſtra diſtinxit Deus* I. 132
id quod demonſtratur teſtimoniis ſacris & profanis ib.
Vxor *quid ſine curatore poſſit in Saxonia?* I. 877
Vxorem *inuito patre ducentis poena iure*

iure Germ. I. pag. 853
Vxores *temporibus* Pomponii *rarius in manum conueniebant* I. 492
Vxores *plebeias, non libertinas ducere licebat ante L. Pap. Popp.* I. 281. ſq.
eae iure vetere Celtico in tutela vel poteſtate mariti erant. 849
Vxori, *quae in manum conuenerat paterfamilias teſtamento tutorem recte conſtituebat iure Rom.* I. 513. ſq.
exemplum Hiſpalae Fecenniae 514
an mente captae vir curator dari poſſit? 844
Vxoris *curator quomodo hodie fiat maritus in Saxonia?* I. 871
Vxorum *a maritis aliis ceſſarum exempla* I. 834. ſq. 503

W.

WALEFRIDI STRABONIS *& aliorum teſtimonia, quod Sacerdotes 3. priorum Saec. non alio ſigno ſe diſtinxerint a laicis, quam morum probitate & ſanctitate* I. 12. ſq.
Waradeins *ſeu* Zygoſtatae, II. 54. 61
WATTERI (Io.) *ſententia de querela inofficioſi expenditur* I. 276
Wiſigothi: *apud eos liberi aeque in matris ac patris poteſtate erant.* I. 596
ii pueros decennes teſtari patiebantur 956
WISSENBACHIVS *quomodo explicet verba* Seueri *Imp. de religione iudicantium?* I. 665
Wurtembergiae *Duces ſe* Obriſte Vormünder *in reſcriptis ſuis vocant* I. 721
ii leges tutelares a Venetis petierunt 722

X.

XENOPHON *Athenienſibus ſuadet, vt mercatores honore proſequantur* I. 549
XENOCRATI *iniurato credendum eſſe putabant Athenienſes* I. 644. ſq.
Χιτῶνα *quid Graecis?* I. 30

Z.

ZACHARIAS *ſacerdos neminem in Sanctuario comitem habebat* I. 64
ZALEVCVS *quibusnam legibus rempubl. inſtruxerit?* I. 547
ZENO *imitatus a* Salu. Iul. *ICto* I. 807
Zoll-Stangen (*Statuae mercuriales*) I. 337
ZOROASTRIS *oracula* I. 189
ZOROBABELIS *templum Iudaeos, Chriſto reſpondentes intellexiſſe, cur non credibile ſit?* I. 93
ZVENTEBOLDVS *Rex Lotharingiae non Dux.* I. 757
ZVICHEM. (Vigl.) *de teſtandi ritu ſententia,* I. 504
Zygoſtatae, *qui?* II. 52
ii & Monetarii, alias die Waradeins, 54. 61

ORDO EXERCITATIONVM

SYLLOGES II.

Exercit. XXVIII. De Pecunia, in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus, aliiſque, ſententias impugnantibus, deponenda. - - *pag.* 1
XXVIIII. De Monetae reductione ad iuſtum pretium. 36
XXX. De Iure Principis circa Commerciorum libertatem tuendam 79
XXXI. De Iure Principis circa Ciuium ſtudia. 133
XXXII. De Cauſſa Seruitutum perpetua - 177
XXXIII. De Locatione Conductione Iuriſdictionis. 222
XXXIIII. De Venditione illicita fructuum in herbis. 275
XXXV. De Dominis, Subditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus. 305

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS
A Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph. in ill. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

OPVSCVLORVM

VARIORVM

SYLLOGE III.

IN QVA

PRAEFATIONES

ALIENIS LIBRIS
PRAEMISSAE.

GENEVAE,
Impenſis HERED. CRAMER, ET FRATR. PHILIBERT.

cIↄIↄCCXXXXVIII.

HONORATISSIMO LECTORI

S. P. D.

BIBLIOPOLAE.

QVI tibi nuper, honoratiſſime lector, impenſis noſtris exhibuimus *primam* et *alteram* SYLLOGEN OPVSCVLORVM VARIORVM diui HEINECCII, iam promiſſi noſtri memores *tertiam* et *quartam* nunc damus. Tertium ſpeciatim quod attinet, ea complectitur omnes celeberrimi auctoris praefationes, ſeu *commendationes potius*, aliorum *libris praemiſſas*, *in quarum* ſingulis et de auctore cuiuſque *libri*, deque eius in rem litterariam meritis agit, multa hinc inde corrigit ac ſupplet, in pleriſque vero ſimul ſingularem quandam materiam pertractat. Libros, quibus praemiſſae initio fuerant, laudauimus initio ſtatim praefationum in margine. Quarta denique ſylloge exhibet opuſcula minora varii argumenti, diuerſis temporibus et occaſionibus elaborata, quaeque reliquis in tertia ſylloge contentis mole tantum, non alia re, cedunt. Singula enarrabit index ad finem adiectus, materias vero pertractatas alter rerum et

verborum multa cura ac ſtudio a viro conſultiſſimo elaboratus. Quumque libri quarto operum tomo deſtinati praela noſtra iam reliquerint, ſimul cum tertio hoc dabimus quartum in quo praeter *Hiſtoriam iuris ciuilis Romani et Germanici*, multis ac magnis mendis iam purgatam, accipies *Antiquitatum Romanarum ſyntagma* ex annotationibus diui auctoris inſigniter auctum. Haec monenda duximus. Scrib. GENEVAE *a. d.* 10. *Febr.* cIↃIↃCCXXXXVIII.

IO. GOT. HEINECCII IC.
OPVSCVLORVM VARIORVM
SYLLOGE III.
In Qua
PRAEFATIONES
ALIORVM LIBRIS PRAEMISSAE.

I.
DE THOMASII DELINEATIONE HISTORIAE IVRIS.

* * * * * * * * * * *

QVum aeſtiuo hoc ſemeſtri hiſtoriam iuris publicis praelectionibus illuſtrare conſtituiſſem: non concinnior mihi, quem ducem ea in re ſequerer, occurrit libellus, quam THOMASII noſtri *Delineatio hiſtoriae iuris* quatuordecim abhinc annis cum *Antitriboniano* FRANC. HOTOMANI edita à GEORG. BEYERO. Enimuero auſpicatus hunc laborem ſtatim animaduerti, elegantem illam, quam auditoribus meis commendaueram, delineationem in paucorum eſſe manibus, & vix tantam hic reperiri exemplarium copiam,

vt audientium vſibus ſuffectura videretur. Hoc vbi reſciuit auctor; facile, quae eſt inſignis eius in me beneuolentia, permiſit, vt libellum, a quamplurimis deſideratum, typographo cuidam recudendum darem. Et ita quidem factum eſt, vt novam iam, noſtriſque typis exſcriptam videas hanc delineationem hiſtoriae iuris pulcherrimam, ſed ſolam tamen, et ab Hotomani Antitriboniano ſeiunctam. Laudauit nuper hoc opuſculum BVRC. GOTTHELFF STRVVIVS in *prolegom. Hiſtor. iur.* §. 26. *pag.* 48. illudque breue quidem, at iuſtum vocauit vtriuſque iuris compendium. Sed dum ſtatim addidit, non ſatis eſſe adcuratum: ego quidem, quae eius ſit ſententia, ſcio cum ignariſſimis. Si enim ea hiſtoria parum adcurata illi videtur, in qua multa perperam et contra monimentorum fidem poſita ſunt: quo pacto hoc compendium *iuſtum* vocare potuit? aut cur non errorem aliquem in tam diffuſo opere ſuo notauit? Sin vero ideo minus adcuratus ipſi eſt libellus, quod breuis eſt, nec tanto allegationum adparatu onuſtus incedit: meminiſſe debuit laudatiſſimus auctor, delineationem ſcripſiſſe Thomaſium, cui non conueniunt tot notarum atque allegationum laciniae. Si cui tamen hic libellus ſitim mouerit, vt doctrinas breuiter hic ſignatas diſtinctius fuſiuſque explicatas videre geſtiat: ei reliqua auctoris eruditiſſimi opera abunde ſatis facient. Primos paragraphos 41. egregie illuſtrant libri duo *de naeuis iuris prudentiae anteiuſtinianeae*, ad quos nos ipſe doctiſſimus auctor remittit. Quæ de naeuis ipſius iuris Iuſtinianei obſeruantur a §. 42. ad §. 68. ea conferenda ſunt cum *praefatione*, *illis* libris *de naeuis iuris prudentiae anteiuſtinianeae* praemiſſa. Hiſtoriam iuris Germanici antiquam, quae §. 69. *ſeqq.* exponitur, non parum illuſtrabit Diſſert. *de morum cum iure ſcripto contentione*: quemadmodum et ea, quae §. 99. de iure canonico obſeruantur, luculentius expoſita ſunt cum in *Cautelis iuris eccleſiaſtici*, tum in *notis* egregiis *ad Lancellotum*. De iuris Saxonici et Sueuici antiquitate nonnulla obſeruata ſunt in delineatione hac §. 111. ſed iis iungenda *Capita ſelecta iuris feudalis Germanici* §. 45. *ſequ.* Ad illuſtrandam hiſtoriam iuris Lubecenſis, de qua §. 107. facient *notae ad* Conradi Sinceri *Diſſertat. epiſtolic. pag.* 22. *ſequ.* in quibus etiam *pag.* 48. multa reperies, quibus hiſtoriae de controuerſia doctorum iuris et ſcabinorum, quae §. 173. *ſeqq.* huius delineationis exponitur, lux adfundi poſſit egregia. Addendae tamen ſimul ſunt *notae ad* Melchioris ab Oſſen *Teſtamentum*, & *Annales* iſti libro ſubiuncti, in quibus haec vineta egregie caeduntur. Denique quae ſub finem delineationis de vſu hodierno iuris Romani, formandoque rite ſtatu controuerſiae mouentur, ea omnia auctor ſingulari diſſertatione vberius propoſuit a. 1715. Haec ſunt, beneuole lector, quae monere viſum eſt. Tu fruere his, & vale. *Halae Magdeburg.* 1718.

II.

II.

DE VTILITATE STVDII ANTIQVITATVM IN IVRIS PRVDENTIA.

PRaeclare illi mihi mereri videntur de vniuerſa iuris prudentia, qui legibus noſtris ex antiquitatibus foenerantur lucem, earumque genuinum ſenſum ex ipſo rei Romanae ſtatu ita eruunt, vt lectores ſuos nihil, quod ad eam rem pertinet, ignorare patiantur. Quamuis enim hanc obſcuram, quam vocant, diligentiam rideant homines barbari, ſoli gloſſatorum ſapientiae innutriti, & id per omnem vitam agentes, vt aliquando vultures togati haud poſtremi audiant: ab eorum tamen ſtolida opinione ſemper ego ſententiam meam ſeiunxi, et ſeiungam, quoad vixero, longiſſime. Iureconſulti eſt, leges adplicare factis obuenientibus, et eas quidem leges, quas forum noſtrum recepit. Quum vero non vniuerſum ius Romanum receperit Germania, ſed illas tantum leges, quae rei publicae noſtrae formae ac conditioni concinnae videantur: facile vnus quiſque animaduertit, quas receperimus leges, quaeque in foro noſtro vigeant, non niſi eum intelligere poſſe, qui, quibus rationibus adducti Romani haec ſanxerint, adcurate compertum habeat. Quod ſi enim lex quaedam ita comparata ſit, vt Germanorum rei publicæ non magis, quam puero Herculis cothurni, quadret: certiſſimum eſt, eam in Germanicis foris exſulare, & numquam recipi poſſe ſine inſigni imprudentia. Atqui rationes cauſſaſque legum non ex gloſſatorum et pragmaticorum lacunis, (quid enim illi tenebriones viderint?) ſed ex ipſis interioris antiquitatis fontibus haurimus. Quare quum iſti homines miſeram atque obſcuram noſtram diligentiam iure ſibi videantur ridere: licebit et nobis iure noſtro vti, et ridere Herculeos pragmaticorum labores, qui, vbi de vſu vel non vſu legis incidit quaeſtio, mille *deciſionum* volumina, totidemque *conſiliorum*, *definitionum*, *obſeruationum practicarum*, *practicarum practicatarum*, et *relationum* grandioris ſtaturae libros euoluunt, vel incertiores inde redituri, quam dudum fuerant, vel ipſo Croeſo ſe exiſtimaturi beatiores, ſi caſum, (vt elegantiſſime loqui ſolent,) in terminis terminantibus inueniſſe ſibi videantur. Ad has lapicidinas

et latomias illos, prout merentur, condemnauit adcuratioris antiquitatis atque interioris iuris prudentiae ignoratio. Quodſi enim leges, earumque cauſſas et rationes recte intelligerent: magni profecto iſtius laboris maximum facerent compendium. Viderunt hoc olim Cviacii, Hotomani, Bvdaei, Pithoei, Raevardi, (at quanta nomina!) & noſtro aevo iureconſulti praeſtantiſſimi, idem litterarum praeſidium magnopere inculcant. Sed quemadmodum ſemper pauciores, qui ſapiunt, reperiuntur: ita ſurdis cecinerunt canuntque fabulam. Quin eo res rediit, vt quo magis quiſque genuinae iuris prudentiae ignarus, quoque verſatior eſt in inſulſiſſimis pragmaticorum libellis, eo altiore ſupercilio deſpiciat viros iureconſultiſſimos, et nonnumquam doleat eorum vicem, quos putat aliquando magnum in iuris prudentia nomen conſequi potuiſſe, ſi ſuo exemplo has theoreticas nugas, (tanti iis eſt ſolidior litteratura,) parcius attigiſſent. Liceat mihi iam hos homines ſuauiter ridere, qui eos in tenebris verſari, et ad cauſſas agendas, id eſt, ad auream illam homines aere emungendi praxin ineptiſſimos putant, quibus genuinam θεωρίαν cordi eſſe intelligunt. Hi ſane boni viri ipſi Cviacio, ſi reuiuiſceret, ſtatus mouerent controuerſiam, eique ſi ad forenſe adſpiraret regnum, auctores eſſent, vt primo poculum Lethaeum exhauriret, quo eum omnium nugarum theoreticarum caperet obliuio: deinde eum aliquot practicas practicatas deuorare, et formulas clauſulaſque libellandi, (ſit venia malae pragmaticorum grammaticae,) excipiendi, replicandi, duplicandi, leuterandi, ſupplicandi, adpellandi, teſtes producendi et reproducendi, ſaluandi, excipiendi, addo et calumniandi, confundendique omnia ediſcere iuberent. Vix enim tantae ſapientiae capax eſſe exiſtimant humanum ingenium, vt quis in foro poſſit operae pretium facere, qui per omnem vitam barbariei non adſueuerit. O miſeros homines, qui omnem in eo iuris prudentiam poſitam eſſe credunt, vt quis praeter vmbratilem illam formularum ſcientiam, et vulgaris iuris prudentiae confuſiſſimae praecepta nihil didicerit! O iniquos rerum aeſtimatores, qui tam ſolliciti ſunt de finibus humani ingenii regundis, vt eos male in foro verſari opinentur, qui in theoria paullo diutius inutilem, vti ipſis videtur, operam collocarint. Quaſi vero tam ſubtilis ac abſtruſa ſit illa pragmaticorum ſapientia, vt nemo admitti poſſit ad horribile iſtud ſecretum, niſi per omnem vitam barbarie probe ſit initiatus, eiuſque inſignis ſtupiditatis plura ediderit documenta. Marcvs Tullivs Cicero, maximum illud, quod vſquam enituit, ingenium, ſuccenſens pragmaticorum ſuperbiae, alicubi (*) minatur, *ſe, ſi ſibi, homini occupato, ſtomachum moverint rabulae*, ...

(*) *Pro Murena*, cap. 13.

triduo, iureconſultum profeſſurum. Eadem ſponſione, vt opinor, cum illa rabularum cohorte contendent ſolidiores iuris periti, ſe, licet numquam in foro ruperint ilia, breui profeſſuros eſſe pragmaticos, ſi ſibi ſua ſtultitia placere pergant. Laudandum eſt praxeos ſtudium, et commendandum adoleſcentibus, ad maiora natis; nec arbitror me tam eſſe in eo hoſpitem, vt de re ignota iudicare videar. Sed praxi ſine adcurata theoriae atque antiquitatum notitia inhiare, ad eamque aliis praeire viam, idem mihi videtur, ac dare operam, vt iuris prudentia pereat. Quae quum ita ſint, iam inde ab eo tempore, quo me ſummum Numen in hac ſtatione collocauit, eam mihi ipſi legem tuli, vt cum vſu atque exercitatione ipſam ſolidiorem iuris prudentiae theoriam coniungerem, et quantum in me eſt, eniterer, vt pares ſint auditores mei in vtraque diſciplina. Quum vero leges ſine ſolidiore antiquitatis ac litteraturae cognitione intelligi nequeant, nihil adhuc reliqui feci, vt meis interiorem hanc iuris prudentiam recluderem. Hinc non ſolum *Antiquitatum Romanarum, iuris prudentiam illuſtrantium, ſyntagma* edidi, quod praeter ſpem ita virorum eruditiſſimorum calculos tulit, vt de altera editione mox videatur cogitandum: verum etiam illud aliquoties praelectionibus publicis ita interpretatus ſum, vt liceat mihi huius operae fructum vberrimum ad conſcientiam referre meam. Breui ſequetur *Antiquitatum Germanicarum Tomus prior*, in quo iuris patrii origines, et principia magno labore, nec minore, vt arbitror, lectoris fructu expoſui, oſtendique, pleraque iura hodierna, quae vulgo vel e iure Romano, vel ex nouiſſimis legibus deriuantur, ipſis antiquiſſimorum Germanorum legibus et conſuetudinibus debere originem, niſi quod iuris peregrini admixtione fuerint inquinata. Prodibit ille in forma quarta, quam vocant, quia ita ſub manibus creuit labor, vt vno tomo totum opus concludere non potuerim. Ne vero interea in Romanis rebus otium mihi feciſſe videar: duo in ſtudioſae iuuentutis utilitatem facere ſtatui. Primo enim confeci *Commentarium* hiſtoricum et iuridicum *ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam*, cuius vtilitas, vti ſpero, per plura iuris noſtri capita ſe diffundet, qui ſtatim poſt nundinas vernas ſimul cum *Antiquitatibus Germanicis* ſub praelo ſudabit. Deinde ab eodem tempore ſubinde publici iuris faciam rariores doctiſſimorum virorum diſſertationes, quae ad illuſtrandum ius noſtrum egregie facere videbuntur, quaſque fruſtra adhuc in tabernis librariis quaeſiuerunt harum rerum ſtudioſi. Harum primus iam prodit faſciculus, tres complexus exercitationes, a viro celeberrimo, IACOBO PERIZONIO, magno Belgii ornamento, adcurata

curata diligentia elaboratas, et ante hos quadraginta tres annos coniunctim editas in forma, quam vocant, octaua. Harum una illuſtrat *legem Voconiam*, magnis adhuc inuolutam tenebris, ex quibus ſe vix expedire potuerunt viri doctiſſimi. Et quamuis haec lex, Gellio (†) teſte, iam pridem oblitterata fuerit per opulentiam ciuitatis: multa tamen *ob rationes Voconianas*, vt Ivlivs Pavllvs (*) loquitur, ſanxerunt leges Romanae, ad quae, ab hoc lumine ſi deſtitutus fueris, non poteris non caligare. Quare non minus vtilitatis ex hac diſſertatiuncula capient iurium ſtudioſi, quam ex Antonii Avgvstini *de lege Velleia*, Antonii Contii *de lege Iulia maieſtatis*, Barnabae Brissonii *ad legem Iuliam de adulteriis*, Francisci Baldvini *de lege Voconia*, *Falcidia*, *Aquillia*, Gerardi Noodtii *de* eadem *lege Aquillia*, Friderici Brvmmeri *ad legem Cinciam*, Cornelii *van* Bynkershoek *ad legem Rhodiam de iactu*, Iacobi Gothofredi, Ioannis de Pareia et Ramez del Manzano *ad legem Papiam Poppaeam*, Iacobi Raevardi *ad legem Scriboniam*, et Ephraimi Gerardi *ad legem Fuſiam Caniniam* luculentiſſimis commentationibus. Quos libellos omnes eo magis in oculis ferunt eruditi, quo minus vulgo verſantur in iureconſultorum manibus. Primum opuſculum potius ad antiquitates Ebraeas, quam Romanas, videtur pertinere, videlicet ad *conſtitutionem diuinam de leuiratu*. Et ſane non minus per Ebraicas, quam Romanas res Perizonivs circumtulerat viuidam indolem, tantumque praeſtiterat in vtriſque, vt alterutris ſolis per omnem vitam videretur inuigilaſſe. Enim vero et hic reperiet iuris Romani cultor, quae in vſum ſuum conuertat; nonnulla etiam, quae admiretur. Multa ſane de nominibus Romanorum, multa de adoptione, aliiſque huius generis antiquitatis capitibus obſeruat auctor, quae apud alios fruſtra quaeſiueris. Denique poſtrema exercitatio nummos illuſtrat rariores: ex iis vero quantum ſaepe lumen antiquitatibus, ipſique iuris prudentiae adfulgeat, norunt omnes, qui non plane alieno ab his deliciis animo ſunt. En primum, quem nunc tecum communicamus, faſciculum. Additauri eramus quaedam his ſimilia: ſed is, qui ſumtus facit, vir honeſtiſſimus, ſua intereſſe exiſtimabat, vt hic faſciculus ante nundinas vernas praelo exiret. Hinc ſola Perizonia nunc edo, idque eo libentius, quo minus dubito, quin hic vir eruditiſſimus, etiam ſine comite, ſatis vni cuique ſe ſit commendaturus. Alterum faſciculum, et reliqua, de quibus fidem tibi meam obſtrinxi, proxime expecta, et his conatibus meis faue. Vale. *Halae*, ex Muſeo, ipſis *non. Mart.* 1722.

III.

(†) *Noct. Att.* XX. 1.   (*) *Sentent. recept.* IIII, 8. §. 22.

III.

DE ARTIS CRITICAE VTILITATE IN IVRIS PRVDENTIA, DEQVE BONI CRITICI OFFICIO.

Ex quo ego cum elegantioribus litteris, in quibus me a puero non inficior mediocriter eſſe verſatum, iuris prudentiam interiorem coniungere ſtudui: ſtatim mirifice adamare, ac veluti in oculis ferre coepi iureconſultorum humaniorum volumina, meaque intereſſe exiſtimaui, vt ea diurna nocturnaque verſarem manu. In primis autem exoſculatus ſum illuſtre, quod aetate noſtra illuxit, ingenium Cornelii van Bynkershoek, ICti ſummi, cuius ego lucubrationes tam auide ſemper peruolutaui, ac ſi diuturnam veluti ſitim explere cuperem. Quamuis enim non ignorarem, alium eſſe eorum guſtum, quibus nihil, niſi quod Bartoli aut Baldi lucernam olet, ad palatum eſſe ſolet: ego tamen, meum ſequutus genium, alias mihi quaeſiui delicias, easque in Bynkershoekii ſimiliumque ſcriptis abunde reperi, admiratus praecipue viri eruditiſſimi iudicium acre, ingenium ſollers, iuris ſcientiam inuſitatam, ac denique incredibilem, quo omnia ſua condire ſolet, cultum orationis. Nihil ſane eius in operibus mihi ſe vmquam obtulit, niſi exquiſitum, elegans, et cum cura penſitatum, nihil, quod iam ab aliis ſaepius dictum obſeruatumque fuerit, nihil, vnde non doctiores recedere poſſint meditationibus ſeuerioribus adſueti. Equidem quod ad me attinet, tantum ex eorum lectione fructum cepi, quantum neſcio, an ex libellis pauciſſimis.

Quum vero mea omnia cum auditoribus, quibus me dudum conſecraui, communicare ſoleam: facere non potui, quin doctiſſimi viri opuſcula atque obſeruationes ſubinde collaudarem, commendaremque iis quam maxime. Sed doluerunt illi vicem ſuam, quod obſeruatio-

nes

nes iſtas exquiſitiſſimas ſaepe in tabernis fruſtra quaererent, aut repertas aliquanto maiore pretio comparare tenerentur. Vnde eo maiorem ab omnibus adcuratioris iuris prudentiae ſtudioſis gratiam initurum exiſtimo bibliopolam, qui obſeruationes iſtas ſuo ſumtu praelo reddidit; quo plures illas adhuc fruſtra quaeſiuiſſe noui. Mihi ſane perplacet conſilium, neque ei vetus illud: *σοφῶς, καλῶς, ἀγαθῶς*, adclamare dubito. Quandoquidem vero aliquid praefari iuſſus ſum aeterno operi: memor veteris adagii, quod vino vendibili hedera non opus eſſe dicit, nihil addam de celeberrimi auctoris ſingulari doctrina, ſed *de inſigni artis criticae in iuris prudentia* noſtra *vtilitate*. nonnulla, quae mihi in mentem veniunt, commentabor.

Duo ſcilicet ſunt hominum genera, iuris prudentiae aeque periculoſa: Alterum *ἀπερχειτικῶν*, vti vocare ſoleo, qui veteres iuris libros non aliter, ac reliquos auctores tractant, et de iuris prudentiae nexu et vſu parum ſolliciti, nihil per omnem vitam agunt, quam vt vrant, ſecent, legeſque ſuo arbitrio fingant refingantue, iam ſyllabam nihil tale meritam expungentes, iam aliam temere admittentes in textum, quam tamquam peregrinam in loco non ſuo errare, vnus quiſque deieraret. Alterum eorum, quibus omnis critica ſordet, quiue, ſi quis vel litterulam in corpore iſto Iuſtinianeo ſollicitet, ſtatim Quiritium fidem inclamant, et Hannibalem ante portas vagari, fremunt. Vtrumque hominum genus dici non poteſt, quantum detrimenti adferat ſolidiori iuris prudentiae. Si enim ita liceret falcem criticam in leges immittere, nihil vt ab illa relinquatur intactum, vtque variantium lectionum farragines in immenſum accumulentur: quid, quaeſo, certum in legibus noſtris ſuperfuturum putas? quod forum non temerabit ille ingeniorum pruritus? Finge, reum ſe lege tueri, eamque ipſis ſolis radiis ſcriptam eſſe. Quid tunc actor? Sane ſi hic in cauſſidicum inciderit paullo ingenioſiorem, ſtatim textum illum in mendo cubare clamabit, et modo illum male interpunctum queretur, modo gloſſema in textum irrepſiſſe adſeuerabit. Mutabit ergo verba pro lubitu, prouocabit ad codices, neſcio quos, forſan et CVIACIO, CHARONDAE, HALOANDRO, TAVRELLO denunciabit teſtimonium, tantum vt legem illam clariſſimam actori eripiat. Quo vero demum criticum iſtud bellum euadet, niſi vt litigantes aere emuncti ex incertis fiant incertiores, et iudices, ſibi nondum liquere, identidem iurantes, demum ad authenticam principis interpretationem, tamquam ad oraculum confugiant? Et hoc forſan in animo fuit IVSTINIANO auguſto; dum et ſiglis ſcribi corpus iuris, et commentarios in illud fieri vetuit.

tuit. l. 2. §. 21. 22. et l. 3. §. 21. 22. C. de vet. iure enucl. Non enim omnes interpretationes, ſed ὑπερκριτικὰς iſtos commentarios praecipue prohibuiſſe Imperatorem, vel inde patet, quod paraphraſin ſatis liberam paullo poſt molitus eſt ille ipſe THEOPHILVS, quem concinnando corpori iuris adhibitum a IVSTINIANO fuiſſe conſtat.

At vero nec rectius conſuleretur iuriſprudentiae, ſi artem criticam ex illa plane proſcribendam, et in ſolas grammaticorum vmbras relegandam exiſtimaremus. *Scire leges, non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem*, inquit CELSVS L. 17. D. *de legibus*. Hanc autem legum vim ac poteſtatem quis rite teneat, ſi ipſa earum verba numeris Platonicis obſcuriora ſint, et ſaepe certum ſenſum non fundant? Eius modi vero tenebris non poſſunt non veteres iuris libri eſſe inuoluti. Pandectarum editiones omnes, quae circumferuntur, ex Florentino illo canae vetuſtatis codice manaſſe, iam ab ANTONIO AVGVSTINO *Emendat. Libr.* I. *cap.* 1. et FR. TAVRELLO *in praefat. pandect. Florent.* ipſoque BYNKERSHOEKIO in praefatione obſeruationum demonſtratum eſt. Et tamen quot menda in ipſo illo codice deprehenduntur? quot locis a Florentina diſcedunt editiones vniuerſae? Inciderunt iuris noſtri libri in manus ſcribarum indoctiſſimorum, quibus, quod ſcriberent, non magis notum fuit, quam doctis auiculis, quod canunt. Inciderunt in manus gloſſatorum, qui nullis linguarum litterarumque praeſidiis inſtructi, codices deprauatiſſimos nec accurate emendabant, nec interpungebant ſcite. Inciderunt in manus typographorum parum diligentium, qui codices male ſcriptos, prius exprimebant litteris plerumque minutiſſimis, et quae emiſſitios correctorum oculos facile fugerent. Niſi ergo mera ſomniare prodigia velis, fatendum profecto erit, fieri non potuiſſe, quin multa in iure noſtro ſint corrupta, disiecta ac paene deſperata. Quid quaeſo hic futurum, niſi ars critica pararet medicinam, corruptaque integritati; diſiecta loco ſuo; deſperata ſanitati priſtinae reſtitueret? Neque exiſtimandum profecto, otium poſteris feciſſe ALCIATOS, AVGVSTINOS, CVIACIOS, CONTIOS, BVDAEOS, FABROS, VIGLIOS, aliaque iuris prudentiae lumina. Maius eſt iſtud augiae ſtabulum, quam vt illi repurgando illorum induſtria ſuffecerit. Multa reliquerunt intacta, multa emendarunt parum feliciter, et ſaepe doctiſſimis iſtis hominibus accidit, quod medicis etiam peritis, qui nimia cura ex aegris faciunt valetudinarios. Similiter illi nimio emendandi vel ſtudio vel pruritu, aliquando eo rem redegerunt, vt ipſe IVSTINIANVS, ſi redeat, vix opus ſuum agniturus ſit, modo ne prorſus, vti alienum repudiet, ceu iam ſuo tempore conqueſtus eſt FRANC. HOTOMANVS in Antitriboniano *cap.* XV. Opus ergo hodienum criti-

ca manu, quae vlcera, his medicis intacta, ſanet: opus et altera; quae male ſanata reſtituat in integrum. Vtraque opera non magis carere poteſt iurisprudentia, quam pharo, qui in tenebris nauigant.

Quum ergo vtrobique ſubſit alea, ſiue criticis ingeniis in iure omnia permittas, ſiue nationem hanc omnem finibus artis exterminandam, diisque ſuis relinquendam iratis cenſeas; operae ſane pretium fuerit, quibus legibus coercenda ſit κρίσις illa, ne luxuriet, paullo adcuratius diſquirere.

Primo itaque conceſſum mihi iri ſpero, tribus potiſſimum capitibus abſolui omnem criticae ambitum. Aut enim interpretatur obſcura, aut emendat vitioſa, aut genuina a ſuppoſititiis atque adulterinis ſeiungit. Interpretationem ſibi olim ſoli vindicabant gloſſatores, nullis, vti diximus, ſapientiae veteris, nullis linguarum, litterarum, antiquitatumque praeſidiis inſtructi, nec reipublicae Romanae, cuius legibus lucem adfundere conabantur, vel vmbram quamdam animo circumferentes. Tam tenebricoſa ergo ingenia quot monſtra interpretationum parturire oportuerit, facile eſt ad exiſtimandum. Et tamen eorum opiniones, ſaepe perridiculas, tantum non conſecratas a poſteris eſſe, animaduertimus, adeo ut paene ſacrilegium quibuſdam videretur, cum Accurſio vel Baldo errare nolle. Poſteaquam deinde melius illuxit ſaeculum, haut pauca, antiquioribus obſcura, in clariſſima luce collocata ſunt a viris doctiſſimis: plura tamen etiamnum inuoluta ſunt tenebris, neque poſteris deerit bene de iuris interpretatione merendi occaſio, ſi intendere neruos voluerint. Hic ergo quaenam critici accuratiores partes ſint, facile patet. Ingrediendum ipſi erit totius antiquitatis iter, contemplandus rei Romanae ſtatus, deriuandae inde legum rationes, quin et ſectarum tum philoſophicarum, tum iuridicarum, principia diligentius rimanda. Imprimis huc pertinet ſingularum legum accuratior χρονόταξις, auctores, origo cauſſae, mutationes, fragmenta hinc inde obuia, horumque, vti Iac. Gothofredvs vocare ſolet, coaſſatio, praeclarum interioris criticae myſterium. His quantum lumen accendatur iurisprudentiae noſtrae, vel is, quem modo laudaui Iac. Gothofredvs luculentiſſimis commentariis tum in leges duodecim tabularum, Pappiam Poppaeam, regulas Sabinianas, tum ipſum codicem Theodoſianum, tamquam ſpecimine numeris omnibus abſoluto edocuit. In his ergo rebus quicumque aliquid videt, quod aliorum fugit ſollertiam, nae is omnium bonorum merebitur ſuffragia. Neque enim ita omnem fundum occuparunt maiores noſtri, vt illico poſteris nunciandum ſit nouum opus, ſi contra priſtinam formam aliquid moliantur. Noua quotidie in lucem prodeunt antiquitatis monimenta

maioribus nunquam viſa, e quibus eruere licet quam plurima, quae illis ne in mentem quidem venerunt, ceu ipſe ampliſſimus BYNKERSHOEK egregio ſpecimine oſtendit in opuſculo elegantiſſimo de religione peregrina, vbi SC. Marcianum de bacchanalibus, e tabula aerea editum a IAC. GRONOVIO, RAPH. FABRETTO et IO. CLERICO, luculento commentario illuſtrauit.

Alterum critici munus in emendando conſiſtit. Hic vero primo *nolim* is veluti ius vitae et necis ſibi arroget, et ipſum textum iuris, qualem a gloſſatoribus per manus traditum accepimus, ſuis emendationibus pro arbitrio refingat. Auctoritate publica opus eſſet illi, qui ſuſpiciones ſuas criticas ipſi corpori iuris inſertas vellet. Hanc vero poteſtatem nulli iureconſulto, quantumuis doctiſſimo, lege quadam curiata vnquam datam eſſe nouimus. Iuris Romani auctoritas, quam in foro obtinuit, a receptione dependet. In forum vero recepimus editionem vulgatam in quam gloſſas confecerat ACCVRSIVS: id quod innuere ſolent pragmatici regula ſua: *Quem textum non adgnoſcit gloſſa, eum nec forum adgnoſcit.* Multis haec vulgata editio ſcatet erroribus, fateor; ſaepe etiam vix ſenſum fundit idoneum, nec id nego: ſed ſola tamen recepta eſt. Is honor neque HALOANDRI neque TAVRELLI laboribus contigit, nec forſan continget editioni alii, quantumuis emaculatae, qualem a BRENKMANNO diligentiſſimo avide praeſtolamur. Quae quum ita ſint, licebit quidem eruditis ſuſpicari, conferre codices, neuos et gloſſemata tollere, interpungere, et quidquid critica ars iubet, tentare, ſed ea lege, vt ne coniecturas ſuas, licet ingenioſiſſimas in textum ſtatim admittant, niſi forte integrum codicem celebriorem typis expreſſum ſiſtere decreuerint, quod facit HALOANDER et TAVRELLVS, quorum luminibus laudatiſſimus BRENKMANNVS procul dubio propediem officiet. Satius ergo erit, has ſuſpiciones criticas libris faſciculiſque integris obſeruationum, coniectaneorum, probabilium, membranarum, ſemeſtrium, animaduerſionum complecti, vti exemplo praeiuerunt CVIACIVS, MERILLVS, PETR. FABER, RAEVARDVS, CIRONIVS, ANT. AVGVSTINVS, NOODIVS, VAN TE WATER, AVLISIVS, GVNDLINGIVS noſtras, et ipſe ὁ πάνυ BYNKERSHOEKIVS. Sic enim vſus earum erit expeditiſſimus, nec criticus eam incurret reprehenſionem, quam bonis omnibus mereri viſi ſunt SIGISM. GELENIVS, DAV. PARAEVS et ipſe IOS. SCALIGER, quos vbiuis pro Plinii, Arnobii, Ammiani Marcellini, Plauti et Manilii verbis coniecturas ſuas obtruſiſſe, IO. CLERICVS docet *in Arte critica part.* III. *ſect.* I. *cap.* XVIII. §. XXXXIIII.

Deinde nec eorum criſin multum laudis mereri puto, qui medicinam parant, vbi non opus eſt, id eſt, vbi ſenſum ſatis commodum admittant leges. Si quando paullo rarius occurrit vocabulum, ſtructura ver-

 bo-

borum non vbiuis obuia, hiſtoria vel ſpecies obſcurior: non ſane extemplo eſt ad falcem criticam recurrendum, quamdiu res exemplo non caret. Neque enim criticorum eſt, facere, vt elegantius loquantur leges noſtrae, ſed vt emendatiores legantur. Hinc ſi textus ſeſe offerat deſperatus, et qui ſenſum non fundat, ſiue verba plane Latina non ſint, ſiue eorum ſtructura linguae genio prorſus repugnet: tunc vero arti criticae erit locus, nec quiſquam huic ſeueritati cenſoriae intercedet. Exemplis, quae ſe mihi ſponte nunc offerunt, res erit clarior. *Lex* 10. D. *de vacat. mun.* ita legitur in exemplaribus vulgatis: *Auctis poſt adpellationem medio tempore facultatibus, paupertatis obtentu non excuſantur.* RITTERSHVSIVS deprehenſa ſtructura paullo incommodiore, pro *auctis*, vna abiecta littera, reſcribit *aucti.* Et ſane ita elegantius loqueretur PAVLLVS. Sed exemplo non caret haec anomalia, ſiquidem et HIRTIVS *de bello Afric. cap. XXV.* ita loquitur: *Dum haec ita fierent, rex Iuba, cognitis Caeſaris difficultatibus, copiarumque paucitate, non eſt viſum, dari ſpatium conualeſcendi.* Accedit, quod ipſe PAVLLVS ſaepe ſolet, quod ad caſus nominum attinet, minus accurate loqui, ſeu vel ex *L.* 17. D. *de in ius voc.* patet. Tales coniecturas parum neceſſarias, innumeras adcumularunt, qui emendandis iuris noſtri libris inſudarunt, et exemplis id oſtendit ipſe BYNKERSHOEKIVS *noſter obſeru. Lib.* III. *cap.* IIII. *et* XXV. *Lib.* IIII. *cap.* II. *et* XVIIII. Et in primis in praetermiſſis ad L. 2. D. *de orig. iur.* vbi loco non vno docuit, nimia criticorum diligentia effectum eſſe, vt medicis ſaepe aduerſus ipſam medicinam hodie opus videatur. Melius ergo illi merentur de republica litteraria, et in primis iuriſprudentia noſtra, qui loca vel nullius vel incommodi ſenſus integritati ſuae reſtituere conantur. Sic ſane nemo intellexiſſet L. 19. §. 2. D. *de iudic. Nam vbi ſic venit, vt confeſtim diſcedat, quaſi a viatore emtis, vel eo qui tranſuehebatur, vel eo qui praeternauigabat, emit:* niſi HALOANDER abieciſſet τὸ *emtis*, quamuis et paucis mutatis legi poſſet *eunte*, vt opponatur *praeternauiganti* vel *tranſuecto.* Et quis quaeſo ſenſus eſt VLPIANI in L. 13. §. *fin.* D. *de pign. act.? Venit autem in hac actione et dolus et culpa, vt in commodato: venit et cuſtodia: vis maior non venit.* Quis quaeſo aequa Themide dixerit, creditorem pignoris periculum idem ſuſtinere, ac commodarium commodati, quum alia omnia diſcamus ex ſequente L. 14. D. *eod.* cum L. 18. *pr.* D. *commodati vel contra* collata? Sed ingenioſiſſimus hic fuit, quem honoris cauſſa nomino GERHARDVS NOOD *Probabil. Lib.* I. *cap.* IIII. qui textum deſperatum, mutata interpunctione et vnica litera, ita reſtituendum monet: *Venit autem in*

hac

hac actione dolus et culpa: at in commodato venit et cuſtodia, vis maior non venit. Vnuſquiſque hanc emendationem et neceſſariam dicet, et rectam ſpondebit, vel ideo, quia neceſſaria eſt. Plura huius generis exempla ipſae ſuppeditabunt ampliſſimi BYNKERSHOEKII obſeruationes. *Lib.* I. *cap.* VII. X. XV. *Lib.* II. *cap.* X. XI. XV. *Lib.* III. *cap.* V. VIII. VIIII. XI. *Lib.* IIII. *cap.* VIII. *et* X.

Addo tertiam cautionem, quae emendationes legum non atroces eſſe iubet, ſed tales vt veroſimile fiat, eiuſmodi textus deprauationem contingere potuiſſe. Sic quum codices antiquiſſimi ſine interpunctione ſcripti ſint, idque de ipſo Florentino non modo doceat ANGELVS POLITIANVS *Lib.* X. *Epiſt.* IIII. ſed et confirmet ſpecimen aeri incisum a IO. MABILLONIO *de re dipl. p.* 356. non poſſunt non illae emendationes quam maxime eſſe probabiles, quae loca alias obſcura leui interpunctione ſanant. Porro quum in Florentino codice litterae quaedam ſibi ſint ſatis ſimiles, e. g. N et R, T et I, quis quaeſo intercesſerit iis, qui litterae cuiuſdam mutatione legem reſtituunt, antea ſphingis aenigmate obſcuriorem, maxime ſi ſcribas indoctos manum deſcribendis codicibus adpuliſſe cogitet? Egregia huius generis ſpecimina et plane ingenioſa dedit BYNKERSHOEKIVS ampliſſimus. Sic quum verbi cauſſa in §. *fin. inſt. de nupt.* nullo ſenſu legatur: *Quod* ET *aliis liberis, qui ex eodem matrimonio fuerint procreati, ſimiliter noſtra conſtitutio praebuit*; (ſi quidem de liberorum ex matrimonio natorum legitimitate nulla fuit dubitandi ratio:) vnica mutata litterula ita locum ſanat: *Quod* VT *aliis liberis, qui ex eodem matrimonio fuerint procreati, ſimiliter noſtra conſtitutio praebuit.* Quis non deierarit, virum celeberrimum rem acu tetigiſſe? Quis non ſtatim comprehendat, facillime ex VT fieri potuiſſe ET? Non ſecat hic vir ingenioſus, nec vrit, et tamen locum reſtituit integritati, quem nec HOTTOMANVS, nec M. ANTONIVS MVRETVS ſeueriore licet adhibita falce ſanare potuerunt. Ita et notum eſt, quanta contentione de ſenſu L. 23. D. *de teſt.* diſputarint CVIACIVS *obſeru. Lib.* II. *cap.* XXIII. GVIL. FORNER. *Select. Lib.* II. cap. X. PAVLL. BVS. *Subtil. iur. Lib.* I. *cap.* XVI. DVARENVS et alii. Verba ſunt: *Produci teſtis is non poteſt, qui ante in* EVM REVM *teſtimonium dixit.* Sed quam ingenioſe nodum ſoluit GVNDLINGIVS noſter, dum pro *in eum reum* legit *in eam rem?* Videantur GVNLINGIANA *Part.* VIIII. *cap.* II. *p.* 361. Omitto huius generis plura, paſſim apud criticos recentiores obuia. Veteres enim paullo truculentiores fuiſſe, ſatis notum eſt.

Non eſt quarto, quod moneamus, ſequendos eſſe codices MSC. optimae notae. Ipſa enim ars critica iam pridem hanc cautionem vnice commendauit. Quod ad pandectas attinet, reliquis omnibus antiquiorem

eſſe codicem Florentinum, nemo ignorat. Sunt tamen et alii libri MSC. non contemnendi, quales erunt illi BYNKERSHOEKIANI et Campienſis, quos a viro celeberrimo ſubinde laudatos animaduerto. Et ſane ſi ex vngue leonem iudicare licet, ex adlatis ab eo ſpeciminibus, illos codices ſatis probos eſſe, iudico. Codicum vice aliquando funguntur editiones veteres, ſub artis typotheticae incunabula ex ipſis codicibus MSC. expreſſae. Etiam tales ſaepe in conſilium adhibuit laudatiſſimus BYNSKERHOEK: ſed neſcio tamen, an non in mundo ſint antiquiores. Mihi ſane vetuſtiſſimum, vti exiſtimo, exemplar impreſſum ſeſe obtulit in bibliotheca publica Mariana Halenſi, quamuis illud non niſi IVSTINIANI nouellas cum tribus poſtremis libris codicis complectatur. Totum impreſſum eſt membranis candidiſſimis maioris formae. Litterae ſunt Germanicis noſtris, quam Latinis, ſimiliores; maiuſculae autem ſub initium verſuum variis coloribus calamo adpictae. Ad calcem venerandi operis, (nam nec titulum nec praefationem tum ſolebant praemittere) haec leguntur: *Anno incarnationis dominice* MCCCCLXXVII. XII. *Kalendis Septembriis, Sanctiſſimo in Xpo patre ac Dno, Sixto Pp.* IIII. *Pontifice maximo, nobiliſſime domus Auſtriae Dno, Dno Friderico, Romanorum Imperatore inuictiſſimo, monarchiae Xpiane Dnis, reuerendiſſimo Deoque amabili in Xpo patre ac Dno, Dno Dicthero, archipreſule Maguntino, in ciuitate Maguntia, impreſſorie artis inuentrice atque elematrice, prima X. collationum triumque librorum codices opus egregium Petrus Schoiffer de Hernsheim, glorioſo fauente Deo, ſuis conſignando ſcutis,* (impreſſa ſunt duo ſcuta gentilitia) feliciter finiuit. Eiuſmodi codices impreſſos antiquiores ſi quis paullo diligentius conferat, vti et me facere memini, non poteſt non ipſi naſci occaſio, loca quam plurima ſine violenta curatione ſanandi.

Neque tamen ideo improbarim eorum ſollertiam, qui in ingenio quoque non nihil confidunt, et, quod ipſa res ſuadet, reſtituunt, quamuis nullo ſuffulti codicum ſuffragio: dummodo hanc ſibi legem dicant, vt nihil mutent, niſi quod ipſa analogia iuris mutari emendarique ſuadeat. Sic ſupra laudatae emendationi *legis* 13. *§. fin.* D. *de pign. act.* a GER. NOOD tentatae, manifeſto adſiſtit analogia iuris, quae non patitur creditorem in cuſtodiendo pignore ad eandem adſtringi diligentiam, ad quam adſtrictus eſt commodatarius, cuius ſolius in vtilitatem contractus hic vergit. Simile exemplum ipſe celeberrimus BYNKERSHOEK attulit in praefatione obſeruationum ex L. 3. *pr.* D. *ad exhib.* vbi, niſi hanc legem analogiae iuris ex tot aliis textibus obſtare dicere malis, manifeſto, vna adiecta littera pro *dicere* legendum eſt *diſcere*, hoc modo: *In hac actione actor omnia noſſe debet, et* DISCERE *argumenta rei, de qua agitur.*

Deni-

Denique nec id praetermittendum, quod in emendandis legibus etiam attendendum ſit ad verſiones et metaphraſes veteres Graecas. Quum enim verſiones ſuas vel κατὰ πόδας, vel εἰς πλάτος adornarent THEOPHILVS, THALELAEVS, et alii: quumque BASILEVS, et LEO, Imperatores nouum ex pandectis et codice corpus Βασιλικῶν conflarent: nemo dubitauerit, quin adhuc codices hodiernis incorruptiores exſtiterint. Ex his ergo libris facile plerumque conſtare poterit, qualis tum probata fuerit lectio, et quae verba genuina ſint, maxime ſi tunc adhuc obtinuiſſe memineris ſanctionem IVSTINIANI, quae libros iuris ſiglis et notis conſcribi vetuit. Haec obſeruatio dici non poteſt, quot recentiorum emendationes, licet ingenioſiſſimas, falſi conuincat. Ipſe ὁ πάνυ BYNKERSHOEK, dum in praetermiſſis ad L. 2. D. *de orig. iur. p.* 65. *in paragrapho* 3. *procem. Inſtit.* pro *antiquis fabulis*, a quibus olim iuriſprudentiam auſpicati dicuntur tirones, legendum coniicit *antiquis tabulis*, ingenioſe profecto coniicit; ſed ipſe huic ſuae coniecturae non multum fidit auctor ampliſſimus: et recte, THEOPHILVS enim, (quem ipſis IVSTINIANI temporibus vixiſſe, et inſtitutiones vna cum Triboniano et Dorotheo conſcripſiſſe, demonſtrauit GVNDLINGIVS in *Gundlingian. Part.* I.) vulgarem lectionem confirmat, addita paraphraſi: *Nam qui ea legunt, quae olim obtinebant, et nunc ab vſu reiecta ſunt, ſimiles videntur iis, qui in fabulas incidere.* Contra ea magnum emendationi L. 31. §. 1. D. *de reb. auct. iud. poſſ.* inde accedit pondus, quod vti celeberrimus BYNKERSHOEK *Lib.* I. *obſeru. cap.* XXV. pro *ſuſpectum commendare* legit *ſuſpectum condemnare*: ita auctores Βασιλικῶν *Lib.* VIIII. *tit.* VII. *lege* XXXII. eodem modo exprimunt: ὕποπτος δὲ κρίνεται ὁ ἐπίτροπος ἐκ δολερᾶς διαγωγῆς. Omitto alia, quia vno alteroue exemplo regulas declarari ſufficit.

Reliquum eſt, vt et tertium critici officium, quod in diiudicando, ſecernendiſque ſpuriis verſatur, tangamus. Et profecto exiſtimare quis poſſet, ferias hic nobis indici, quia et pauci iure conſulti veteres in aetatem noſtram delati ſunt, quorum de γνησιότητι liceat dubitare, et ſi qua fragmenta a CONTIO aliiſque eruta et corpori iuris addita ſunt, ea nullam vnquam in foro adepta ſunt authoritatem. Sed tamen et haec artis criticae pars in iuriſprudentia noſtra non extra vſum eſt. Plura ſunt TRIBONIANI emblemata, quae nota eſſe, iurisprudentiae noſtrae intereſt. Quamuis enim is iure ſuo uſus ſit, neque ideo tantam cenſuram meruerit, quantam vulgo patitur: non tamen vtilitate caret ſtudium hoc, antiqua et ſincera a nouis et a Triboniano inuectis ſeiungendi. Et ſane magno labore id praeſtiterunt ANT. FABER, PARDVLPHVS PRATEIVS et IO. IAC. WISSEMBACHIVS. Sed multa, quae huc pertinent, omiſſa ab iis, eſſe conſtat. Aliquando etiam viris doctiſſimis accidit, quod ſolet iuſto meticuloſioribus, qui

ſpectra

ſpectra veriti, vbique ſpectra vident,et tutiſſima quaevis reformidant. Saepe inquam emblemata et tribonianismos clamant, vbi omnia recta ſanaque ſunt. Exemplis rem oſtendit GER. NOOD *Probab. Lib.* II. *cap.* XII. *Lib.* III. *cap.* III. *de foenore et vſur.* L. II. *cap.* V. *et cap.* XIIII. *et Lib.* III. *cap.* XV. *Iul. Paull. cap.* V. *obſeru. Lib.* I. *cap.* XV. *Lib.* II. *cap.* IIII. *et* BYNKERSHOEK *de legat.* poenae nomine *cap.* IIII. *p.* 378. necnon *in Obſeru. Lib.* II. *cap.* XV. *Lib.* III. *cap.* XII. XVIIII. XXI. *Lib.* IIII. *cap.* VI. quo poſtremo loco in iſtos emblematum venatores grauiter inuectus vir celeberrimus: *Vbi*, inquit, *haerent interpretes*, *male ſe habet cauſſa Triboniani. Nam quum alia ratio non ſuccurrit*, *in eum quaquauerſum ſit impetus*, *obtruſa continuo alia iuriſprudentia*, *quam ipſe ſcilicet interpolatione ſua interuerterat.* Id quam verum ſit, vel inde patet, quod non defuerunt, qui ſequuti HOTOMANVM in antitriboniano, celeberrimam *legem* 2. D. *de orig. iur. et omn. magiſtr.* Pomponio abiudicare, ea non niſi Triboniani, (in quem impoſtorem omne virus euomunt,) fabulas et deliria contineri, adſeuerare non dubitent. Cur vero? niſi quod aqua quandoque haeret interpretibus, et hiſtorias quaſdam aliis auctorum veterum teſtimoniis conciliare non ſtatim poſſunt. Id quod tamen tam praeclare praeſtitit laudatiſſimus BYNKERSHOEKIVS, cauſſa vt videatur perorata, nec quiſquam temere futurus in poſterum ſit tam perfrictae frontis homo, qui dicam hic Triboniano ſcribere auſit. Quis ergo neget in ICto perneceſſariam eſſe genuina a ſpuriis ſecernendi ſollertiam?

Et hactenus quidem, quam egregie BYNKERSHOEKIVS ampliſſimus omnes critici accuratioris partes impleuerit, ſatis ſuperque mihi videor demonſtraſſe. Neque tamen id in eam partem accipias velim, ac ſi te illius ſententiis vbique, tanquam claudum pilae inhaerere iubeam. Diſſentit vir celeberrimus a pluribus: et ipſe ab eo nonnunquam diſſentio. Hanc libertatem dant ſumuntue inuicem boni viri, a praeiudicatis opinionibus liberi. Sane eſſent, quae hic aduerſus eius ſententiam de legatis poenae nomine pro GVNDLINGIO; et de expoſitione et caede infantum pro GER. NOODIO diſputarem, niſi charta moneret, reſpiciendum eſſe portum. Sed, vti video, nihil decedit admirationi, qua aeterna viri opuſcula proſequimur: ita omnia, tibi, LECTOR BENEVOLE, mirificam adferent vtilitatem, voluptatemque incredibilem, vt ſit, quod bene preceris KRVGIO noſtro, has tibi dapes nunc primum in Germania adponenti. Tu illis fruere, et ſi qua irrepſerunt menda, ea non mihi, cuius nullae in emendatione partes fuerunt, ſed aliis quos vir huic curae praefuit, tribue, meiſque Muſis faue. Halae Magdeburgicae IIII. ID. APRIL. CIϽ IϽCC XXIII.

IIII.

IIII.

De prohibita a Iuſtiniano leges interpretandi illuſtrandiqve facultate, de praeſtantia iuris Graecorum, ſpeciatim Theophili, Iudiciumqve de Arn. Vinnii commentario in Inſtitutiones.

Cvm multa a viris etiam doctiſſimis reprehendi ſolent in operoſa illa ac praeclara Iuſtiniani legiſlatione: tum ſaepenumero quibuſdam mirari contingit, atque etiam ſtomachari, quod Imperator, illa perfecta, iureconſultis leges interpretandi illuſtrandique facultate, tamquam aqua et igni, interdixerit, eoſque ad conficienda admonitoria, παράτιτλα, atque indices improuido conſilio damnarit (*a*). Legum enim interpretationem tam credunt plerique neceſſariam vt ea ciuitatem non facilius, quam ipſis legibus, carituram, officiumque iuriſconſultorum ſine illa praeclara facultate inane atque infructuoſum rei publicae futurum, arbitrentur. Qua fronte, inquiunt, ICti ſuſtinebit nomen, qui leges neſcit? *Leges autem quo pacto ſcire ſe dixerit, qui verba earum tenet, non vim ac poteſtatem* (*b*)? Vim denique ac poteſtatem legum an quiſquam, quantacumque ſit ingenii perſpicacia, adſequetur, ſi non modo interpretationes nullae exſtent, verum etiam iis, qui hanc rei publicae operam nauare cupiunt, graue ex lege Cornelia iudicium immineat (*c*)? Accedit, quod quum nulla lex, nullumque SCtum, teſte Iuliano (*d*), ita ſcribi poſſit, vt omnes, qui quandoque inciderint, caſus comprehendant, imperfectam admodum, ac veluti macilentam eſſe oporteret iuris prudentiam, niſi illi ſuccus et ſanguis ex interpretatione prudentum accederet. Denique et experientiam, rerum omnium magiſtram, Romanos docuiſſe exiſtimant, hac iureconſultorum opera rem publicam carere non poſſe. Sane enim quid artificioſius vmquam ſcriptum fuiſſe dicamus, quam illum XII. tabularum libellum, cuius νομοθεσίαν βραχέως

(*a*) *Conſtit. Deo auctore*, §. 12. *de concept. Dig.*

(*b*) *L.* 17. *D. de legib.*

(*c*) *Conſt. Tanta*, §. 21. *de confirm. Digeſt.*

(*d*) *L.* 10. *l.* 11. *l.* 12. *D. de legib.*

καὶ ἀπηρτισμένως συγκειμένην et poſteri, teſte Diodoro Siculo (*a*) vnice ſunt admirati; quem Craſſus apud Ciceronem (*b*) *omnibus omnium Philoſophorum bibliothecis* antepoſuit, quem denique Liuius (*c*) *fontem vniuerſi publici priuatique iuris*; et Tacitus (*d*) ſcriptor *πολιτικώτατος*, *finem aequi iuris* vocare non dubitauit? Et tamen his legibus latis, ſtatim coepit neceſſaria videri interpretatio prudentum diſputatioque fori (*e*), eique vnice acceptum ferimus, quod iuris prudentia Romana in tam auguſtam atque admirabilem diſciplinam effloruerit. Quod ſi autem ea iuriſconſultorum diligentia carere non potuit ciuitas, quum exiguum illud legum decemuiralium corpus, tam elegante atque abſoluta breuitate verborum compoſitum, (*f*) in foro regnaret: qui fieri, quaeſo, poſſet, vt opus Iuſtinianeum diffuſiſſimum, atque et innumeris variorum auctorum fragmentis conſutum ſine interpretum commentariis ab vllo mortalium intelligatur? Quam multa enim in eo ſunt ſubtilia! quam multa abſtruſa! Quantum vbique veteris philoſophiae, quantum antiquitatis, quantum iuris publici latet? Quam ſaepe etiam contingit, vt leges quaedam ſiue vere, ſiue in ſpeciem pugnantes crucem figant viris doctiſſimis? Si autem et ii, qui haud mediocri doctrinae ac litterarum praeſidio inſtructi ad ſacra illa accedunt, aliquando haeſitant, ac in tanta interpretationum copia Delio ſibi natatore opus eſſe fatentur: quid illis contingeret, qui omni interpretationis lumine deſtituti veluti illuni nocte per vaſtam legum ſiluam ire, ibique inveſtigare iuberentur artem aequi et boni, non minus occultam ac repertu difficilem, quam fatalem illam virgam fuiſſe fingunt, de qua Sibylla apud Virgilium (*g*)

Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Iunoni infernae dictus ſacer: hunc tegit omnis
Lucus, et obſcuris claudunt conuallibus vmbrae.

Ita illam Iuſtiniani prouidentiam nonnulli exagitant: nihilque rectius factum eſſe arbitrantur, quam quod iniquiſſimam iſtam ſanctionem, quam Accurſius (*h*) abſona interpretatione emollire cupiebat, taci-

tis

(*a*) *Lib. XII. cap.* 26.
(*b*) *De Oratore, lib.* 1. *cap.* 44.
(*c*) *Lib. III. cap.* 34.
(*d*) *Annal. lib. III. cap.* 27.
(*e*) *L.* 2. *§.* 5. *D. de orig. iur.*
(*f*) Gell. *Noct. Attic. lib. XX. cap.* 1.
(*g*) *Aeneid. lib. VI. v.* 136. *ſeqq.*
(*h*) Gloſſ. *ad l.* 1. §. 12. *C. de vet. iur. enucl.*

tis ſuffragiis abrogarit aequior rerum aeſtimatrix, poſteritas.

Enimuero quamuis haec ſint dictu ſpecioſa, tamen conſideranti rem paullo adcuratius, non adeo abſurdum mihi videtur Iuſtiniani conſilium, quod illi quam maxime vituperandum exiſtimant. Fuit ſane illa non modo Iuſtiniani, ſed ſapientiſſimorum quorumuis legislatorum ſententia, non expedire rei publicae ſubtiliores de legibus diſputationes, haſque potius memoriae mandandas, factiſque exprimendas, quam explicandas eſſe commentariis. Nulli olim Spartae erant iuriſconſulti, nulli Labeones, Sabini, Iuliani, qui Lycurgi leges interpretarentur: et nullus tamen populus Spartanos iuſtitia ac diſciplinae ſeueritate ſuperabat: quum contra Romae, atque apud ipſos Hebraeos, vbi viri doctiſſimi in interpretandis legibus omnem operam induſtriamque collocabant, eo minus ius diceretur ſecundum leges, quo magis ferueret iuris prudentiae atque eloquentiae forenſis ſtudium. Nimirum ita comparata eſt legum ratio, vt, quo ſimpliciores ſunt ac pauciores, eo certius plerumque ac promtius ex iis ius dicatur (*a*), quantoque magis ciues videas τὰς ϛοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, *porticus implere litteris*, tanto facilius eueniat, vt quemadmodum vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam cauſſidicis ferat (*b*). Et hoc ipſum profecto veritus Iuſtinianus conticeſcere iuſſit iureconſultorum oracula, calamiſque ſcripturientium commentarios ferias indixit, *ne, quod in antiquioribus factum eſt, per contrarias interpretantium ſententias totum ius conturbaretur* (*c*), vel, vti alibi (*d*) conſilii rationem reddit, *ne verboſitas interpretum aliquod legibus adferret ex confuſione dedecus, quod et in antiquis edicti perpetui commentatoribus factum, qui opus moderate confectum huc atque illuc in diuerſas ſententias perducentes in infinitum diſtraxerint, vt paene omnis Romana ſanctio fuerit confuſa.* Itaque experientia docuerat Iuſtinianum, quantum detrimenti ius Romanum paſſum ſit non modo a fori tintinnabulis, verum etiam ab anteceſſoribus, qui ſe gryphorum iuriſprudentiae interpretes profitebantur. Quae enim fuerit horum hominum ante Iuſtinianum conditio, non ſine ſale docet ſcriptor eius aetatis grauiſſimus, Ammianus Marcellinus (*e*), qui, poſtquam eorum temporum cauſſidicos et iuriſperitos in certas

 claſſes

Enucl. Commentarios illi adplicare. *Scilicet faciendo et addendo nouas leges, nam non prohibet exponi iſtas. Sed verius eſt, quod reprobet, vt ſtatim patet.*

(*a*) Strabo *Geogr. lib. VI. pag.* 179.

(*b*) Tacit. *Annal. lib. XI. cap.* 6.

(*c*) Conſt. *Deo auctore*, §. 12.

(*d*) *Conſt. Tanta, d.* §. 21.

(*e*) *Lib. XXX. cap.* 4.

claſſes deſcripſit, de ſecunda ita iudicat: *Secundum eſt genus eorum, qui iuris profeſſi ſcientiam, quam repugnantium ſibi legum aboleuere diſcidia; veluti vinculis ori impoſitis reticentes iugi ſilentio vmbrarum ſunt ſimiles propriarum. Hi velut fata natalitia praemonſtrantes, aut Sibyllae oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum compoſita triſtiorem, ipſum quoque venditant, quod oſcitantur. Hi vt altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur, et Caſcellium, et Alfenum, et Auruncorum Sicanorumque iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc ſaeculis obrutas multis. Et ſi voluntate matrem tuam finxeris occidiſſe, multas tibi ſuffragari abſolutionem lectiones reconditas pollicentur, ſi te ſenſerint eſſe nummatum.* Quum itaque animaduertiſſet imperator, iſta interpretationum multitudine ac varietate ita ius omne turbatum eſſe, vt omnia vera falſa, iuſta iniuſta, aequa iniqua aeque facile in foro defenderentur: an fraenos iterum laxaret forenſi iſti atque academicae licentiae? an pateretur iuri, a ſe in ordinem qualemcumque redacto, nouis argutiis nouas affundi tenebras? Nonne conſultius erat, omnes iureconſultorum commentarios ad Garamantas relegare, quam eidem, quo paullo ante defuncta erat, periculo de nouo exponere rempublicam?

Quamuis autem ita conſilii ratio conſtiterit Iuſtiniano: nolim tamen ego quemquam exiſtimare, omnem, quae noſtris temporibus in interpretando illuſtrandoque iure collocatur, operam atque induſtriam inanem atque infructuoſam mihi videri. Neque ego profecto ita cenſeo, neque illis Iuſtiniani ſanctionibus viris iuriſprudentiae gnaris calamos hodie e manibus extorqueri arbitror. Hanc modo ſummam iam facio cogitationum mearum, cum periculo haud leui coniunctam eſſe promiſcuam illam iura interpretandi licentiam, adeoque nec aequitati, nec prudentiae refragari grauiſſimas illas Iuſtiniani ſanctiones. Sane quod cum periculo aliquo coniunctum eſſe arbitramur, id non ſtatim proſcribendum aut ab vſu remouendum dicimus: et quo facile caruerunt Iuſtiniani tempora, quibus, vti ait Cuiacius (*a*), ius omne clarius et in vſu quotidiano erat poſitum, eo et nos non illico aeque facile carebimus hac aetate, qua ius peregrinum, variis locis corruptum, et diuturna deſuetudine obſcuratum in Fora et Academias penetrauit. At quam caute ea interpretandi facultate vtendum ſit, quamque facile ius in tanta interpretum multitudine in ſummam ambiguitatem prolabatur, ipſi, qui iam inde ab Irnerii temporibus prodierunt, com-

(*a*) *Praefat. paratil. Digeſt.*

commentarii, mille plauſtrorum onus, vnumquemque docebunt. Sane quo plures euolueris, quantoque elegeris maiores, tanto magis adparebit, id, quod generatim dixit Callimachus (*a*), μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ, de pleriſque iſtis commentariis eſſe veriſſimum. Habebis Sardos venales, alios aliis nequiores: ſed vt quiſque erit amplior ac diffuſior, ita peior videbitur indoctiorque reliquis, vt fatendum ſit omnino, beatam futuram fuiſſe iuriſprudentiam, ſi numquam in manus tam illotas incidiſſet, ratumque vel iſtis tantum temporibus fuiſſet edictum Iuſtiniani, quod legis Corneliae poenam irrogari iubet tam ineptis commentariorum conſarcinatoribus. Quod ne cui grauius ac liberius dictum videatur, qualem eſſe oporteat bonum interpretem, et quales ſint plerique, quos illi indoctae doctorum turbae debemus, commentarii, paucis oſtendere iuuabit. Multis profecto partibus pulcherrimum iſtud atque vtiliſſimum interpretum officium abſoluitur. Primum enim iis in id elaborandum eſt, vt ipſi iis inſtructi ſint praeſidiis, quibus lucem obſcuris foenerare poſſint: deinde ut genuinam cuiusque orationis ſententiam eruant ac demonſtrent: tum porro, vt nec falſa doceant, nec ab arte ſua aliena: poſtremo, vt ne rem minus obſcuram confuſa tractandi ratione et horrido, incomto, agreſtique dicendi genere reddant obſcuriorem. Has vero dotes in bono interprete admirantur omnes, ſine his interpretem nec proficere quidquam, nec operae pretium facere cenſent. At interpretes ipſos, in quibus illae praeclarae virtutes enituerint, non dicam illo Bartoliſtarum aeuo, ſed et poſt felicem illam temporum reparationem, reperies pauciſſimos, et

vix totidem, quot
Thebarum portas, vel divitis oſtia Nili.

Primo enim quod ad litterarum praeſidia attinet, a quibus inſtructum eſſe oportere diximus interpretem, quis, quaeſo, tam eſt ſtolidus, vt ad intelligendum ius Romanum multum adiumenti nobis attuliſſe exiſtimet eos, qui nec Graecas, nec Latinas docti litteras, vbi in Graecum vocabulum incidunt, quaſi oblata quadam gemma magica exclamant: *Graecum eſt, non poteſt legi*; qui *iuriſdictio*, an *iuriſditio* dicendum ſit, addubitant: quibus denique *vis et poteſtas* eſt poteſtas violenta, violenta autem poteſtas, quae inuito etiam tutori defertur? Quid deinde lucis ſperes ab illis tenebrionibus, qui rudes hiſtoriae ac antiqui-

 tatum,

(*a*) Apud Athen. *Dipnoſ. lib. III. pag.* 72.

tatum, credere nos iubent, Auguſtum voluiſſe adoptare Germanicum, eoque refragante callide perſuaſiſſe cuidam Tiberio, vt ipſe Germanicum adoptaret, ſeque ipſum ſibi daret arrogandum: qui ſerio nobis narrant, ad beſtias datos olim homines, *vt beſtias deducerent, vel cum iis comederent, vel alia beſtialia facerent*: patres conſcriptos dictos, *quod nomina eorum ſcripta fuerint in aliquo loco, vel in corona capitis eorum*: aedituos fuiſſe praefectos vigilum, quique cum iis noctu vrbem circumierint: ſtadia vrbium eſſe, *octauam partem milliarii, quam Hercules cucurrerit vno anhelitu*: teſtamenta in procinctu facta dici, *quod ſuccincte fierent*: libripendem eſſe *aeſtimatorem*, et libram aeneam *rem aeſtimatam, vel hereditatem, quia haec tamquam libra diuidatur in duodecim vncias*: actionem Seruianam eſſe *a ſeruando* dictam, et innumera huius generis alia, quae ipſe

Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes?

Ne autem talia ex barbaro illo aeuo et ex Accurſii tantum ingenio profecta exiſtimes, etiam poſt felicem litterarum παλιγγενεσίαν haud pauca non multo meliora reperies in ſcriptis eorum, qui incredibilem ſibi famam iuriſprudentiae ſtudio pepererunt. Vix itaque eſt, quod Accurſio ſuccenſeamus, quum et in melioris aeui commentariis, quorum auctorum nominibus nunc parco, legamus, Iuſtinianum parte ſuperioris Germaniae ſubacta, Alemannici nomen adoptaſſe: leges Romanorum diuidendas eſſe in conſulares et decemuirales; aediles quoſdam vocatos *curules*, quod *curam* ſacrarum aedium geſſerint: legem Fuſiam Caniniam perlatam eſſe a quodam Fuſio Caninio: filiosfamilias dici *in ſacris paternis eſſe*, quia iis ſancta eſſe debeat patris perſona: *deportare* eſſe, quaſi extra portam ciuitatis dare: Claudium imperatorem ſanxiſſe, vt Coſſ. pupillis tutores *extra ordinem*, id eſt, non ſeruato agnatorum proximorum ordine, darent: imperatores dictos eſſe *pios*, quod clericis admodum fauerint: a conſulibus nomina conſequutas eſſe leges Hortenſiam et Attiliam: Auguſtum triplicem libertinorum conditionem introduxiſſe; et quae ſunt huius generis alia. Sexcenta enim his ſimilia in commentariis ICtorum non proletariorum vel capite cenſorum, ſed claſſicum quoque animaduertes, ſi te eorum lectioni dederis. Hos vero an ſatis inſtructos ad hoc interpretandi munus acceſſiſſe credibile eſt? An non iure potius iſtis occlames:

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget?

Quod

Quod deinde ad genuinam orationis ſententiam attinet, eam non modo ex ipſis verbis, eorumque ſignificatione, verum ex coniunctis loco et tempore eruendam eſſe, ii omnes cenſent, qui ſunt artis illius ἑρμηνευτικῆς paullo peritiores. Eo conſilio olim Antiſtius Labeo, iureconſultorum ſuae aetatis facile princeps, teſte Gellio (*a*), *In Grammaticam ſeſe et dialecticam, litteraſque antiquas altioreſque penetrauerat, et Latinarum vocum origines percallens ea praecipue ſcientia ad enodandos pleroſque iuris laqueos vtebatur.* Quumque hodie libri noſtri ex variis variorum fragmentis tamquam centones conſuti ſint, recte ſuſpicati ſunt viri quidam doctiſſimi, genuinam legum ſingularum ſpeciem adſequi poſſe neminem, niſi qui comparatis inter ſe coniunctiſque fragmentis, quae ex eodem libro ſuperſunt, omnibus, de quo iuris capite ibi actum ſit, in numerato habeat. Sane huius myſterii indicium iam pridem fecerunt viri quidam doctiſſimi, eiuſque vſum poſt Ant. Auguſtinum, Iac. Cuiacium, P. Fabrum, ſingulari diatriba Iac. Labittus; exemplis autem illuſtriſſimis Io. Goeddeus et Iac. Gothofredus oſtenderunt, viri ſane in arte noſtra ſummi,

Quos aget penna, metuente ſolui,
Fama ſuperſtes.

Sed quotuſquiſque vel olim vel hodie in tanta litterarum luce non infra ICti dignitatem eſſe putat, litteras illas attingere, quibus ſe plane immerſit Labeo? Quotuſquisque ſe tantis exemplis excitari paſſus eſt, ad illud fragmenta inter ſe comparandi artificium? Tantum ſane abeſt, vt iſtud adhibuerint interpretes, vt plerique illud hodienum alto ſupercilio deſpiciant, et per contemtum adnumerent reuelationibus (*b*). Permultum porro ad libros noſtros intelligendos vtilitatis adferre Graecos interpretes, res ipſa docet, et praeclare demonſtrat Car. Hannib. Fabrotus (*c*). *Equidem*, inquit vir doctiſſimus, *non inficior, naeuos eſſe quoſdam et παροράμματα in Graecorum commentariis. Sed haec fere leuiuſcula ſunt prae iis, quae veriſſime et diligentiſſime Graeci nobis explanata reliquerunt. Et vt de ceteris taceam, quis nobis titulum de fideicommiſſariis hereditatibus fidelius et doctius explicauit, quam Theophilus noſter? quis titulum de litterarum obligatione, et titulum* 12. *Inſtitutionis tertiae felicius enarrauit, quam idem auctor grauiſſimus, vt adpellat Cuiacius, interpretum facile praecipuus? Quis Latinorum, quaeſo, te, Lector,*

Inſti-

(*a*) *Noct. Attit. lib. XII. cap.* 10.

(*b*) Iac. Gothofred. *Praefat. Comm. ad reg. iur.*

(*c*) *Apol. pro Graecis*, edita cum *Exercitationibus XII. Pariſ.* 1639.

Inſtitutiones, hoc eſt, libellum aureum adcuratius interpretatus eſt? Et paucis interiectis: *quantum profecerit Iac. Cuiacius, oculus iuris prudentiae, legendis et enucleandis Graecorum commentariis, ignorare non poteſt; niſi qui peregrinus eſt in eius ſcriptis. Quam multa praeclara, neque in ſcholis iuris decantata, neque in doctorum commentariis protrita; hinc hauſerit, ſciunt aequi et periti harum rerum iudices, iniqui vero et Graecae linguae neſcii diſſimulant, aut, quod verius eſt, non vident: oculique eorum ad hunc ſolem ſuffunduntur.* Sed quotuſquiſque ICtorum hodienum Graeca haec attingit? Quotuſquiſque eiuſmodi libris vel locum in bibliotheca concedit, vel quidquam inde in vſus ſuos depromit? Exſtat commentarius in Inſtitutiones, ſatis tritus doctorum manibus, in quo, vbi βασιλικῶν incidit mentio, auctor de iis non aliter loquitur, ac de opere ſibi ignoto, ac iam pridem deperdito, et de quo nihil habeat, quod pro certo adfirmet, quam quod Baſilica vocati ſint libri, qui contineant leges ab imperatoribus promulgatas et compoſitas. Alii, qui nihil ignorare videri volunt, Ottonis Taboris exemplum ſequuntur, et Graeculos illos nugiuendulos nihil ad nos pertinere, fabuliſque meris indulgere clamant. Quam multa itaque fugiſſe oportet pleroſque interpretes, qui hoc inſigne praeſidium nullo loco habuerunt, famaeque ſuae metuerunt, ſi tam magnum ac memorabile facinus auſi, ad illa Graecorum oracula proficiſcerentur? Quid porro de veritatis dicam ſtudio, quo nihil prius, nihilque antiquius eſſe debeat interpreti? An tu illam feliciter repertam fuiſſe dicas veteribus, qui illam veritatem inueſtigandi ratiocinandique artem ſciebant cum ignariſſimis. An a nouis plus ſperes, qui Petri Rami dialecticae innutriti, vnum didicerant τὸ διχοτομεῖν, id eſt, artem egregiam, quinque digitos in duos ordines diſtinguendi? An tu porro veritatem quaeras in eorum commentariis, qui id ſibi negotii datum credebant, vt omnia ſuperiorum placita labefactarent ac ſubuerterent, et quaſi clauum clauo, ſic opinionem opinione tradentes eo demum rem perducerent, vt iam non difficile videatur ſententias etiam abſurdiſſimas mille ICtorum teſtimoniis ſtabilire? Obſeruauit Franc. Hotomanus (*a*), celebrem illum Andream Tiraquellum ſaepe in libris ſuis, quos citationibus auctorum inſtructiſſimos edidit, poſtquam conſentientia centum aut plurium ſuffragia accumularit, hanc aut ſimilem orationem ſubiungere: *vt videas, amice Lector, nihil eſſe in iure noſtro non ambiguum, et diſputationibus ac controuerſiis inuolutum,* volo

(*a*) *Antitribonian. cap.* 14.

volo tibi totidem, aut plures, recenſere, qui ſunt in opinione prorſus contraria, et ſub haec ingentem aliorum doctorum indicem pertexere, qui in alia omnia eant. Quid vero veritatis ſtudioſo vtilitatis adferat illa *diſcrepantium opinionum farrago*, niſi vt perlecta illa idem ſibi contingere videat, quod tribus conſultis aduocatis contigiſſe ſibi queritur Demipho apud Terentium (*a*):

Feciſtis probe:
Incertior ſum multo, quam dudum.

Accedit, quod quum inter omnes conſtet, veritatem non auctoritate doctorum, ſed legum rationumque fundamentis niti: pleriſque interpretantibus iura potior ſemper fuerit gloſſae, quam recta ratio et legum auctoritas. Hinc vbique in libellis huiuſmodi doctorum turmae in aciem educuntur, manatque hoc exemplum in fora, in quibus certam praeſumunt victoriam, ſeque iactant magnifice, qui pro ſe Sandium, Chriſtinaeum, Weſembecium, Schneidewinum, Carpzovium, Meuium, vades dederunt. Quaſi vero veriſſimum ſit, quod plurimis videtur, et non aeque facile ſit, alium gloſſatorum exercitum conſcribere, qui priori opponatur. Iam quod proximum inter virtutes interpretis poſui, vt ne in rebus ab arte ſua alieniſſimis occupetur, quanti momenti ſit, nemini dubium eſſe poteſt. Quis enim philoſophum ferret, qui de virtute diſputaturus, quaedam de primis mundi elementis praemitteret, deinde adcurate explicaret, quid ſit glacies, hinc porro, quot ſint coniugationes, quotque partes orationis, ſubtiliter diſquireret, ac demum in rem praeſentem veniens, an ſit virtus, quid ſit, et quotuplex breuiſſimis verbis attingeret potius, quam explicaret? Mirarer ſane, ſi qui hunc philoſophum audiunt, non, vt olim Abderitani, Hippocratem quemdam arceſſerent, qui homini nimis inepte ſtulto primum crebram ambulationem, ad hoc betae maluaeque eſum, poſtremo vomitum praeſcribat, et ita perpurgatum mittat Anticyras. At ita tamen diſputare ſolent quidam non infimi ſubſellii iuris interpretes, qui explicaturi titulos Iuſtiniani, primum quaerunt, an inſtrumentis notariorum praemittenda ſit inuocatio nominis diuini? num et imperatoris nomen et titulus vniuerſus? an eligi poſſit imperator, niſi origine Germanus? taliſne fuerit Carolus M.? an

 et

(*a.*) Terent. *Phorm. Act.* II. *ſcen.* 4. *v.* 18.

et Epiſcopum e gremio Eccleſiae eligi oporteat? Hinc ad rem ipſam ſe accingentes diſputant, fueritne Iuſtinianus orthodoxus? an litteras norit? an et Latinam linguam percalluerit? vnde triumphus nomen acceperit? an imperator ſit mundi dominus, prouinciamque Romani imperii alienare poſſit? Valeatne ac rata ſit donatio Conſtantini Magni? En egregiarum quaeſtionum farraginem, quibus enodatis, tunc demum intelligi a nobis exiſtimant horribile iſtorum verborum ſecretum: *imperator, Caeſar, Flauius Iuſtinianus, Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator ſemper auguſtus, cupidae legum iuuentuti S.* Iidem in explicanda iuſtitiae definitione occupati, anxie quaerunt, vnde iuris nomen deſcendat? cur titulus inſcribatur *de iuſtitia et iure*, ac non potius *de iure ac iuſtitia*? quae iuſtitia a Iuſtiniano definiatur? diuina an humana? vniuerſalis, an particularis? commutatiua, an diſtributiua? quare ICti ſacerdotes iuſtitiae? an dentur caſus pro amico? cur rectius dicatur voluntas ſuum cuique tribuendi, quam ſuum cuique tribuens? an ICtorum auctoritati cedere debeat auctoritas philoſophorum? Tam egregia ſcilicet doctrinae vbertas latet in definitione illa Iuſtinianea, tantaeque molis eſt, explicare decem illa verba: *Iuſtitia eſt conſtans et perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi.* Ludere quibuſdam videbor, et quaeſtiunculas nihil ad rem pertinentes fingere, quae nemini interpretum in mentem venerint. Sed veniſſe illas in mentem non illi Bartoli et Baldi ſoboli, ſed ICtis, qui patrum noſtraque memoria floruerunt, celeberrimis, ex ipſorum commentariis demonſtrare in procliui eſſet, niſi vel ſuſpicione aliis inſultandi carere mallem. Ita vero leges interpretantibus, non difficile erit coniicere, quam nulla iis cura fuerit ordinis, quem ſemper ſapientiſſimus quiſque plurimi fecit. In tali enim quaeſtiuncularum ſibi admodum diſſimilium farragine non magis ordini locus eſt, quam in rudi indigeſtaque mole, ex qua hoc vniuerſum efformauit Deus. Vnde vir elegantis ingenii, M. Antonius Muretus (*a*) de gloſſatoribus diſſerens: *Qualem*, inquit, *nobis illi cuiuſque generis praeceptorum farraginem reliquerunt? vt ſi quis ruſticus hordeum, triticum, viciam, legumina in vnum aceruum conferat; non illius aceruum horum commentariis exiſtimem perturbatiorem fore. Mihi quidem, quum in eos inſpicio, ſaepiſſime Ouidiana illa de Chao in mentem veniunt:*

Quaque erat et tellus, illuc et pontus et aër.

Non

(*a*) Lib. II. Orat. 17

Non aliter enim apud hos, vbi verbi cauſſa de auctoritate magiſtratuum agitur, dicetur etiam aliquid de teſtamentis: vbi de emtione et venditione diſſeritur, aliquid de poenis, aut de auctoritate tutorum inſeretur. Nihil eſt denique, quod certam ſedem et domicilium habeat, nihil, quod non alieniſſimo aeque ac ſuo loco pertractatum reperiatur. Inde illae crebrae ex vno in alium locum reiectiones, quum te, quod hic agendum ac tractandum erat, id iubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, numquam niſi admonitus, diuinare potuiſſes. Prorſus, vt ſi quis paterfamilias veſtem non in veſtiario, ſed in arca panaria conderet, panem ex puteo hauriret, piſces in nemore, lepores in piſcina incluſos haberet. Apud Ariſtotelem primo Phyſicorum recenſetur opinio veterum quorundam, in quibus fuit et Anaxagoras, qui quidlibet in quolibet ineſſe dicebant, idque exprimebant hemiſtichio quodam, vt opinor Empedoclis: πᾶν ἐν παντὶ μέμικται. *Hoc an in phyſicis vere dicatur, viderint, qui illa tractant, de talium certe interpretum commentariis veriſſime dici poteſt.* Haec de gloſſatorum libris Muretus, quae et in melioris aeui commentarios iuridicos pleroſque cadere reipſa deprehendent, qui iſtos inſpexerint. Denique vltimam interpretis virtutem in ſermonis puritate ac perſpicuitate poſitam eſſe diximus. At neſcio an et hanc extra Cuiacii ſcholam adeo multi interpretes ſint adſequuti. Quamuis enim depulſa vetere illa barbarie, purius ſcribere coepiſſent viri docti: ICtorum tamen libros adeo infecit illud Accurſii abſinthium, vt ſi Papinianus in vitam rediret, noua ei addiſcenda eſſet lingua, illos commentarios legere cupienti. ICtorum enim laudem ſe ſuſtinere poſſe plerique dubitant, niſi lingua Iureconſultorum, id eſt, barbara vtantur. Hinc vbique *ſummant, ampliant, ſubampliant, limitant, ſublimitant, caſuant*; vbique *reſolutiones legum* et ſimiles elegantias pollicentur, vbique *practicas practicatas*, et praeiudicia *in terminis terminantibus*, et clauſulam illam vtiliſſimam, *rebus ſic ſtantibus*, et ſexcenta huius generis alia, tamquam mellitos verborum globulos, ſpargunt, quibus condimentis ſi aliquid ſalis adſpergas; elegantiſſima nimirum illa brocardica, quae vocant, veluti: *caſus noluntatis comprehendit ſub ſe caſum impotentiae: ab actionibus ad intereſſe libera nos Domine; ſolus cum ſola non praeſumitur orare, Pater noſter, et ſimilia*: tunc ſane habebis verum venenum aqua Stygia dilutum, cuius halitu ipſo bonae mentes exanimantur. Tales ſunt plerique, qui tabernas rumpunt, iure conſultorum commentarii. Iis itaque an magna vtilitas per tot ſaecula allata ſit reipublicae, et an non melius eorum auctores operam in conficiendis indicibus Iuſtiniani conſilio collocaſſent, illi viderint, quorum non amant ſimiles labra lactucas.

Quae quum ita ſint, ſingulari profecto ac praecipua laude digni videntur pauci illi, ſed boni, quibus meliorem mentem indidit Deus, vt, quae in iure noſtro ſunt obſcura atque ambigua, felicius illuſtrare ac diſtinguere conarentur. Quo in numero (quod ad Inſtitutionum interpretationem attinet,) praeter Cuiacium, Giphanium, Ianum a Coſta, et quoſdam alios, et Arnoldvm Vinnivm, Iureconſultum eximium, haud poſtremo loco ponendum arbitror. Sane ex quo me iuris prudentiae dare coepi, mihi eius commentarius prae aliis placuit, et ad ſolidiorem doctrinam conniténti maximo fuit adiumento, vt, poſtquam aliis iura interpretari iuſſus eram, nullum fere librum auditoribus meis obnixius commendandum iudicarem, quam commentarium Vinnii, ex quo ipſe fructum ceperam vberrimum. Vix enim vlla eſt boni interpretis virtus, quae non in Vinnio noſtro éluxerit. Attulerat ad iuris prudentiam ea praeſidia, quae paullo rariora ſunt in noſtri ordinis hominibus, puta, haud vulgarem Latinarum Graecarumque litterarum facultatem, diffuſam omnis aeui ſcriptorum lectionem, notitiam antiquitatum haud mediocrem, tantum denique ingenii ac iudicii acumen, vt nec vulgaribus pragmaticorum ſententiis, ipſique Triboniano eſſet addictus, nec Cuiacium, Ant. Fabrum, Rein. Bachouium, alioſque, vbi noui quid inferunt in artem, coeco impetu ſequeretur, ſed legum rationumque pondera vbique cum cura expenderet, nulliuſque auctoritate ſe pateretur in tranſuerſum agi. Deinde id quoque habet Vinnius noſter, vt genuinam Iuſtiniani ſententiam vbique cum cura inueſtiget, neque eum pudeat ex philologiae latifundiis petere, quibus iuriſprudentiam locupletaret. Et quamuis myſterium iſtud atque artificium leges ex eodem libro depromtas comparandi coniungendique facilius in Pandectis et Codice quam in Inſtitutionibus, vſum ſuum exſerat: nihil tamen reliqui fecit, vt, ex quibus auctoribus vel fragmentis ſinguli paragraphi deſcripti ſint, et quomodo illi a ſuis auctoritatibus diſcrepent, quantum fieri poteſt, oſtenderet, non vt haberet, ob quod inſultaret Triboniano, (in quo muſtaceo multi hodie quaerunt laureolam) ſed vt rationem eius mutationis redderet candide. Laudanda quoque eſt Vinnii noſtri opera, quam in conferenda Theophili Paraphraſi poſuit, ſane quam vtiliſſima. Quamuis enim plerisque vapulet hic Theophilus, et aliquando ab iis quoque, qui eum numquam euoluerunt, exagitetur; permultum tamen lucis eum foenerare Inſtitutionibus, Car. Hannibal Fabrottus, cuius verba quaedam ſupra dedimus, pridem euicit. Et ſane non hic nobis res eſt cum Theophilitze quodam, quem aliqui verbis quibuſdam Cuiacii (*a*) decepti Accur-

(*a*) *Recitat. ad tit. Inſt. de action.*

Accurſio faciunt iuniorem, ſed cum Theophilo, viro illuſtri, et Anteceſſore, cuius opera ipſe Iuſtinianus in conficiendis Inſtitutionibus vſus eſt. Hunc ipſum enim eſſe illum paraphraſten, multis argumentis conſtat. Primo Theophilum, Triboniani συνεργὸν, anteceſſoris munere Conſtantinopoli functum nouimus (*a*). Anteceſſorem autem etiam paraphraſten fuiſſe, inde adparet, quod in codicibus vetuſtis ſingulis libris illa ſubnectuntur: ἐπληρώθη ἡ α' (*B'* Γ' N) Ἰνστιτουτίων Θεοφίλου Ἀντικήνσωρος feliciter. Eumdem deinde Conſtantinopoli vixiſſe, inde patet, quod vbicumque eius facit mentionem, eam vocat ταύτην τὴν πόλιν vel ταύτην τὴν Βασιλεύουσαν πόλιν, *hanc vrbem* vel *hanc regiam vrbem* (*b*), vti ſolent, qui vrbis, in qua viuunt, meminerunt. Deinde, quum Theophilus anteceſſor Iuſtiniani temporibus floruerit, eiuſdem aetatis eſſe paraphraſten noſtrum, res ipſa docet. Quemadmodum enim omnes, qui Iuſtinianum anteceſſerunt, imperatores Chriſtianos ita deſcribit, vt eos inter homines non amplius fuiſſe, ſtatim adpareat, veluti vbi meminit Ζήνωνος τῆς θείας λήξεως (*c*), itemque τῆς θείας λήξεως ἐκείνου (*d*), ita Iuſtinianus ipſi ſemper eſſe θειότατος ἡμῶν δεσπότης, ἡμέτερος βασιλεὺς, εὐσεβέστατος ἡμῶν βασιλεὺς, ὁ μερώτατος ἡμῶν βασιλεὺς, *ſacratiſſimus dominus noſter, imperator noſter, imperator noſter piiſſimus, clementiſſimus noſter imperator* (*e*), quemadmodum et Theodoram τὴν εὐσεβεστάτην ἡμῶν δέσποιναν, *piiſſimam dominam noſtram* (*f*), et conſtitutionem Iuſtinianeam διάταξιν ἣν ἔναγχος ἐξεφώνησε, *conſtitutionem nuper promulgatam* (*g*) adpellat. Quae ſane omnia non ſunt verba de principe dudum fatis functo diſſerentis. Accedit, quod Theophilus ſaepe paraphraſi ſuae intexit formulas antiquas et ritus veteri iuriſprudentiae proprios, quos quum, iudice Fabrotto (*h*), non aliunde, quam ex Caii, Vlpiani, aliiſque veterum ICtorum libris, depromere potuerit, ſatis profecto manifeſtum eſt, eum ante commune iſtud illorum librorum naufragium vixiſſe, verſatiſſimumque fuiſſe in iſtorum operum lectione. Quod denuo non in Theophilitzen quemdam, Graeculum nouum, ſed in celeberrimum illum ſcholae Conſtantinopolitanae anteceſſorem, Theophilum cadit. Denique, quod palmarium eſſe, Nicolaus Hieronymus Gundlingius (*i*) obſeruauit, Theophili noſtri paraphraſin iam Thalelaeus laudauit, et ille quidem, quem cum Tri-

 bo-

(*a*) Conſt. *Tanta* §. 9. *de confirm. Digeſt.*
(*b*) Theoph. §. 7. *Inſt. de ſatis dat.*
(*c*) Theoph. §. 34. *Inſt. de act.*
(*d*) Theoph. §. 3. *Inſt. de donat.*
(*e*) Theoph. §. 1. *de vſucap.* §. 7. *quib. alien. lic.* §. 7. *prooem.*
(*f*) Theoph. §. *vlt. Inſt. de vſucap.*
(*g*) Theoph. §. *vlt. Inſt. de vſucap.*
(*h*) Fabrott. *Praefat.* ad Theoph. *Inſt.*
(*i*) Gundlingian. *Part.* II. *obſ.* 2.

boniano, Theophilo, aliiſque Pandectas compoſuiſſe, eaſque poſtea κατὰ πόδα vertiſſe nouimus. Quod quum et Fabrottus (*a*) viderit, mirum ſane eſt, virum ipſum doctiſſimum Theophilum Iuſtiniano non quidem multo iuniorem, a Theophilo tamen, Pandectarum et Inſtitutionum architecto, diuerſum credidiſſe, quaſi ipſe paraphraſtes aetatem ſuam non multis, iiſque luculentiſſimis prodiderit indiciis. Quod ſi itaque Theophilus noſter fuit Iuſtiniano σύγχρονος, ceu hactenus mihi videor demonſtraſſe: gratiſſimum procul dubio cupidae legum iuuentuti fecit Vinnius, quod eum diligenter conſuluerit, et inde textum Inſtitutionum vel ſtabiliuerit, vel explicarit. Nec minus laudandum videtur ſingulare veritatis ſtudium, quod idem vbique prae ſe tulit, dum manum ad ſcribendum adpulit. Rationibus enim ſolidis, legumque auctoritate muniuit omnia, quae docuit, nec in vllius iurauit verba magiſtri. Tantum etiam abeſt, vt more gloſſatorum quaeuis conuellere, ac in dubium vocare ſtuduerit vir doctiſſimus, vt pleraſque iſtas lites erudite finiuerit, et plerumque optimam, maximeque legibus conſentaneam elegerit opinionem, eamque ita firmarit, vt aliquando et inuitos in ſententiam ſuam pertrahere videatur. Ordo porro, quo vtitur, ipſi rei quam maxime conuenit. Textum explicat adcurate, ſcrupulos, quos iniici lectori poſſe praeuidet, cum cura eximit: ipſam doctrinam, quae quouis loco proponitur, egregie illuſtrat; nec diſſimulat, quae vel nouis Iuſtiniani conſtitutionibus, vel deſuetudine et moribus patriis mutata aliter in foro obſeruantur. Nullos hic videbis exceſſus, ad rem nihil pertinentes, nullas quaeſtiones otioſas et intempeſtiuas deprehendes: Nec hic obſeruabis a Vinnio, tamquam a coquo Plautino, diuerſa iura confundi. Nam vbique ius Romanum a moribus patriis adcurate ſeiungit, et nihil facit reliqui, vt vtriuſque principia a lectore ſuo intelligantur. Denique et oratione vtitur, non quidem calamiſtris intorta, ſed pura tamen; et ſatis plerumque Latina, vt ſaltem non adfectaſſe videatur illam barbariem, qua pleroſque ICtos commentarios ſuos inquinaſſe diximus. Quo gratior mihi fuit opera, quam a me vir integerrimus, nouam hanc editionem meditatus, flagitauit. Quum enim intelligeret, me quaedam margini exemplaris mei, vt fieri ſolet, adnotaſſe: non dubitauit a me petere, darem operam, vt Vinnii hic commentarius et nitidior, et emendatior prodiret. Et ſane nihil, quod mearum erat partium praeter-

(*a*) *Praefat.* ad Theoph. *Inſt.*

termiſiſſem, ſi paullo plus temporis ad eam rem fuiſſet conceſſum. Quantum tamen a me praeſtitum putem, paucis accipe. Primo totum commentarium et relegi, et recenſui, et quidem ita, vt non modo aliquot millena ſphalmata, quae in priorem editionem irrepſerant, ſuſtulerim, ſed et interpunctiones, antea vitioſiſſimas, vel plane omiſſas, reſtituerim diligenter. Deinde auctores, quos laudat Vinnius, pleroſque euolui, et vbi ipſe ſolum librum expreſſerat, ego capita etiam, et aliquando paginas adieci, ne Lectori illa loca euoluturo iſtud quaerendi taedium eſſet deuorandum. Praeterea notulas quaſdam ſeu additiones, quas a VINNIANIS primis nominis mei litteris: HEIN. diſtinxi, paſſim inſertas animadvertes. Eas quum iam olim exemplaris mei margini alleuiſſem, ideo edi paſſus ſum, quia quarundam me ne nunc quidem poenitet. Sunt eae non vnius generis. Quaedam illa, quae a Vinnio non adeo plene traduntur, ſupplent: aliae non ſatis adcurate poſita emendant: ſunt etiam, quae quaſdam coniecturas de legibus a Vinnio vel emendatis, vel explicatis, proponunt, Lectoriſque iudicio ſubmittunt. Non exiſtimo, futurum, vt id mihi auſo quiſquam ſuccenſeat? Quae enim iniuria eſt, alieno libro adſpergere notulas? Et quid facilius erit Lectori, cui mea haud placebunt, quam breues illas ſtricturas praetermittere, maxime quum et paucae ſint, nec adeo multis paginis librum reddant auctiorem? Si qua in re ſtilus lapſus ſit, id in meliorem partem interpretabuntur, quibus aliquis candor ineſt, quum feſtinantibus operis plagellae inter alias occupationes, et in medio luctu domeſtico, deſcriptae, et ſaepe vix relectae Lugdunum tranſmittendae fuerint. Emendationi praefuit ipſe, qui ſumtus fecit, vir integerrimus. Quumque is et ob ſollertiam, et ob linguae intelligentiam par omnino ſit huic operi, et iam plura eius dexteritatis dederit documenta: res ipſa iam quoque oſtendet, veriſſimum eſſe, quod ſcripſit poëta (*a*):

Dominum videre plurimum in rebus ſuis.

Tu, Lector, fruere editione; omnibus anterioribus, ſi quid video, meliore, mihique, tua cauſſa omnia volenti, faue, et ex voto vale. *Franequerae Friſiorum X. Kal. Mart.* CIƆIƆCCXXVI.

V.

(*a*) Phaedr. *lib.* II. *fab.* 8. *v.* 29.

V.

DEFENSIO COMPENDIORVM IVRIS; SPECIATIM DE BOEKELMANNI LIBELLO IVDICIVM.

QVod iis ſolet contingere, quos fortuna ex ſumma rerum omnium penuria ad maximas opes et diuitias de improuiſo euexit, vt quum prius cum egeſtate confligarentur, poſtea ipſa rerum copia ſibi inopes videantur: idem in re publica litteraria euenire, vnus quiſque quotidie animaduertit. Saeculis iſtis barbaris, quibus ſiue ſtupor hominum, ſiue temporum infelicitas ingeniis caliginem triſtiſſimam offuderat, maxima erat bonorum librorum inopia. Veteres, et e meliore ſaeculo ſuperſtites membranae intra monachorum clauſtra cum blattis et tineis colluctabantur. Noui, qui tum prodibant, libri plerique aut nugis referti erant, aut, ſi quid illis boni ineſſet, illud ita erat malis admixtum, vt vniones aliquot ex iſto Augiae ſtabulo eruere, difficillimum, ac Herculei fere laboris eſſe videretur. Ex quo autem, diſcuſſa iſta caligine, purior omnis doctrinae ac ſapientiae lux effulſit, et diuinum iſtud artis typographicae inuentum homines a moleſto deſcribendi labore liberauit, tanta ſubito librorum bonorum, malorum, mediocrium, immo et nugarum ac quiſquiliarum ſeges effloruit, vt iam vere copia nos inopes reddere videatur. Quemadmodum vero quidam his ſaeculis bonis, quae vocant, impenſe fauent, et ſibi aliiſque eam gratulantur felicitatem, quod cuiuis bene nummato iam procliue ſit, bibliothecas maximas ac diffuſiſſimas extruere: ita ſunt, qui proletariorum illorum librorum turbam oneri potius rei publicae litterariae, quam vlli emolumento eſſe, eamque, ſi fieri poſſet, ex orbe litterario proſcribendam, et ad vltimos Garamantas deportandam, arbitrantur. Et hi profecto non adeo deſipere, nec male rei litterariae cauſſa velle viderentur, modo, qui boni, quiue mali libri ſint, certiore indicio conſtaret. Non eſt liber tam malus, quin ex eo boni quid diſcas: nec tam bonus vllus, (ſi ab illo, qui Deum ipſum auctorem habet, diſ-

diſceſſeris,) quin naeuis aliquot deformetur, vt fieri vix poſſit; quin bona quamplurima cum malis ſint peritura, ſi quis vel malos libros ob plura mala vel bonos ob naeuos, quibus laborant, pauciores ex *hominum* manibus omnino extorquendos putaret. Accedit, quod varia admodum et diſcrepantia deprehenduntur hominum *iudicia*, et quemadmodum non omnium palato idem cibus, ita nec omnibus litterarum ſtudioſis iidem libri ſunt in deliciis. Sunt, quibus vel Tullii elegantia et vbertas taedio eſt, et qui ſibi contra ea in caelo eſſe videntur, ſi quando ſcholaſtici aut gloſſatoris cuiuſdam glandibus veſcuntur. Alios ſolida et profundiora, alios protrita et vulgaria delectant. Quae alii in breui aliquo compendio, ac veluti in nucleo compacta volunt: ea non placent aliis, niſi multis voluminibus explicata. Quis vero, quantumuis eruditus, eum ſelectum faceret, vt omnes ſibi peraeque ſatis factum eſſe fateantur. Denique nec mira illa ingeniorum varietas eius modi conſilium capi patitur. Ea ſane via, quam alii ſibi ad eruditionis laudem et breuem, et omnium expeditiſſimam fuiſſe experti ſunt, aliis tam inuia, tamque innumerabilibus impedita ſalebris videtur, vt ab ea toti abhorreant. At, qua ipſi ſine offenſione progrediuntur, ea alii vel numquam fortaſſis, vel tardius certe, ad aliquem doctrinae cultum peruenirent. Quare tantum abeſt, vt cenſoribus quibuſdam ſine populi ſuffragio creatis, facultas illa concedenda ſit, librorum numerum minuendi, vt eam ſcriptorum varietatem vel ipſa ingeniorum ſtudiorumque varietas requirere videatur, multoque ſatius ſit, meo quidem iudicio, multos exſtare libros etiam ineptos, quam bonos aliquot, vel mediocres, vna cum ineptis proſcribi. Praefari haec ideo viſum eſt, quod noſtri ordinis hominibus, qui in academiis docendi munere funguntur, vel maxime hoc vitio verti ſolet, quod librarias tabernas nouis quotannis libris impleant, et illis quidem non egregiis, et exquiſita quadam doctrina refertis, ſed vulgaribus, et prima fere diſciplinarum elementa, vel diſputationes ſcholaſticas complexis. Quid vero, inquiunt, opus eſt tot *compendiis*, *aphoriſmis*, *elementis*, *enchiridiis*, *manualibus*, quum in iis praeſtari nihil aliud poſſit, quam vt crambe non bis, ſed centies recocta lectoribus adponatur? Quaſi vero vel nouum quid, vel elegantius promittant libelli, in quibus adornandis nec ingenio, nec variae eruditioni locus eſt. Quaſi magis conſultum ſit tironibus, ſi ex muſteo quodam compendio, quam ex vetere, et iam pridem in ſcholis recepto, artem aliquam addiſcant. Quid aliud igitur agunt vmbratici iſti doctores, quam vt coquos imitati callidiores cibis heſter-

nis et triduanis nouum condimentum vel iuſculum bene piperatum adfundant, quod iis nouum ſaporem conciliet, et adoleſcentulorum imperitorum excitet adpetitum? Ita faba in profeſſores academicos cuditur, ab iis maxime, qui quum ipſi otio obtorpeſcant, ab hominibus illis occupatis, et Siſyphi ſaxum voluentibus, non niſi magna, et ad Cleanthis lucernam elucubrata opera efflagitant. Qui ſi cogitarent, alias eſſe viri eruditi, alias boni doctoris partes, paullo benignius, credo, de horum laboribus iudicarent. Vir doctus primo id agit, vt doctrinam nouis inuentis veritatibus locupletiorem reddat: deinde vt theſauros iſtos domi ſuae repertos cum aliis eruditis liberaliter communicet. Et hinc dum quaedam adhuc nondum ſatis cognita in lucem protrahere, et aliis viris doctis operibus eximiis prodeſſe ſtudet, et gratiam a bonis omnibus init quam maximam, et laudem ſibi parit immortalem. At qui in ſcholis et academiis docent, ſi quid eximii ſcribunt, in eruditorum quidem numero ſe eſſe oſtendunt: at nihil tamen hoc ipſo agere videntur, quod eos bonis doctoribus accenſendos eſſe euincat. His cum tironibus, non cum doctis res eſt. Illorum vtilitatem et profectus ſupremam ſibi legem ducunt, ſatiſque laudis ſe adſequutos arbitrantur, ſi operam ſuam illis non inutilem eſſe intelligant. At quid, quaeſo, tironum ſtudiis magis conuenit, quam vt via quam compendioſiſſima ad ſolidiorem doctrinam perducantur? Quum vero diuturnus rerum vſus pleroſque, qui hoc ſtudium decurrunt, doceat, rationem docendi meliorem ac iuuenum captui accommodatiorem reperiri poſſe, quam qua alios vſos animaduertunt, quis, quaeſo, aequus rerum aeſtimator indignabitur, eos ſcribendis compendiis opera abuti? Nulla praeterea eſt diſciplina, in qua omnes idem per omnia ſentiunt, et ſi forte de doctrinis ipſis inter eos conuenit, propria ſane cuique docendi demonſtrandique ratio eſt, propria veritates inter ſe connectendi methodus, quam in aliorum compendiis non videt obſeruatam. Ipſa illa certiſſima ſcientiarum, mathematica, quamuis aeternis et indubiis ſubnixa principiis, non tamen noua elementa, poſt Euclidea illa, reſpuit, quia ea ſcripturis haec laus ſupereſt, vt quae Euclides aliique operoſa demonſtratione firmarunt, ipſi breuiore ac faciliore via demonſtrent. Idem ſane et aliis, qui theologiae, iurisprudentiae, aliarumque ſcientiarum compendia adornant, propoſitum eſt. Non enim id agunt, vt laudi inhient, (quae enim laudis eximiae ſpes ex compendii ſcriptione adfulgeret?) nec vt aliorum luminibus officiant, (quid enim magni egiſſe videretur, qui tugurium tuguriolo opponit?) ſed vt breuiore, et captui auditorum ſuorum ac-

accommodatiore ratione doctrinas ſuas proponant, propoſitaſque demonſtrent. Qua in re quamuis fortaſſe contingere poſſit, vt aliqui fallantur, et de facultatibus ſuis amplius, quam in iis eſt, ſperent: non tamen ideo totum illud noua compendia adornandi conſilium videtur reprehendendum. Aliis ingeniis hoc; aliis illud plus vtilitatis adfert, et in ſingulis ferme aliquid deprehendimus, quod in aliis fruſtra requiras. Quare meum plane facio viri eximii, Io. Voetii, ICti, iudicium: *nulla aliorum meditata aut carpo, aut damno, quum ſuus cuique ſcopus fuerit, perducendi cupidam legum iuuentutem ad optatam ſtudiorum metam, qui idem nunc quoque meus eſt.*

Quae hactenus diſſeruimus, ea ad excuſandum compendiorum iuridicorum numerum pertinent. Non vero excuſatione vlla opus fuit celeberrimo Boekelmanno, cuius enchiridio haec praefari volui. Is enim, vti aliis praeclaris ingenii monimentis, ita et hoc libello tam bene de ſtudioſis iuris meritus eſt, vt etiamnum ille in pretio ſit pleriſque. Habes in eo doctrinam Inſtitutionum Iuſtiniani in compendio breuiſſimo, tamquam Homerum in nuce. Nihil hic auctor oſtentat eruditionis, quae in eo ſumma fuit, ſed prima legitimae ſcientiae elementa verbis paucis, et ſtilo quam maxime perſpicuo exponit, vt quemadmodum in laudibus Iulii Caeſaris ponuntur *Commentarii nudi, recti, et venuſti, omni ornatu orationis, tamquam veſte detracta*: ita non minus hic Boekelmanni libellus vel ideo videtur eruditus, quod in eo auctor ab omni eruditionis oſtentatione abſtinendum putauit. Quare recte et ordine fecerunt bibliopolae, viri integerrimi, et de omni librorum genere praeclare meriti, dum libellum, cuius iam exemplaria diſparuerant, luci reddiderunt, nihilque fecerunt reliqui, vt et nitidior, et quam emendatiſſime prelo exiret. Ego vero ſicuti huic conſilio et faueo, et adplaudo: ita vt illud rei publicae litterariae, et in primis iuris prudentiae noſtrae feliciter cedat, ex animo precor. Tu, lector candide, fruere libello elegante, et vale. *Franequerae Friſior. X. Kal. Maias anno erae Dionyſiac.* 1717.

* * * * * * * * * *

VI.

DE MERITIS EZECHIELIS SPANHEMII IN REM LITTERARIAM, DEQVE EIVS ORBE ROMANO IVDICIVM.

PRaefari aliquid iuſſus in EZECHIELIS SPANHEMII *Orbem Romanum*, opus aeternum atque incomparabile, nihil eorum faciendum mihi eſſe intelligo, quae ſolent alii, qui hanc operam aliorum lucubrationibus nauare conſtituerunt. Si enim aliorum imitandum eſſet exemplum: aut de vita et fatis viri illuſtriſſimi, aut de ipſo, quod praelum rurſum exercuit, opere eximio accurate dicendum, eorumque nihil, quae ad vtriusque laudem pertinere viderentur, a me praetermittendum eſſet. At cui, quaeſo, non dicam eruditorum, ſed litteras amantium, ignotus eſt SPANHEMIVS, qui mira fortunae indulgentia, quam virtute et prudentia in officio retinuit, in ſchola non modo, ſed et in palatiis principum, legationibuſque ſplendidiſſimis parem gloriam conſequutus, maximis regibus ac principibus gratiſſimus fuit? qui, vt elegantiſſimi IANI BROVKHVSII (a) verbis vtar, *ita ſine exemplo eruditus fuit, vt eius nec virtutes nec ingenium carpere poſſet iners huius ſaeculi liuor*? qui denique, ſiue philologiam ſacram, ſiue iura principum, ſiue veteres nummos, ſiue Graecas Romanaſque antiquitates illuſtrare decreuiſſet, adeo pleriſque aliis antecelluit, vt id vnum per omnem vitam egiſſe videretur? Argumento eſſe poſſunt, quae *de antiquitate litterarum Hebraicarum*, a LVDOVICO CAPELLO in dubium vocata (b), de fama patris adverſus MOYSEN AMYRALDVM (c), *de praeſepi* CHRISTI, *de eiuſdem cruce* (d), de integritate textus biblici ad-

(a) *Adnotat.* ad TIBVLLVM, *pag.* 48. *not.* 47.

(b) Prodiit iuuenile illud ſpecimen *Lugduni Batauorum* 1644. 4.

(c) Titulus libelli eſt *Diſquiſitio critica* contra MOYSEN AMYRALDVM, *Lugd. Batau.* 1649.

(d) Sunt hae orationes binae habitae

aduerſus RICH. SIMONIVM (*a*), *de iure, imperii Romani res tempore interregni vicario nomine adminiſtrandi* (*b*), *de vſu et praeſtantia numiſmatum* (*c*), *de Veſta et prytanibus Graecorum* (*d*), *de nummis rarioribus ad* LAVRENTIVM BEGERVM (*e*) *et* ANDREAM MORELLIVM (*f*), ac denique *ad auctores veteres*, CALLIMACHVM (*g*), IVLIANI *Caeſares* (*h*) *et orationem primam* (*i*); nec non ad ARISTOPHANIS *tres priores comoedias* (*k*) et IOSEPHI *Opera* erudite ſcripſit, vt praetermittamus, quae locupletiſſima (*l*) eius bibliotheca vel in aduerſaria, vel ad librorum margines relata deliteſcunt. Sane ſi vmquam illuſtri exemplo adparuit, elegantiores litteras etiam cum vita negotioſa coniungi poſſe: id ſane nobis praebuit excellentiſſimus SPANHEMIVS; ſimulque in ruborem dedit homines barbaros, qui iſtis litteris excultos ad iuris prudentiam et res gerendas parum aptos eſſe iudicant, viſoque homine ab eorum ruditate alieno, illico exclamant, quod viſo Anniceride, egregie aurigante, PLATO dixiſſe fertur (*m*) ἀδύνατον εἶναι, τὴν εἰς μικρὰ ἔτω ϗ̀ ὐδενὸς ἄξια τοσαύτην φροντίδα κατατιθέμενον ὑπὲρ μεγάλων

 τινῶν

in academia Geneuenſi, quum ibi eloquentiam doceret. Poſtea Gallice prodierunt *Geneuae* 1654. Denique priorem longe nitidiorem, multiſque obſeruationibus eruditiſſimis locupletatam praelo reddidit *Berolini* 1695. 8.

(*a*) Erudita haec epiſtola prodiit *Pariſiis* 1678. et poſtea nouis *Criticae Simonianae* editionibus cum aliis libellis eriſticis acceſſit.

(*b*) Prodiit, feruente inter Bauarum et Palatinum lite de vicariatu per tractum iuris Franconici, *Heidelb.* 1657.

(*c*) Lucem primum vidit hoc incomparabile opus *Romae* 1664. 4. recuſum cura auctoris *Pariſ.* 1671. Denique extrema iam ſenectute totum opus ita retexuit, perfecit, amplificauit, ut iam duobus voluminibus conſtet, quorum prius ipſe edidit *Londini* 1707. fol. Poſterius quod adfectum tantum in ſcriniis relinquebat, digeſſit ac perpoliuit ISAACVS VERBVRGIVS, ediditque *Amſtelod.* 1717. *fol.*

(*d*) Opus reconditae plenum eruditionis, et plane Spanhemianum primum cum SEGVINI *Numiſmatibus ſelectis* prodiit 1662. relatum poſtea in *tomum V. Theſauri antiquitatum Romanarum* celeberrimi GRAEVII.

(*e*) Epiſtolae hae acceſſerunt LAVR. BEGERI *Obſeruationibus et coniecturis ad XXIIII. antiqua numiſmata*, *Berol.* 1691.

(*f*) Acceſſerunt hae epiſtolae ANDR. MORELLII *Specimini vniuerſae rei nummariae*, Lipſ. 1695. 8.

(*g*) *Obſeruationes* has ſuae CALLIMACHI editioni adiecit vir celeberrimus, IO. GE. GRAEVIVS, 1695. 8.

(*h*) Gallice cum obſeruationibus edit *Heidelb.* 1660. recuſi *Pariſ.* 1685. 8.

(*i*) Acceſſere hae notae vberrimae editioni *operum* IVLIANI Lipſienſi 1696. *fol.*

(*k*) Vſus illis obſeruationibus eſt LVDOLPHVS KVSTERVS in editione noua, *Amſtelod.* 1709. *fol.*

(*l*) His quoque obſeruationibus vſus eſt in adornanda noua IOSEPHI editione SIGEBERTVS HAVERKAMPVS, *Amſtelod.* 1726. *fol. tomis II.*

(*m*) AELIAN. *Hiſtor. var.* II. 27.

τινῶν σπουδάσαι, *fieri non poſſe, vt qui rebus tam nullius pretii operam nauarit, poſſit magnis et praeclaris negotiis vllis vacare.* Ecquis deinde ignorat incomparabile tanti viri opus *de orbe Romano*, quod primum anno erae vulgaris 1697. a viro celeberrimo, Io. Ge. Graevio, *tomo XI. Theſauri antiquitatum Romanarum* inſertum, deinde ab auctore ipſo perpolitum, multoque auctius editum *Londini* 1704. 4. tamquam Phidiae aliquod ſignum ſemel adſpectum ita placuit, vt editionem tertiam Lipſienſes, quartam Halenſes moliri non dubitarint? Contigit itaque viro illuſtri, quod neſcio an nemini, vt ab ineunte adoleſcentia ad deuexam aetatem eum perpetua gloria comitaretur, atque ipſe ingenii non minus monimenta, quam res geſtas omnibus probaret, praeterquam Iacobo Gronovio (*a*), qui neſcio quo morbo ingenii, praeter ſe ipſum, neminem fere probauit. Quae quum ita ſint, opera viderer abuti, ſi chartam praefationi deſtinatam implerem laudibus Ezechielis Spanhemii, vel de huius exaſciatiſſimi operis vtilitate ac praeſtantia plura commemorarem: ac proinde id vnum mihi relictum intelligo, vt quaedam, quae ad illuſtrandum opus pulcherrimum quodam modo facere videntur, eo, quo calamum vltro ſubierint, ordine breuiter tecum, candide lector, communicem.

Quum vir illuſtris *adnotationes* illas vberrimas, quarum paullo ante meminimus, *ad orationem* I. Ivliani in Berolinenſi aliquot annorum otio adornaret, incidit inter alia in locum illum notatu digniſſimum (*b*): Οὐ τοῖς κοινοῖς ἐφ' ἁπάντων τῶν αὐτοκρατόρων δικαίοις χρωμένη. Λέγω δὲ, ὅτι κἂν ἀλλαχόθεν τυγχάνωσι, τὸ μετέχειν ἅπαντας ἤδη τοῦ πολιτεύματος: καὶ τοῖς κεῖθεν ἡμῖν καταδειχθεῖσιν ἔθεσι καὶ νόμοις χρῆσθαι πολῖται γεγόνασιν: *non communibus illis, quae in omnibus ceteroquin imperatoribus vſurpare ſolet, iuribus nixa, puta, etſi aliunde orti ſint, tamen, quod omnes iam ad ciuitatem ſint adſcripti, quodque editis illinc moribus ac legibus vtantur, pro ciuibus ſuis ſint habendi.* Quemadmodum igitur ea occaſione non poterat non meminiſſe *legis* 17. *D. de ſtat. hom.* qua, *qui in orbe Romano ſunt, omnes ex conſtitutione imperatoris* Antonini *ciues Romani effecti eſſe* dicuntur: ita ſtatim animaduertit, eam a pleriſque iuris interpretibus male habitam, ac vix ab vllo recte intellectam eſſe, ac proinde ſpem fecit, ſe illam aliquando ſingulari commentario illuſtra-

(*a*) Vide eius *adnotationes ad* Herodotvm, *pag.* 818. 835. 841. 912. 923. ſequ. 938. et ad Tacitvm, *Tom. I. pag.* 84. 85. 282. 305. 403. 548.

(*b*) Ivlian. *Orat. I. pag.* 5.

ſtraturum. Tria autem ſunt potiſſimum, in quibus intelligendo fecerant ICti, vt nihil intelligeremus. Primo enim, quum legiſſent; non modo poſt ANTONINOS, ſed et ipſis IVSTINIANI temporibus tum ſeruos, tum libertinos Latinos ac dedititios ſuperfuiſſe [*a*], hoſque exſortes vixiſſe iuris connubii, commerciorum, ac teſtamenti factionis [*b*]: fuere, qui vel de re ipſa dubitarent, quae in illo VLPIANI fragmento narratur, vel huius ſenſum in partem plane aliam detorquerent. Hinc alii falcem criticam expedientes pro *in orbe Romano* reſcribendum putarunt *in vrbe Romana*, iſque error, priuſquam ab ANDREA ALCIATO [*c*] animaduerteretur, editiones fere omnes inquinauerat. Alii Florentinam lectionem ſollicitare veriti, edoctique a IACOBO CVIACIO [*d*], HVGONE DONELLO [*e*], et ANTONIO FABRO [*f*], beneficium illud ad totum quidem Romanum orbem, nec tamen ad libertinos vel ſeruos, ſed ad ingenuos tantum pertinuiſſe, hos ſaltim non iure optimo maximo, ſed ſine ſuffragio et ſpe adipiſcendorum honorum ciues factos, Latiniſque non multo minoris fuiſſe conditionis contendebant. Quam ſententiam poſt ANDREAM ALCIATVM alioſque praecipue THEODORVS RICQVIVS [*g*] et REINARDVS BACHOVIVS [*h*] defenderunt. Vt non dicam iam, quid olim gloſſatores, quid poſtea alii, ac nouiſſime VLRICVS HVBERVS [*i*] de ſenſu legis pulcherrimae diſſeruerint, quum nemo fere fuerit, cui crucem non figeret egregium iſtud VLPIANI fragmentum. Deinde et de aetate huius conſtitutionis, qua ius ciuitatis orbi Romano datum eſſe dicitur, parum conſtabat, aliis eam cum CHRYSOSTOMO [*k*] imperatori Hadriano; aliis, auctore IVSTINIANO [*l*], Antonino Pio; aliis denique ob locum AVRELII VICTORIS [*m*] Marco Antonino Philoſopho tribuentibus, praeter paucos, veluti WESENBECIVM [*n*], SAMVELEM PETITVM [*o*], et HVBERVM [*p*], quibus aliquid primum ſuboluit de Antonino Caracalla, quia is ab VLPIANO

[*a*] *L. vn. C. de Lat. libert. toll. l. vn. C. de deditit. lib. toll. Novell.* LXXVIII. *cap.* 5.

[*b*] VLPIAN. *Fragm. tit.* 5. §. 3. *tit.* 19. §. 3. *tit.* 20.

[*c*] *Diſpunct.* II. 22.

[*d*] *Obſeruation.* IIII. 5.

[*e*] *Comment. iur. ciuil.* II. 16.

[*f*] *Iuriſpr. Libr.* I. *tit.* 5. *pr.* 3. et *tit.* 9. *pr.* 2.

[*g*] *Ad* TACIT. *pag.* 335.

[*h*] *Ad* TREVTLERVM, *Diſpu.* II. *theſ.* 4. *litt.* C.

[*i*] *Eunom. Roman. ad librum* I. *Pandect. pag.* 55.

[*k*] *Ad Acta apoſtolorum, cap.* 45. *pag.* 875.

[*l*] *Novell.* LXXVIII. *cap.* 5.

[*m*] *In Marco Antonino.*

[*n*] *Paratitl. Digeſtorum, tit. de ſtat. hom. ſub fin.*

[*o*] *De legibus Atticis, pag.* 136.

[*p*] *Eunom. Rom. ibid.*

PIANO et PAVLLO imperator Antoninus plerumque vocari ſoleat [a]. Quam reliquorum omnium inaduertentiam eo magis mireris, quo certiora doceri potuiſſent ab HENRICO VALESIO, cuius *Excerpta Peireſciana* iam ab anno 1634. lucem viderant; a CLAVDIO SALMASIO [b], qui quinquennio poſt in libro *de modo vſurarum*; ac denique a Io. HENR. BOECLERO [c], qui medio ſaeculo ſuperiore totam legis hiſtoriam auditorio frequentiſſimo, cui et ſtudioſi iuris quamplurimi intererant, accurate explicauerat. Enim vero omnium in animis tam altas radices egerat praeiudicata opinio de alterutro Antoninorum, vt nec HVGO GROTIVS [d], quamuis *Excerpta Peireſciana* legiſſet, exuere illam animoque euellere potuerit. Denique et occaſio editae conſtitutionis adeo omnes iuris interpretes fugit, nemo vt eorum fuerit, quin tamquam inſigne atque inaeſtimabile quoddam beneficium laudarit, quod peſſimus princeps non honoris cauſſa, ſed vt exhauſtum largitionibus fiſcum vectigali viceſimario locupletaret, orbi Romano obtruſerat. Atqui has tenebras omnes feliciter diſcuſſit ſplendidum orbis litterarii ſidus, EZECHIEL SPANHEMIVS, edito hoc luculentiſſimo commentario, in quo et innumera alia, quae adhuc abſtruſa atque omnibus fere ignota videbantur, adeo in clariſſima luce collocauit, vt quod CAROLVS SIGONIVS in libris *de iure ciuium Romanorum, Italorum, et prouinciarum* vtiliſſimis, et ex viri celeberrimi, Io. GE. GRAEVII ſententia [e] ſub auſpicia ſtudii iuridici merito legendis, et in ſuccum ac ſanguinem conuertendis, vel praetermiſerat, vel perperam ſcripſerat; id omne ipſe explanarit egregie, nihilque reliqui fecerit, quod ſciret ad antiquitatum iuris conſultis praecipue ſcitu neceſſariarum cognitionem vllo modo pertinere. Sunt equidem, quae vel emendari, vel illuſtrari, vel ſuppleri poſſent, ſi quis harum litterarum paullo peritior ſerio id agere vellet: ſed quis auderet, quaeſo, huic purpurae adſuere lacinias? quem non puderet Iliada poſt Homerum ſcribere? Ne tamen temerarium tibi meum hoc iudicium videatur: pauca ex iis, quae iam olim retuleram in aduerſaria, veluti per lancem ſaturam tecum communicabo.

Exercitationis I. capite 8. pag. 66. viro illuſtri neſcio quo fato exciderunt verba: *Latini liberti, quales lege Iunia Norbana ſunt primum, vt*

[a] L. 4. D. *de offic. proconſ. l.* 3. §. 4. D. *de adminiſtr. tutor. l.* 4. D. *de cenſ. l.* 4. §. 10. D. *de extraord. cognit.*

[b] *Cap. 19. pag. 854. ſeqq.*

[c] *Hiſtor. ſaec. III. cap. 2.* §. 16. *pag.* 102.

[d] *Florum ſparſ. ad ius Iuſtin. pag.* 94.

[e] *Praefat. Theſaur. antiquit. Rom. Tomo I. praemiſſa.*

ut in eodem fragmento dicitur, et ſub AVGVSTO, *quidem inducti.* Ea errori calami tribueremus, niſi ſimilia repeterentur *pag.* 187. Et tamen legem Iuniam Norbanam non Auguſti temporibus, ſed ſub Tiberio, a. v. c. 771. *M. Iunio Silano* et *L. Norbano* coſſ. latam eſſe, conſtat.

Quod eiuſdem *exercitationis capite 9. pag.* 78. tradit laudatiſſimus SPANHEMIVS, ius illud ſuffragiorum, in coloniis ferendorum, et ſub diem comitiorum Romam mittendorum non ad vniuerſam Italiam, ſed ad duas et triginta colonias ab Auguſto conditas pertinuiſſe; illud tantum abeſt, vt ex adducto loco SVETONII [*a*] probari poſſit, vt diſerte referat auctor ille locupletiſſimus, Auguſtum per hoc *Italiam*; (non iſtas tantum per Italiam colonias,) *iure et dignatione vrbis quodam modo parte aliqua adaequaſſe*, id quod iam olim ab ISAACO CASAVBONO [*b*], et nuper a viro adcurate docto, CHRISTIANO GOTLIEB SCHVVARZIO [*c*] obſeruatum eſt.

Capite eiuſdem *exercitationis* 11. *pag.* 82. *ſequ.* fuſe agit auctor de legibus, tum Iulia, tum Plotia, ex quibus ius ciuitatis, finito bello Marſico, cum ſociis ac Latini nominis, ac denique cum vniuerſa Italia communicatum eſt. Priorem latam dicit non a Caio Iulio, ſed a L. Iulio Caeſare, P. Rutilii in conſulatu collega, a. v. c. 663. At paullo poſt *pag.* 84. auctorem iſtius legis ipſe vocat Caium Iulium Caeſarem, ſiue μνημονικὸν ſit illud ἁμάρτημα, ſiue, quod magis crediderim, error operarum. Et ſane de Lucio etiam Caeſare non omnia expedita ſunt, quia anno proxime antecedente Sextus Iulius Caeſar cum L. Marcio Philippo faſces tenuit, cui hanc legem tribuere non dubitat FRANCISCVS HOTOMANVS [*d*]. Sed veroſimiliorem tamen eſſe SPANHEMII noſtri ſententiam, et ipſe fateor, et idem, quem paullo ante laudaui, celeberrimus SCHVVARZIVS [*e*] pluribus oſtendit.

Capite 14. prioris exercitationis *pag.* 112. elegans occurrit obſeruatio de Aegyptiis, lege publica a ciuitate Romana ſeiunctis, quam tamen vir illuſtris, qua erat modeſtia, ſe AEGIDIO MENAGIO [*f*] ex parte debere, ingenue fatetur. At MENAGIO iam praeiuerat IACOBVS CVIACIVS [*g*], quamuis hic ſolum IOSEPHI teſtimonium ex libris aduerſus APIONEM grammaticum in promtu habuerit. Cauſſam huius inſti-

[*a*] In *Auguſto, cap.* 46.
[*b*] *Ad* SVETON. *loc. cit.*
[*c*] *Diſſertat. de iure Italico, cap.* 1. §. 6. *pag.* 17.
[*d*] *De leg. Roman.* voce: *lex Iulia.*
[*e*] *Ibid.* §. 4. *pag.* 8. 9.
[*f*] *Amoenitat. iur. cap.* 30.
[*g*] *Obſeruation.* I. 35.

tuti Aegyptiorum ἀπήχειαν eſſe ſtatuit ipſe Aegyptius, ISIDORVS PELVSIOTA (*a*), ab auctore noſtro citatus. CVIACIVS addit Aegyptiorum nouarum rerum ſtudium, opulentiam, et ob quam Diocletiano imperatori, teſte SVIDA (*b*), quam maxime ſuſpecti fuerint, τὴν χυμείαν ἀργύρου καὶ χρυσοῦ. Sed, ex mea quidem ſententia, nullam harum rationum imperatoribus, eam legem ferentibus, in mente fuiſſe, veroſimile eſt. Neque enim peiores Aegyptii Cretenſibus, Cilicibus, Cappadocibus, τρία κάππα κακοῖς, neque rerum nouarum ſtudioſiores Gallis, neque Afris et Arabibus ditiores fuerunt, quos tamen a ciuitatis iure nemo excluſit. Ipſa quoque SVIDAE narratio Graeculi alicuius recentioris, chemiae dediti, ſomnium redolet, nec credibile eſt, Diocletianum, principem auarum, combuſturum fuiſſe libros, vnde tanta ſpes auri effulgebat, ac non potius eos in rem ſuam verſurum, ſi tales in Aegypto reperiſſet. Potius religione prohibebantur Romani, quo minus Aegyptum reliquis prouinciis aequipararent. Diuulgatum enim fuerat, neſcio quod oraculum, quod Aegyptios libertatem recuperaturos pollicebatur, ſimul ac ibi conſpicerentur faſces et praetexta Romanorum. Rem refert TREBELLIVS POLLIO (*c*). Quum enim Gallienus Theodoro cuidam proconſulare imperium per Aegyptum decerneret, conſilia haec turbarunt ſacerdotes, interſerentes cauſſam, faſces ingredi Alexandriam non licere: *dici enim apud Memphim in aurea columna Aegyptiis litteris ſcriptum, tum demum Aegyptum liberam fore, quum in eam veniſſent Romani faſces et praetexta Romanorum.* Haec vero genuina cauſſa eſt, cur Aegyptios ciues fieri nollent, ne praetextati conſpicerentur in Aegypto. Haec cauſſa vera, cur nec ſenatori fas eſſet, in Aegyptum ingredi, nec proconſuli vel legato Auguſti Aegyptus committeretur, ſed non niſi praefecti Auguſtales et iuridici, nullis inſtructi faſcibus, in tam fatalem prouinciam cum imperio irent.

Pulcherrima ſunt, quae exercitationis eiuſdem *capite* 17. *pag.* 145. *ſequ.* de quaeſtione, an Chriſtiani aliquando in Pandectis noſtris perſtringantur? diſſerit auctor celeberrimus. Et recte omnino aduerſus ALCIATVM, BVDAEVM, alioſque negat, loca, in quibus vel *Iudaeorum*, vel *Iudaicae ſuperſtitionis* mentio fit (*d*), ad Chriſtianos pertinere

(*a*) *Libr. I. epiſt.* 489.
(*b*) *Pag.* 741. *edit. Geneu.* 1619.
(*c*) *In Aemiliano.*
(*d*) *L.* 15. *§.* 6. *D. de excuſat. tutor. l.* 3. *D. de decur.*

nere. Vt enim primis eccleſiae temporibus Chriſtianos cum Iudaeis confuderint Romani, veluti Claudius imperator apud SVETONIVM (*a*), et LVCAM (*b*), EPICTETVS (*c*), et alii, de quibus poſt alios CHRISTIANVS KORTHOLTVS (*d*): notiores tamen VLPIANI temporibus erant Chriſtiani, quam vt a Iudaeis non facile diſtinguerentur. Dum etiam *pag.* 145. ſcribit noſter: *nec vlla ceteroquin de Chriſtianis in toto Pandectarum opere ſit mentio*: omnes ſibi facile conſentientes habebit, ſi de ipſo Chriſtianorum vocabulo quaeratur. Quis enim permiſſurum fuiſſe credat IVSTINIANVM, Chriſtianum principem, vt collectores aliquid, quod religioni Chriſtianae parum honorificum eſſet, in Pandectas admitterent? At diſſimulato nomine Chriſtianos aliquando pupugiſſe veteres iuris auctores, eorumque loca ſiue dolo malo TRIBONIANI, (quem HESYCHIVS (*e*) et SVIDAS (*f*) ἕλληνα, καὶ ἄθεον, καὶ ἀλλότριον, κατὰ πάντα τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως, *gentilem, impium, et a Chriſtiana religione prorſus alienum* fuiſſe perhibent) ſiue, quod magis ſuſpicor, eius et συνέργων inaduertentia in Pandectas relata eſſe, perſuaſiſſimus ſum. Quae enim VLPIANVS (*g*) *de iureiurando, quod propria ſuperſtitione iuratum eſt*, itemque de *iureiurando improbatae religionis* differit, ea procul dubio ad Chriſtianos illorum temporum pertinent, qui, reprobato *iureiurando per genium Caeſaris*, non niſi *per deum, per Chriſtum*, et *per principis ſalutem*, iurare audebant (*h*). Nec alio referenda, quae idem VLPIANVS (*i*) ſcribit alibi: *medicos fortaſſis quis accipiet etiam eos, qui alicuius partis corporis vel certi doloris ſanitatem pollicentur, vt puta ſi auricularius, ſi fiſtulae, vel dentium. Non tamen ſi incantauit, ſi imprecatus eſt, ſi, vt vulgari verbo* IMPOSTORVM *vtar*, EXORCIZAVIT. *Non ſunt iſta medicinae genera, tametſi ſint, qui, hos ſibi profuiſſe, cum praedicatione adfirment.* Proprium id erat eorum temporum Chriſtianis, vt daemones eiicerent, eosque, quibus tale θαυματουργίας χάρισμα diuinitus obtigerat, adpellarent *exorciſtas*, ceu te-

F 2 ſtes

(*a*) In *Claudio, cap.* 25.

(*b*) *Actor. XVIII.* 2. iuncto EVSEB. *Hiſtor. eccleſ. II.* 18.

(*c*) ARRIAN. *Diſſert. Epictet. II.* 9.

(*d*) *Obtrectat. pagan. I.* 3. §. 6.

(*e*) *De viris illuſtribus*, vbi de Triboniano.

(*f*) In voce Τελβονιανός.

(*g*) *L.* 5. §. 1. D. *de iureiur.*

(*h*) TERTVLLIANVS *Apologet. cap.* 32. ORIGENES *aduerſus Celſum, libr. VIII.* EVSEBIVS *Hiſtor. eccleſ.* IIII. 15. Addatur EV. OTTONIS *Diſſertatio de periurio per genium principis, cap.* 2. §. 7. *ſequ.*

(*i*) L. 1. §. 3. *D. de extraord. cognit.*

ſtes locupletiſſimi adfirmant [*a*], et in his quidam VLPIANO σύγχρονοι; veluti THEOPHILVS [*b*], ORIGENES [*c*], CYPRIANVS [*d*], et alii, quorum teſtimonia vir doctiſſimus, HENRICVS DODWELLVS, [*e*] diligenter collegit. Prorſus etiam in Chriſtianos faba cuditur, dum idem VLPIANVS [*f*] ſcribit: *quiſquis illicitum collegium vſurpauerit, ea poena tenetur, qua tenentur, qui hominibus armatis loca publica vel templa occupaſſe iudicati ſunt.* Praeterquam enim, quod a Chriſtianiſmi incunabulis nihil eius cultoribus magis vitio datum eſſe nouimus, quam quod collegia illicita, religionis obtentu, vſurparent, et hetaerias tam ſeuere prohibitas facerent [*g*]: textus ille depromtus eſt ex VLPIANI opere *de officio proconſulis*, cuius *libro VII.* eum nefaria principum reſcripta aduerſus Chriſtianos collegiſſe, tradit LACTANTIVS [*h*]. Scio equidem, viros doctiſſimos, et in his nuper PETRVM TOVLLIEV ſingulari oratione, demonſtrare conatos, DOMITIVM illum, cuius libri *de officio proconſulis* a LACTANTIO memorantur, ab VLPIANO noſtro diuerſum fuiſſe, quia ille libros VII. hic, teſte indice Florentino, decem de ea re ſcripſerit. Sed ſcio etiam haec omnia corruere, ſi cum IACOBO CVIACIO [*i*] et AEGIDIO MENAGIO (*k*) apud LACTANTIVM non *libros VII.* ſed *librum ſeptimum* legamus, quali librariorum errore in numeris cardinalibus et ordinalibus nihil omnino frequentius eſſe, a IOANNE CLERICO (*l*) obſeruatum eſt.

Exercitationis poſterioris *capite* 2. *pag.* 186. recte noſter refellit ICtum eximium, IOANNEM VOETIVM (*m*), qui conſtitutionem de orbe Romano iure ciuitatis donando aut Antonino Pio, aut Marco vel ideo neceſſario tribuendam exiſtimat, quia alioquin locum non habuiſſet SC. Apronianum, quo permiſſum, vt ciuitatibus fideicommiſſa relinquerentur, niſi prius omnes per imperium ciuitates iura Quiritum eſſent conſequutae. Sed iis, quae hic erudite ſcripſit SPANHEMIVS, addi poteſt argumentum, quod iuſto plus probat, nihil omnino probare videde-

[*a*] IVSTIN. MART. *Apolog.* I. *pag.* 45. *Apolog.* II. *pag.* 19. *Dialog. cum Triphon. pag.* 269. 302. 361. IRENAEVS *II.* 57. TERTVLL. *ad Scapul. cap.* 23. 26. 37. et paſſim.

[*b*] *Aduerſ. Autolyc. pag.* 77. *ſeqq.*

[*c*] *Aduerſus Celſum libr. I. pag.* 20.

[*d*] *Epiſtol. LXXVI. ad Magnum.*

[*e*] *Diſſertat. Irenaic. II.* §. 29. *ſeqq.*

[*f*] L. 2. D. *de colleg. et corpor.*

[*g*] PLINIVS *Epiſt. X.* 97.

[*h*] *Inſtit. diuin. V.* 15.

[*i*] *Obſeruation. X.* 34.

[*k*] *Amoenitat. iur. cap.* 12.

[*l*] *De arte critica, Part. III. ſect.* 1. *cap.* 12. §. 9. *ſequ.*

[*m*] *Ad Pandect. Tom. I. pag.* 51.

deri. Ex eodem enim VOETII argumento colligi poterit, iam Hadriani temporibus, ac multo ante Antoninorum iſtorum imperium, conſtitutionem iſtam prodiiſſe. Iam enim ſub Hadriano exſtitiſſe SC. Apronianum, contra CVIACIVM (*a*) obſeruauit ANTONIVS SCHVLTINGIVS (*b*), idque vel inde ſatis adparet, quod IVLIANVS (*c*), quem ſub Hadriano, et initiis Antonini Pii floruiſſe nouimus, illius non obſcure meminit. Et fuere ſane Apronii vel Aproniani, Vipſtanorum cognomine nobiles, de quorum gente THOMAS REINESIVS (*d*) et CHRISTOPHORVS ADAMVS RVPERTVS (*e*) egerunt, ſub Hadriano celeberrimi, eorumque conſulatus non tacent faſti ad a. v. c. 870. et 876. (*f*), vt alterutrum horum conſulum de hoc SCto ad ampliſſimum ordinem retuliſſe, admodum probabile ſit.

Eiusdem exercitationis *capite* 5. *pag*. 220. verba CAII (*g*) de manumiſſione in eccleſiis facta, explicaturus illuſtris SPANHEMIVS, non mirandum continuo eſſe ait, a gentili homine adhibitum eſſe *eccleſiae* nomen, quum illud et a POLYBIO, ARISTIDE, PLINIO, aliiſque ſcriptoribus Graecis et Latinis pro *concione* vel *coetu* vſurpatum, et alia quoque vocabula, quae deinde Iudaei et Chriſtiani adoptarint, veluti *ſynagoga*, *ſynedrium*, *apoſtoli*, a gentilibus alio ſenſu adhibita ſunt. Quam ob rem hanc eſſe putat CAII ſententiam, *ſeruos manumitti aut teſtamento, aut in eccleſia, aut ante conſulem*, id eſt in concione ciuium Romanorum per cenſum, vel in conſilio ante conſulem. Acuta ſane diuinatio, qualem et SAM. PETITO (*h*) video in mentem veniſſe, ſed quam tamen ſolidam eſſe non exiſtimo: primum, quod nemo veterum, quod ego ſciam, vocabulo ἐκκλησία pro cenſu vel conſilio conſulum vſus ſit: deinde, quod ANIANVS CAII Inſtitutiones non integras et ſinceras, ſed more iſtius ſaeculi paſſim interpolatas, et ad aeui ſui mores inflexas reliquerit poſteris: vt adeo manumiſſio illa in eccleſia, ducentis fere annis poſt CAII tempora a Conſtantino M. inducta (*i*), non minus ANIANI manum prodat, quam quae alio loco (*k*) *de eccleſiis, id eſt, templis dei, iiſque patrimoniis ac ſubſtantiis, quae ad eccleſiaſtica iura pertinent*, CAII textui inſeruit. Quis, niſi qui CAIVM Chriſtianae religioni addictum fuiſſe ſtatuit (*l*),

(*a*) *Adnotat. ad* YLPIANI *Fragmenta*, *tit*. 22. §. 5.

(*b*) *Iuriſprud. vet. anteiuſtin. pag*. 635.

(*c*) L. 27. *pr*. D. *ad SC. Trebell.*

(*d*) *Inſcript. pag*. 110. et *Epiſtol. ad* RVPERT. LIII. *pag*. 498.

(*e*) *Epiſtol.* XXXXVIII. *ad* REINES. *pag*. 441.

(*f*) NORIS. *Epiſt. conſular. pag*. 441.

(*g*) *Inſtitut. libr*. I. *tit*. 1. §. 1. et *tit*. 2. §. 1.

(*h*) *Ad leges Atticas*, *pag*. 234.

(*i*) SOZOM. *Hiſtor. eccleſiaſt*. I. 9.

(*k*) *Inſtitut*. II. 1. §. 1.

(*l*) ANTON. AVGVSTIN. *Emendation*. I. 5. Ad-

talia a CAIO proficiſci potuiſſe credat, ac non potius CVIACIO [a] ſuffragetur, talia ab ANIANI manu eſſe, iam olim ſuſpicanti.

Capite 8. eiuſdem exercitationis *pag.* 265. ex inſtituto agit de edicto perpetuo, tum *vrbano*, tum *prouinciali*, quae multis obſeruationibus augeri poſſent. Nos more noſtro quaedam, nec vbiuis obuia, conſectabimur. Magiſtratuum poteſtatem omnem in *imperando*, *iure dicundo*, *referendo*, atque *auſpicando* poſitam fuiſſe, ex CICERONE [b] conſtat, et iam pridem a CAROLO SIGONIO [c] obſeruatum eſt. Ad *imperium*, praeter *vocationem* et *prehenſionem*, praecipue pertinebat *ius edicendi*, adeo proprium Romanis magiſtratibus, quibus aliquid erat imperii, vt non modo PLVTARCHO [d] edicta dicantur διαγράμματα ἀρχόντων, *praecepta magiſtratuum*, ſed et TIBVLLO [e] *ſub imperium venire* dicantur bona, quae ex praetoris edicto diſtrahuntur. Ita enim vir clariſſimus IO. FRID. GRONOVIVS [f] acute interpretatur locum poetae elegantiſſimi:

Quin etiam ſedes iubeat ſi vendere auitas,
Ite ſub imperium, ſub titulumque, Lares.

Hinc iam Ancum regem διαγραφὰς περὶ τῶν ἱερῶν, *edicta de rebus ſacris* in tabulis quernis propoſuiſſe, memoriae prodidit DIONYSIVS HALICARNASSEVS [g], qui et alio loco [h] aeque ac LIVIVS [i] mentionem facit edicti a Seruio Tullio rege de luſtro condendo propoſiti. Regum exemplo et conſules edicta propoſuerunt, quorum paſſim meminerunt GELLIVS [k], LIVIVS [l], PLINIVS [m], CICERO [n], SVETONIVS [o] et alii. Inprimis celebrantur edicta cenſorum, quibus de iis, quae ad diſciplinam et mores ciuium, coërcendamque luxuriam pertinere videbantur, populum monebant. Meminerunt eorum PLINIVS [p], GELLIVS

5. Addatur EV. OTTONIS *Praefatio*, *Tomo* I. *Theſaur. iur. ciuil.* praemiſſa.

[a] *Obſeruation.* VII. 16.

[b] *De legibus*, III. 3. et 4.

[c] *De iure ciu. Roman.* I. 20.

[d] *In vita Marcelli.*

[e] *Eleg.* II. 4.

[f] *Obſeruation.* II. 6. *pag.* 150.

[g] *Antiquitat. Roman. libr.* III. *pag.* 178.

[h] *Libr.* IIII. *cap.* 49.

[i] *Hiſt*, I. 44.

[k] *Noct. Attic.* XIII. 15.

[l] *Hiſt.* XXIII. 32. XXIIII. 11. XXXVIIII. 17.

[m] *Hiſtor. natural.* XXXIIII. 14.

[n] *Ad Attic. epiſt.* II. 21.

[o] In *Iulio*, *cap.* 20.

[p] *Hiſtor. natural.* XIII. 3. XIIII. 14.

LIVS [a], SVETONIVS [b], ex quo et Claudium imperatorem in cenſura ſua veterem edicendi morem reuocaſſe nouimus [c]. Quin et perpetuum illud, vel vt rectius dicam, tralatitium edictum habuiſſe cenſores, ex CORNELIO NEPOTE*[d] diſcimus, qui de M. Porcio Catone: *Cato*, inquit, *cenſor cum eodem Flacco factus, ſeuere praefuit ei poteſtati. Nam et in complures nobiles animaduertit, et multas res nouas in edictum addidit, quare luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare.* Addere enim aliquid edicto nemo poteſt, niſi iam ante huius modi edictum exſtiterit, quod tamquam legem obſeruet ciuitas. Multo magis ergo dictatores in re trepida creati edicta proponere poterant, quae *pro Numine ſemper obſeruata* eſſe, dicit Papirius dictator apud LIVIVM [e], qui et alibi [f] edicti a M. Valerio dictatore propoſiti meminit. De reliquis magiſtratibus dicemus breuius. Praetorum, aedilium, ac proconſulum edicta nemo ignorat. At non aeque inter omnes conſtat, et reliquos praetores, veluti peregrinum eoſque, qui quaeſtiones publicas erant ſortiti, edicta propoſuiſſe. Et prius tamen ex VALERIO MAXIMO [g] et THEOPHILO [h]; poſterius ex vetere commentario de anquiſitione M. Sergii, T. Quinctium Trogum capitis accuſantis, apud VARRONEM [i], nec non ex PLINIO Iuniore [k] perſpicue probari poteſt. Ceterum et illud haud praetermittendum videtur, praetorum vnumquemque ius edicendi habuiſſe, niſi forte rei grauitas aliud exigere videretur. Tunc enim non modo totum praetorum collegium de nouo edicto conſultabat, ſed et aliquando in conſilium adhibebat tribunos plebis, ceu docet exemplum apud CICERONEM [l]. Non idem autem licuiſſe videmus tribunis plebis, qui, eodem teſte CICERONE [m], non niſi de collegii ſententia edicebant: quod et de aedilitiis edictis obſeruat CVIACIVS [n], et rationem inde reddens, cur in aedilitio edicto non dicatur: *iudicium dabo*, vti in praetorio, ſed: *iudicium dabimus*, [o]. Sic vidimus edicta regum, conſulum, cenſorum, dictatorum, praetorum, tribunorum plebis, aedilium. Sed et reliqui magiſtratus ea poteſtate gaudebant. ALEXAN-

[a] *Noct. Attic.* XV. 11.
[b] *De claris rhetoribus*, *cap.* 1.
[c] SVETON. *Claud. cap.* 16.
[d] In *Catone*, *cap.* 2.
[e] *Hiſt.* VIII. 34.
[f] *Hiſt.* VII. 28.
[g] *Hiſt.* I. 3. §. 2.
[h] *Ad* §. 7. *Inſtit. de iur. nat. gent. et ciuil.*
[i] *De lingu. Lat.* V. 9. *pag.* 63. *edit.* SCALIG.
[k] *Epiſt.* V. 21.
[l] *De officiis*, III. 20.
[m] *In Verrem*, I. 41.
[n] *Obſeruation.* XXV. 16.
[o] L. 1. D. *de aedilit. edict.*

ALEXANDER enim imperator [*a*] meminit etiam *formae a praefecto praetorio datae.* Forma autem nihil aliud eſt in iure noſtro, quam edictum, a magiſtratu propoſitum, ceu ex locis quam plurimis conſtat [*b*]. Praefecti vrbi Turcii Aproniani edicta bina integra exſtant in marmore apud BARNABAM BRISSONIVM [*c*] et IANVM GRVTERVM [*d*]. Sub praefecti aerario edicto obaeratum pependiſſe Claudium, refert SVETONIVS [*e*]. Nec minus certum eſt, magiſtratus, qui in prouincias cum imperio ibant, edicta propoſuiſſe, quamuis de legatis Auguſt. pro conſule vel pro praetore, nonnulli dubitent. Sane enim GVIDO PANCIROLVS [*f*] iis iure praetorio obtigiſſe prouincias, adeoque et edicendi ius fuiſſe, plane negat: primum, quia nec de cauſſis ſtatus exemplo proconſulum cognoſcere potuerint [*g*], nec de agnoſcendis liberis [*h*]: deinde quia VOPISCVS [*i*] auctor ſit, Probum imperatorem demum permiſiſſe patribus, *vt ius praetorium praeſidibus darent.* Enim vero, quantumuis haec ſpecioſa ſint, ratio tamen omnino fugit virum doctiſſimum. Quum in Syriam iuiſſet Cn. Piſo, (quam prouinciam tunc Caeſarum fuiſſe, docuit HENRICVS NORISIVS [*k*],) diſerte apud TACITVM [*l*] ait Domitius Celer, *Piſonem, non Sentium, Syriae praepoſitum, huic faſces et ius praetoris, et legiones datas.* Quid hoc teſtimonio clarius? quid apertius? Nec PANCIROLI argumenta ita profecto comparata ſunt, vt propter ea vadimonium deſerere velimus. De liberali enim cauſſa praeſides non minus, quam proconſules cognoſcere potuiſſe, legibus [*m*] non paucis probant MERILLIVS [*n*] et LYKLAMA [*o*]. In *lege* 1. autem *C. de ord. iudic.* quaeſtio non eſt, an praeſes de cauſſa liberali cognoſcat, ſed an dandus ſit iudex pedaneus in quaeſtione incidente de cauſſa ſtatus, quum ipſius cauſſae primariae de teſtamento Fabii praeſentis notio ad praeſidem pertineat? ceu vir antiquae eruditionis et fidei, mearumque Muſarum, dum viueret, amantiſſimus, GERARDVS NOODTIVS [*p*], perſpicue demonſtrauit. De agno-

[*a*] L. 2. C. *de offic. praefect. praetor. Illyr.*

[*b*] L. 16. D. *de iudic. l.* 26. C. *de fideiuſſ. l.* 8. D. *de calumniat. l.* 14. D. *qui ſatisdar. cog. l. vlt.* D. *de inſp. ventr. l.* 1. C. *vti poſſid.*

[*c*] *De formulis*, Libr. III. *pag.* 291.

[*d*] *Inſcript. pag.* 746. *num.* 6. 7.

[*e*] *Claud. cap.* 9.

[*f*] *Lection. var.* I. 34. III. 17.

[*g*] L. 32. §. 7. D. *de recept. arbitr. l.* 1. C. *de ord. iudicior.*

[*h*] *Epiſt.* X. 77.

[*i*] *In Probo.*

[*k*] *Cenotaph. Piſan.* II. 16. §. 13. *pag.* 329.

[*l*] *Annalium* II. 77.

[*m*] L. 4. D. *de ingen. manumiſſ. l.* 1. C. *de ord. cogn. l. penult.* et *vlt.* C. *vbi cauſſ. ſtat. l. penult.* C. *ne de ſtat. defunct.*

[*n*] *Variantium ex* CVIAC. II. 1.

[*o*] *Membranar.* I. 16. IIII. 9.

[*p*] *De iuriſdict.* Libr. I. *cap.* 9.

agnoſcendis liberis et reſtitutione natalium an ipſe cognoſcere poſſit dubitabat PLINIVS, non tamen, quod ipſe ſe ius praetorium non habere exiſtimaret, ſed quod SCtum ad ea cauſſarum genera pertinens tantum de proconſulibus loqueretur, iſque ſibi religioni duceret authenticam eius interpretationem ſibi arrogare. Et quis miretur, quaeſo, principes ſibi quaedam referuaſſe, quae a legatis ſuis cognoſci nollent, quamvis his dediſſent ius praetorium, et talem notionem in honorem ſenatus proconſulibus conceſſiſſent. Huius generis autem fuiſſe reſtitutionem natalium, nemo ignorat, qui in arte noſtra non plane hoſpes eſt [a]. Denique, quidquid VOPISCVS in loco paullo ante adducto Probo imperatori tribuit, plane antiquum eſt. *Permiſerat ille patribus, vt proconſules crearent*, at idem iam Auguſtus, eiusque ſucceſſores permiſerant, *vt proconſules legatos darent*, at nec id nouum eſſe, vel titulus Digeſtorum *de officio proconſulis et legati* euincit, ac proinde et *ius praetorium praeſidibus datum* non inter noua erit, ſed vetera, a ſuperioribus principibus abolita, et a Probo reſtituta ſenatui. Et quid opus eſt verbis, vbi ipſa rei documenta exſtant? Petronii enim, legati Aug. in Syria, edictum ad Doritas integrum exſtat apud IOSEPHVM [b]. Et PLINIVS [c], non modo ſe edicto prohibuiſſe hetaerias, fatetur; ſed et Seruilium Caluum, qui ante ipſum Bithyniae praefuerat, relegatos a ſe in triennium edicto reuocaſſe, refert [d]. Quin quum frequentius per epiſtolas Traianum imperatorem conſuleret, hic ſe ideo prudentiam PLINII elegiſſe profitetur, *vt formandis* iſtius prouinciae moribus ipſe moderaretur, et ea conſtitueret, quae ad perpetuam eius prouinciae quietem eſſent profutura [e]. Id quod ſane non aliter, quam per edictum fieri potuit. Praeter magiſtratus edicendi ius habebant imperatores et duces belli, immo et pontifices maximi et decemuiri ſacrorum. Edictorum in caſtris propoſitorum exempla exſtant apud DIONEM CASSIVM [f], SALLVSTIVM [g], HIRTIVM [h], ARRIVM MENANDRVM [i], et alios, inter quos DONATVS [k], *edicta praetoris et imperatorum exercitus eſſe*, ad locum TERENTII:

—— —— *miles nunc adeo edico tibi*,

obſeruat. De pontificum maximorum edictis, quorum exempla apud

Heineccii Opuſc. Syll. III. G TACI-

[a] L. 1. *D. de natal. reſtitut.*

[b] *Antiquitat. Iudaicar. Libr.* XVIIII. *cap.* 6.

[c] *Libr.* X. *epiſt.* 97.

[d] *Libr.* X. *epiſt.* 64.

[e] *Lib.* X. *epiſt.* 118.

[f] *Excerpt. Peireſc. pag.* 601.

[g] *Bell. Iugurth. cap.* 45.

[h] *De bello Africano, cap.* 46.

[i] L. 4. §. 13. *D. de re milit.*

[k] *Ad* TERENT. *Eunuch. act.* IIII. *ſcen.* I. *v.* 36.

TACITVM [*a*], et in *actis vrbanis* apud PIGHIVM [*b*], REINESIVM [*c*], et DODVVELLVM [*d*] ſuperſunt, ex inſtituto egerunt IACOBVS GVTHERIVS [*e*] et IO. ANDR. BOSIVS [*f*]. Denique quod ad decemuiros ſacrorum attinet, eos LIVIVS [*g*] aliquando *ſupplicationem in biduum valetudinis cauſſa in vrbe et per omnia fora conciliabulaque edixiſſe*, memoriae prodidit.

Tam late ergo illa edicta proponendi facultas Romae patuit, vt eam regibus, conſulibus, cenſoribus, dictatoribus, praetoribus, tribunis plebis, aedilibus, praefectis praetorio, praefectis aerario, proconſulibus, praeſidibus, ducibus bellicis, pontificibus maximis, et decemuiris ſacrorum, idoneorum ſcriptorum teſtimonio vindicauerim, quum vulgo praeter praetores, aediles, et proconſules neminem illam imperii partem vſurpaſſe exiſtiment. Iam porro obſeruandum, quemadmodum proconſulis edicta alia *tralatitia*, alia *noua* fuiſſe, illuſtris SPANHEMIVS adcurate demonſtrauit, ita eamdem diuiſionem et ad reliqua omnia pertinuiſſe. Nam et *conſularis edicti* tralatitii meminit GELLIVS [*h*]. Eadem vel *perpetuae iuriſdictionis cauſſa* proponebantur, vel *prout res incidebat* [*i*]. Haec PLINIVS [*k*] eſſe ait, *quae ratio temporum reddi poſtulat*: vnde et *ex tempore facta*, *peculiaria* et *repentina* vocari ſolent a veteribus [*l*]. Illa quiſque magiſtratuum ſub auſpicia honoris proponebat, iiſque monebat, quo modo aut quo ordine ius dicturus eſſet de rebus ad iuriſdictionem ſuam pertinentibus; vnde poſtea naſcebatur *ius honorarium* [*m*]. Quare nec illi ſatis rem acu tangunt, qui ius honorarium, ex ſolis praetorum, aedilium, et proconſulum edictis natum exiſtimant, quum et conſules, et cenſores, et praefectos vrbi et praetorio, et alios magiſtratus edicta iuriſdictionis perpetuae cauſſa propoſuiſſe, ex locis ſupra iam adductis facile demonſtrari poſſit. Enim vero illa edicendi libertas partim ſub imperatoribus euanuit, partim arctis admodum limitibus circumſcripta eſt a temporibus Hadriani. Tunc enim cogitari coepit de edictis perpetuis. Ac ſane non ſolum edictum perpetuum *vrbanum* et prouinciale con-

[*a*] *Hiſtoriar.* Lib. II. *cap.* 91.
[*b*] *Annal. Rom. ad a. v. c.* 585.
[*c*] *Inſcript. claſſ.* IIII. *n.* 6.
[*d*] *In adpendice Praelectionum Cambden.*
[*e*] *De iure pontific. Lib.* I. *cap.* 12.
[*f*] *De pontifice Romano*, *cap.* 4. §. 1.
[*g*] *Lib. XV. cap.* 32.
[*h*] *Noct. Attic. Lib.* III. *cap.* 18.
[*i*] L. 7. *pr.* D. *de iuriſdict.*
[*k*] *Hiſtor. natur. Lib. XXXVII. cap.* 1.
[*l*] CICERO *in Verrem* III. *cap.* 14.
[*m*] L. 52. D. *de obligat. et act.*

conditum eſt, ſed et *aedilitium*, quod iam ſub Marco imperatore CAIVS; poſtea et PAPINIANVS, VLPIANVS, et PAVLLVS commentariis ſuis illuſtrarunt. Immo et *praefectorum praetorio edicta*, *formae* vel τύποι paullatim redacta ſunt in libros ſingulares, ſeu in edictum perpetuum, quod ſub ἐπαρχικῶν adducunt CONSTANT. HARMENOPVLVS [a] et BALSAMON [b]: de quibus ἐπαρχικοῖς quaedam haud proletaria obſeruarunt viri ſine exemplo maximi, IACOBVS CVIACIVS [c] et ANTONIVS AVGVSTINVS [d]. Ceterum quum praefecti praetorio ad Zenonis vſque tempora eiuſmodi ἐπαρχικοὺς τύπους vel γενικοὺς τύπους proponere conſueuerint [e]: non multo poſt ἐπαρχικὰ illa conſcribi coepiſſe oportet, quia iam CASSIODORVS [f] ſuo tempore edicta noua a praefectis praetorio proponi, diſerte negat.

Ceterum dum illuſtris auctor *vrbanum* ac *prouinciale* edictum ita diſtinguit, vt ea diuerſa fuiſſe, et *pag.* 276. illud ab Hadriano, hoc a Marco Antonino conditum eſſe exiſtimet, vulgarem quidem iuris conſultorum ſententiam ſequutus videtur, ſed non adeo firmis munitam praeſidiis. Quamuis enim et ipſe olim ita ſenſerim [g]: iam tamen intelligere mihi videor, vnum idemque fuiſſe illud edictum perpetuum, quod in vrbe *vrbanum*, in prouinciis *prouinciale* adpellatum eſt. Hinc CAII commentarii in edictum prouinciale, ceu iam IACOBVS GOTHOFREDVS [h] obſeruauit, eumdem per omnia ordinem ſeruant, quem ab VLPIANO et PAVLLO in explicando edicto vrbano ſeruari, nimaduertimus. Hinc idem CAIVS, ſicubi verba edicti prouincialis recitat, promiſcue vtitur formulis: *ait praetor* [i], et *ait proconſul* [k]. Hinc denique tam multa in edicto perpetuo de municipiis et municipalibus magiſtratibus ſtatim in principio ſancita ſunt [l], quae ad praetoris iuriſdictionem tanto minus pertinent, quanto certius conſtat, intra centeſimum ab vrbe lapidem praefectum vrbi; in reliqua Italia praefectum praetorio ius dixiſſe. Sed de his omnibus alio fortaſſis loco plura diſſerendi occaſio erit.

Eadem *exercit. II. cap.* 19. *pag.* 464. erudite illuſtris auctor agit

 de

[a] *Libr.* II. *tit.* 25. §. 12.

[b] *Ad* PHOT. *Nomoc. tit.* 8. *cap.* 13.

[c] *Obſeruation. Libr. VI. cap.* 10.

[d] *In Paratitl. et ſcholiis ad Nouell.* CLXV. *et ſequ.*

[e] *Nouell.* CLXVI. CLXVII.

[f] *Variarum Libr.* XI. *cap.* 8.

[g] *Antiquit. Rom. Libr.* I. *in prooem.* §. 15.

[h] *Ordine et ſerie edicti perpetui.*

[i] L. 1. *l.* 2. *D. quod cuiuſcumque vniuerſitat. nom.*

[k] L. 4. *D. quod quiſque iur. l.* 1. *D. ſi quis caution.*

[l] BYNKERSHOEKIVS, *Obſeruation. Lib.* II. *cap.* 25.

de iure Italico, quod et poſt Antonini conſtitutionem in orbe Romano ſuperfuit. Illud in immunitate a cenſu capitis et ſoli poſitum fuiſſe, recte ſtatuit, idque iam pridem etiam viſum eſt TVRNEBO (*a*), MARCELLO DONATO (*b*), et IACOBO GOTHOFREDO (*c*), non autem IACOBO CVIACIO (*d*), quamuis celeberrimus SPANHEMIVS huius et GOTHOFREDI ſententias pro iiſdem omnino habeat. CVIACIVS enim non in immunitate conſtitiſſe exiſtimat ius Italicum, ſed in leuatione cenſitionis, nec tamen diffitetur, immunitatem cum iure Italico aliquando coniunctam fuiſſe beneficio imperatorum. Sed prior illa ſententia Cuiacianae omnino praeferenda eſt, modo obſerves, praeter immunitatem et alia iura maximi momenti exercuiſſe iuris Italici municipia. Primo enim res ſoli Italici mancipi, et hinc in dominio Quiritario eſſe poterant, quum in prouinciis tantum bonitario dominio locus eſſet (*e*). Deinde res ſoli Italici mancipari, in iure cedi, adiudicari, et intra biennium vſucapi ſolebant (*f*), quod itidem in prouinciis aliter ſe habebat. Quamuis enim illuſtri SPANHEMIO *pag.* 574. *ſequ.* ius uſucapionis poſt conſtitutionem Antonini etiam ad prouinciales porrectum eſſe videatur: alia omnia tamen colligi poſſunt ex *l. vn. C. de vſucap. transfer.* et *l. vn. C. de nud. iur. Quirit: toll.* ex quibus manifeſtum eſt, IVSTINIANVM demum hoc diſcrimen rerum ſoli Italici et prouinciarum ſuſtuliſſe. Nec aliud euincunt textus ab auctore adducti (*g*), quippe qui de municipiis proprie dictis, non de omnibus promiſcue ciuitatibus intra orbem Romanum agunt. Praeterea nemo ignorat, fundum dotalem Italicum nec inuita vxore alienari, nec ea conſentiente oppignorari potuiſſe, quum vtrumque liceret in fundo prouinciali (*h*). Denique Italici iuris participes, actione ex contractu conuenti, actorem repellere poterant *exceptione annali vtili*, quamuis ceteroquin hae actiones in prouinciis perpetuae eſſent. Quod ipſum quoque ius ad IVSTINIANI fere tempora viguiſſe, ex *titulo Codicis ſingulari de annali exceptione Italici contractus tollenda* ſatis adparet. Referunt huc alii etiam priuilegium, quo in Italia quatuor liberorum numerus a tutelis excuſat (*i*). Sed id beneficium non ad ciui-

(*a*) *Aduerſar. Lib.* I. *cap.* 11.
(*b*) *Ad* SVETON. *Auguſt. cap.* 11.
(*c*) *Ad Cod. Theodoſ. Tom. V. pag.* 222.
(*d*) *Obſeruation. Lib. X. cap.* 35.
(*e*) VLPIAN. *Fragment. tit.* 19. §. 1. THEOPHIL. *ad* §. 40. *Inſt. de rer. diuiſ.*
(*f*) L. *vn. C. de vſucap. transfer.*
(*g*) L. 2. D. *de adquir. poſſeſſ. l.* 7. §. 3. D. *ad exhib.*
(*h*) PAVLLVS *Sentent. receptar. Lib.* II. *tit.* 21. *pr. Inſt. quib. alienar. lic. vel non*, *l.* 3. *D. de fund. Ital.*
(*i*) *Pr. Inſtit. de excuſat. tutor.*

ciuitates, iuris Italici participes, ſed ad Italos pertinuiſſe, iam alibi (*a*) obſeruauimus.

Eiuſdem exercitationis *capite* 22. *pag.* 523. erudite auctor agit de diuerſa acceptione vocabuli *peregrinus*, et inter alia etiam ciuitate donatos prouinciales Romam venientes ita adpellatos eſſe, obſeruat. Et ſane iam pridem Romam confluxerat magna Syrorum, Graeculorum, Phoenicum, Afrorum colluuies, eaque ita ſuperabat ciuium genuinorum numerum, vt HERODIANVS (*b*) plebem Romanam ἐν πλήθει μεγίςῳ καὶ ποικίλῳ σύγκλυδων τε ἀνθρώπων, *ex magna variaque etiam peregrinorum hominum multitudine* conſtare, et hinc πολὺ καὶ ῥᾴδιον ἔχειν τὸ τῆς γνώμης εὐκίνητον, *longe aliis ad res nouandas procliniorem* eſſe, ſcribat. Tales erant, qui paſſim in marmoribus *incolae* (*c*), *hoſpites aduentores* (*d*), et *peregrini aduenae* (*e*), adpellantur, de quibus quaedam EV. OTTO (*f*) obſeruauit. Horum vero numerum, communicatis cum orbe Romano ciuitatis iuribus, in immenſum auctum eſſe, facile vnus quiſque crediderit. Hinc Romae exſtructa fuerunt aedificia quamplurima, recipiendis peregrinis ad vrbem profectis deſtinata, quae *caſtra peregrinorum* vocabantur. Ea SEXTVS RVFVS et P. VICTOR in ſecunda vrbis regione, ſeu in monte Caelio, poſita fuiſſe referunt, in iiſdemque Chnodomarium, Alamannorum regulum, conſumtum veterno periiſſe, ſcribit AMMIANVS MARCELLINVS (*g*). Pertinet huc marmor Romanum notatu dignum, et a IO. VIGNOLIO (*h*), primum luce donatum:

GENIO. SANCTO
CASTRORVM.
PEREGRINORVM
AVR. ALEXANDER
—— —— ANALIGEARIVS
QVOD. PEREGRE
RESTITVTVS. VOVIT
EDID. (ſic) CASTRORVM
LIBENS. SOLVIT

(*a*) *In Commentario ad legem Iul. et Pap. P. opp. Lib.* II. *cap.* 8. *pag.* 210.

(*b*) *Lib.* VIII. *cap.* 7.

(*c*) GRVTER. *Inſcript. pag.* 392. *n.* 4. *pag.* 482. *n.* 5.

(*d*) *Ibid. pag.* 181. *n.* 1. *pag.* 344. *n.* 8.

(*e*) REINES. *Inſcript. claſſ. VI.* 22.

(*f*) *In Papiniano, cap.* 1. §. 3. *pag.* 5. *ſequ.*

(*g*) *Lib. XVI. cap.* 12.

(*h*) *De columna Antonini Pii, pag.* 183.

in quo, quod obiter moneo, monſtrum illud vocabuli ANALIGEARIVS, a FICORONIO male lectum, nihil aliud eſſe, quam *libertus Aug.* LIBRARIVS, facile credent, qui alia iſtius Aurelii Alexandri anagrammata apud GRVTERVM (*a*) et REINESIVM (*b*) cum hoc noſtro contenderint.

Atque haec quidem, veluti promulſidis loco, praemittere viſum eſt. Coenam integram, eamque lautam atque opiparam ipſe praebebit illuſtris SPANHEMIVS, ad cuius eximium opus mihi multo plura, quae moneam, in mundo eſſent, niſi tibi, candide lector; ad eius lectionem properanti moram vlteriorem obiicere, religioni mihi ducerem. Quare frui te potius iubeo dapibus exquiſitiſſimis, quarum ſuauitatem vbi ſemel perceperis, credes te coenis Platonicis intereſſe, quas et poſtero die dulciſſimas ſuauiſſimaſque fuiſſe perhibent. Eas tibi ſuo ſumtu de nouo inſtruxit vir honeſtus atque integerrimus, tanto maiorem procul dubio gratiam hoc conſilio ſuo ab omnibus ſolidioris doctrinae ſtudioſis initurus, quanto rarius in tabernis librariis exemplaria adhuc comparuerunt. Vtinam vero immortale SPANHEMII nomen demum ex diuturno iſto veterno excitaret cupidam legum iuventutem, vt barbariem illam, quam doctores quam plurimi praeceptis ſuis non minus, quam exemplo tuentur, res ſuas ſibi habere iubeat, et eadem via, quam SPANHEMII, CVIACII, GOTHOFREDI, NOODTII, SCHVLTINGII, et quem honoris cauſſa nomino, ampliſſimi BYNKERSHOEKII, quin, vt paucis me expediam, omnium eximiorum ICtorum veſtigiis tritam videmus, ad maſculae ac ſolidae iuris prudentiae laudem adſpiret!

Quam mox futurum eſſet, ut praeclara ingenia in foris aeque ac cathedris eniteſcant. Quam mox futurum, vt ineptis doctoribus, tamquam anſeribus in Capitolio intempeſtiue ſtridentibus, cibaria ſubtrahantur, rabulis autem, ad euertendas innocentum fortunas natis, veluti canibus, ciues quoslibet optimos allatrantibus, crura aliquando ſuffringantur! *Francofurti ad Viadr.* ipſis *Non. April.* 1728.

VII.

(*a*) *Inſcript. pag.* 586. *n.* 8.
(*b*) *Inſcript. claſſ.* VIIII. *n.* 158.

VII.

DE BALTHAS. GRACIANI AVLICO.

QUum hoc anno prudentiam ciuilem, quam πολιτικὴν vulgo adpellitant, frequenti auditorio traderem: facere non poteram, quin auditoribus meis ea occaſione vel maxime commendarem BALTHAS. GRACIANI *Virum aulicum* vel *palatinum*, opus egregium, totque inſignibus prudentiae regulis ac praeceptis refertum, vt ſemper exiſtimarim, ea, ſi iuſto ordine diſpoſita atque inter ſe connexa exſtarent, iuſti ſyſtematis politici inſtar, quod ad generales prudentiae regulas attinet, futura. Eamdem ante me ſententiam imbiberant quamplurimi, et in his ANDR. RVDIGERVS, medicus et philoſophus Lipſienſis celeberrimus, qui partem illam philoſophiae ſyntheticae, in qua *de prudentia conuerſandi* egit, perpolire cupiens, ad Graciani praecepta vbique prouocauit, inſtitutique ſui rationem hanc reddidit in praefatione: *in doctrina de prudentia conuerſandi allegaui ſaepius notiſſimi auctoris*, Graciani, *elegantiſſimum libellum, qui Gallice* Homme de Cour *inſcribitur. Quum enim ingenioſiſſimus hic auctor adfluat huius argumenti meditationibus: id effeci, eo ſubinde allegato, vt in ſumma breuitate, qua vſus ſum, politicam lector habeat ſatis prolixam, et ſatis quoque breuem. Si hanc malit: praetereaque Gracianum maxima ſui parte in formam artis redactum.* Sed neſcio, an maiore quiſquam adparatu ad Gracianum in ordinem redigendum acceſſerit, quam *Franciſcus* noſter *Glarianus Meldenus Conſtantienſis*, ſub quo nomine vir patrum memoria celeberrimus, et multis in aula quadam negotiis publicis immerſus latitat, cuius nomen quoque hic exprimerem, niſi ipſe latitare, qua fuit modeſtia, maluiſſet. Is enim non modo iure Latii donauit Gracianum integrum, notiſque ex hiſtoria, ſcriptoribus ciuilibus, ipſaque experientia depromtis illuſtrauit, ſed et operam dedit, vt regulas vel praecepta, quae Galli *Maximes* vocant, iuſto ordine diſponeret. Delituit Ms. diutiſſime in ſcriniis Voelkerianis, donec iam eius edendi conſilium caperet Voelkerus filius, cuius inſtitutum eo minus improbare potui, quo magis in votis habui iam pridem, vt liber elegan-

tiſſimus in plurimorum manibus et apud nos verſaretur. Nullae equidem fuere meae hac in editione partes: quia fateor, et verſionem, et ordinem, et adnotationes aliquando mihi non ita ſatis facere, vt non aliquid elegantius, concinnius, doctiuſque dari poſſit. Vnde et facile perſuaderi mihi paſſus ſum, vt opuſculo aliquid praefarer. Quod ad ipſum auctorem attinet, eius vitam et ſcripta ſatis adcurate recenſuerunt ANT. AVGVSTINVS in *Bibliotheca Hiſpanica*, et AMELOTVS in *praefatione verſionis* ſuae, quibuſcum iungenda, quae eam in rem diſſeruerunt celeberrimi collectores *Actor. erudit. Lipſ.* a. 1685. *menſ. Febr. pag.* 19. nec non AVG. FRID. MVLLERVS in *verſionis Germanicae praefatione.* Fuit hic BALTHAS. GRACIANVS gente Arragonus, domo Calagurienſis, natus a. 1604. Iuuenis ſocietati Ieſu, quam vocant, nomen dedit, eiusque ſocietatis collegium Tarraconae rexit ad a. 1658. quo quinquagenario maior diem obiit ſupremum. Praeter opus, quod iam Latino habitu indutum in publicum prodit, edidit plura alia vno faſciculo collecta editaque *Antuerpiae* 1702. quamuis pleraque LAVRENTII fratris praenomen prae ſe ferant, ne erubeſcere cogeretur clericus, non niſi politica meditatus. Hanc enim rationem ipſe non obſcure reddit in *praefatione meditationum ſacrarum*, quas ſub titulo *El comulgadorio* edidit. Inter praecipua ſunt *Heros*, qui et Gallice exſtat opera GERVASII, *Ferdinandus politicus*, (*El politico Ferdinando*,) quem Germanico Schemate induit LOTTENSTEINIVS, *Diſcretus* (*El Diſcreto*), *Acumen* (*Agudeza y arte de ingenio*), quod et Italice legitur, *Critiron animorum*, quod Hiſpanice et ipſum adornatum, poſtea Gallice prodiit, et ex hac dialecto Germanice redditum eſt a GOTTSCHLINGIO. At nullum ex eius libris maiorem plauſum tulit, quam hic ipſe, qui prae manibus eſt. Primum enim ille aliquoties in lucem prodiit Hiſpanice ſub titulo: *Oraculo manual, y arte de prudençia.* Deinde a FRANC. TOSQVES, abbate, ſub titulo: *Homo di Corte*, in Italicam; ab AMELOTO vero ſub titulo: *l'Homme de cour*, in Gallicam linguam translatus eſt. Germanico ſchemate illum induerunt a. 1686. SAVDERVS a. 1711. perſonatus quidam SELINTES a. 1715. AVG. FRID. MVLLERVS a. 1723. CHR. HENR. FREIESLEBIVS, ciuis meus de communibus litteris meritiſſimus. Vel ex tot editionibus, niſi fallor, ſatis colliges, quam ſit hic libellus bonae frugis pleniſſimus. Itaque nec ingratum tibi fore confidimus, eumdem iam etiam ciuitate Romana donatum proſtare, et meliore diſpoſitum ordine, multiſque egregiis adnotationibus illuſtratum enucleatiorem in lucem prodire. Fruere ergo his dapibus, lector beneuole, et vale. *Francofurti ad Viadrum VII. Kal. Octobr.* 1730.

VIII.

VIII.

DE VTILITATE LITTERARVM ORIENTALIVM IN IVRIS PRVDENTIA.

QVamuis non praeſagiuerit mihi vmquam animus, fore, vt in viri doctiſſimi, IO. SELDENI, elaboratiſſimum opus *de ſynedriis et praefecturis Hebraeorum* aliquid praefarer, nec commendatione mea opus eſſe exiſtimem libro, qui, vbi lucem primum vidit, tamquam Phidiae aliquod ſignum omnibus, ſublimiori ac reconditae doctrinae iuſtum ſtatuentibus pretium, mirifice placuit: adduci tamen me paſſus ſum Bibliopolae viri optimi, precibus, vt hederam hanc ſuſpenderem vino vendibili, eamque nactus occaſionem, de omni hoc litterarum genere, vberrimaque, quam in ſolidiore iuris prudentia praeſtant, vtilitate, meum qualecumque iudicium, quam fieri poterit, breuiſſime exponerem. Non enim ignoro, in ea pleroſque haereſi eſſe, vt omnes iſtas orientalis litteraturae opes, in quibus accumulandis IO. SELDENVS totus atque adſiduus fuit, nihil admodum ad edictum facere, exiſtiment, nec cauſſam eſſe vllam contendant, cur, qui iuris prudentiae ſe conſecrarint, quidquam ſibi praeſidii ex fuliginoſis iſtis Talmudiſtarum et Rabbinorum codicibus polliceantur. Theologis potius omnem illam eruditionem vel ideo eſſe relinquendam cenſent, quod hi ſoli illa, prout decet, vti ſoleant, ICtis vero plerumque male ceſſiſſe videatur hoc ſtudium, iique, poſtquam ſe huic commiſerint oceano, vel parum profecerint in ſolidiore iuris prudentia, vel peſtilentiſſimorum errorum ſcopulis adliſi, triſte naufragium fecerint. Quid, inquiunt, GROTIVM, excitatiſſimi ingenii virum, peruertit, niſi pertinax illud ſtudium, quo in illiteratiſſimas illas Rabbinorum litteras dies noctesque incubuit? Quid aliud eum a veritate ita abduxit, vt Chriſtianum paene exueret, quam quod ad Chriſtianorum interpretum dapes nauſeans, magiſtellorum Iudaicorum glandibus mirifice delectaretur? Et quantum orbi iureconſultum dare potuiſſet vir incomparabilis, ſi hoc agere, quam falcem in alienam meſſem immittere, maluiſſet? Accedit, quod animaduertiſſe ſibi quidam videntur, minus idonea eſſe percipiendae iuris prudentiae inge-

nia, Iudaicis iſtis nugis referta, idque iam CVIACIVM *Obſeruat. Lib. VIIII. cap.* 17. oſtendiſſe exemplo EMMANVELIS ZOARIS, doctoris Coimbricenſis; (eum enim, ſuppreſſo licet nomine, ibi exagitat vir doctiſſimus,) qui Iudaicam illam ſapientiam admiſcens iuris prudentiae, in plures, eoſque perridiculos errores inciderit, quibus eluendis vix vna ſpongia ſuffecerit CVIACIO. Enimuero ſicuti ego facile tranſegerim cum illis, qui ſe iſti forenſi dumtaxat militiae deſtinarunt, quique inhiantes lucro, nihil, niſi quod πρὸς τὰ ἄλφιτα comparatum ſit, ſibi attingendum exiſtimant, impune illos talia, vti cetera pleraque, ignorare: ita iis, qui iuris prudentiam a veritate ac vera ſapientia, atque eruditione non ſeiungendam eſſe arbitrantur, has quoque orientales litteras incredibili non modo ornamento, ſed et praeſidio eſſe, et profiteor, et maximopere contendo. Sint quaedam, in quibus lapſus ſit GROTIVS: ex eo profecto non ſequitur, vt ei fraudi fuerit interior orientalis litteraturae cognitio, quum et alii multo grauius lapſi ſint, qui eas litteras numquam vel primis labris deguſtarant, quin ſoli Chriſtianorum interpretum lectioni ſe totos dederant. Et quis GROTIO magni ICti nomen abrogarit, cuius vox prius fere in foro perſonuit, quam alii prima in ſcholis tirocinia ponunt; qui illuſtres illas, quae inter gentes liberas de bello et pace oriuntur, controuerſias primus ad certa rectae rationis principia reuocauit? qui denique actus in exſilium, et a bibliothecae ſuae vſibus per tot annos ſecluſus, quin negotioſiſſimis miniſteriis, quibus legati funguntur, admotus, tantum in iure praeſtitit, quantum neſcio an multi, qui per omnem vitam corpori Iuſtinianeo impalluerunt, praeſtiterint? Inhumanus itaque eſſet, qui tot meritis naeuos illos non condonaret, ſortiſque humanae immemor, ſtatim excandeſceret, ſi magnum illum Homerum aliquando dormitare animaduerterit. Nec eſt, quod quemquam moueat exemplum ZOARIS, qui κατάρατος, aliquamdiu Chriſtianum mentitus, et in Coimbricenſi academia docendi functus munere, poſtea ad recutitos contribules ſuos redierat. Nam nec mirum eſt, Iudaiſmum pellucere in eius doctrinis, qui per omnem vitam Iudaeum pertinaciſſimum vapido ſub pectore circumtulerat: et, ſi dicendum, quod res eſt, non adeo magni momenti videntur errores illi, quos ibi refellit CVIACIVS, aduerſariis ſuis plerumque paullo iniquior, nec in illis quidquam ego deprehendo ſapientiae Iudaicae, ſed omnes video eius eſſe generis, vt in eos aeque facile incidere potuerit quiuis alius, harum litterarum rudis, ac miſer iſte ZOARES. Si exemplorum numero certare iuuaret, paucis, quae alii proferunt, ſtatim ego opponerem ſexcenta alia, facile, vt opinor, vnicuique perſuaſura, non adeo periculoſum eſſe iſtud litteraturae orientalis cum iuris prudentia connubium, nec

de-

deſuiſſe decora ingenia, quae in vtroque ſcientiarum genere ita fecerint operae pretium, vt et iuris, qua pollebant, ſcientiae ab orientalis iſtius litteraturae copiis, et his ex illo ſapientiae ciuilis theſauro plurimum lucis atque ornamenti acceſſiſſe videatur. Quis, quaeſo, ignorat, ICto, Io. Revchlino, acceptam eſſe ferendam felicem illam temporum reparationem, qua litteratura Hebraica, diuturno obſita ſquallore, et in ſordida Iudaeorum tuguria relegata, priſtino nitori reſtitui, ac de carceribus iſtis prodire coepit? Quam parum itaque memores ſunt tanti beneficii, qui partem illam eruditionis pollui veluti ac contaminari clamant, ſi profanis iureconſultorum manibus, (adeo illi oderunt profanum vulgus et arcent,) teratur? Cuinam deinde ignota ſunt illuſtria tot aliorum iureconſultorum, qui ſacris iſtis initiati fuerunt, nomina? Publici iuris anno erae Chriſtianae 1628. fecerat Theod. Ebertvs *Elogia centum ICtorum, qui Hebraeam linguam et alias auxerint.* Is vero indiculus facile nunc aliis quamplurimis ICtorum φιλεβραίων nominibus atque elogiis amplificari poſſet, ſi otium eſſet, nec in recenti omnium memoria vigerent illuſtria Iobi Lvdolphi et Io. Christophori Wagenseilii nomina, quorum luminibus nec in iuris prudentia orientalem litteraturam, nec in hac iuris prudentiam offeciſſe, ipſi noſtra aetate animaduertimus. Enimuero non eſt animus, exemplis cum quoquam contendere, quorum ea eſt ratio, vt nec quidquam probent, ſi alia in contrarium adferri poſſint, et fruſtra plane proferantur, ſi iis ipſa recta ratio refragetur. Quamobrem, quantam ex his litteris vtilitatem ſperare poſſint iuris periti, petitis ex ipſa re argumentis quibuſdam demonſtrare conabimur, et, vt opinamur, conficiemus, eas ICto quoque incredibili ornamento, et vſui haud exiguo eſſe poſſe. Neque hic multa diſſeremus de vtilitate illa, quam cum Chriſtianis omnibus communem inde ſibi polliceri poſſit iuris ſtudioſus, puta, quod ſic ipſos diuinarum antiqui foederis ſcripturarum fontes adire poſſit, nec ſolos verſionum humanarum riuulos ſectari cogatur: quod ipſum tamen tanti videtur habendum, vt vel ſolum omnes, quae in addiſcendis his litteris deuorandae ſunt, moleſtias, abſtergere deberet. Nec iam immorabimur vtilitati illi, quam ICtus ſibi communem putare poſſet cum eruditis omnibus, quamuis et iſta ſit longe vberrima. Nam vt per ſumma tantum rerum capita atque argumenta eamus, quis neſcit, Hebraeos primos mortalium veram illam ſapientiam, tamquam peculiarem, habuiſſe, eamque hodienum in vniuerſis ſcripturae ſacrae libris, tamquam in exterſo aliquo ſpeculo, relucere? quum; qui inter Graecos non ſine ſtrepitu philoſophati ſunt, omnes ad tantam lucem caecutiuerint, multaque de rerum ortu, de mentis origine, facultatibus, interitu, de

prouidentia, de vera animi felicitate ac beatitudine, ipſis etiam virtutibus ac vitiis, ſimilibuſque rebus commenti ſint, quae febricitanti cuidam per ſomnium in mentem venire vix potuiſſe, deierares. Quam ergo vtile fuerit, ac frugiferum, inſignes iſtas veteris ſapientiae reliquias ab eo populo petere, qui illas ab ipſo Deo immortali, quocum arctiſſima ei conſuetudo, inaudito exemplo, intercedebat, veluti per manus traditas acceperat? Quanta porro non modo cum vtilitate, verum etiam voluptate coniunctum erit ſtudium inueſtigandi rerum origines? Animaduertet enim quilibet huius litteraturae non omnino imperitus, pleraque, quae reliquae gentes ſine idonea cauſſa moribus receperant, ab Hebraeis profecta eſſe, eamque gentem ſolam ritus illos ob rationes ſanctiſſimas vſurpaſſe. Sic ſane mundus vniuerſus deſipuit, dum Devm brutorum animantium ſanguine ac nidore placari delectarique credidit, eaque opinione, quae totum terrarum orbem peruaſerat, quamque in inſontium brutorum ſtragem ab hominibus imprudentiſſimis excogitatam putares, nihil eſſe poteſt a recta ratione alienius. At ſapientiſſimam rationem id inſtitutum habuit apud Hebraeos, ab ipſo Deo immortali edoctos, non eo conſilio offerendas eſſe hoſtias et victimas, quaſi ex eo cruore voluptatem caperet Numen, ſed *litabilem hoſtiam*, vt eleganter loquitur Minvcivs Felix, *eſſe bonum animum, et puram mentem, et ſinceram ſententiam*: ſacrificia vero illa populo Iudaico, cui Meſſiae venturi ſpes facta fuerat, quaſi viuam quamdam imaginem eſſe debere magni illius ac cruenti ſacrificii, quo Chriſtus vniuerſi humani generis peccata in cruce expiaturus ſit: quinnon alia lege Devm iſtam brutorum lanienam admittere, quam vt fiducia omnis in futuro iſto ſacrificio collocetur. Idem dicendum de operoſo iſto initiationum, luſtrationum, et expiationum negotio, de incredibili illa oraculorum impoſtura, aliiſque ſacris ritibus, qui, quum apud Hebraeos ob χρείαν iſtam τυπικὴν conſultiſſimam rationem haberent, a paganis recepti in meras praeſtigias et fraudes abierunt. Sed hunc quoque fructum, qui ex litterarum iſtarum cognitione capitur, communem cum eruditis reliquis habent ICti. Hoc illis fere proprium ac peculiare eſt, quod ex illis omni iuris prudentiae lumen inſigne inferre poſſint. Si enim iuris prudentiam legiſlatoriam quaerimus, vbi, quaeſo, maiorem illam atque admirabiliorem reperiamus, quam in illa re publica, quam non Theſeus aliquis, aut Solon, aut Lycurgus, aut praedonum dux, Romulus; ſed ipſe Devs optimus maximus condidit? quam ipſe ſapientiſſimis legibus atque inſtitutis ornauit? cui denique ipſe cum ſummo imperio, inaudito inter mortales exemplo, praefuit eum in finem, vt haec Θεοκρατία perfectiſſimam exhiberet imaginem regni Chriſti, olim condendi inter homi-

homines, eoſdemque cum vniuerſo terrarum orbe fines habituri? Iam vero ſi in eo poſita eſt prudentia illa νομοθετικὴ, quod leges omnes fini rei publicae, populique indoli adcurate conueniant: quam iucundum erit, in diuinae iſtius legiſlationis contemplatione animaduertere; nullam eſſe Dei legem, ſiue ad ſacros ritus, ſiue ad ius ciuile ac forenſe pertinentem, quae ad pulcherrimum iſtum finem non ſit vnice comparata? Quam vtile ac frugiferum, peruidere falſitatem ſpuriorum finium, quos procaci ingenio vel excogitarunt, vel a Maimonide excogitatos maiore adparatu expoſuerunt Marshamvs, Stanleivs, et Spencervs? Quam pulcrum denique, ex interiore harum legum indole didiciſſe, male de re Chriſtiana meritos eſſe Romanenſes, qui diffugientem hanc vmbram in media luce ſectati, eccleſiam noui foederis ſimilibus inſtitutis Leuiticis non ornare, ſed obſcurare, auſi ſint? In quibus quantum momenti poſitum ſit ad iuris eccleſiaſtici praecepta intelligenda diiudicandaque, nemo non intelligit. Sin quis deinde ad iudicialem illam prudentiam paullo ſolidiorem adſpirat, ſtatuitque id, quod res eſt, fruſtra eſſe, qui de adplicanda iuris prudentia ſibi non intellecta, laborent; ad intelligendas vero leges maximam vtilitatem adferre earum originem et cauſſas: ad eum quoque non poteſt non vtilitas vberrima ex eo ſtudiorum genere redundare. In iure enim canonico ac pontificio pleraque, quae ad ſplendidiorem ſacrorum adparatum, impotentemque illam, quam clerus adfectauit, tyrannidem pertinent, ex liturgia illa Leuitica, et ſacerdotii Iudaici praerogatiuis manifeſto prognata ſunt, quum in vetere illa ac puriore eccleſia cultum publicum ab omni illo ſchemate Leuitico remotiſſimum, et ad ſimplicitatem ſacrorum, quae extra templum Hieroſolymitanum in ſynagogis peragebantur, totum fuiſſe compoſitum, praeclaro opere demonſtrauerit vir doctiſſimus, Camp. Vitringa. Haec vbi nouerit iuris ſtudioſus, (noſſe autem talia ſine aliqua litterarum orientalium intelligentia non poteſt,) tum demum Ioue aequo iudicabit cum de eccleſiae regimine et vniuerſa diſciplina eccleſiaſtica, tum de patrum ac conciliorum ſcitis, ipſiſque pontificum Romanorum conſtitutionibus, ex quibus ius eccleſiaſticum compilatum eſt. Cuius prudentiae ſpecimina haud mediocria ipſe dedit Seldenvs in libris pleriſque, quos de Hebraeorum inſtitutis ſcripſit, quippe qui non ita inhaeret rebus ritibuſque Iudaicis, vt non vbique cum illis contendat Chriſtianorum inſtituta, quidque hi ab illis vel recte, vel imprudenter adoptarint, erudite oſtendat. Quod porro ad ius ciuile attinet: in eo huius litteraturae vſus paullo minor eſſe videri poſſet. Neque enim ius ciuile vel

H Ro-

Romanum, vel Germanicum, quo in foris noſtris pro norma vtimur, quidquam commune cum illis Hebraeorum legibus habere videtur. At ego mihi experiundo didiciſſe videor, incredibilem eſſe inſtitutorum apud Hebraeos aliaſque gentes ſimilitudinem, et ſicuti ſcientiarum atque opinionum; ita et legum iuriumque quamdam veluti ſucceſſionem inter gentes vetuſtiſſimas deprehendi, vt manifeſto adpareat, vnam gentem alterius leges atque inſtituta in condendis rebus publicis legibuſque ferendis fuiſſe imitatam. Quid olim Solonis legibus fuit celebrius? Has vero Moſaicis fuiſſe ſimillimas, negauerit nemo, qui eas vmquam paullo adcuratius perluſtrauit. Et exſtat eam in rem pererudite ſcripta Io. Franc. Bvddei, τῦ μακαρίτυ, diſſertatio, qua παραλληλισμόν iſtum praeclare et ex inſtituto demonſtrauit. Ab Athenienſibus vero, aliiſque Graecis, leges haud paucas adoptaſſe Romanos, inter omnes conſtat. Quis itaque dubitauerit, quin ad hos quoque quaedam legibus Hebraeorum ſimilia permanarint, adeoque et inter has leges ac Romanas quaedam ſit cognatio? Oſtendere ſane id voluit vetus auctor, quem *Pariatorem legum Moſaicarum et Romanarum* vocare ſolemus, libello egregio, quem ſtilo iſtius ſaeculi *collationem Legum Moſaicarum et Romanarum* inſcripſit. Vel pauca enim illa, quae aetatem tulerunt, fragmenta, a Franc. Pithoeo ex vetuſto codice eruta, argumento ſunt, ſcriptori illi, quiſquis fuerit, (Licinivm enim Rvffinvm eum non eſſe, perſpicue alibi oſtendimus,) conſilium fuiſſe, pulcherrimam illam legum Moſaicarum, et Romanarum harmoniam per pleraque iuris capita, inſtituta inter vtriuſque gentis mores comparatione, demonſtrare. Quod ipſum deinde plenius et maiore cum adparatu praeſtiterunt alii, veluti Io. Calvinvs, Paganinvs Gavdentivs, et Phil. Zeppervs, de quibus plura laudatus Io. Franc. Bvddevs *Introduct. ad hiſt. philoſ. Hebraeor. pag.* 406. 407. At iuuabit rem vno alteroue exemplo illuſtrare, vt communis illa legum plerarumque origo, earumque natale veluti ſolum eo facilius intelligatur. Furem nocturnum, irruentem in aedes alienas, occidere fas erat iure Moſaico, nec capitis anquirebatur ei, qui occiderat, modo ſol nondum eſſet ortus. Vbi iam illuxerat, ei, qui furem ceciderat, dica iure ſcribebatur. Idem vero Athenis ſanxerat Solon: εἰ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, καὶ ἀπαγαγεῖν πρὸς τὺς ἕνδεκα: *ſi quis noctu quodcumque furatus fuerit, eum et occidere, et inter perſequendum vulnerare, et ad vndecimuiros abducere ius eſto.* Nec aliter apud Romanos decemuiri, quorum notum eſt carmen, in XII. tabulis obuium: si nox fvrtvm faxit, sim aliqvis occisit, ivre caesvs esto. Quod enim

in *l.* 4. §. 1. *D. ad leg. Aquill.* additur: *vt tamen id ipſum cum clamore teſtificetur*, id non ex XII. tabulis eſſe, recte obſeruavit IAC. GOTHOFREDVS, quamuis ei non adſtipulemur, Triboniani hic ſubolfacienti emblema, quippe meliora edocti a IAC. CVIACIO *Obſeruat. Lib. XIIII. cap.* 15. Quid? quod ſimiles ſanctiones vetuſtiſſimas in leges etiam Germanicas migraſſe, intelligamus ex LEGIBVS BAIVVARIORVM *tit.* 8. §. 5. VISIGOTHORVM *Lib.* 7. *tit.* 2. §. 16. BVRGVNDIONVM *Addit.* I. *tit.* 16. §. I. *et* II. FRISIORVM *tit.* 5. §. I. ac denique ex CAPITVLARIBVS CAROLI M. et LVDOVICI PII imperatorum, *Lib. V.* §. 343. Ceterum lex Moſaica fures non capitis damnabat, ſed eoſdem furtum, prout illud magnum paruumue eſſet, quadruplo dupluue luere iuſſerat. Idem fere Soloni placuiſſe animaduertimus, quod ad diſcrimen furti magni paruique, nec non ad duplum, attinet. Exſtat enim eius lex apud DEMOSTHENEM in *Timocratem p.* 476. τὸν κλέπτοντα διπλοῦν ἐκτίνειν, *fur dupli damnator.* Attamen ea lex tantum ad furta minora pertinebat. De maioribus, qualia erant, quaecumque quinquaginta drachmas excedebant, idem legiſlator praeceperat, vt eiuſmodi fures ad vndecimuiros abducerentur; ibique in vinculis habitis non liceret, datis vadibus, ſatis facere, ſed ſupplicium ſupremum irrogaretur. Atticum porro hoc inſtitutum ſuum fecerant Romani, niſi quod eorum decemuiri non tam inter furtum magnum paruumque, quam inter manifeſtum et nec manifeſtum, diſcrimen aliquod ſtatuerant. Nemo enim ignorat legem XII. tabularum, qua fuerat cautum, vt fures ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ deprehenſi poena capitis; nec manifeſti duplo punirentur. At, praetor, quod maxime notatu dignum obſeruatuque iucundiſſimum videtur, neſcio quo fato demum hanc legem paene ad Hebraeorum exemplum rerum omnium ignarus inflexit, edixitque, vt furtum manifeſtum in poſterum quadrupli poena expiaretur. Nec maiores noſtros pleroſque ſeuerius in fures animaduertiſſe nouimus, niſi quod apud RIPVARIOS, SAXONES, et BOIOS capitale eſſet furtum violentum et cum effractione coniunctum. At neſcio, an vlla in re admirabilior ſit legum veterum paene omnium concentus, quam in poena talionis. Quis ignorat Moſaica illa: *Exod. XXI.* 23. 24. 25. *Leuit. XXIIII,* 19. 20. *animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* His vero plane gemina ſunt, quae Graecorum Romanorumque, quin et plerarumque aliarum gentium, legiſlatores tantum non omnes praeceperant. Sic Solonis lex fuit: Βλάβην ἴσην τιμωρίαν εἶναι. *Noxiae par poena eſto.* Charondae apud DIOD. SICVLVM *Biblioth. XII.* 17. *ſi quis alicui oculum eruerit, ei pariter oculum eruito.* Aegyptiorum apud eum

dem *Biblioth. I. 77. ſi quiſquam inueniatur venenum poſſidere, moriatur, hoc patiens, quod toleraret ille, contra quem venenum probatur eſſe comparatum.* Quamuis hoc limites talionis quodammodo excedere videatur. Ipſi Indi, quorum antiquis temporibus non adeo frequens erat cum aliis gentibus commercium, legem, teſte STRABONE, habebant, qua is, qui aliquem membro quodam mutilaſſet, talionis poenam ſubire, ſimulque manu, qua id feciſſet, truncari iubebatur. Denique ne Romanos quidem decemuiros in componendis XII. tabulis aliud ſequutos eſſe principium, argumento eſt vetus eorum carmen: SI MEMBRVM RVPSIT, NI CVM EO PAGIT, TALIO ESTO. Non equidem me fugit, quid de eo talionis iure diſputarint ex veteribus ARISTOTELES *ad Nicomachum, V.* 8. *Moral. magn. II.* 34. et GELLIVS *Noct. Attic. XX.* 1. ex recentioribus IO. BODINVS *de republ. VI. vlt.* CONST. L'EMPEREVR *ad Babakamma VIII.* 1. PVFENDORFF. *Iur. nat. et gent. VIII.* 3. et ſingulari, docteque ſcripta, diſſertatione IO. ANDR. DANZIVS. Neque dubitare licet, quin ipſa legem tam rigidam exſequendi difficultas perſuaſerit gentibus omnibus, vt oculum aliaque membra certo pretio redimi paterentur. Saltim IONATHAN et HIEROSOLYMITANVS Targumiſtae, rerum Iudaicarum procul dubio peritiſſimi, Moſaicum illud expoſuerunt his verbis: PRETIVM *oculi pro oculo*, PRETIVM *dentis pro dente*, PRETIVM *manus pro manu*: cetera. Et IOSEPHVS *Antiqu. Iud. Lib. IIII. cap.* 8. obtinuiſſe illam talionis poenam ait, πλὴν εἰ μήτι χρήματα λαβεῖν ἐθελήσειεν ὁ πεπηρωμένος, αὐτὸν τὸν πεπονθότα κύριον τοῦ νόμου ποιοῦντος τιμήσασθαι τὸ συμβεβηκὸς αὐτῷ πάθος καὶ συγχωροῦντος, εἰ μὴ βούληται γενέσθαι πικρότερος: *niſi forte mutilatus pecuniam malit accipere, lege iniuriam paſſo plenam dante poteſtatem aeſtimandi caſum, qui ei accidit, et concedente hoc facere, niſi acerbior eſſe velit.* At nobis iam probaſſe ſuffecerit, hic quoque ſuauiſſimum inter tot diſſitiſſimarum ciuitatum legiſlatores concentum obſeruari. Quam multa vero huius generis obſeruabit, qui litteraturae iſtius orientalis non plane expers animum ad inueſtigandas legum iuriumque origines adpulerit? Quam multa hauriet ex fontibus his limpidiſſimis, leges noſtras mirifice illuſtratura? Praeiuerunt ea in re iuris ſtudioſis, facemque veluti extulerunt CONRADVS HERESBACHIVS, in *Iuris prudentia Chriſtiana*, quae *Neoſtadii* 1586. prodiit, et IOACHIMVS HOPPERVS in *Seduardo*, quorum veſtigia vtinam alii eadem animi contentione premerent! Quam praeclara haec futura eſſet ad iuris prudentiam noſtram acceſſio? Quin et is, cui illa iuris prudentiae pars, quae in conſulendo reſpondendoque conſiſtit, curae cordique eſt, in ſcriptoribus Hebraeorum νομικοῖς reperiet, quae ſibi vel ad imitandum, vel ad fugiendum

ex-

exemplo eſſe poſſint. Febriculoſa eſt doctorum illorum orientalium natio, quae ſaepe veluti morbo deſipiens, in interpretando ſomnia et nugas, ipſis aranearum telis ſubtiliores ſectatur. At eadem aliquando, excuſſo veluti ſopore, tanta animi ſollertia leges exponit adplicatque, vt non modo alios, ſed et ſeipſam ſuperare videatur. Ex vtroque fructum haud mediocrem capient prudentiores. *Eſt enim hoc in omni vita*, vti ait LIVIVS, *imprimis vtile ac frugiferum, omnis exempli documenta, tamquam in illuſtri poſita monimento, intueri, vt inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere, capias: inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.* Enimuero compendium fortaſſis orationis potuiſſem facere, ſi te, lector beneuole, ad praeclaras SELDENI acroaſes ſtatim inuitaſſem. Is enim quantum excelluerit in hoc ſtudiorum genere, quantumque vtilitatis ſcriptis ſuis iureconſultis non minus, quam theologis, attulerit, id vero notius eſſe arbitror, quam vt multis verbis demonſtrandum videatur. Nulla paene eſt pars iuris prudentiae, quam non vir eruditiſſimus cum Hebraeorum aliarumque gentium orientalium placitis compararit. Ius enim connubiale praeclare expoſuit inſigni opere, quod *Vxorem Hebraeam* inſcripſit: iura hereditaria in libro *de ſucceſſionibus*; iura decimarum in breui, quod per viri optimi fata nobilitatum eſt, opuſculo, reliqua iuris capita in luculento opere *de iure naturae et gentium ſecundum diſciplinam Hebraeorum.* Denique omnem iudiciorum publicorum aeque ac priuatorum rationem in exaſcitatiſſimo hoc libro *de ſynedriis Hebraeorum* exſequutus eſt. Sunt, quae in hoc opere deſiderant viri quidam docti, inter quos nuper πολυμαθέστατος, IO. CLERICVS, ceu notum eſt, totam illam Hebraeorum traditionem de ſynedrio, a Moſe ipſo inſtituto, in dubium vocauit. Sed neminem ideo SELDENO litem mouere velle arbitramur, qui bona fide, quae Hebraeorum magiſtri de origine ac iuriſdictione ſynedriorum tradunt, expoſuit, nec tam ſuopte ingenio, quam ex mente Rabbinorum ſcripſit. Haec ſunt, quae te volui, candide lector: reliqua ipſe SELDENVS pro ſe dixit. Quare nihil ſupereſt, quam vt ipſum librum, qui iam inde ab eo tempore, quo in lucem prodiit, eruditis omnibus mirifice placuit, tibi etiam atque etiam commendem, teque bene valere iubeam. *Halae III. Kal. Maias* 1734.

* * * * * * * * * * *

VIIII.

DE SEX. POMPONIO, IVRE CONSVLTO.

SEX. Pomponio, eximio ſui aeui iureconſulto, cum alia permulta, tum id in primis debet iurisprudentia, quod de eius omniumque magiſtratuum origine, ipſorumque ſucceſſione prudentum libellum, quem ἐγχειρίδιον inſcripſit, bonae frugis pleniſſimum, compoſuit, eoque tot res praeclaras cognituque digniſſimas incredibili breuitate complexus eſt, vt paucitas verborum cum rerum varietate veluti contendere videatur. Et ſane ſi omnes illi ſingulari quadam ac praecipua laude digni habentur, qui ſibi ex ſemita faciunt viam, resque vulgo neglectas induſtria ſua perpoliunt: dubitare nemo poterit, quin eam ſibi laudem ſuo quodam iure depoſcat Pomponivs, qui ſolus inter iureconſultos, quod quidem hodie ſciamus, in hiſtoria artis ſuae exercuit ingenium, viamque calcauit, ſui ordinis hominibus adhuc inuiam, nulliusque antea tritam veſtigiis. Equidem T. Livivm, Dionysivm Halicarnassevm, Tacitvm, Dionem Cassivm, et, quem primo loco nominatum oportebat, Ciceronem, plura ad hanc hiſtoriae partem pertinentia in operibus ſuis paſſim attigiſſe, nemo ignorat, neque nos dubitare patitur Gellivs, (a) quin diſertiſſimus ille Romuli nepotum in libro de iure ciuili in artem redigendo quaedam haut vulgaria de iureconſultis, qui ante ſe floruerunt, obſeruarit: ſed hi omnes neque ex inſtituto id egerunt, neque, quae fata iurisprudentiae, oppreſſa iam republica, fuerint, per aetatem animaduertere potuerunt, ac proinde Pomponio non minimum reliquerunt ſpicilegium. Idem dicendum videtur de ſcriptoribus aliis, quos in conſilium adhibere Pomponivs potuit. Ante eum enim et alius quidam eiuſdem nominis et gentis, T. Pomponivs Atticvs, moris maiorum ſummus imitator, et amator antiquitatis, eam totam expoſuerat in eo volumine, quo magiſtratus ornarat, de eoque egregio opere teſta-

(a) *Noct. Lib. I. Cap. XXII.*

teſtatur Cornelivs Nepos, (*a*) *nullam fuiſſe* legem, *neque rem illuſtrem populi Romani, quae in eo non fuerit ſuo tempore notata.* Sed ne iſtius quidem viri doctiſſimi conſilium fuit, hiſtoriam iuris illuſtrare, nec Pomponivs tam ſingularum legum chronotaxin dare, quam generatim de fatis iuriſprudentiae eiusque mutationibus ac conuerſionibus agere conſtituerat, nec Attici aetas in ea inciderat tempora, vt praecipuas mutationes, quas inuentis SCtis, conditoque edicto perpetuo ſubiit iurisprudentia, videre ac deſcribere potuerit. Quod ad magiſtratuum attinet originem: certum omnino videtur, L. Fenestellam, quem Plinivs (*b*) extremo Tiberii principatu viuere deſiiſſe, teſtatur, ſcripſiſſe annales et ἀρχαϊκά, et in iis pleraque, quae ad magiſtratuum Romanorum originem poteſtatemque pertinent, fuſius enarraſſe. Id enim fragmenta egregii operis, quae commune illum optimorum ſcriptorum naufragium effugerunt, tam luculenter probant, vt vel inde potiſſimum occaſionem arripuiſſe videantur impoſtores, Fenestellae, cui Auli praenomen ex imperitia tribuunt, adulterinum illum partum de poteſtatibus magiſtratibusque Romanorum ſubiiciendi, quum libellum illum non Fenestellae, aut veteris alicuius ſcriptoris, ſed Andreae Dominici Flocci, eſſe, iam pridem viri docti, Lil. Gyraldvs (*c*) et Ger. Io. Vossivs (*d*) euicerint, vt mirum ſit, multo poſt repertum eſſe virum non indoctum, Sim. Van Levwen (*e*) qui, Floccvm addidiſſe nonnulla libello, fateretur, at pleraque tamen ab ipſius Fenestellae manu eſſe, contenderet. Quod tamen iudicium fortaſſis condonandum fuerit reliquis viri diligentiſſimi meritis, nec in viro, illiteratiſſimis illis gloſſatorum litteris noxae veluti dato, adeo amare requirendum ſubtile illud criticorum acumen, quo ſuppoſititia a genuinis ipſo veluti olfactu illico diſcernunt. Praeeuntem quoque Pomponivs in hac operis parte habuit Ivnivm Gracchanvm, cuius quippe *librum ſeptimum de poteſtatibus* vna cum Fenestella ipſe Vlpianvs (*f*) laudat: non autem Ser. Svlpitivm, quem Vdalr. Zasivs, (*g*) vir eximius, et qui primus fere Germanorum effulgentem tum elegantioris iurisprudentiae auroram in mediis barbariei tenebris vidit, *librum de claris iureconſultis* collegiſſe, exiſtimat. Nam hoc viri optimi παρόραμα iamdudum notauit Bern. Rvtilivs, (*h*) et res ipſa do-

(*a*) *Attic. Cap. XVIII.*
(*b*) *Lib. XXXII. Hiſt. nat. Cap.* XI.
(*c*) *De Poetis Dial.* IV.
(*d*) *De Hiſt. Lat. Lib.* I. *Cap.* XVIIII.
(*e*) *De Orig. et progr. iur. L. B.* 1672.
(*f*) L. 1. *pr. et* §. 1. *ff. de offic. Quaeſt.*
(*g*) *Ad l.* 2. §. 42. *ff. de orig. iur.*
(*h*) *Vit. ICt. Cap.* XXXIII. *n.* 4.

docet, fraudi fuiſſe ZASIO Pomponii noſtri locum, perperam intellectum, vbi hic Mucii auditores omnes, et in his Gallum Aquillium, Sex. Papirium, C. Iuuentium in libro quodam *a Ser. Sulpitio nominatos*, ſcribit. Quaſi vero ille de claris iureconſultis ſcripſiſſe cenſendus ſit, qui in libro quodam iuridico aliquot iureconſultos celebriores nominat, id eſt, iis ob auctoritatem, quam eorum ſcripta conſequuta ſunt, teſtimonium denunciat. Aſt in hac vltima operis parte alios ſequi potuit duces, quamuis fortaſſis nemo ante illum de ſucceſſione prudentum ex inſtituto egerit. Quum enim iis temporibus, qui reipublicae in toga eſſent profuturi, nihil prius, nihilque antiquius haberent, quam vt cum philoſophia illa ciuili, quae iurisprudentia adpellatur, eloquentiae laudem coniungerent: fieri profecto non potuit, quin, qui de claris oratoribus, virisque eloquentiae principatum tenentibus ſcripſerunt eadem ſimul opera multorum iuris conditorum vitas illuſtrarent, vnaque veluti fidelia duos dealbarent parietes. Sic multorum iureconſultorum elogia incomparabili libro, quem Brutum vel de claris oratoribus inſcripſit, complexus eſt M. TVLLIVS CICERO, qui et in aliis operibus, quae de arte oratoria et eloquentia adornauit, ſummorum, qui tum ante ſe, tum ſua aetate, floruerant; iureconſultorum fata et in vtramque rempublicam merita paſſim attigit. Sic et auctor, qui de oratoribus cauſſisque corruptae eloquentiae dialogum perelegantem ſcripſit, ſiue is QVINCTILIANVS, ſiue TACITVS, ſiue alius quicumque ſit, quaedam ad hanc hiſtoriae partem illuſtrandam comparata habet, quamuis non aeque multa, quia iis ille temporibus vixit, quibus iam paene oblanguerat eloquentiae forenſis vigor, et, ſicuti conqueritur PETRONIVS (*a*), *ventoſa et enormis loquacitas animos iuuenum, ad magna ſurgentes, veluti peſtilenti quodam ſidere adflauerat, vt ſemel corrupta eloquentiae regula ſtaret et obmuteſceret.* Ex eo enim tempore res ſuas ſibi habebant iureconſulti, et hinc rarius eueniebat, vt vel ii, qui declamatorio illo dicendi genere excellebant, ſeueriores illas Labeonis vel Maſſurii Muſas colerent, vel accuratiore iuris cognitione imbuti inter mellitos verborum globulos dictaque quaſi papauere et ſeſamo ſparſa proficere, aut potius ſtultiſſimi fieri vellent. Quare ſi ab aliis ante SEX. POMPONIVM pars quaedam eorum, quae in eius Enchiridio reperiuntur, perpolita eſt: primus tamen iureconſultorum ille vniuerſam iuris, magiſtratuum et iureconſultorum hiſto-

(*a*) *Satyric. pag.* 1.

hiſtoriam exſequutus eſt ſtilo, et breui libello ſuo effecit, ne multa ſcitu digniſſima nos hodie ignoremus.

Itaque vel hac ſola nauata ſtudioſis opera meruiſſet iureconſultus celeberrimus, vt dignum laude virum Muſa vetaret mori, eiusque memoriam ex poſteris quidam ſcriptione ſua conſeruaret, qui tot aliis hoc libello profuit ad immortalitatem. Enimuero contigit illi, quod inter poetas Homero, qui, quum tot viris fortibus et bonis monimentum ſtatuiſſet aere perennius, nullaque temporum iniuria interiturum, ipſe tamen ſolo paene nomine innotuit poſteris; origine eius, patria, incunabulis, fatiſque ceteris veluti diuturna nocte obrutis. Eadem, inquam, fata expertus eſt Sex. Pomponivs, quem, vnde ortus ſit, quibus fulſerit honoribus, quae laude digna geſſerit, quando viuere deſierit, hodie plane ignoramus, quum ſola, quae Ivstinianvs periculo ſubduxit, praeſtantiſſimorum operum fragmenta illi aeternitatem praeſtent, memoriamque conſeruent apud poſteros, nulla vmquam obliuione delendam, quamdiu iurisprudentiae honor aliquis eſt inter homines futurus. Ne tamen nos, qui his opuſculis quaedam praefari iuſſi ſumus, nullam plane operam impendiſſe videamur vitae Sex. Pomponii e vetuſtatis parietinis eruendae: quaedam, quae de eius gente et familia, de aetate, qua uixit, de eius porro ſtudiis et ſecta, cui ſe addixit, denique de ingenii, quae reliquit, monimentis, et ſpeciatim de eius enchiridio obſeruaſſe nobis videmur, quamfieri poterit breuiſſime exponere, ac deinde de ipſis opuſculis, quae iam cura iuuenis doctiſſimi vno faſciculo comprehenſa in lucem prodeunt, quaedam differere decreuimus.

Celeberrimam olim Romae fuiſſe gentem Pomponiam, quam *equeſtrem ab vltima origine ſtirpis Romanae* fuiſſe tradidit Cornelivs Nepos (*a*), neminem ignorare arbitramur. Eius enim veteres ab ipſo Numa Pompilio, altero poſt Romulum vrbis ac reipublicae conditore, repetunt originem, et quum is praeter alios filios Pomponem genuiſſet, ab hoc Pomponiam gentem deſcendiſſe ſcribunt. Suffecerit hic vnius Plvtarchi (*b*) adferre locum, quia ex eo et aliarum gentium Romanarum origo peti poterit: Οἱ δὲ πρὸς ταύτῃ τέσσαρας υἱοὺς ἀναγράφουσιν αὐτοῦ, Πόμπωνα, Πῖνον, Κάλπον, Μάμερκον, ὧν ἕκαστον οἴκου διαδοχὴν καὶ γένος ἔντιμον καταλιπεῖν. εἶναι γὰρ ἀπὸ μὲν τοῦ Πόμπωνος τοὺς Πομπωνίους, ἀπὸ δὲ τοῦ Πίνου τοὺς Πιναρίους, ἀπὸ δὲ Κάλπου τοὺς Καλπουρνίους, ἀπὸ δὲ Μαμέρκου τοὺς Μαμερκίους, οἷς διὰ τοῦτο καὶ Ῥῆγας γενέσθαι παρωνύμιον, ὅπερ ἐστὶ βασιλέας. *Alii praeter hanc*,

(*a*) *Vit. Attici Cap.* I. (*b*) *In Numa p.* 73.

(Pompiliam filiam,) *eum quatuor alios habuiſſe filios*, *tradunt*, *Pomponem*, *Pinum*, *Calpum*, *et Mamercum*, *quorum vnumquemque proſapiam et clarae ſucceſſionem gentis reliquiſſe aiunt. Pomponis enim* Pomponios *eſſe ſobolem*, *Pini Pinarios*, *Calpi Calpurnios*, *Mamerci denique Mamercios*, *quibus etiam ex eo cognomen Regibus ortum eſt*. Et hanc gentis ſuae originem ipſos Pomponios denariis ſuis teſtatos eſſe, animaduerto. Quemadmodum enim M. Calpurnius Piſo Frugi, originis ſuae memoriam conſeruaturus, et caput Numae, et Terminum Deum in numis ſuis apud Fvlv. Vrsinvm (*a*) ſculpi iuſſit: ita et gentis Pomponiae χάραγμα eſt augur, dextra lituum tenens, et vir capram ad Iunonis αἰγοφαγὃ aram adducens, adiectis verbis: Nvm. Pompil. (*b*) Quamuis vero plebeia eſſet haec gens: non tamen ei defuerunt fumoſae maiorum per atria imagines, quandoquidem plures tum libera adhuc republica, tum ſub Imperatoribus, ad conſulatum aliosque in republica honores adſpirarunt. Faſti ſane conſulares Capitolini (*c*) annum v. c. dxx. ſignant conſulatu Q. Fabii Q. F. Q. N. Maxvmi Verrvcossi et Man. Pomponii Man. F. Man. N. Mathonis, ſimulque obſeruant, quod ab aliis praetermittitur, illum eodem anno Eid. Mart. de Sardeis triumphaſſe. Sequente anno iidem faſti memorant hunc ipſum *Man. Pomponium*, *Man. F. Man. N. et C. Papirium C. F. L. N. Maſonem Coſſ.* et ex Livio (*d*) conſtat, eundem ſedecim annis poſt, Dictatori L. Veturio Philoni, comitiorum habendorum cauſſa creato Magiſtrum Equitum fuiſſe, quamuis vterque vitio creatus die quarto decimo, ex quo auſpicati hunc honorem fuerant, magiſtratu ſe abdicarit. Oppreſſa iam a Caeſaribus republica, teſtibus Tacito (*e*) et Dione, (*f*) anno v. c. dcclxviiii. conſules fuere C. Caecilius Rufus et L. Pomponius Flaccus Graecinus, ſed qui Moeſiae poſtea praefectus, et deinde ſeptem totos annos miſere in carcere habitus, demum dimiſſus (*g*), Syriae Propraetor obiit. (*h*) Eius ſiue ſoror, ſiue filia, Pomponia Graecina a Tacito (*i*) vocatur *inſignis femina*, quae nupta Plautio, de Britannis ouanti, *ſuperſtitionis externae*, ob ſuſceptam procul dubio religionem Chriſtianam, rea facta ſit, ſed inſons iudicata a marito, qui more maiorum coram propinquis de capite famaque coniugis cognouerat. Addit Tacitvs, *longam eius aetatem et continuam fuiſſe*

(*a*) *Edit. Patini p.* 57.
(*b*) *Ibid. p.* 223.
(*c*) *Sigon. Faſt. Conſ. p.* 133.
(*d*) *Lib.* XXII. *Cap.* XXXIII.
(*e*) *Annal. Lib.* II. *Cap.* 41.
(*f*) *Lib.* LVII. *p.* 613.
(*g*) *Dio lib.* LVIIII. *p.* 644.
(*h*) *Tacit. Annal.* VI. 27.
(*i*) *Id. Lib.* XIII. *Ann. cap.* XXXII.

fuiſſe triſtitiam; nam poſt Iuliam, Druſi filiam, dolo Meſſalinae interfectam; per quadraginta annos non cultu, niſi lugubri, non animo, niſi moeſto, egiſſe, idque illi, imperitante Claudio, impune, mox ad gloriam vertiſſe. Exſtat Romae lapis antiquus, in quo haec epigraphe: (*a*)

LIBERO. PATRI.
SANCTO. SACR.
SEX. CAELIVS.
PRIMITIVVS. ET.
PVBLICIA. ANTVLLA.
VOTO. SVSCEPTO.
D. D.

Et a tergo:

DEDICAVERVNT.
IDIB. OCTOBR.
CN. POMPEIO. FEROCE.
LICINIANO. COSS.
C. POMPONIO. RVFO.

Sed hos quidem conſules faſti ignorant, idque argumento eſt, conſules illos fuiſſe ſuffectos, incerti anni, quales plures alii paſſim occurrunt. Extremo Seueri imperio anno V. C. DCCCCLXIII. conſules fuere POMPONIVS BASSVS, et Epidius Rufus Lollianus, (*b*) et anno MXXXX. ſub Diocletiano et Maximiano Auguſtis cum ipſo Maximiano iterum Conſule faſces tenuit POMPONIVS IANVARIVS, cuius conſulum paſſim ipſum ius noſtrum aliquoties meminit (*c*). Quin eodem et inſequente anno praefecturam vrbanam geſſiſſe eumdem Pomponium Ianuarium, ex auctore anonymo de praefectis vrbi, et indice, quem THEOD. IANS. AB ALMELOVEEN texuit, locupletiſſimo (*d*) liquet. Quo exemplo ſimul diſcimus, parum ſolidam eſſe obſeruationem AMMIANI MARCELLINI (*e*), dum iam inde ab anno MXXXVII. quo Diocletianus cum Ariſtobulo Conſul proceſſerit, ad Iuliani Imp. tempora numquam Auguſto vlli Conſuli collegam priuatum adiunctum fuiſſe, ſcribit. Falſum enim

(*a*) *Grut. p.* LXVII. 3.
(*b*) *Petr. Reland. faſt. conſul. p.* 118.
(*c*) *l.* 1. *C. de tranſact. l.* 2. *C. de dol. mal. l.* 6. *C. de patr. pot.*
(*d*) *pag.* 300.
(*e*) *Lib.* XXIII. *Cap.* I.

enim eſſe, AMMIANVM, poſt VALESIVM (a) et ANT. PAGIVM (b) erudite oſtendit HENR. NORISIVS (c), ſimulque profligauit ONVPHRII PANVINII, CAES. BARONII et SAM. PETITI ſententiam, qui in Maximiani Auguſti II. Coſ. locum neſcio quem Maximum II. ſubſtituere non dubitarunt. Tot ergo imaginibus ad extrema fere reipublicae tempora claruit gens Pomponia: nec minorem dedit prouentum aliorum toga ſagoque celebrium hominum, quorum quum vel numerum inire difficile eſſet futurum, paucos tantum, eo, quo calamum ſubibunt, ordine recenſebimus. Quis vero ignorat T. POMPONIVM ATTICVM, Ciceroni familiariſſimum, qui mereri honores, quam ambire maluit, et, quamuis factioſis paene omnibus amiciſſimus, eum tamen vitae curſum tenuit, vt inter tempeſtatum ciuilium procellas et ſecurus et neutri parti inuiſus viueret, et non modo M. Agrippae, ſed et Tiberii Caeſaris adfinitate dignus haberetur? Cui ignotus L. POMPONIVS, Attellanarum ſcriptor, a DONATO (d), SCHOLIASTA HORATII (e), M. SENECA (f), aliiſque paſſim laudatus? Quis porro neſcit Pomponios Secundos, Labeones, Flaccos, quorum res praeclare geſtas et fata ſub malis principibus paſſim deſcribit TACITVS? (g) Ex his tamen neſcio, an non reliquis ex ea gente omnibus praeferendus ſit P. POMPONIVS SECVNDVS, poeta conſularis (h), et orator facundiſſimus, (i) quemque QVINCTILIANVS (k), *eorum, quos viderit, in tragoedia longe principem fuiſſe*, cenſuit, PLINIVS (l) vero dignum iudicauit, cuius ipſe vitam ſingulari commentario deſcriberet. Exſtant ſane Carminum eius reliquiae volumine II. fragmentorum veterum poetarum, a MICH. MAITTAIRE Londini anno MDCCXVI. edito, (m) quae illam elegantiae laudem facile tuentur. Non iam plura addemus de M. POMPONIO MARCELLO, quem inter celebriores grammaticos recencens SVETONIVS, (n) *ſermonis Latini exactorem moleſtiſſimum* vocat: nec immorabimur POMPONIO MELAE, et POMPONIO PORPHYRIONI, quorum illius egregius de ſitu orbis commentarius, huius ſcholia in Horatium bonae frugis pleniſſima et hodie in eruditorum manibus verſantur: vnum adhuc attingemus POMPONIVM, poetam

(a) *ad Ammian. ibid.*
(b) *Annal. ad ann. MDL.*
(c) *De Num. Dioclet. et Maxim. Diſſ.* I.
(d) *Ad Terent. p.* 158. *edit. Lindenbr.*
(e) *p.* 632. *edit. Cruqu.*
(f) *Contrvou.* XVIII.
(g) *Annal.* V. 8. VI. 18. XIII. 43. IV. 47. VI. 29. II. 66. VI. 27.
(h) *Plin. Hiſt. Nat. Lib.* VII. *cap.* 19.
(i) *Dial. de corr. eloqu. Cap.* XIII.
(k) *p.* 689. *et* 912. *edit. Burm.*
(l) *Lib. XIV. cap.* 4.
(m) *p.* 1543.
(n) *Cap.* XXII.

poetam Chriſtianum, quem *inter cetera ſtili otia Tityrum verſibus Virgilianis in Chriſti honorem compoſuiſſe*, id eſt, vti ego interpretor, centonem ex eclogis Virgilianis in honorem Chriſti conſuiſſe, refert Isidorvs Hispalensis. [a] Adeo huic genti id veluti praecipuum fortuna dederat, vt viros produceret in omni ſtudiorum genere excellentiſſimos: et neſcio profecto, an gens Romana vlla tot belli duces, iureconſultos, philoſophos, oratores, poetas, coſmographos, grammaticos oſtentare potuerit, ac Pomponia, quam ideo in elegantiſſimis, quos reliquit, denariis apud Fvlv. Vrsinvm, [b] modo caput Apollinis, modo Muſas, modo Herculem muſageten, ſignari iuſſiſſe arbitramur, quod ad omnium optimarum artium ſtudia, quibus illa numina praeeſſe ſibi perſuaſerant, veluti a natura facti viderentur Pomponii.

Quamuis itaque in plures familias diuiſa fuerit gens Pomponia: et hinc diuerſa Pomponiorum cognomina ſint, veluti *Mathonum*, *Ruforum*, *Secundorum*, *Flaccorum*, *Labeonum*, *Ianuariorum* aliaque plurima: de Sex. tamen Pomponio, qua ex familia prodierit, eo minus definias, quo minus eius cognomen vſquam occurrit. Quin inter tot Pomponios, quos recenſuimus, ne Sexti quidem praenomen vllus habuit, vt inde iudicare liceat, cui Pomponiorum familiae praenomen illud veluti familiare fuerit, niſi quod Grvtervs [c] nobis ſeruauit hoc marmor Romanum:

DIS. MANIB.
SEX. POMPONIVS.
ELAINVS.
POMPONIAE DONATAE
CONIVGI.
CARISSIMAE. FECIT.
ET. SIBI.
P. Q. EORVM.

Id tamen vtrum ad noſtrum pertineat, an ad eius parentem aliumve agnatum, nemo facile dixerit. Et tamen ſunt, qui iureconſulti noſtri patrem eiusdem cum filio nominis fuiſſe non ſine ratione ſibi videntur

[a] *Orig. Lib. I. Cap.* 38.
[b] *Pag.* 223. *ſequ.*
[c] P. DCCCXVII. 13.

tur ſuſpicari, quia inter veteres ICtos duos Sex. Pomponios, antiquiorem alterum, alterum iuniorem, reperiri, illumque pro patre, hunc pro filio habendum eſſe, exiſtimant, a qua ſententia, quae ſe primum Ant. Avgvstino, [a] poſtea Cviacio aliisque, vt fit, probauit, non adeo alienum ſe profitetur v. c. Ev. Otto. [b] Enimuero quamuis exemplo non vno conſtet, iurisprudentiam familiarum quarumdam quaſi gentile bonum fuiſſe, veluti Muciorum, Caſſiorum, Neruarum, Celſorum, ac proinde eiuſdem nominis iureconſultos, patrem et filium, in ipſo iure noſtro non raro diſtingui: fateor tamen, argumenta, quae praecipue Gvil. Grotivs [c] maximo ſtudio conquiſiuit, non ita eſſe comparata, vt rem conficere videantur. Nam primo quidem ille adducit verba Vlpiani: [d] *Et ait Iulianus, Sex. Pomponium referre, Sabinum reſpondentem, non communicari legatum: et poſſe hanc ſententiam defendi, Iulianus ait*, ex quibus patere putat, Iulianum reſponſum Sabini adducere, et quidem non ex ipſis Sabini libris, quos tamen Iuliano non minus, quam Pomponio, ad manus fuiſſe credibile eſt, ſed fide Sex. Pomponii. Cuius rei quum vix idoneam rationem comminiſci liceat, veroſimillimum eſſe videtur Grotio, a Iuliano laudari Pomponium antiquiorem, qui Sabinum ita reſpondentem audiuerit, ac proinde proximus fuerit temporibus Tiberii. At ego hic nihil omnino video, quod nos de alio Sex. Pomponio, quam de quo iam agimus, cogitare cogat. Neque enim mirum eſt, iureconſultos aequales ſibi inuicem vel dicam ſcribere, vel denunciare teſtimonium, quippe quod a Ivliano [e] et Caio, [f] aliisque ſaepe factum nouimus: neque exemplo caret citatio Sabini alterius fide facta. Nam et Celsvs, [g] Iuliano σύγχρονος, eodem modo ſcribit: Quod et *Sabino recte placuit, vt apud Neratium libro quarto Membranarum ſcriptum eſt:* et Marcianvs: [h] *In municipiis quoque muros eſſe ſanctos, Sabinum recte reſpondiſſe, Caſſius refert.* Denique Papinianvs: [i] *Idque et Sabinum reſpondiſſe, Caſſius retulit.* Reſponſa enim Sabini iam tum videntur fuiſſe rariora, quam vt in omnibus bibliothecis reperirentur, et Ivlianvs, cui fortaſſis nec otium nec occaſio fuit, ipſa Sabini ſcripta euoluendi, ideo Pomponii fide, vti Menagivs cen-

[a] *De Nom. propr. Pand. pag. 92. et 255.*
[b] *Praef. Tomi I. Theſ. iur.*
[c] *De vit. ICtorum Lib. II. Cap. V.*
[d] L. 63. §. 9. D. *pro ſoc.*
[e] L. 59. D. *ſoluto matr.*
[f] L. 43. *ff. ad* L. *Iul. de adult.*
[g] L. 12. *ff. quemadm. ſeru. amitt.*
[h] L. 8. *ff. de rer. diuiſ.*
[i] L. 4. *pr. ff. de ſeruit.*

[*a*] cenſet; vtendum ſibi eſſe credidit, quod iſte ad Sabinum ſcripſiſſet Libros XXXV. eiuſque ſententias, et reſponſa procul dubio ex inſtituto illuſtraſſet. Quemadmodum ergo nemo temere dixerit, Neratium proxime abfuiſſe a Tiberii temporibus, quia Celſus eius fide laudauerit Sabinum: ita nec conſequitur, vt Sex. ille Pomponius, ex quo reſponſum adducit Iulianus, eiuſdem cum Sabino aetatis, vel a noſtro diuerſus fuerit. Iisdem enim fere temporibus floruiſſe Iulianum et Pomponium, ſuo loco demonſtrabimus, vt non opus ſit fluctus in ſimpulo mouere, et cum Bertrando [*b*] legere: *Et ait Sex. Pomponius, Iulianum referre Sabinum reſpondentem*, quae certe non emendatio eſt, ſed vis maior, quam vel verba inſequentia, quippe quae antecedentibus ſic plane non cohaerent, abeſſe manifeſto iubent. Sed tales fere ſunt, quas Bertrandi ingenium parit, emendationes, infauſto omnes ſidere, et irata Lucina in lucem editae, quin aliquando, vbi neruos ingenii intendit, paene monſtroſae, vt neſcias, magisne ingenii infelicitatem, an incredibilem viri illius audaciam, mireris. Sed progredimur ad alterum, quo Grotius vtitur, argumentum. Eodem enim teſte Vlpiano [*c*] *refert Tertullianus, libro quarto quaeſtionum*, Sex. Pomponium *opinatum eſſe, ſuum ex parte dimidia eſſe heredem, ſi mulier vnum in vtero habeat.* Itane vero, inquiet Grotius, Vlpianus locum Pomponii noſtri ex Tertulliani quaeſtionibus exſcripſerit, ac non potius ipſa euoluerit opera Pomponii, aliis locis tam frequenter ab eo laudata? An non credibilius eſt, antiquioris Pomponii hoc eſſe teſtimonium, quod Vlpianus, Tertulliani interpoſita perſona, oblique adduxerit? Enimuero et hoc argumentum paene ficulneum eſt. In Florentino quidem codice non Pomponius, ſed Proponius legitur: at hoc manifeſtum eſt librarii mendum, adeoque procul omni dubio reſcribendum eſt Pomponius. Iam quae crux, quaeſo, parata erat Vlpiano, homini negotioſiſſimo, locum Pomponii ICti πολυγράφου, quem ipſe fortaſſis non obſeruauerat, Tertulliani fide laudanti, quum idem alios ſui ordinis homines ſine vllius reprehenſione factitaſſe animaduerteret? Et quae nos cogit neceſſitas, vt Sex. Pomponium antiquiorem intelligamus? Si enim eius opera tempore Tertulliani ſuperfuerunt, vix veroſimile eſt, illa paullo poſt ita diſparuiſſe in bibliothecis, vt Vlpiani notitiam fugerint. Sin autem ille nihil ſcripſit, et eius reſponſum quoddam ore prolatum laudatur, Tertullianus pro-

[*a*] *Amoen. Iur. Ciu. Cap.* XX. *pag.* 99.
[*b*] *De Iurisprud. Lib. I. Cap. XI.*
[*c*] L. 30. §. 6. *ff. de adquir. vel omitt. her.*

fecto illud non magis, quam Vlpianus, audire potuit, quum Sex. ille Pomponius ex Grotii ſententia proxime a Tiberii abfuerit temporibus, Tertulliani autem aetas, eodem iudice, [a] in Marci Aurelii Antonini, Commodi et Seueri tempora inciderit. Quare nihil certius eſt, quam eundem eſſe illum Sex. Pomponium, a Tertulliano laudatum cum eo, cuius tot fragmenta in pandectarum volumine ſuperſunt, locumque hunc Vlpiani nihil omnino facere ad rem, quam Grotivs inde confici poſſe exiſtimauit. Vlpiano tamen tertio loco iungit Pavllvm, [b] qui itidem illi antiquioris iſtius Pomponii meminiſſe videtur, dum ſcripſit: *Si ſocer a genero heres inſtitutus adierit hereditatem, quandoque mortuo patre, cum herede eius filiam de dote acturam, Nerua et Cato reſponderunt, vt eſt relatum apud* Sex. Pomponivm *Digeſtorum ab Ariſtone Lib. V. Ibidem Ariſtoni conſentit.* Inde enim colligit Grotivs, quod vix alicui in mentem veniſſet, ante Ariſtonem, Plinio [c] iuniori σύγχρονον, vixiſſe Sex. quemdam Pomponivm, cuius Ariſto doctrinas in libros quoſdam digeſſerit, ex iisque digeſtis hanc ſententiam eruiſſe helluonem librorum, Ivlivm Pavllvm. Eam ſane interpretationem maxime neceſſariam putat Grotivs, niſi vel verba manifeſto detorquere, vel ſuſpectam habere codicum omnium fidem velimus. Sed vereor ego, ne verba illa maxime detorqueas, ſi ſuffrageris Grotio. Quum enim addat iureconſultus: *Ibidem* Aristoni *conſentit*: quomodo dici poteſt, Ariſtonem digeſta quaedam conſcripſiſſe ex Sex. Pomponio? Non ſane Pomponius tunc Ariſtoni, ſed Ariſto Pomponio conſenſiſſe dicendus eſſet, et verba illa Pavlli non minus viderentur ridicula, quam ſi quis Trogum Pompeium Iuſtino epitomatori conſenſiſſe adfirmaret. Praeterea aliunde [d] ſatis notum eſt, Sex. Pomponivm ad Ariſtonem quaedam notaſſe, ac proinde probabilius longe videtur, has ipſas Pomponii notas hic laudari ſub titulo *Digeſtorum ab Ariſtone*, vel *ex Ariſtone*, adeoque et hunc locum nihil facere ad antiquiorem illum Pomponium. Negari non poteſt, inconcinnam quodammodo et contortam eſſe citandi formulam, qua vſus eſt Pavllvs, ac proinde nos aliquando ſuſpicatos eſſe, leui facta verborum traiectione legendum eſſe: *Vt eſt relatum apud* Sex. Pomponivm *Digeſtorum Lib. V. ab Ariſtone*, vt illud *Ariſtone* non ad vocabulum *Digeſtorum*, ſed ad verbum *referre* ſit referendum. *Referre* enim *ab aliquo*

quo

[a] *Ibid. Lib. II. Cap.* IX. §. *6.*
[b] L. 44. *ff. ſol. matr.*
[c] *Lib.* I. *Epiſt.* XXIII.
[d] L. 61. *ff. de adm. et per tut. l.* 18. *ff. de donat.*

quo idem eſt, ac alterius verbis, auctoritate vel fide quid referre, quemadmodum eodem ſenſu *nunciare ab aliquo* dixit CICERO: [a] *Nunciatum eſt nobis a M. Varrone, veniſſe eum Roma pridie veſperi.* Sed quis in IVLIO PAVLLO omnia ad viuum reſecet, ſcriptore eius ſaeculi, quo iam pridem peſſum ire coeperat purior Latinitas, et iureconſulti in primis, rebus potius, quam verborum puritati atque elegantiae intenti, quaedam ſecurius et negligentius, quam par erat, ſcribebant? Eleganter vir ampliſſimus, CORN. VAN BYNKERSHOEK, [b] quem Muſis meis amiciſſimum honoris cauſſa nomino: *Quamuis*, inquit, *apud ICtos, fere occupatos in priſcis, iiſque cultis Legum verbis explicandis, eruditio Latina magis ſteterit, quam apud alios quoſuis auctores, vt et alias monere me memini: non potuit tamen non ſaeculi labes aliquando pellucere. Si omnes loquutiones, in quibus illa pellucet, habeamus pro ſpuriis, et inde quoque efficiamus, integrum eſſe locum Triboniani: nae actum eſſet de magna parte veteris iuris prudentiae.* Denique, vt ad Sex. Pomponium antiquiorem reuertamur, quoſdam, vt eum exſtitiſſe credant, quam maxime mouent loca illa, quibus vel ipſe Pomponius noſter alium SEX. POMPONIVM laudat, vel VLPIANVS Sextum Pomponium a Pomponio noſtro diſerte diſtinguit. Nam in fragmento, quod ex *Lib. XII. Var. Lect.* in Pandectas retulit Tribonianus, [c] ſub finem legimus: *Vt refert* SEX. POMPONIVS. Et VLPIANVS: [d] *Quod verum eſſe, inquit, tam* SEXTVS, *quam* POMPONIVS *putant.* Quum vero inſolentius ſit, et auctorem ſibi ipſi, expreſſo integro nomine, denunciare teſtimonium, et diuulſis praenomine ac nomine, ex vno homine duas fingere perſonas: nihil aliud dici poſſe exiſtimant, quam duos fuiſſe Pomponios, quorum vnus ab altero citetur, et vterque ab Vlpiano cum cura diſcernatur. Sed ad priorem locum quod attinet, primo omnium monere viſum eſt, verba illa: *Libro duodecimo ex variis lectionibus* non reperiri in Pandectis Florentinis, ſed legi illi praemiſſam eſſe inſcriptionem POMPONIVS non expreſſo libro, vnde illa deſumta ſit. Quod quum ſatis inſolens ſit: non dubitarim ego accedere ſententiae BERN. HENR. REINOLDI, [e] vocabulum illud ex margine in textum migraſſe exiſtimantis. Quo poſito, veroſimile eſt, fragmentum illud non eſſe a Pomponii, ſed a Iuliani manu, et hunc illam de Parthenio hiſtoriam referre ex SEX. POMPONIO. De VLPIANI

[a] *Acad. Quaeſt. Lib. I. cap. I.*
[b] *Obſeru. Lib.* VIII *cap. XV. pag.* 507.
[c] *l.* 41. *ff. de hered. inſt.*
[d] *l.* 32. *pr. ff. de legat.* 1.
[e] *Orat. de Sex. Pompon.*

loco agere prolixius, vix operae pretium eſſe videtur. Quis enim patrem et filium laudaturus tam inepte loqueretur, vt alterum Sextum vocet, alterum Pomponium, quum vtrique et Sexti praenomen, et Pomponii nomen commune fuiſſe dicatur? Fuit hoc in Belgio ſingulare MATTHAEORVM fatum, vt iuris prudentiae decus iure veluti hereditario poſſiderent, et ii maxime paternam auitamque laudem tuerentur, quibus ANTONII praenomen obtigerat, ob eamque cauſſam vnus ex ea familia ſeſe ANTONIVM, A. F. A. N. A. P.. A. A. MATTHAEI ſcribere conſueuiſſe dicatur. Iam ſcire profecto velim, an non is ludibrium debere videretur mortalibus; qui conſentientes quoſdam ex ea familia laudaturus, hanc ſententiam tam ANTONIO quam MATTHAEIS probatam eſſe, diceret? Quod vero noſtro tempore non diceret dupondius, quin riſu a dupondiis exciperetur, id an VLPIANO exprobrabimus, viro doctiſſimo, et cui deeſſe non poterant verba, quibus patrem et filium vel duos alios eiusdem nominis, diſtingueret? Sed quid opus eſt verbis, quum et alibi VLPIANVS [a] Sextum quemdam iureconſultum laudet? Et quis, quaeſo, credere nos cogeret, eo poſito praenomine, ſemper Pomponium eſſe intelligendum, ac non potius alium, cui hoc praenomen pro nomine fuerit, quemadmodum ex ipſis ICtis alium *Caium*, alium *Sempronium* dictum eſſe nouimus? Sed veremur, ne cui prodigi verborum videamur, dum refellimus coniecturam parum probabilem, et incertum eſſe oſtendimus, quod nullo ſatis idoneo argumento nititur, puta, Sex. Pomponium noſtrum vſum eſſe patre eiuſdem nominis, eumque ipſum etiam intra veterum ICtorum numerum fuiſſe. Sit ergo ille ἀγενεαλόγητος, vti plerique alii eiuſdem ordinis viri doctiſſimi, quandoquidem vel haec laus non minima videtur, laudem non parentibus, ſed virtuti atque ingenio, debere, iiſque praeſidiis maioribus non minus, quam poſteris, propriam illam, ac perpetuam nobilitatem, quae cum immortali gloria coniuncta eſt, comparare.

Quod ad aetatem, qua POMPONII noſtri illuxit ingenium, attinet, ſaepenumero mirari ſoleo, qui fieri potuerit, vt de ea in diuerſa irent viri docti, quum tot huius iureconſulti fragmenta ſuperſint, quae temporis, quo ſcripta ſunt, indicia praebent luculentiſſima. Sed pleroſque in tranſuerſum rapuit locus LAMPRIDII, [b] qui numerum inituros iureconſultorum, ſub Alexandro Seuero Imp. viuentium, diſerte etiam

[a] *l. 1., §. 27. ff. de SC. Silan.*
[b] *Alex. Seu. cap. XLVIII.*

etiam meminit SEX. POMPONII, eumque non minus, ac reliquos, quorum longum recenſum inſtituerat, *iuris profeſſorem, et diſcipulum ſplendidiſſimi Papiniani, et Alexandri imperatoris familiarem et ſocium* fuiſſe, ſcribit. Hunc enim ducem ſequuti plerique ne dubitarunt quidem, quin ſub Alexandro floruerit Pomponius, adeoque Vlpiano et Paullo et aequalis fuerit et condiſcipulus. Ita ſane rationes ſubduxerunt, qui ex inſtituto veterum ICtorum ſcripſerunt hiſtoriam, veluti BERN. RVTILIVS, [*a*] et IO. BERTRANDVS, [*b*] qui quamuis ipſe fateatur, locum LAMPRIDII in mendo cubare, et nomina pleraque, quae ibi recenſentur, non exſtare in codice Regio: eum tamen nihilominus inter Alexandri familiares et conſiliarios recte referri, ex alia ratione, de qua paullo poſt diſpiciemus, colligit. Sed nihil ſani ineſſe illi LAMPRIDII loco, facile intellexiſſent viri illi docti, ſi mens non laeua fuiſſet. Quis enim non ſtatim olfaceret inſcitiam interpolatoris, qui ICtis Alexandro συγχρόνοις Alfenum Varum, Proculum, Maecianum, Celſum adnumerare non dubitauit? Scilicet omnia, quae de his aliisque Alexandri familiaribus refert LAMPRIDIVS, ab aliena manu ſunt, vti luculenter oſtendit SALMASIVS, [*c*] et adſuta a ſciolo quodam, qui omnes iuriſperitos, quorum fragmenta in Pandectas relata ſunt, vna eademque aetate ſub Alexandro vixiſſe exiſtimauit. Itaque aliis opus eſt praeſidiis ad veram POMPONII aetatem eruendam, quae iam paucis expendemus. Iuliano illum aetate non fuiſſe multo anteriorem, vel id argumento eſt, quod non modo illum aliquoties laudat, ſed et in enchiridio ſuo illum vltimo loco memorat. Inde tamen, quod non vlterius produxit hanc prudentum ſucceſſionem, plane non conſequitur, vt illum demum poſt Iuliani exceſſum floruiſſe cenſeamus. Quod enim pro certo adfirmat BERTRANDVS, Pomponium eo libello iſtorum tantum, qui iam vita exceſſerant, mentionem facere voluiſſe, viuentium nominibus verecunda quadam modeſtia omiſſis, id quo argumento ille compertum habuerit, vix excogitare poſſum, quum contra demonſtratu facillimum ſit, POMPONIVM non modo vidiſſe Iulianum, ſed et eo viuo iam ad maximam iuris peritiae laudem perueniſſe, quippe ab ipſo Iuliano, vt ſupra vidimus, aliquoties laudatum. Itaque eadem aetate vixiſſe Iulianum et Pomponium, inde manifeſtum eſt.

[*a*] *Vit. ICt. cap.* LXXIIII.
[*b*] *De Iuriſper. Lib.* I. *cap.* XI.
[*c*] *Ad Hiſt. Aug. pag.* 242.

eſt, quod alter ex alterius operibus, quaedam referat. Vtrumque vero Titi Antonini vidiſſe imperium, multo minus quiſquam negauerit, quia Iulianus huius imp. reſcriptum laudat [*a*], Pomponius vero Hadrianum aliquando *Diuum* vocat, [*b*] quod elogium non niſi iis, qui iam rebus humanis exceſſerant, attribui ſolebat. At vterque etiam Diuorum fratrum attigit imperium. Nam quemadmodum hi Principes Iulianum vocant *amicum ſuum*, [*c*] id eſt σύνεδρον καὶ σύμβουλον: ita POMPONIVS [*d*], dum DIVI ANTONINI laudat conſtitutionem, non obſcure innuit, ſe ſuperſtitem fuiſſe illi imperatori, et Marci et Lucii imperatorum vidiſſe imperium. Ex his vero ſatis patet, male inire rationes, qui Pomponium Alexandri Seueri temporibus floruiſſe contendunt, quum ſaltim ineunte diuorum Fratrum imperio inter praeſtantiſſimos aeui ſui iureconſultos fuerit, et non ſolum de iure reſponderit, ſed et multa reliquerit ingenii monimenta. Iam ſi tum annos vel triginta habuit, eum, Alexandro auſpicante imperium, nonaginta et quatuor annorum aetatem attigiſſe oporteret. Quis vero crederet, capularem huiuſmodi ſenem vel inter Alexandri amicos, vel inter Papiniani diſcipulos fuiſſe?

Et tamen hoc non modo credidit BERTRANDVS, ſed et, quod maxime mireris, cum aetatem POMPONII, tum annum, quo in lucem prodierit, incredibili ingenii acumine indicauit. Pro certo enim adfirmat, eum in lucem editum eſſe Torquato III. et Iuliano Coſſ. id eſt, anno v. c. DCCCC. annum vero eius octauum ſeptuageſimum incidiſſe in annum quartum Alexandri imperatoris. Hariolari profecto diceres bonum BERTRANDVM, niſi aliunde conſtaret, quo fundamento innitatur illa temporum computatio. Eum enim ad extremam perueniſſe ſenectutem, colligit ex fragmento Libri VII. Epiſtolarum [*e*], vbi neſcio quis, profitetur, *ſe diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octauum et ſeptuageſimum annum aetatis duxerit, memorem eſſe eius ſententiae, qui dixiſſe fertur*, κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. *Etſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere.* Haec verba POMPONII eſſe exiſtimauit BERTRANDVS, quumque, illum imperante Alexandro floruiſſe, ſemel ſibi perſuaſerit: a quarto huius anno retro numerauit annos LXXVIII. et ſic incidiſſe ſibi viſus eſt in conſulatum tertium Torquati et Iuliani, id eſt annum v.

[*a*] *l. 18. D. de her. petit.*
[*b*] *l. 22. pr. D. de vſu et habit.*
[*c*] *l. 17. D. de iure patron.*
[*d*] *l. 14. D. de pollicitat.*
[*e*] *l. 20. D. de fideicomm. libert.*

C. DCCCC. Sed primum, ea annos numerandi ratio manifeſto petit id, quod eſt in principio, et ſumit pro certo, quod probandum erat, puta Pomponium ſub Alexandro Seuero floruiſſe. Deinde ſibi non conſtat BERTRANDVS, verba illa hic attribuens Pomponio, quum ipſe alibi [*a*] cum BERN. RVTILIO [*b*], EM. MERILLIO [*c*], et AEGID. MENAGIO [*d*] ea a Saluio Iuliano profecta eſſe cenſuiſſet. Tum porro vix patet, quomodo a Iuliano laudari potuerint eius ſcripta, qui anno demum V. C. DCCCC. in lucem editus ſit, quum ille non niſi primos diuorum fratrum annos, quibus Pomponius ex Bertrandi rationibus adhuc impubes erat, attigiſſe videatur. Sed res ipſa docet, et iam pridem ab ANT. AVGVSTINO [*e*] obſeruatum eſt, nec Iuliani eſſe haec verba, nec Pomponii, ſed eius, qui tum Pomponium conſuluerat, adeoque de neutrius aetate ex illo loco certi quid ſtatui poſſe. Sed vix me operae pretium facturum putarem, ſi coniectandis his Bertrandi ſomniis plus temporis impenderem, quum vel ex his paucis, quae diximus, ſatis adpareat, Pomponium Iuliano aliquot fortaſſe annis natu minorem, maximam tamen vitae partem eo viuente exegiſſe, ac proinde potiſſimum ſub Hadriano, Antonino Pio Diuisque fratribus claruiſſe. Marci ſaltim Antonini, cui tam multa debet iurisprudentia, ne ſemel quidem meminit, multoque minus Commodi vel Seueri, idque argumento eſſe putamus luculentiſſimo, illum ad haec tempora vitam non produxiſſe. Accedit, quod Pomponius non alios recentiores iureconſultos laudat, quam CELSVM, IAVOLENVM, IVLIANVM, NERATIVM PRISCVM, ABVRNIVM VALENTEM, et CAIVM, qui omnes ſub Traiano, Hadriano et Antonino Pio vixerunt. Semel in fragmento quodam, eius nomen praeferente, memoratur VLPIVS MARCELLVS, [*f*] qui ſub Pio et Commodo potiſſimum belli pacisque artibus claruit. At recte notauit ANT. AVGVSTINVS [*g*] *non eſſe haec verba Pomponii, ſed Triboniani, notam Marcelli ad Pomponium referentis.* Contra ipſe Pomponius laudatur a CERVIDIO SCAEVOLA, [*h*] quem M Antonino a conſiliis fuiſſe refert IVL. CAPITOLINVS [*i*]; ac deinde ab inſequentibus iureconſultis plerisque, vt non ſit dubitandum, quin iis ipſis vixerit temporibus, quae paullo ante indicauimus, iique miri-

[*a*] *Lib.* I. *cap.* I. *pag.* 33.
[*b*] *Vit. ICt. cap.* LXVI.
[*c*] *Obſ. Lib.* III. *cap. XIX.*
[*d*] *Amoen. iur. ciu. cap. XXIIII. pag*
[*e*] *Emendat. Lib. I. cap. VIII.*
[*f*] *l.* 10. *D. de caſtr. pecul.*
[*g*] *de Nom. propr. Pand. pag.* 121.
[*h*] *l.* 9. *D. de negot. geſt.*
[*i*] *in Marco Ant. cap. XI.*

ſice perturbent tempora, qui eum inter Papiniani diſcipulos et Alexandri amicos atque adminiſtros fuiſſe contendunt.

Sed proximum eſt, vt et de ſtudiis Sex. Pomponii, et ſecta, cui ſeſe addixerat, quaedam adiiciamus. Eſt ſane iurisprudentia ex earum ſcientiarum numero, quae praeſidia quamplurima requirunt, ſi quis in iis operae pretium facere velit. Penetrandum eſt iureconſulto in verborum originem et notionem, eoque conſilio cum Latina lingua Graeca potiſſimum doctrina ſine qua illa paene effoeta ac ſterilis videtur, coniungenda: Eundum deinde per omnis aeui annales, et Romanae potiſſimum reipublicae facies animo concipienda, quandoquidem fieri non poteſt, vt quis eius ciuitatis leges earumque rationes ſatis perſpectas habeat, cuius finem formamque ſibi non reddiderit familiarem. Ad hanc omnis antiquitatis cognitionem accedere oportet earum diſciplinarum ſtudium, quae et res quaslibet definire, et in ſua genera partiri, et verum a falſo, certum a veroſimili, virtutem non modo a vitiis, verum etiam a virtutum ſimulacris, iuſtum ab iniuſto, aequum ab iniquo, id denique, quod vere e republica eſt, ab eo, quod ſpecie fallit, accurate diſcernere docent. Haec ſane ita cadunt in iuriſperitum, vt ſi abſint, ille iurisperitus eſſe deſinat, et nomen hoc in ſe praeclarum ac venerabile non ſine dedecore ferat. Itaque non vagabimur extra oleas, ſi quos profectus in his ſtudiis fecerit Pomponivs, diligentius diſpiciemus. Quemadmodum enim, qui in diffractam aliquam et ſuis membris mutilatam ſtatuam incidunt, quamuis ex totius operis contemplatione illius pulcritudinem multo facilius eſſent perſpecturi, tamen et ex partibus, quibus tempus pepercit, de totius ſimulacri praeſtantia non infeliciter iudicant: ita et nobis, quibus per fatorum iniquitatem non niſi particulae quaedam ac fragmenta operum Pomponii ſuperſunt, vel ex iis de eius ingenio et doctrina iudicare, et, quod in prouerbio eſt, ex vngue leonem aeſtimare licebit. Et primo quidem in fragmentis illis omnibus, quae in diffuſum Pandectarum opus retulit Tribonianvs, non quidem adfectatam illam verborum elegantiam et venuſtatem, qua alii eius aeui ſcriptores orationem tamquam fuco illinunt, ſed tanto maiorem vbique puritatem perſpicuitatemque deprehendimus, virtutes profecto orationis praeſtantiores, quam vulgus ſibi perſuadet, cui nulla oratio ſatis videtur elegans, niſi quae veluti calamiſtris intorta mera vnguenta redoleat. Quanto prudentior itaque Pomponivs, qui quum non ſcribendis declamationibus, ſed operibus iuridicis, et reipublicae profuturis, animum adpuliſſet, ab illis lenociniis plane abſtinuit, orationemque adhibuit puram,

eique

eique omnem quidem ornatum detraxit, ſed ſatis tamen diligenter cauit, ne illa vel ex ſaeculi labe quidquam trahat vel ſtribiligine ſua lectores auertat atque abſterreat. Equidem LAVR. VALLA, [a] qui nihil facit libentius, quam vt ferulam expediat aduerſus veteres iureconſultos, quaedam et in POMPONIO reprehendit, veluti, quod *peculium* dixerit, *quod dominus ſepararit in ſubſtantia ſeruo, ſuum a ſerui ratione diſcernens* [b]: quum bonis auctoribus omne, quod labore cuiuſcumque partum eſt, peculium vocetur: quod ferruminationem eadem materia fieri dicat, ex qua res conſtant: [c] quod dixerit *quot menſibus* pro in ſingulos menſes: *quot diebus*, pro quotidie [d]. Sed ea omnia ſana ſunt, magisque reprehendendus VALLA, qui vocabulis his dicam ſcribere non dubitauit. Quis enim iureconſultum cogeret, damnata notione vocabuli *peculii*, quo praetor, et poſt eum ICti omnes vſi ſunt, peculium definire, quod cuiusque labore partum eſt? An ignorare potuit vir doctus, plerisque vocabulis aliam notionem ſubiicere non modo iureconſultos, ſed et alios omnes doctores et artifices, quam qua Latini ſcriptores vtuntur? Vbi porro ferruminationem eadem materia, ex qua res conſtat, fieri dixit POMPONIVS? Quod vero diſtinguit ferruminationem et plumbaturam, non magis mirum eſt, quam ferrum et plumbum diſtingui, quamuis haec vocabula non tam materia, quam effectu, differre ſatis ſciuerit. [e] At neſcio an turpius ſe traducere potuerit VALLA, quam dum *quot menſibus* et *quot diebus* barbarum putat, quum et CATO [f], VARRO [g] ac VITRVVIVS [h] dixerint *quot menſibus*, vel quotquot menſibus pro ſingulis menſibus, et APVLEIVS [i] *quot dies* pro quotidie, et PLAVTVS [k] *quot Calendis* pro ſingulis calendis, ceu obſeruauit anonymus veterum ICtorum defenſor, editus a v. c. CAR. ANDR. DVCKERO [l]. Adeo LAVRENTIVS VALLA, qui in omnibus reperit, quod reprehendat, emiſſitiis illis oculis ſuis nihil reperire potuit, quod iure damnaret in POMPONIO, idque argumentum ſatis magnum eſſe puto caſtae puriſſimaeque Latinitatis.

V. C. CAR. ANDR. DVCKERVS cum ceteris ſcriptoribus, qui de Latini-

L 2

[a] *Eleg. Lib. VI. cap.* XXXX.
[b] *l.* 4. *pr. D. de pecul.*
[c] *l.* 27. *pr. D. de adqui rer. dom. Valla ibid. cap.* LVIII.
[d] *l.* 12. §. 6. *D. quando dies leg. Varro ibid. cap.* LX.
[e] *Ducker. de Latin. vet. ICt. pag.* 242.
[f] *de re ruſt. cap.* XXXXIII.
[g] *de Lingua Lat. Lib.* IIII.
[h] *Lib.* VIIII. *Architect. cap.* IIII. *et Lib. X. cap. VII.*
[i] Lib. *XI. Metam. pag.* 267.
[k] *Stich. Act. I. Scen. II. v.* 3.
[l] *de Latin. ICt. pag.* 257.

tinitate veterum iureconſultorum ex inſtituto diſputarunt, edidit etiam non inelegans opuſculum ſiue IAC. CAPELLI, ſiue alterius viri docti, quem ipſe DEFENSOREM vocat, qui quum initio vindicias aduerſus LAVR. VALLAE et FLORIDI SABINI criminationes paraſſet, et, quidquid in veterum iureconſultorum oratione illi reprehenderant, acriter defendere ſtuduiſſet: ipſe tamen poſtea [a] ingenue fatetur, *multa in pandectis reperiri non ſatis probatae Latinitatis, quaedam durius conſtructa, pleraque inſolita, neque ab aliis auctoribus vſurpata, quae neque a* VALLA, *vtpote in Digeſtorum lectione non ſatis verſato, omnia potuerint obſeruari, et in vnum colligi, nec a ſe, qui ea diutina lectione collegerit, praetermitti debuerint.* Hinc functus defenſoris prouincia, illico cenſoris perſonam induit, et longum eorum verborum loquutionumque texit catalogum, quae in ICtorum fragmentis ſaeculi labem redolere, et a caſta illa melioris aeui auctorum Latinitate aliena eſſe videantur. Id dum agit, etiam POMPONIVM aliquoties, ſed rarius tamen, reum facit temeratae purioris orationis, et quoſdam veluti naeuos in caſtiſſimo ſcriptore notat, qui ipſius LAVR. VALLAE induſtriam fugerint. Sic illum [b] PENVM in neutro genere non ex grammaticorum regulis, neque ex vſu communi dixiſſe, obſeruat. [c] Alibi [d] haut ferendum putat, quod *latitare patronum*, actiua ſignificatione pro neutra dixerit [e]. Paucis interiectis [f], eum *accederat* pro *acceſſerat*, ſcripſiſſe refert [g], et *peculiaria cauſſa* pro peculiari [h], quam vtramque formam, veteris Latii ſcriptoribus inuſitatam, ſoloeciſmum ſapere exiſtimat. Non magis denique probat [i] *lanipendiam*, quam pro lanifice, ſeu muliere, quae lanificibus penſa diuidit, dixerit POMPONIVS; [k] alia enim, quae obelo notanda exiſtimarit, in illo defenſoris libello nondum deprehendi, quemadmodum nec alibi me quidquam huiusmodi obſeruare memini. At haec pauca quoque ita comparata eſſe, vt vel in optimis auctoribus reperiant praeſidium, vel ſaltim analogiae non refragentur, ea, qua ſolet, cura ac diligentia demonſtrauit laudatus DVCKERVS. Cur vero POMPONIO minus licuerit *omne penum* dicere, quam PLAVTO: [l] *Dicam, vt ſibi aliud penum ornet?* Latitare cum datiuo conſtruxit PLAVTVS, [m] quemadmodum CICERO [n] *latere* eidem

[a] pag. 317.
[b] l. 2. D. de tritic. ol.
[c] pag. 361.
[d] pag. 365.
[e] l. 8. D. de cond. et dem.
[f] p. 362. 372.
[g] l. vit. D. de adquir. her.
[h] l. 4. §. pen. ff. de pecul.
[i] pag. 407.
[k] l. 31. pr. D. de don. inter vir. et vxor.
[l] Capt. Act. IIII. ſcen. IIII. v. 12.
[m] Trinum. Act. IIII. ſcen. II. v. 81.
[n] Poſt red. in ſenat. cap. VI.

eidem caſui iunxit: at accuſatiuum non minus frequenter hoc verbum regit apud VIRGILIVM [a], OVIDIVM [b], PLINIVM [c], IVSTINVM [d], apud quos ſi piaculo caret haec conſtructio, neſcio ſane cur ferenda non videatur in POMPONIO. Mirari etiam ſubit, cur in POMPONIO σόλοικον iudicetur verbum neutrum, actiue poſitum, quum talia tamquam in primis elegantia enotari ſoleant, veluti illa TERENTII [e]: *Iamne erumpere mihi licet hoc gaudium?* vel VIRGILII [f]:

- - - Et ruit atram.
Ad coelum nubem.

et alia huius generis, quae iam PHIL. PAREVS [g] plena manu dedit. *Accederat* non ſolus dixit POMPONIVS, ſed et alii veteres. Nam eadem forma et VARRONI [h] *diſcedimus* eſt idem, ac *diſceſſimus*, vbi praeclara ſunt, quae notat IOS. SCALIGER. Quin ſi quid inſolentius ei flexioni ineſt, id ne POMPONIO quidem tribuendum eſſe videtur, ſed T. ARISTONI, cuius ille teſtimonium et verba ibi adducit, ceu recte obſeruat laudatiſſimus DVCKERVS [i]. *Peculiaria cauſſa* rarius eſt, nec tamen ſine exemplo; quippe quo et VLPIANVS vſus eſt, [k] ſi vtrobique recte ſe habet lectio Florentina. Et ſane plura huiuſmodi adiectiua notauit V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK [l], quae duplicem habebant terminationem, in ARIS et ARIVS, veluti *intercalaris* et *intercalarius*, *ſingularis* et *ſingularius*, *pupillaris* et *pupillarius*, quibus DVCKERVS [m] addit *articularis* et *articularius*, *vulgaris* et *vulgarius*, quibus et boni auctores, veluti VARRO, PLINIVS, et GELLIVS, vtantur. Denique et LANIPENDIAM vel LANIPENDAM in gloſſis pro σαθμοῦχος γυνὴ τῇ τὸν σαθμὸν παρεχούσῃ ταῖς ἄλλαις vſurpari, iam obſeruarat CVIACIVS [n]. Idem vero vocabulum et apud IVVENALIS ſcholiaſten, et in vetuſtis marmoribus apud REINESIVM [o], et SPONIVM [p] occurrere DVCKERVS [q] docet: et in ſe ita comparatum eſt hoc vocabu-

[a] *Aen. Lib. I. v. 130.*
[b] *Lib. V. Faſt. v. 361.*
[c] *Hiſt. Nat. Lib. II. cap. XX.*
[d] *Lib. XXXI. cap. II.*
[e] *Eunuch. Act. V. Scen. III. v. 2.*
[f] *Georg. Lib. II.*
[g] *Lex. Crit. p. 172.*
[h] *De re ruſt. Lib. I. cap. vlt.*
[i] *pag. 367.*
[k] *l. 4. §. vlt. ff. de dol. mal. et met. except.*
[l] *Obſ. Lib. I. cap. XXV.*
[m] *pag. 342.*
[n] *Obſ. Lib. VIII. cap. XXX.*
[o] *Inſcr. Claſſ. XI. 38.*
[p] *Miſcell. Sect. VI. p. 223.*
[q] *p. 407.*

cabulum; vt analogiae non magis repugnet, quam lanifica. Sed ea eſt iureconſultorum conditio, vt eorum ars non modo in rebus ſublimibus et praeſtantioribus, verum etiam in viliſſimis diiudicandis verſetur, et non modo in palatiis, curiis et ſenaculis, ſed et in caſis et tuguriolis quaeſtiones de iure ſpinoſiſſimae naſcantur. In his enodandis dum verſatur iureconſultus, non ei profecto ſemper licet eſſe tam eleganti, vt non niſi lectiſſima vocabula adhibeat, ſed ſaepe loquendum eſt cum faece hominum, quae et huiuſmodi rebus fere ſola occupatur, et iis nomina imponit ſuo arbitrio, mox vſu ita probanda, vt et doctis ita loquendum ſit, ſi intelligi ab aliis velint. Idem ergo ſaepe contigiſſe videtur iureconſultis Romanis, vt a vulgo conſulti, de rebus vulgaribus cum vulgo loquerentur, quamuis loqui potuiſſent elegantius, ſi non tamquam iureconſulti ſcripſiſſent.

At plura fortaſſis, quam opus erat, de Latinitate Pomponii diximus. Eum vero nec Graecae expertem elegantiae fuiſſe, facile vnuſquisque credet, qui eam linguam eruditis omnibus tunc veluti vernaculam fuiſſe, non ignorat. A primis vnguiculis non minus operae huic linguae addiſcendae impendebant adoleſcentes Romani, quam noſtri Latinae, eoque res redierat, vt ne mulier quidem vlla ſatis elegans atque vrbana videretur, niſi cum lingua vernacula Graecam ita coniunxiſſet, vt par eſſet in vtriusque cognitione. Hanc Graecam eruditionem tam intempeſtiue adfectabant mulierculae, vt ſplenem mouerent Ivvenali [a], iſque has Graeciſſantes hoc ſale perfricare non dubitaret.

Nam quid rancidius, quam quod ſe non putat vlla
Formoſam, niſi quae de Tuſca Graecula facta eſt;
De Sulmonenſi mera Cecropis? Omnia Graece,
Quum ſit turpe magis noſtris, neſcire Latine:
Hoc ſermone pauent, hoc iram, gaudia, curas;
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta, quid vltra?
Concumbunt Graece.

Iam quod vel mulier, lanipendia, vt cum Pomponio noſtro loquar, ignorare ſe ſine turpitudine non poſſe exiſtimabat, an id neglexiſſe putas viros doctos? Et quum iureconſulti tantum non omnes hac Grae-

[a] *Satyr. VI. v. 184.*

Graecae linguae cognitione excelluerint: an ſolum POMPONIVM eius ignarum fuiſſe credibile eſt? Non quidem ex eorum numero fuit, qui vix periodum, quam in chartam coniiciunt, ſatis elegantem ſatisque eruditam putant, niſi eam Graeco aliquo vel vocabulo, vel apophthegmate, vel denique dicto quodam aut verſiculo ex philoſophorum vel poetarum ſcriptis depromto, tamquam emblemate, diſtinguant. Sed ab hac ſcribendi ratione quam maxime abhorrent, quibus caſta et pudica placet oratio, et vt quiſque eſt Graece doctior, ita ab illa linguarum commixtione quam maxime abhorret, niſi certae quaedam ac idoneae rationes, quas nos alibi reddere meminimus; [*a*] Graecae alicuius vocis vel ſententiae vſum commendent. Parcius ergo Graeca iactat POMPONIVS, ſed ita, vt ſe in illa lingua ſatis eruditum praeſtet. Vt pauca adferamus exempla THEOPHRASTVM eum legiſſe, qui ab orationis Graecae praeſtantia id nomen conſequutus eſt, ex eo patet, quod inde petit ſententiam de prudentia legiſlatoria [*b*], doceatque, iura conſtitui oportere in his, quae ἐπὶ τὸ πλεῖστον, non quae ἐκ παραλόγου. Alibi *incolam* et *aduenam* eodem modo differre oſtendit apud Latinos, ac apud Graecos πάροικον καὶ ἄποικον. Vt iam non repetam illam veteris cuiusdam ſapientis ſententiam, qui ſe vel altero pede in tumulo conſtitutum addiſcere aliquid cupere dixit. Eam enim nec Pomponii, nec Iuliani, ſed conſultoris eſſe iam ſupra oſtendimus. Enimuero illud vtriusque linguae accuratius excultae argumentum eſt luculentiſſimum, quod in operibus ſuis non modo ipſe puritatem perſpicuitatemque ſummo ſtudio ſectatus eſt, ſed et verborum notiones, quibus ICti vtuntur, accurate et ſubtiliter explicauit. Sic ſatis diligenter alicubi exponit ſignificationem vocabulorum *bos*, *nuptam eſſe*, *edere* et *reddere rationes*; [*c*] *veniſſe ad heredes*, [*d*] familia *vrbana* et *ruſtica*, *pernoctare* [*e*], *peruenire ad aliquem* [*f*], *facere* [*g*], *tugurium* [*h*], *pertinere* [*i*], *pupillus*, *ſeruus*, *incola*, *munus publicum*, *aduena*, *decuriones*, *vrbs*, *oppidum*, *territorium*, *ſuum* [*k*], *pars aedium* [*l*], *exhibere*, *reſtituere* [*m*], et alia huius generis quam plurima, vbi ſane POMPONIVM vbique et ſingulare acumen et interiorem linguarum cognitio-

[*a*] *Stili cult. fundam. Part. I. cap. II. §. VIII.*

[*b*] *l. 3. ff. de legib.*

[*c*] *l. 89. ff. de verb. ſign.*

[*d*] *l. 165. eod.*

[*e*] *l. 166. eod.*

[*f*] *l. 171. ff. eod.*

[*g*] *l. 175. eod.*

[*h*] *l. 180. eod.*

[*i*] *l. 181. eod.*

[*k*] *l. 239. eod.*

[*l*] *l. 245. eod.*

[*m*] *l. 246. eod.*

tionem oſtendiſſe, obſeruant ALCIATVS, FORNERIVS, GOEDDEVS, et quicumque titulum illum inſignem de verborum ſignificationibus commentariis luculentiſſimis illuſtrarunt. Nec mirum eſt, ad eam linguae vernaculae facultatem perueniſſe iureconſultum praeſtantiſſimum, quem melioris aetatis ſcriptores Latinos diurna nocturnaque verſaſſe manu, vel ex eo patet, quod ENNIVM [a] poetam et CICERONEM [b] et ex iureconſultis, qui liberam remp. et Auguſti viderant imperium, P. MVTIVM [c], SER. Q. MVTIVM [d], SVLPITIVM [e], OFILIVM [f], TREBATIVM TESTAM [g], ALFENVM VARVM [h], LABEONEM [i] frequenter teſtes citat, et in ipſo Enchiridio, quod de origine iuris omniumque magiſtratuum ac ſucceſſione Principum ſcripſit, ſeſe et in hiſtoria, et in ipſis eorum operibus, quae tum adhuc exſtabant, verſatiſſimum fuiſſe, oſtendit.

Elegantioris litteraturae pars haut poſtrema eſt hiſtoriarum atque antiquitatis ſtudium, quod mira diligentia percoluiſſe POMPONIVM, multis argumentis conſtat. Sic ex interiore iuris antiqui pontificii diſciplina depromit rationem poenae in eos, qui muros violauerint, ſtatutae. *Ciues enim Romanos*, inquit, *alia quam per portas, egredi non licet, quum id hoſtile et abominandum ſit. Nam et Romuli frater, Remus, occiſus traditur ob id, quod murum tranſcendere voluerit* [k]. Et Remi quidem fata in vulgus nota ſunt. Quod vero abominandum eſſe ait, ciuem Romanum alia, quam per portas, egredi, id lucem capit ex PLVTARCHO [l], qui eos demum, quos peregre mortuos fama nunciaſſet, non per portas, ſed per tectum vel impluuium in domum admiſſos, refert. Οὐδὲν οὖν, inquit, *θαυμαστὸν εἰ καὶ Ῥωμαῖοι τότε δοκοῦσιν ἅπαξ τεθάφθαι καὶ γεγονέναι τῆς τῶν φθιτῶν μερίδος, οὐκ ᾤοντο δεῖν παριέναι τὴν αὔλιον, ᾗ θύσοντες ἐξίασι, καὶ θύσαντες εἰσίασιν, ἀλλὰ ἄνωθεν ἐκέλευον εἰς τὰ ὕπαιθρα καταβαίνειν ἐκ τοῦ περιέχοντος. Non itaque mirum eſt, ſi Romani quoque eos, quos ſemel ſepultos ac rebus humanis exemtos eſſe, fuerat creditum, exiſtimauerunt, non debere per oſtium ingredi, per quod ſacrificatum exitur, ac ſacrificatu reditur,* ſed

[a] *l.* 2. §. 38. *ff. de orig. iur.*
[b] *l.* 2. §. 40. *ff. eod.*
[c] *l.* 17. *ff. de legation.*
[d] *l.* 7. *ff. de ſeru. praed. vrb.*
[e] *l.* 40. *ff. naut. caup. ſtab.*
[f] *l.* 18. §. 1. *ff. ſol. matr.*
[g] *l.* 5. *ff. de condit.*
[h] *l.* 18. §. 1. *ff. de contr. emt.*
[i] *l.* 24. *ff. de ſeru. praed. ruſt.*
[k] *l.* 11. *ff. de rer. diuiſ.*
[l] *Quaeſt. Rom.* 264.

ſed eum deorſum ex aëre voluerunt in atrium ſub dio poſitum demitti. Quemadmodum ergo Romani, qua erant ſuperſtitione, abominabantur omnes, per oſtium ingredientes, quibus tamquam mortuis iuſta facta fuerant: ita non minus triſte putabant, ciuem viuum et vegetum per muros et tecta ingredi aedes, vel in ipſam vrbem moenibus ſaltu transmiſſis, irruere. Non ſolum autem abominandum, ſed et *hoſtile* videbatur, ciuem muros tranſcendere, quod quaſi viam oſtendiſſet hoſtibus, qua in vrbem irrumperent. Vnde eamdem occiſi a Romulo fratris rationem reddit PLVTARCHVS [a]: Οὕτω γὰρ δοκεῖ καὶ Ῥώμυλος ἀποκτεῖναι τὸν ἀδελφὸν, ὡς ἄβατον καὶ ἱερὸν τόπον ἐπιχειροῦντα διαπηδᾶν καὶ ποιεῖν ὑπέρβατον καὶ βέβηλον. *Et videtur Romulus quoque fratrem propterea interfeciſſe, quod ſacrum locum et inacceſſum transſilire adgreſſus*, TRANSSCENDENDVM *profanumque reddidiſſet.* Eiusdem generis ſunt, quae alibi notauit ad Q. Mucium [b]: *Quum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt religioſa vel ſacra eſſe: ſicut homines liberi in ſeruitutem perueniunt. Quod ſi ab hac calamitate fuerint liberata, quaſi poſtliminio reuerſa, priſtino ſtatui reſtituuntur.* Sane et haec ad diſciplinam pontificum et veterem de ſacris opinionem pertinent, et inſignem antiquitatum produnt notitiam. Quemadmodum enim, qui vrbes obſidebant nihil faciebant reliqui, vt ſacra euocarent [c], certisque adhibitis ſacrificiis Deos elicerent et veluti in partes ſuas pertraherent, vt moenibus, quibus adhuc praeſidio fuerint, deſertis, ſedem ſibi in vrbe victrice multo gratiorem quaererent, quem ritum perdoctis diſſertationibus expoſuerunt viri eruditiſſimi, HENR. COCCEII et IO. GVIL. BERGERVS: ita, captis iam vrbibus, *victoria omnia profana fieri cenſebantur*, ceu de victis Syracuſis loquitur CICERO [d]. Vetus nimirum et peruulgata opinio erat, expugnatis vrbibus, vltro excedere iratos Deos, et veluti ad hoſtes tranſire. Vnde VIRGILIVS [e], Aeneam fingit, capta iam vrbe, quum triſtis vbique pauor et plurima mortis imago oculis obuerſaretur, ſocios ita adloquentem:

Quae ſit fortuna videtis;
Exceſſere omnes, adytis ariſque relictis
Di, quibus imperium hoc ſteterat.

[a] Plutarch. ibid. p. 271.
[b] *l.* 36. *ff. de religioſ.*
[c] *l.* 9. §. 2. *ff. de rer. diuiſ.*
[d] *Verrin.* IIII. *cap.* LV.
[e] *Aeneid. Lib.* II. *v.* 349.

Quem imitatus apud PETRONIVM (*a*) poëta, qui Troiae haloſin flebili carmine canebat:

> *Iacet*, inquit, *ſacerdos, inter aras victima,*
> *Plangitque terram, ſic profanatis ſacris,*
> *Peritura Troia perdidit primum Deos.*

Nihil ergo obſtare videbatur, quo minus profana haberentur ſacra ac religioſa, omnia, quae Dii ſuperi inferique deſeruiſſent, poſtquam nudata eo praeſidio vrbs in hoſtium peruenïſſet poteſtatem. Quamobrem Furius Camillus apud LIVIVM (*b*) Veios nuper expugnatos vocat *vrbem deſertam, et relictam a Diis immortalibus*, et Hannibal apud DIOD. SICVLVM (*c*) *Selinunte iam exceſſiſſe Deos incolis inſenſos* ait, quando captam iam eſſe eam vrbem reſpondebat Syracuſanis, fanorum excidium deprecantibus. Sacra ergo eſſe deſinebant omnia, quae antea occupaſſe videbatur religio, ſtatuae ac ſimulacra deorum, arae, foci, donaria, quae omnia tamquam praedam auehebant victores, templa; quae impune diruere videbantur, quin et marmora et monimenta, quae et alienari, et ad quosuis vſus profanos transferri poterant, ita vt nemini ideo ſepulchri violati crimen iure impingeretur. (*d*) At quemadmodum communia Deorum liberorumque hominum fata erant, ſi hoſtium eſſent potiti: ita eodem iure gaudebant, *ſi ab hac calamitate fuiſſent liberati.* Vtrique enim poſtliminio iura priſtina recuperabant, et fana quoque nouis ritibus expiata, ſacra denuo vel religioſa eſſe incipiebant. Quamobrem a LIVIO (*e*) memoriae proditum eſt, fugatis Gallis, fana in vrbe omnia, quod ea hoſtes poſſediſſent, reſtitui atque expiari oportuiſſe. Quo facto quin ea non minus ac antea ſacra habita fuerint, nemo, vt opinor, dubitabit. Alibi POMPONIVS (*f*) explicaturus, quid ſit *vrbs*; VRBS, inquit, *ab* VRBO *adpellata eſt.* VRBARE *eſt aratro definire, et Varus ait, vrbum adpellari curuaturam aratri, quod in vrbe condenda adhiberi ſolet.* Luculenter itaque hic explicat ritum antiquiſſimum condendi vrbes, pomoeriumque aratro ſignandi, quem tot veteres coloniarum numi, a PATINO, VAILLANTIO, EZ. SPANHEMIO, aliiſque numiſmatum Romanorum interpretibus depicti ſubiiciunt oculis.

(*a*) *Satyr. p.* 56.
(*b*) *Lib. V. cap.* XXX.
(*c*) *Lib. XIII. cap.* LVIII.
(*d*) *l.* 4. *ff. de ſepulcr. viol.*
(*e*) *Lib. V. cap.* L.
(*f*) *l.* 239. §. 6. *ff. de verb. ſignif.*

oculis. Eum neſcio an quiſquam accuratius deſcripſerit PLVTARCHO, (*a*) qui de Roma condita agens: Βόθρος γὰρ ὠρύγη περὶ τὸ νῦν κομίτιον κυκλοτερὴς, ἀπαρχαί τε πάντων, ὅσοις νόμῳ μὲν ὡς καλοῖς ἐχρῶντο, φύσει δ᾽ ὡς ἀναγκαίοις, ἀπετέθησαν ἐνταῦθα καὶ τέλος, ἐξ ἧς ἀφῖκτο γῆς ἕκαστος ὀλίγην κομίζων μοῖραν, ἔβαλον εἰς ταῦτα καὶ συνεμίγνυον. (καλοῦσι δὲ βόθρον τοῦτον ᾧ καὶ τὸν ὄλυμπον ὀνόματι μοῦνδον) εἶτα, ὥσπερ κύκλον, κέντρῳ περιέγραψαν τὴν πόλιν. ὁ δ᾽ οἰκιστὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῆν ὕννιν, ὑποζεύξας δὲ βοῦν ἄρρενα καὶ θήλειαν, αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι, τῶν δ᾽ ἑπομένων ἔργον ἐστὶν τὰς ἀνίστησι βώλους τὸ ἄροτρον, καταστρέφειν εἴσω, καὶ μηδεμίαν ἔξω περιορᾶν ἐκτρεπομένην, τῇ μὲν οὖν γραμμῇ τὸ τεῖχος ἀφορίζουσι, καὶ καλεῖται κατὰ συγκοπὴν πωμήριον, ὄπισθεν τείχους ἢ μετὰ τεῖχος. *Comitio foſſa eſt rotunda circumducta. In eam primitias detulerunt omnium, quae de more vt bonis, natura vtebantur vt neceſſariis. Poſtremo ex qua quiſque venerat regione, eius terrae portiunculam collatam eo coniecerunt, et commiſcuerunt. Foſſam hanc eodem, quo coelum, nomine vocauerunt mundum. Hinc vrbe, ſicut centro, circulum circumſcripſerunt. Conditor aratro aeneum vomerem adiungit, iunctiſque bobus, mare et femina, ipſe circum lineamenta profundum inducit ſulcum. Sequentium munus, vt excitatas ab aratro glebas intro vertant, nec vllam ſinant extra ferri. Ita moenia linea definiunt, idque eliſis aliquot litteris, pomoerium dicitur, quaſi poſt vel pone moenia.* Haec ſane PLVTARCHI deſcriptio, cui fere geminam apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM (*b*) reperias, neminem ignorare patitur, quid POMPONIO noſtro ſit vrbare, quid *vrbum*, ſeu curuatura aratri, a qua ex ALFENI VARI ſententia vrbi nomen eſt. A VARRONE (*c*) enim obſeruatum eſt, vrbum ab orbe eſſe. *Terram*, inquit, *vnde exſcalpſerunt, foſſam vocabant, et introrſum factum murum. Poſtea, quod fiebat orbis, vrbs. Principium quod erat poſt murum, pomoerium dictum.* Et paucis interiectis: *Quare et oppida, quae prius erant circumducta aratro, ab orbe et vrbo vrbes.* Non minorem antiquitatis cognitionem oſtendunt ea, quae POMPONIVS (*d*) de iure poſtliminii, de Atilio Regulo Coſ. Carthagine Romam reuerſo, et de interprete Menandro, qui Romae manumiſſus

(*a*) *in Romulo p. 23.*
(*b*) *Lib. I. Antiqu. Rom. p. 75.*
(*c*) *Lib. IIII. de Lingua Lat. p. 35.*
(*d*) *l. 5. §. 3. ff. de capt. et poſtlim.*

ad ſuos ablegatus fuerat, nec non de iure faeciali, et de quaeſtione, an qui hoſtibus deditus ſit, at non receptus, ciuis Romanus maneat? et de deditione Hoſtilii Mancini, erudite diſſerit. (*a*) Et quis, quaeſo, hanc ei laudem in dubium vocet, quum vel ſolo enchiridio, quo origines iuris et magiſtratuum, ſucceſſionemque prudentum mira breuitate explicauit, quantum praeſtiterit in omnis aeui hiſtoria, abunde oſtendiſſe videatur. Non equidem ignoro, eum libellum quibuſdam tam negligenter atque incurioſe ſcriptum videri, vt alii eum dignum Pomponio, alii Pomponium eius auctorem negent, inter quos et IAN. VINC. GRAVINA (*b*): *Pomponius*, inquit, *auctor fertur legis 2. ff. de origine iuris, in qua non raro ſcriptoris diligentia ne dicam, an hiſtoriarum cognitio, deſideratur: vt non mirum ſit, ſi ab eruditis non paucis ea lex Pomponio abiudicetur.* Sed ſuo more alios hic caeca fide ſequitur GRAVINA, nec eius iudicio adeo multum deferunt, quicumque viri illius norunt genium, exornandis, quam reperiundis rebus multo aptiorem. Nobis ea de re dicendi paullo poſt naſcetur occaſio, vbi de ſcriptis POMPONII fuerit diſſerendum. Iam ad alia prouehimur, et maxime ad eius philoſophiam; cuius ille praecepta exemplo alterius Pomponii Attici ita percepta habuiſſe videtur, vt iis magis ad mores et vitam, quam ad oſtentationem, vteretur.

Nulla erat philoſophorum ſecta, quae magis conuenire videbatur iureconſultis, quam maſcula illa ac ſeuerior, quae a porticu nomen tulerat. Quum enim pleraeque aliae vel in ſola rerum naturalium contemplatione verſarentur, vel inimicae moris ciuilis omnem paene verecundiam ex hominum ſocietate proſcribendam exiſtimarent, vel de deorum daemonumque natura, ſibi minime omnium comperta, ſexcenta myſteria iactarent, omnes vero ad otium et iucundam aliquam ignauiam viderentur comparatae: ſola Stoica vel ideo ſe iureconſultis probabat, quod eam non modo virtutum omnium parentem, vitiorumque expultricem eſſe, ſed et ex TACITI (*c*) ſententia homines *turbidos negotiorumque adpetentes facere*, exiſtimarent. Stoicorum ſane ſcitum erat, πολιτεύεσθαι σοφὸν ἂν μή τι κωλύῃ, *ciuitates et reſp. adminiſtrare ſapientem, ſi nihil prohibeat*, itemque, σοφὺς ἀρχικὺς δικαςικύς τε καὶ

(*a*) *l. 17. ff. de legat.*
(*b*) *de ortu et progr. iur. ciu.* §. LXXXXI.
(*c*) *Annal. Lib. XIIII. cap.* LVII.

καὶ ῥητορικοὺς εἶναι, *ſapientes et magiſtratus gerere, et iudices agere, et ſolos oratores eſſe* (*a*). Quin ex eorum numero EVPHRATES (*b*) PLINIO adfirmabat, *etiam hanc eſſe philoſophiae, et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere et exercere iuſtitiam, quaeque philoſophi doceant, in vſu habere*. Haec ergo philoſophia ad vitae vſum comparata vel maxime ad palatum erat iureconſultis, adeoque et SEX. POMPONIO, cuius in fragmentis ſtricturae ac veluti ſcintillae quaedam Zenonianae et Chryſippeae ſapientiae fere vbique emicare animaduertimus. Vt et huius rei quaedam proferamus exempla, inter iuris gentium praecepta in primis eſſe ait *erga Deum religionem, et vt parentibus et patriae pareamus* (*c*): quemadmodum et Stoicis; teſte LAERTIO (*d*), inter καθήκοντα erat γονεῖς τιμᾶν, ἀδελφοὺς, πατρίδα, συμπεριφέρεσθαι φίλοις. Eumdem POMPONIVM (*e*) *negare* videmus, *vſuram pecuniae, quam percipimus, in fructu eſſe, quia non ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſſa, ſit*. Eamdem vero et Stoicorum doctrinam fuiſſe, obſeruat EM. MERILLIVS, (*f*) quandoquidem et SENECA (*g*), ſequutus DemetriumCynicum, *foenus, calendarium et vſuram humanae cupiditatis extra naturam quaeſita nomina* vocat, in *quibus nihil ſit, quod ſubiici oculis, quod teneri manu poſſit*. At nihil magis ex Stoicorum praeceptis placuit POMPONIO, quam quod ad virtutem ac probitatem pertinere videbatur. Talia enim ille vbique, data occaſione, inculcat, vt vere dicere poſſis, eum omnia ad honeſtatem retuliſſe. Sic explicaturus alicubi (*h*), qua conditione femina, cui vſus aedium legatus eſt, hoſpitem recipere poſſit? *Non aliter*, inquit, *mulier hoſpitem recipere poteſt, quam ſi is ſit, qui honeſte cum ea, quae vſum habet, ſit habitaturus*. Quae elegans eſt concluſio, ducta ex principio, quod alias in iure noſtro inculcatur, *vix in vſu aedium receptum eſſe, vt hoſpitem ei recipere liceat, et conuenienter, ſi ad mulierum vſus pertineat, et cum marito ei habitare licere* (*i*). Quemadmodum vero nullam occaſionem praetermittendam putauit POMPONIVS, ea, quae honeſta ſunt, inculcandi, ita et aequitatis vbique habet rationem, veluti, quum, *in emtis et venditis potius id, quod actum, quam id, quod dictum ſit, ſe-*

 quen-

(*a*) *Diog. Laert. Lib. VII. ſegm.* 122.
(*b*) *Lib. I. Epiſt. X.*
(*c*) *l.* 2. *ff. de iuſt. et iur.*
(*d*) *Laert. ibid. ſegm.* 168.
(*e*) *l.* 121. *ff. de verb. ſign.*
(*f*) *Obſ. Lib. I. cap. XIII.*
(*g*) *de Beneſic. Lib. VII. cap. X.*
(*h*) *l.* 7. *ff. de vſu et hab.*
(*i*) §. 2. *Inſt. de vſu et habit.*

quendum eſſe monet; (*a*) quumque *nullum idoneum teſtem in re ſua intelligi*, negat, (*b*) quum *impune admitti*, docet, *quod per furorem alicuius accidit*, (*c*) quum denique *exemplo peſſimum eſſe* dicit, *feminino vocabulo maſculos contineri*. (*d*) Talia in fragmentis POMPONII paſſim occurrunt: nec dubito, quin plura habituri ſimus, ſi tam multae ac verboſae ex eius operibus exſtarent periochae, ac ex libris VLPIANI, PAVLLI ac MODESTINI. Sed neſcio, qui factum ſit, vt ſi a prolixiore illa l. 2. de origine iuris diſcedas, fere breuiſſimas tantum ſententias ex POMPONIO excerpſerint digeſtores, niſi forte magis illis ad palatum fuiſſe dixeris recentiorum iureconſultorum libros, quam vetuſtiorum, qui tametſi permulta ex limpidis veteris iurisprudentiae fontibus hauſiſſent, eruditis admirationi futura, non tamen aeque vtiles videbantur iis, qui ſe militiae illi forenſi totos addixiſſent.

Sed iam ad praecipuum illud, cui ſe POMPONIVS conſecrauerat, iurisprudentiae ſtudium progredimur. Quemadmodum enim, qui in caſtris faciunt ſtipendia, licet aliquando iuſſu imperatoris vel praedatum exeant, vel ad exploranda hoſtium conſilia paullulum excurrant, nihil tamen magis ſibi putant cauendum, quam ne vel transfugae vel emanſores videantur: ita qui arti cuidam ſe manciparunt, etiamſi per omnes reliquas ſcientias vagentur, numquam tamen ſignorum, ſub quibus militant, immemores, ſi quod pulcrum ac praeclarum inde decerpſerint, id omne veluti in communia caſtra conferunt, operamque dant, vt ſpoliis illis artem illam ſuam quam maxime exornent. Id ſane et POMPONIVM feciſſe animaduertimus, qui, quum reipublicae ſtudia ſua addixiſſet, et hinc addiſcendae iurisprudentiae ſe totum dediſſet, reliquis artibus ita ſtuduit, vt illis potiſſimum tamquam praeſidiis iurisprudentiae vteretur. Quum vero paullo ante eius aetatem quam maxime feruuiſſet ſectarum ſtudium, et ex iurisperitis alii in Labeonis, Proculi et Pegaſi, alii in Capitonis, Caſſii et Sabini verba iuraſſent: tantum abeſt, vt ſeruile illud obſequium generoſae POMPONII indoli conuenire videretur, vt ipſe nihil veritate haberet antiquius, eamque omnium praeſtantiſſimorum virorum auctoritati longe anteferret. ICtos huiuſmodi ab omni ſectarum ſtudio alienos primus, vt videtur, CVIACIVS (*e*) *erciſcundos* dixerat, imitatus SERVIVM, (*f*) a quo Stoicos, quippe inter Platonem et Pythagoram medios, *erciſ-*

(*a*) *l. 6. §. 1. ff. de contr. emt.*
(*b*) *l. 10. ff. de teſt.*
(*c*) *l. vlt. ff. de admin. et per tut.*
(*d*) *l. 45. pr. ff. de leg. 2.*
(*e*) *Not. ad §. 25. Inſt. de rer. diuiſ.*
(*f*) *Schol. ad Virgil. Lib.* III. *Aen. v. 68.*

erciſcundos adpellari exiſtimauit. Quod quamuis nec in emendatioribus grammatici illius editionibus reperiatur (*a*), nec analogiae videatur conuenire, EMVNDO tamen MERILLIO aliisque viris doctis poſtea ita placuit, vt in eorum libris vtramque paginam faciant *erciſcundi* iſti iureconſulti, id eſt, miſcelliones, et in nullius iurantes verba magiſtri. Sed quidquid ſit de vocabulo, inter illos ſiue *erciſcundos*, ſiue ἐκλεκτικοὺς, quales multi, condito edicto perpetuo, floruerunt, locum haut poſtremum deberi exiſtimamus SEX. POMPONIO, quamuis eum alii cum CHR. OTTONE A BOECKELN (*b*) Proculeianis, quam Sabinianis, magis fauiſſe credant. Enimuero, ſi Proculeianus fuit, qui LABEONIS definitionem probat (*c*), eiuſque ſententiam tuetur aduerſus TREBATIVM (*d*), qui denique PROCVLO aliquoties denunciat teſtimonium (*e*), eiuſque (*f*) nec non PEGASI (*g*), CELSI (*h*), ATILICINI, (*i*) ARISTONIS (*k*), et NERATII (*l*) ſententias probat: nihil profecto impedit, quo minus et Sabinianis recte accenſeatur, qui et libros plures ad SABINVM ſcripſit, et ſaepe SABINI et CASSII ſententiae ſuffragatur, (*m*) et eam benigniore interpretatione iuuat (*n*), et non minus ſaepe illorum auctoritate vtitur (*o*). Quum vero fieri non poſſit, vt vtrique ſectae, tam ſibi per omnia diſſimili, ſeſe ſine praeuaricatione adiunxerit: nihil reliquum eſt, quam vt neutri eum nomen dediſſe, ſed generoſo conſilio, quod in vtraque praeclarum erat, feciſſe ſuum, quodque a iuris ratione alienum videretur, nulla habita auctorum ratione, reieciſſe fateamur. Erat is certe illorum ſaeculorum genius, vt magis magiſque quotidie taederet priſcae illius ac miſerae ſeruitutis, quae paullo ante ingenia pleraque, in quibuſlibet fere artibus occupata, oppreſſerat. Et ſicuti philoſophiam a ſaeculo III. fere eclecticam factam eſſe, obſeruauit V. C. GOTTEFRIDVS OLEARIVS (*p*), quum

(*a*) *Maſcou. de Sect. iurec. cap. VIII.* §. II. *p.* 124.

(*b*) *de diuerſ. famil. vet. IC. cap. VI.*

(*c*) *l.* 22. §. 1. *ff. quando dies leg. ced.*

(*d*) *l.* 21. *pr. ff. de hered. inſt.*

(*e*) *l.* 16. §. 2. *ff. de euict. l.* 12. *pr. ff. de legat.* 1.

(*f*) *l.* 28. *ff. de adqu. rer. dom.*

(*g*) *l.* 43. §. 2. *ff. de legat.* 2.

(*h*) *l.* 29. *ff. de euict. l.* 14. *ff. de verb. obl.*

(*i*) *l.* 48. *ff. de legat.* 1.

(*k*) *l. vlt. ff. de adqu. vel omitt. her. l.* 21 *et l.* 72. *ff. ad SCt. Trebell.*

(*l*) *l.* 8. §. 2. *ff. de liberat. leg. l.* 3. *ff. pro ſuo l.* 45. *ff. de legat.* 1.

(*m*) *l.* 6. *ff. de cond. et dem. l.* 6. *ff. de ſtipul. ſeru.*

(*n*) *l.* 3. §. 1. *ff. de iur. et facti ignor.*

(*o*) *l.* 34. §. 2. *ff. de fideic. libert.*

(*p*) *Diſſ. de philoſ. eclecticis poſt Stanl. Hiſt. phil. Cap. III. p.* 1209.

quum ante duorum fratrum imperium adeo gliſcerent ſectae, vt ſuo quiſque auctori, tamquam claudus pilae, inhaereret: ita inter iureconſultos quoque iiſdem paene temporibus deferuuit ſectarum ſtudium, vt magis de diuerſis ICtorum ſententiis conciliandis diiudicandiſque, quam de tuendis auctorum praeceptorumque ſuorum dogmatibus, ſolliciti eſſent. Sic ſane POMPONIVS (*a*) noſter PROCVLVM et SABINVM, quos alii plerumque committunt, et aduerſa fronte pugnare exiſtimant, idem ſenſiſſe oſtendit (*b*). Et alibi (*c*) Proculeianos et Sabianos veluti diuidere iubet ſententiam, ſeque vtriſque, pro diuerſis caſibus, adſentiri profitetur. Quum enim, bonorum parte legata, dubium eſſet, vtrum rerum partes, an aeſtimatio debeatur, et SABINVS quidem ac CASSIVS aeſtimationem; PROCVLVS ac NERVA rerum partes eſſe legatas exiſtimarent: POMPONIVS expenſis omnibus, quae huc facere videbantur, rationibuſque ſubductis, hanc fecit cogitationum ſuarum ſummam: *Sed oportet heredi ſuccurri, vt ipſe eligat, ſiue rerum partes, ſiue aeſtimationem dare maluerit. In his tamen rebus, partem dare heredem poſſe, quae ſine damno diuidi poſſint: ſin autem vel naturaliter indiuiſae ſint, vel ſine damno diuiſio earum fieri non poſſit, aeſtimationem ab herede omnino praeſtandam eſſe.* Ita diſputare ſolet POMPONIVS noſter, vt cui amici eſſent PROCVLVS et NERVA, amici SABINVS et CASSIVS, ſed magis amica veritas, et conſtans illa, ad quam omnia referebat, ſuum cuique tribuendi voluntas.

Sed iam demum ad eximia, quae SEX. POMPONIVS reliquit, ingenii monimenta prouehimur. Inter ea primum ſibi locum iure quodam ſuo vindicat opus grande et diffuſum AD EDICTVM, quippe cuius libros vltra octoginta exſtitiſſe oportet, quia octogeſimum tertium laudat VLPIANVS (*d*). Et tamen illum librum non poſtremum fuiſſe, vel inde colligas, quod ex ſerie edicti perpetui, a IAC. GOTHOFREDO adornata, patet, nondum illum explicaſſe titulos de teſtamentis, ſucceſſionibus ab inteſtato, bonorum poſſeſſionibus, legatis et fideicommiſſis, noui operis nunciatione, damno infecto, cauſſis ſtatus, poſſeſſione et vſucapionibus, delictis, re iudicata, interdictis, exceptionibus, ſtipulationibus et cautionibus. Quae edicti capita ſi XX. libros poſtulaſſe dixerimus, nihil adfirmare videbimur, quod parum veroſimile videatur. Enimuero ex tot libris nihil aetatem tulit, ac ne IVSTINIANI quidem

(*a*) *l.* 14. *ff. de cond. et demonſt.*

(*b*) *l.* 14. *ff. de condit. et demonſtr.*

(*c*) *l.* 26. §. 2. *ff. de legat.* 2.

(*d*) *l.* 1. §. 14. *ff. ſi quid in fraud. patron.*

dem temporibus quidquam ſuperfuiſſe videtur, quia nullum ex iis fragmentum pandectae ſeruant. Saepe tamen teſtimonia quaedam inde depromunt VLPIANVS (*a*), MARCIANVS (*b*), et PAVLLVS (*c*), aliquando etiam IVLIANVS (*d*). Quamuis enim hic laudans POMPONII librum ſextum, non addat titulum operis, ex quo id teſtimonium depromſerit, res ipſa tamen docet, et hoc, et alia. XLVI. quae in indice collegit LABITTVS (*e*) non aliunde, quam ex his ipſis ad Edictum libris eſſe deſumta, ceu ex ipſa materiarum ſerie demonſtrauit IAC. GOTHOFREDVS.

Vberrima quoque fuiſſe oportet commentaria in SABINVM, quorum libros XXXV. memorat index Florentinus, quamuis et ex libro XXXVI. exſtet fragmentum (*f*), ſi inſcriptio illa ſe recte habet. MASSVRIVS SABINVS, a quo Sabinianorum nomen ortum eſſe, vulgo exiſtimant, ATEII CAPITONIS, praeceptoris ſui, exemplo collegerat γενικὰ, ſeu regulas et ſententias iuris antiqui, easque in *libros tres iuris ciuilis* coniecerat (*g*); qui diutiſſime fundus habiti ſunt iuriſprudentiae, adeo vt non modo in omnium manibus eſſent, verum etiam eorum ordinem, quamuis, vti ex IAC. GOTHOFREDI tabula ſeu ſerie librorum Sabinianorum patet, parum concinnum, plerique, qui ante conditum edictum perpetuum ſcripſerunt, iureconſulti, teſte OB. GIPHANIO (*h*), imitarentur. Hinc ad illos Sabini libros certatim commentaria ampliſſima ſcripſere veteres, veluti ARISTO (*i*), VLPIANVS, PAVLLVS et POMPONIVS; quorum iſte libros quinquaginta et vnum, ille ſedecim, hic triginta ſex in SABINVM vel ex Sabino reliquerant. Et fuit ſane illud POMPONII opus exaſciatiſſimum et, ſi ex reliquiis, quae in Pandectis ſuperſunt, trecentis et ſeptuaginta tribus iudicare de vniuerſo corpore licet, plane ἀκροαματικὸν, in quo veluti ſe ipſum ſuperarat iureconſultus doctiſſimus. Tam ſubtiliter enim in eo difficillimas iuris quaeſtiones explicat, tam accurate Sabini verba interpretatur, ſententiasque expendit, tam varios denique caſus erudite enucleat, vt vere dixeris, fragmenta illa in vniuerſo pandectarum opere, tamquam totidem ſtellas, relucere, et reliquorum veluti officere luminibus.

 His

(*a*) *l. 7. §. 6. ff. de pact. l. 39. §. 6. de procur. l. 11. fin. ff. de recept. l. 11. pr. locat. l. 3. de adm. tut. l. 1. ff. de collat. l. 1. §. 8. de min.*

(*b*) *l. 13. §. 2. ff. de pignor.*

(*c*) *l. 21. ff. de rei vind. l. 1. §. 3. de tutel.*

(*d*) *l. 6. §. 6. ff. neg. geſt.*

(*e*) *p. 32. edit. Pariſ. 1557. in quarto.*

(*f*) *l. 20. ff. de capt. et poſtl.*

(*g*) *Iac. Gothofred. Comm. ad Reg. Iur. p. 22.*

(*h*) *Oeconom. Iur. p. 120. ſequ.*

(*i*) *l. 6. ff. de vſu et hab.*

His merito iungimus libros XXXIX. LECTIONVM AD Q. MVCIVM. Tot enim libros vidit aut numerauit ſaltim auctor indicis Florentini; quamuis, plures exſtitiſſe, colligam ex loco VLPIANI (*a*), in quo liber quadrageſimus primus lectionum POMPONII laudatur. Non enim varias lectiones intelligi puto, quarum libros quindecim tantum numerat auctor indicis Florentini, ſed lectiones ad Q. Mucium, quas ipſas libros lectionum κατ' ἐξοχὴν dictas eſſe, ex alio quoque teſtimonio (*b*) ſuſpicari licet. Vtcumque ſe res habeat, ſane et hoc opere, ex quo fragmenta CIX. in pandectas retulit TRIBONIANVS, praeclare de iuriſprudentia meritus eſt SEX. POMPONIVS. Fuerat hoc diuinitus datum genti Muciae, vt inſignem iureconſultorum daret prouentum, inter quos tamen princeps fuit Quintus ille, a patre Publio, Pontifice Max. et Q. Mucio Augure accurate diſcernendus, qui praeter opus ὅρων, ex quo varia in Pandectis fragmenta ſuperſunt, de iure etiam ciuili libros XVIII. reliquit. Ad eos quoque illuſtrandos animum adpulerant plures, et in his SER. SVLPITIVS, ſed Mucio tam iniquus, vt pleraſque eius ſententias obelo notaret, et hinc eius in Mucium commentaria *reprehenſa Mucii capita* a veteribus adpellentur (*c*). At ab hac reprehendendi libidine quam maxime abhorruiſſe videtur POMPONIVS, qui in id potius dedit operam, vt lucem adfunderet MVCIO, quam vt eius recte dicta in alienum ſenſum detorqueret, quod ſaepe feciſſe SERVIVM, vel exemplo illo, quod adfert VLPIANVS, (*d*) probari poteſt. Ceterum Pomponii exemplo et alii poſtea videntur excitati ad ſcripta Q. MVCII illuſtranda. Nam et LAELII FELICIS (*e*) quaedam eius generis exſtiterunt, et HERENNII MODESTINI, (*f*), quamuis neutrum opus cum illo POMPONII vel doctrina vel rerum vbertate comparandum fuiſſe videatur.

Eamdem operam et PLAVTIO non PLANTIO, nauauit diligentiſſimus ac vere πολύγραφος POMPONIVS. Nam et ad Plautium libros eius VII. memorat auctor indicis Florentini. Illuſtris Romae fuit gens Plautia, cuius ſtemma accuratum confecit THOM. REINESIVS (*g*). Ex quo patet, eam adfinitate non indignam habuiſſe Claudium Imperatorem; quippe qui Plautiam Vrgulanillam, M. Plautii Siluani, Conſularis et triumphalis, filiam vxorem duxerat, teſte SVETONIO (*h*). Iureconſultus

(*a*) *l.* 8. §. 6. *ff. ſi ſeru. vind.*
(*b*) *l.* 1. *ff. de rei vind.*
(*c*) *Gell. Lib.* IIII. *Noct. Att. cap.* 1
(*d*) *l.* 3. §. 6. *ff. de penu leg.*
(*e*) *Gell. Lib.* XV. *cap.* XXVII.
(*f*) *l.* 53. *et ſequ. ff. de adqu. rer. dom.*
(*g*) *Epiſt. ad Rupert.* XXVII. *p.* 106.
(*h*) *Claud. cap.* XXVI.

tus eius nominis gentisque, vti recte vidit Grotivs (a), Veſpaſianorum temporibus floruit, quumque eodem tempore celebretur Ti. Plautius Siluanus Aelianus, Coſ. anno DCCXCIX. Praefectus vrbi, et *ſub Veſpaſiano Pontifex* (b), et, vt in marmore quodam apud Grvterum (c) eſt, ornamentis triumphalibus donatus: non dubito quin hic iureconſultus ſit vel idem cum eo, vel eius filius, vel fratrum aliquis, quorum tres recenſet Reinesivs. Quid ille ſcripſerit, hodie ſcimus, cum ignariſſimis. Praeclarum vero et accuratius elaboratum eius fuiſſe opus, vel inde patet, quod illud auctores tam multi ac celebres veluti ex compacto illuſtrare ſtuduerint. Exſtiterunt enim Neratii Prisci *libri ex Plautio*, ab Vlpiano (d) laudati. Exſtiterunt Prisci Iavoleni ad Plautium libri V. Pavlli libri octodecim, ac denique Pomponii noſtri libri ſeptem, qui poſtremi et Ivstiniani temporibus exſtiterunt integri, quum ex iis omnibus fragmenta ſuperſint XXXVII. et talia quidem, quae reliquis tanti ingenii monimentis haut videantur indigna.

Quae hactenus recenſuimus Pomponii opera, ea ad illuſtranda aliorum ſcripta pertinent: in componendis tamen praeclaris voluminibus non minus foecundum fuit viri doctiſſimi ingenium. Multa enim et ipſe ſuo ſtilo ſcripſit, quibus non minorem ſibi peperit celebritatem. Tale fuit variarvm lectionvm opus, ipſa inſcriptionis vel tituli elegantia notabile. Nam hunc titulum inter *feſtiuitates inſcriptionum, quas plerique vtriuſque linguae ſcriptores in libris ſuis feciſſent*, refert Gellivs (e), dum ait: *Alii* mvsarvm *inſcripſerunt*, *alii* silvarvm; *ille* ΠΕΠΛΟΝ, *hic* ΚΕΡΑΣ ΑΜΑΛΘΕΙΑΣ, *alius* ΚΗΡΙΑ, *partim* ΛΕΙΜΩΝΑΣ, *quidam* lectionis svae, *alius* antiqvarvm lectionvm. Vbi tamen recte obſeruauit Clavd. Salmasivs, titulos hos vel inſcriptiones reprehendere auſum eſſe *Gellium*, tamquam argutiores atque exquiſitiores, quum nihil habeant inſcriptiones *antiquarum vel variarum lectionum*, *Epiſtolarum moralium*, *Epiſtolicarum quaeſtionum*, *Hiſtoriae naturalis*, a Gellio in hanc claſſem relatae, quod iure poſſis ſuggillare, tamquam operoſius exquiſitum, vel facetis nugis comparandum, quas Graeci in faciendis indicibus ſectabantur, quin multo argutiorem eſſe titulum Noctivm Atticarvm, quem ſe Gellivs libro ſuo, tam-

N 2 quam

(a) *de vit. ICt. Lib. II. cap. V. §. X.*
(b) *Tacit. Hiſt. Lib.* IIII. *cap.* LIII.
(c) *Inſcr. p.* CCCCLIII.
(d) *l. 5. ff. de ſeru. praed. ruſt.*
(e) *Praefat. Noct. Attic.*

quam ſimpliciſſimum, praeſcripſiſſe ait, quam vllum horum; quos ipſe feſtiuitatibus inſcriptionum (*a*) Plinivm ſine indicio imitatus, accenſuerit. Ceterum ipſe hic titulus argumento eſt, teſſelatum hoc fuiſſe opus, ac miſcellum, quo varias obſeruationes ad iuriſprudentiam pertinentes, variaſque ſpecies, prout ſeſe obtulerant, complexus ſit. Vnde recte Iac. Gothofredvs (*b*): *In libros*, inquit, *variarum lectionum Pomponius incondite*, σποράδην, *prout quidque ſub manum veniret, congeſſiſſe videtur, nullo ſatis certo materiarum ordine, quod variarum lectionum titulus ſatis indicat.*

Adde, eamdem ſcribendi methodum et Pavllo iureconſulto placuiſſe videri, qui eumdem titulum praeſcripſerat libro ſingulari, a ſe edito. Nam et in hunc varias obſeruationes, prout ſe illae offerebant, veluti in faſciculum congeſſiſſe videtur, quamuis, quum non niſi tria ex eo fragmenta in Pandectis locum inuenerint, (*c*) de ſeruato in eo opere ordine non liceat hodie tam liquido iudicare. Quot *variarum lectionum* libros ſcripſerit Sex. Pomponivs, non adeo certum eſt. In indice Florentino recenſentur *variarum lectionum* βιβλία δεκαπέντε, adeoque *libri XV.* Sed *liber XXXIIII. variarum lectionum* laudatur a Ivlio Pavllo (*d*), et *liber XXXX.* a Marciano (*e*), ac proinde ſuſpicari quis poſſet, XV. tantum libros ideo numerare indicis iſtius auctorem, quod totidem duntaxat libri adhuc exſtiterint Ivstiniani temporibus, nec ex pluribus quaedam in Pandectas retulerit Tribonianvs. Ego vero, ſatis accurate librorum numerum expreſſiſſe illius indicis auctorem, arbitror. In codice enim Florentino illud variarvm non exſtat *in l. 21. ff. de rei vindic.* ſed Pavllvs ibi meminit *libri XXV. lectionum* Pomponii. *Lectiones* autem Pomponii *in* Mvcivm κατ᾽ ἐξοχὴν id nomen tuliſſe, paullo ante obſeruauimus. Quod vero attinet ad fragmentum Marciani *l. 2. ff. in quib. cauſſ. pign. vel hypoth. tac. contrah.* Ivl. Pacivs in margine editionis ſuae (*f*) notat, in aliis codicibus legi librum XIII. eaque admodum probabilis eſt lectio, quia et aliunde (*g*) conſtat, libro illo XIII. variarum lectionum, de inuectis et illatis, tacitoque pignore in illis competente locatori, egiſſe Pomponivm,

(*a*) *Plin. in praefat. Hiſt. nat.*
(*b*) *Comment. ad Reg. iur. p. 793.*
(*c*) *l. 18. ff. de inſt. act. l. 1. ff. de oper. libert. l. 22. ff. de except.*
(*d*) *l. 21. fin. ff. de rei vind.*
(*e*) *l. 2. ff. in quib. cauſſ. pign. vel hyp. tac. contr.*
(*f*) *apud Euſtath. Vignon, Atrebat. anno MDLXXX. fol.*
(*g*) *l. 4. ff. in quib. cauſſ. pign. vel hyp. tac. contr.*

eumque ipſum locum MARCIANVM ante oculos habuiſſe. Quibus poſitis, nulla eſſe videtur ratio, cur plures, quam quindecim, variarum lectionum libros olim exſtitiſſe exiſtimemus.

Scripſit praeterea POMPONIVS, ſi indici illi Florentino fides eſt; ἐπιςολῶν βιβλία εἴκοσι, EPISTOLARVM *libros XX.* ex quibus omnibus quaedam decerpſit Tribonianus, praeterquam ex libris primo, ſecundo, tertio, quarto, decimo tertio et duobus ſequentibus ac vndevigeſimo, quamuis et librum primum epiſtolarum POMPONII ſemel laudet IVLIVS PAVLLVS. (*a*). Ediderunt et alii iureconſulti epiſtolas, veluti PROCVLVS, cuius exſtiterunt ἐπιςολῶν βιβλία ὀκτώ, et PRISCVS IAVOLENVS, cuius Epiſtolon βιβλία δεκατέσσερα recenſet index Florentinus, vt iam non dicamus de epiſtolis LABEONIS (*b*), ATEII CAPITONIS (*c*), NERATII PRISCI (*d*), IVVENTII CELSI (*e*), et CAECILII AFRICANI (*f*); quamuis Africani opus epiſtolarum IVLIANO perperam tribuat GVIL. GROTIVS (*g*), ac proinde verba VLPIANI: *Africanus libro viceſimo Epiſtolarum* apud IVLIANVM *quaerit*, ita interpretanda putet, *libro XX. epiſtolarum Iuliani, quaeſiuit Africanus per epiſtolam, ſicut id fieri ſolere, ex variis locis liquet, et putat Iulianus, ſumtum praeſtandum.* Sed vt ad POMPONII noſtri epiſtolas reuertamur, eae quales fuerint, ignorare nos non patiuntur aliquot earum exempla, quae etiamnum integrae ſuperſunt (*h*), ex quibus conſtat, praemiſſa breui conſultoris quaeſtione, ſtatim ſubiungi POMPONII ſententiam, adeoque epiſtolas a reſponſis vix differre, niſi quod in illis breuius omnia proponuntur, adiunctis tamen auctoritatibus et rationibus, quibus motus iureconſultus ita reſpondeat. Hinc IAC. GOTHOFREDVS (*i*): *Paullus*, inquit, *Pomponium hac in re laudat, ex libris eius epiſtolarum, quorum librorum auctoritate et alii quoque iureconſulti vtuntur, Vlpianus et Scaeuola, quibus libris Pomponii reſponſa ad quaeſita per epiſtolam continebantur.* Et alio loco (*k*): *In libros epiſtolarum Iauoleni nullo ſatis certo ordine, verum pro re nata, reſponſa eius per epiſtolam relata fuerunt.* Nec PROCVLI epiſtolarum aliam fuiſſe indolem, tot, quae ex illis reliqua ſunt, fragmenta ſatis demonſtrant, vt non neceſſarium

N 3 videa-

(*a*) *l.* 124. §. 1. *ff. de reg. iur.*
(*b*) *l.* 30. §. 1. *ff. de uſucap.*
(*c*) *Gell. Noct. Att. Lib. XIII. cap. XII.*
(*d*) *l.* 12. §. 5. *et* 43. *ff. de inſtr. vel inſtr. legat.*
(*e*) *l.* 3. §. 1. *ff. de minor.*

(*f*) *l.* 39. *ff. de legat.* 1.
(*g*) *de vit. ICt. Lib. II. cap. VI.* §. 8.
(*h*) *l.* 50. *ff. de minorib. l.* 20. *ff. de fideic. libert. l.* 61. *ff. ſol. matr.*
(*i*) *Comment. de reg. iur. p.* 532.
(*k*) *ibid. p.* 772.

videatur, inſiſtere conieċturis. Sunt, qui aliud Pomponii volumen exſtitiſſe putant ſub titulo epistolarvm et variarvm lectionvm, ex quarum libro XVII. fragmentum in ipſis Pandeċtis reperiſſe ſibi videntur. (a) Sed verba illa *et variarum lectionum* in codice Florentino non reperiri, Tavrellivs monuit, ac proinde nihil certius videtur, quam, fragmentum iſtud ex ipſo hoc Epiſtolarum opere depromtum, verba vero illa adſcripta eſſe a ſtudioſo quodam, cui familiariores fuerint variae lectiones Pomponii, quam epiſtolae, vel qui vtrumque opus ex errore pro eodem habuerit, vt non opus ſit libros epiſtolarum et variarum lectionum confingere, maxime quum non idem eſſe ſoleat epiſtolas et varias lectiones vel στρώματα aut ποικίλην ἱστορίαν ſcribentium inſtitutum, et libri Pomponii his inſcripti titulis, diverſi omnino argumenti fuiſſe videantur.

Subiungimus his eiuſdem Pomponii libros quinque fideicommissorvm, ex quibus omnibus, praeterquam ex vltimo, ſeptem in vniuerſum fragmenta ſuperſunt. Quum enim iis temporibus, nondum exaequata legatorum et fideicommiſſorum natura, nec binis illis ſenatusconſultis, quae de reſtitutione fideicommiſſorum prodierant, puta Trebelliano et Pegaſiano, veluti in vnum conflatis, ſubtilis admodum, multiſque quaeſtionibus valde ſpinoſis ac veluti tricis inuoluta eſſet doċtrina de fideicommiſſis: in ea explicanda ingenia ſua certatim exercuerunt iureconſulti doċtiſſimi, veluti Abvrnivs Valens, Volvsivs Maecianvs, Caivs, Vlpianvs, Pavllvs, Herennivs Modestinvs, et alii fortaſſis, quorum opera Ivstiniani aeuo inuiderat temporum iniquitas. Sed quum tam paucas ex his libris reliquias ab interitu vindicarit Tribonianus: de eorum ordine nihil eſt, quod addamus.

Nec plura nobis dicere licet de opere, quod ita inſcribitur in indice Florentino: senatvsconsvltvm βιβλία πέντε, et ex quo, nouem periochas in pandeċtis reperimus. Ex his patet, Pomponium *libro primo*, inter alia de SC. Velleiano (b) et Iuliano de petitione hereditatis (c) cuius verba legitima Vlpianvs (d) ſeruauit; libro ſecundo de SC. Tertulliano (e); libro tertio de SC. Iuniano vel, vt Cviacivs vocat (f), Ninniano, ad quod pertinere videtur *l. 43. ff. de liber. cauſſ.* libro quarto de SC. quod Claudianis temporibus Velleio Rufo et Oſterio Scapula Coſſ. de adſignatione libertorum faċtum eſt, libro

(a) *l. 18. ff. de recept.*
(b) *l. 32. ff. ad SC. Tertull.*
(c) *l. 29. ff. de adqu. hered.*
(d) *l. 20. §. 6. ſequ. ff. de her. pet.*
(e) *l. 10. ff. ad SC. Tertull.*
(f) *Paratitl. C. de colluſ. deteg.*

(*a*) libro denique quinto de SC. Macedoniano (*b*) nec non de SC. vel *oratione, quae prohibebat apud conſules aut praeſides prouinciarum poſt quinquennium a die manumiſſionis in ingenuitate proclamare* (*c*), diſſeruiſſe. Fuſius ergo praeclaram hanc iuriſprudentiae partem de SCis, quam quiſquam alius, exequutus eſt. Quum enim alii de vno et altero SCo libellos ſingulares ſcripſiſſent, veluti PAVLLVS de Silaniano et Claudiano, Velleiano, Tertulliano, Liboniano, Orphitiano, nec non ad orationem D. Seueri, Diui Seueri et Commodi, Diui Antonini et Commodi, et D. Marci, AELIVS MARCIANVS de SC. Turpilliano: ſolus POMPONIVS de omnibus, quae ſua aetate exſtabant, Senatuſconſultis ex inſtituto egit, eaque in re, qui illum poſtea ſit imitatus, ſcio neminem, praeter IVLIVM PAVLLVM, cuius inter μονοβίβλια ſeu libros ſingulares librum de Senatuſconſultis recenſet auctor indicis Florentini, et recte quidem, quia ex eo decerptum ſupereſt fragmentum vnicum, quod ad SC. Trebellianum videtur pertinuiſſe (*d*).

Ne in vlla parte iuriſprudentiae deficere videretur POMPONII induſtria; axiomaticam etiam, quae iura ſingula breuibus quibuſdam regulis concludit, illuſtrare ſtuduit libro ſingulari REGVLARVM, vel vti ſemigraeculus indicis Florentini auctor vocat, REGVLARION. Nimirum veteres illi, qui iura ciuilia in artis formam redigere conabantur, facile animaduertebant, vix artis nomen mereri eam diſciplinam, quae in ſingularibus tantum occupata, nulla haberet principia generalia, ad quae innumerae illae concluſiones poſſent reuocari, et quibus tamquam cynoſura vtendum eſſet in tot quaeſtionibus dubiis, quae quotidie obueniant, decidendis. Hinc ex ipſis rerum definitionibus eruebant varia axiomata, quae DEFINITIONES, REGVLAS vel REGVLAS IVRIS adpellabant, qualis celebratur illa Catoniana, de qua ſingularem in iure noſtro titulum exſtare, nemo ignorat. Ad hanc ergo iuriſprudentiam axiomaticam pertinent Q. MVCII SCAEVOLAE liber ὅρων, PAPINIANI libri II. Definitionum, et in primis NERATII PRISCI, CERVIDII SCAEVOLAE, T. CAII, VLPIANI, IVLII PAVLLI, AELII MARCIANI, LICINII RVFINI ac denique SEX. POMPONII noſtri libri *regularum*, in quibus enunciata quaedam vniuerſalia, quibus ICti in definiendis iuris quaeſtionibus pro norma vtebantur, accurate explicabant, ſimulque quibus limitibus illa circumſcribenda ſint, ne officium ſuum

(*a*) *l.* 1. *l.* 2. *l.* 4. *et l.* 13. *ff. de adſign. lib.*
(*b*) *l.* 20. *ff. de SC. Maced.*
(*c*) *l.* 3. *l.* 4. *ff. ſi ingen. eſſe dic.*
(*d*) *l.* 26. *ff. ad SC. Trebell.*

ſuum perdant, diligenter notabant. *Principia*, inquit IAC. GOTHOFREDVS, (a) *praeſtant in omni ſtudiorum genere regulae, ſeu definitiones, receptae ſententiae, catholica praecepta, enunciata*, κυρίαι δόξαι, ὅροι, ϛοιχεῖα, θέσεις, πορίσματα, *aphoriſmi, axiomata, canones, dogmata, et ſi quibus aliis alibi nominibus efferuntur. Ex his quippe cetera artis experimenta ſic pendent, ſeu conficiuntur conſequunturque, vti non tantum erudirent, verum pleniſſima artis cognitione imbuant, ſic vt iudicio tantum poſtea opus ſit ad iuſtum eorum vſum iuſtamque* ἐφαρμογὴν *ſeu adplicationem illationemque. Huiuſmodi profecto ſunt regulae iuris, quae breui narratione, cauſſaeque veluti coniectione, vniuerſum paene ius in ſe vi ipſa et poteſtate continent, intellectumque hominis ad aequi iuriſque notitiam pleniſſime dirigunt et deducunt. Sunt haec ſcilicet vere iuris fundamenta, quibus vniuerſum iuris faſtigium innititur: ſunt fontes, e quibus veluti per canales et riuulos ius educitur: ſunt ſemina, quae, procedente proficienteque iudicio vſuque, in ramos ſeſe poſtea quam latiſſime diffundunt et explicant: ſunt ſcintillae* σπινθῆρες, *quibus mens vbique conluſtratur: ſunt penora conditaque et theſauri, e quibus propoſitarum quaeſtionum deciſiones deſumi debent: ſunt claues, quibus adyta iuris reſerantur: ſunt denique cynoſurae, in vaſtiſſimo iuris oceano nauigantibus propoſitae. Quae quum ita liquido ſint: cuinam, quaeſo, hae regulae viles ac prope contemnendae videri poſſint?* Hactenus IAC. GOTHOFREDVS, cuius verba, quantumuis prolixiora, hic adſcribere eo minus taeduit, quo magis faciunt ad incredibilem illam iuriſprudentiae axiomaticae vtilitatem perſpiciendam, quae praeſtantiſſimis quibuſque veteris aeui iureconſultis facile perſuaſit, vt illam praecipua quadam induſtria excolerent; ſimulque ad redarguendum perſonati cuiuſdam SCHVZII ſententiam, qui nuper omni iuriſprudentiae axiomaticae, quin omni ordini ac methodo, bellum indixit. Hic paucorum hominum homo, iam pridem aliquid mali mihi minatus, tandem ſchedulam edidit, inſcriptam *Examen methodi axiomaticae*, qua, abſonam eſſe methodum iuris axiomaticam, eamque ne locum quidem in iuriſprudentia habere, acriter contendit, ſperauitque, ea laudabili induſtria ſeſe effecturum, quod maxime concupiſcebat, vt libelli mei, hac methodo, ceu ille dormitator ſomniat, axiomatica conſcripti, ad piper et thus illico ab eruditis damnarentur. Magno ſane hiatu maxima facinora amicis ſuis promiſerat ille iaculator, Thraſo quippe maximus, et qui ſe ſolum credit:

Τόξον

(a) *in praefat. Comm. in Reg. iur. p. III.*

Τόξον δ' ἐντανύσαι, καὶ ἐπίσκοπον εἶναι ὀϊςῶν.

Sed poſt tantas minas vere parturiuerunt montes, et irata Lucina demum natus eſt ridiculus mus, libellus puta vnius ac dimidiae plagellae, partus nequiſſimus, et Scytha iſto parente digniſſimus, in quo primum neſcio cui malo geniolo iraſcitur, qui fortaſſis ei ſomnum pomeridianum capienti mala inſomnia obiecerat, deinde in me omne effundit virus, qui methodo vel mathematica vel axiomatica in iuriſprudentiam inuecta, bidental mouerim, magnique Lauterbachii luminibus officere voluerim, quem tamen tanti fecerit illuſtriſſimus de Cocceiis, vt eum aeterno iuris controuerſi opere illuſtrare non dubitarit. En nequitiam hominis. Ne ego quid praeſtitiſſe videar in iuriſprudentia, hanc ipſam ad axiomata reuocari poſſe, adeoque, illam artem vel ſcientiam eſſe, negat, et a viro illuſtriſſimo me diſſentire fingit, ratus, fieri non poſſe, quin tanti viri gratia illico exciderem, ſi me Lauterbachio paullo iniquiorem eſſe mentiretur, quum huius iureconſulti nuſquam niſi honorifice meminerim, eiuſque vel vmbram maioris faciam, quam viuum et ſpirantem Schuzium. Hinc porro in elementa mea tela ſua vibrat miſer ille Schuzius, et expenſo titulo de SC. Velleiano, male me eam doctrinam propoſuiſſe, contendit, quin, quo eſt acumine, me libris iuridicis laudem, quam libellis aliis mihi quaeſiuerim, turpiter perdidiſſe, male ominatur. Sed denuo infelix iaculator,

Καὶ βάλεν ἆσσον ἰόντος ἀριςερὸν εἰς χενεῶνα
Τηυσίως. ὀ γάρ τι βέλος διὰ σαρκὸς ὄλισθεν
Ὀκρυόεν, χλωρῇ δὲ παλίσσυτον ἔμπεσε ποίῃ [a].

Denique lepido opuſculo ſubiungit συλλογὴν iudiciorum virorum doctorum de brocardicis, quibus medio aeuo gloſſatorum ingenia iurisprudentiam corruperunt, quaſi ego nihil in libellis meis lectorem doceam, quam eius generis brocardica. Et ſic de me actum fore, σκυθοτοξότης ille Schüzius tam certo ſperauit, vt iam triumphum egiſſe, miſeraſque illas chartas, tamquam monimentum victoriae ſuae aere perennius, vicatim circumtuliſſe dicatur. Riſum ſane vix continui, quum id nunciarent amicorum epiſtolae. Nam videre mihi videbar pugilem illum, (huic enim vel gladiatori os humeruſque ſimilior eſt, quam ſagittario,) per

[a] *Theocr. Idyll.* XXV. v. 266. ſequ.

per vrbem volantem, oſtentantemque ſodalibus ſuis has adoreas, mirabarque, niſi

Iſte dum proceſſit, IO. TRIVMPHE
Non ſemel dixiſſet, IO. TRIVMPHE
Ciuitas omnis.

At multo difficilius mihi a riſu temperaui, quum, laetitiam illam minus diuturnam fuiſſe, audiui, turbatam quippe a viro docto, GODOFREDO SELLIO, qui nullo meo merito prouocatus, ſolaque fretus cauſſae bonitate, tela iſta Schuzii ita contudit, vt ei merito hoc nomine hic publice gratias agam, id vnum dolens, virum eleganter doctum tot horas amoenioribus Muſis ſuffuratum eſſe, quum ſcriptionem tam accuratam vix mererentur Sinonianae Schuzii iſtius artes. Iam audio, illum et mihi, et clariſſimo SELLIO, ferrum flammasque minari, nouaque non tela, ſed tormenta, aduerſus nos parare, et, quum alioquin in diem ſtertat, et vix a ſe impetrare poſſit, vt vertente anno quatuor vel quinque ſententias iuridicas in chartam coniiciat, niſi eas aliquando fiſci procurator minis ab eo extorqueat, illum tamen nouum, et eum quidem grandem parturire librum, vel potius

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Enimuero ſcire te velim, bone SCHVZI, ei oſtento iam fuſtem me paraſſe, et talem quidem, quem vix mihi in manu eſſe crediſſes. Egone ſe diutius iactare paterer effrenem hanc audaciam tuam? Tune impune diutius ferres inſignem nequitiam, qua me, non male de te meritum, tam proterue iniuriis adficere conaris? Noui ſane, nec veritatis ſtudium, nec iuriſprudentiae amorem tibi hunc laborem indixiſſe, quum Pyrrhone ſtolidior, eſſe aliquam veritatem, vel aliquid iuſtum iniuſtumque, non dubitare, ſed negare iam pridem coeperis. Inuidia eſt, quae te ſtimulat, et veluti facibus quibuſdam exagitat dies noctesque, vt de me cogitare non poſſis, quin triſtem illam auditorii tui ſolitudinem lugeas. An tu putas te mihi viuo impune inſultare poſſe? an ita mihi exaruiſſe exiſtimas venam, vt plane deſint

Ceaeque et Alcaei minaces
Steſichorique graues Camoenae?

Quin an defuturos exiſtimas iudices, qui te, mihi nihil tale merito tam

tam proterue inſultantem, coerceant. Quid tibi, quaeſo, mecum rei eſt, o homo, qui numquam turbaui circulos tuos, qui quieſcentem pomeridie nunquam expergefeci, qui denique STRVVIOLVM, HOPPIOLVM, SCHOEPFERIOLVM, et tuas illas delicias, IAC. BOEHMIVM et IAC. WEIGELIVM tibi numquam inuidi? Cur in me ſaeuis, quum habeas collegas, quibuſcum tuo more quotidie rixeris, ſeruulum, in quem aliquando ebullientem bilem euomas, denique te ipſum, cui tamquam alter Timon iraſcaris? Mihi ſaltim, natura ab his litibus abhorrenti, et a te tantis locorum interuallis ſeiuncto, cur negotium faceſſere velis, cauſſam non video, maxime quum non vnus SELLIVS futurus ſit, qui te, niſi quieueris, pro merito caſtigat. Noli, ergo, obſecro, mouere noua bella, horrida bella, aut, ſi iam iacta eſt alea, ſcapulaeque tibi nimis pruriunt, parce, precor, precor. Spero, mihi veniam paratam fore, LECTOR, qui SEX. POMPONII regulas recenſens, in iuratum hunc regularum vel axiomatum, adeoque omnis ſcientiae, hoſtem quaedam ὡς ἐν παρόδῳ dixi. Nam conquerendum mihi demum fuit de inſigni hac iniuria, quam ſatis diu diſſimulaui, ſperans, vel patientiam meam hominem audaciſſimum in roborem daturam. Quod quum omni iſta modeſtia mea impetrare non potuerim, ſed ferox ille, licet pro merito exceptus a SELLIO, atrociora quotidie minetur: mutire fas fuit, ne me mortuum putet, neque mihi deeſſe credat animum aduerſus SIMAEVM aliquem, qui me huc migrantem inaudito nequitiae exemplo diris eſt proſequutus. Iam ergo in viam redeo. Ex libro illo ſingulari regularum POMPONII hodie exſtant fragmenta omnino ſex, ex quibus patet, eum non leui tantum brachio perſtrinxiſſe axiomata quaedam, non addita earum interpretatione, ſed ſingula accurate probaſſe, et, hauſtis inde concluſionibus, eorum vſum perſpicue monſtraſſe. Sic e. g. alicubi proponit regulam (a): *Viae, itineris, actus, aquaeductus partem in obligationem deduci non poſſe.* Huic ſtatim ſubiicit rationem, *quia vſus eorum*, vti omnium ſeruitutum, *indiuiſus ſit.* Addit denique vſum forenſem eius regulae, ex eaque conſequi monet, vt *ſi ſtipulator deceſſerit, pluribus heredibus relictis, ſinguli ſolidam viam petant, et ſi promiſſor deceſſerit, pluribus heredibus relictis, a ſingulis heredibus ſolida petitio ſit.* En eamdem methodum, qua nos vſi ſumus in elementis noſtris, quae ſudes in oculis ſunt iſti tenebrioni. Eodem ordine tractat regulam, qua furioſo quoque, tametſi, quid agat, ne-

 ſcienti

(a) l. 17. ff. de ſeruit.

ſcienti, actionem adquiri docet (*a*). Ex reliquis fragmentis, quamuis id oſtendi tam perſpicue nequeat, quia TRIBONIANVS tantum aliquot verba ex medio POMPONII textu decerpſit: eum tamen eumdem vbique ordinem obſeruaſſe, credere par eſt, optandumque adeo eſſet, vt integer praeſtantiſſimi iureconſulti liber ad nos perueniſſet, fructum omnino inde capturos multo vberrimum.

Praeter haec, quae hactenus recenſuimus, SEX. POMPONII volumina quaedam exſtitiſſe putant, quae nec auctor indicis Florentini, nec ipſe TRIBONIANVS vidiſſe videatur. Eo enim referunt DIGESTORVM opus, quod POMPONIVM noſtrum ſcripſiſſe, colligunt ex loco IVLII PAVLLI (*b*) vbi SEX. POMPONII *Digeſtorum* ab ARISTONE *Liber V.* citatur. Et ſane ſolenne fuit iureconſultis veteribus, Digeſta adornare, qualia et SALVIVM IVLIANVM, ALFENVM VARVM, IVVENTIVM CELSVM, VLPIVM MARCELLVM, CERVIDIVM SCAEVOLAM, AVFIDIVM NAMVSAM ſcripſiſſe, nouimus. At talia Pomponium quoque ſcripſiſſe, non adeo expeditum eſt. Verba enim PAVLLI, quae iam ſupra expoſuimus (*c*), id tantum innuunt, ad Ariſtonem quaedam ſcripſiſſe, vel ſaltim miſcellas eius iureconſulti obſeruationes in ordinem digeſſiſſe POMPONIVM, non vero compoſuiſſe DIGESTA, qualia IVLIANVS aliique eorum temporum iureconſulti reliquerant. Ceterum id notare non piget, proprium ICtis fuiſſe hunc titulum, eumque iis praecipue libris praefigi conſueuiſſe, in quibus ius vniuerſum ſecundum edicti perpetui ordinem enarrabatur. Quem ordinem et IVSTINIANVS (*d*) in vniuerſum ſeruari iuſſit in componendis pandectis, quamuis, quod ad ſingulas partes attinet, in collectorum arbitrio poſitum eſſe vellet, codicisne, an edicti perpetui, exemplum ſequi mallent.

Certius eſt, de STIPVLATIONIBVS quaedam reliquiſſe POMPONIVM. Quamuis enim nec iſtius libri mentionem fieri animaduertamus in indice Florentino: librum tamen octauum eius operis diſerte laudat VLPIANVS (*e*). Non vlla fere iuris ciuilis materia latius patebat ſtipulatione. Praeterquam enim quod praetoriarum et iudicialium ſtipulationum permulta genera eſſent, nihil fere publicae priuataeque rei apud Romanos ſine ſtipulatione tranſigebatur, vt recte obſeruet ipſe POMPONIVS (*f*), *conuentionalium ſtipulationum totidem fere genera eſſe,* *quot*

(*a*) *l.* 24. *ff. de obl. et act.*
(*b*) *l.* 44. *ff. ſoluto matr.*
(*c*) *pag.* XIII.
(*d*) *Conſt. Deo auctore de concept. Digeſt.* §. 5.
(*e*) *l.* 5. §. *vlt. ff. de vſufr. ear. rer.*
(*f*) *l.* 5. *pr. ff. de verb. obl.*

quot ſint rerum contrahendarum. Nam et qui litem conteſtabantur, ſponſione ſe inuicem prouocabant, et qui hereditatem fideicommiſſariam ex SC. Pegaſiano reſtituebant, et qui emebant, locabant, conducebant, tranſigebant, delegabant, acceptum ferebant, interpoſitis ſtipulationibus ſibi ſolebant cauere, et nullum fere erat negotium aliud, cui non ex ſtipulatione robur aliquod accederet. Quum vero ſtipulationes illae ſaepe captioſae eſſent, quod de illis, quae ex SC. Pegaſiano deſcendunt, obſeruauerat homo excelſi ingenii, Papinianvs: (*a*) in eo praecipue verſabatur ICtorum induſtria, vt cauerent hominibus, ne in ſtipulatorum inſidias ac veluti in laqueos inciderent. Hinc non modo ipſi ſtipulationum formulas, miro ac paene ſuperſtitioſo verborum delectu ſeruato, componebant, qualis eſt illa, quae a C. Aqvillio Gallo nobile ac perpetuum nomen tulit (*b*): ſed eas etiam fuſius interpretabantur totis libris, quales a Venvleio, Caio, aliiſque compoſitos, nouimus. Quare non mirum eſt, Pomponivm quoque ea in re exercuiſſe ingenium, quamuis ex vnica illa citatione Vlpiani, quale hoc opus fuerit, vix colligere liceat.

Denique ad ipſum Pomponii Enchiridion, quod vel maxime huic labori noſtro occaſionem dedit, progredimur. Et in Florentino quidem indice memorantur ἐγχειρίδια βιβλία δύο, iſque librorum numerus etiam tribus, quae in ipſis Pandectis inde decerpta ſunt, fragmentis confirmatur, ſiquidem ex libro Enchiridii priore *lex 8. D. de grad. et adfin.* ex poſteriore duo alia loca (*c*) a Triboniano decerpta ſunt. At tribus aliis locis (*d*). Enchiridion laudatur tamquam liber ſingularis, vel opus μονοβίβλιον, ac proinde quaeritur, duone eiuſdem tituli opera, an vnum tantum reliquerit? Et videtur ſane prior ſententia altera multo eſſe probabilior. Neque enim exemplo caret, iureconſultos eumdem titulum diuerſis dare operibus, ſiquidem et Papinianvs duplex volumen de adulteriis ſcripſit, quorum alterum duobus libris conſtitit, alterum μονοβίβλιον fuit, et inter Ivlii Pavlli ſcripta index Florentinus recenſet *Regularion* βιβλία ἑπτὰ et *Regularion* βιβλίον ἕν, itemque *Sententiōn* ἤτοι, *Factōn* βιβλία ἕξ, et *Sententiōn* βιβλία πέντε, *de adulteriis* βιβλία τρία et *de adulteriis* μονοβίβλιον. Quare nihil noui atque inuſitati fecerit Pomponivs, ſi ipſe quoque duo ſcripſit *enchiridia*,

 bre-

(*a*) §. 7. *Inſt. de fideic. hered.*
(*b*) *l.* 18. §. 1. *ff. de acceptilat.*
(*c*) *l.* 13. *ff. de tutel. l.* 107. *ff. de ſolut.*
(*d*) *l.* 2. *ff. de iuſt. et iure, l.* 2. *ff. de orig. iur. et l.* 239. *ff. de verb. ſignif.*

breuius alterum atque adſtrictius, alterum paullo diffuſius. Quum vero ea inſcriptio potiſſimum quadrare videretur libris, quibus prima alicuius diſciplinae principia veluti in nucleo exhibebantur, qualis eſt ille Epicteti, hoc titulo notiſſimus, quo totius philoſophiae Stoicae ſtamina ac prima veluti elementa continentur: idem etiam conſilium fuit Pomponio, hoſce libellos adornanti. Vtroque enim non niſi rerum definitiones ac diuiſiones complexus eſt, quas in numerato habere decet omnes, qui animum adpellunt ad iuriſprudentiae ſtudium. Nam alterius enchiridii libro priore inter alia oſtendit, quae perſonae *ſoceri* et *ſocrus*, itemque generi et nurus vocabulo veniant, poſteriore definiuit adminiſtratorem rerum et adiutorem tutelae, et vtriuſque differentiam a tutore expſicauit, itemque, quae ſit reſolutio verborum obligationis naturalis et ciuilis, paucis verbis docuit. Nec aliud egit in Enchiridio altero breuiore, quo varias eum definitiones breuiter explicaſſe, ex binis fragmentis (*a*) ſatis liquido conſtat. Breuius tamen hoc enchiridion id habuit praecipuum, quod definitionibus iſtis praemiſit tractatum elegantiſſimum de origine iuris, et omnium magiſtratuum, et ſucceſſione prudentum, animaduertens, vt opinor, hac hiſtoriae parte carere ſine ſummo detrimento non poſſe, qui operam nauant iuriſprudentiae. Enimuero tantum abeſt, vt hoc opuſculo eamdem ab omnibus gratiam inierit Sex. Pomponivs, vt a pleriſque nihil tale meritus vapulet. Id quod duplici ratione fieri animaduertimus. Alii enim cominus petentes Sex. Pomponivm in tota lege 2. D. de orig. iur. non niſi ἀνιςορησίαν ſibi deprehendere videntur, et fere vbique reperiunt, quod reprehendant. Alii illum eminus ac per latus Triboniani petentes, fragmentum iſtud bene longum non a Pomponio profectum, ſed ab illo iuris Iuſtinianei compilatore conſutum eſſe exiſtimant, tantoque maiore fiducia in illud non virgas, ſed ſecures, expediunt, quo magis veluti in mores abiit, vt vapulet Tribonianvs. Ex horum numero eſt Fr. Hotomanvs (*b*), qui, totam illam legem non niſi *fabulas et deliria Triboniani eſſe*, contendit. Quem ea in re multi alii ſequuntur, et maxime Ger. Cocceivs (*c*), *propter errores euidentes et ἀνιςορησίαν, quae occurrit, quum ignorantiam huiuſmodi rerum reipublicae in virum eximium, in conſilio principis conſiſtentem, non cadere, exiſtimandum ſit.* Et tamen bono Coccelo ſcrupulum haut leuem

(*a*) *l. 2. ff. de iuſt. et iur. et l. 239. ff. de verb. ſignif.*

(*b*) *Antitribon. cap. XII.*

(*c*) *Comment. ad tit. de orig. iur. p. 6.*

leuem iniicit ſtilus, quia, *vti totus contextus non referat ſtilum* POMPONII, *vel alterius alicuius veterum iureconſultorum*, *ita nec plane ſapiat ſtilum Triboniani.* Miror, inſigne hoc Triboniani emblema non obſeruaſſe WISSENBACHIVM (*a*), qui, quamuis aliqua in POMPONII fragmentis refinxiſſe Tribonianum exiſtimet, veluti quod pro *Ioue* alicubi ſcripſerit Deum (*b*), et pro *ad formulam redegiſſet* poſuerit *ad formam* (*c*), ipſam tamen legem 2. de orig. iuris. pro Triboniani foetu venditare non audet, credo, quod nimis temerarium illi viſum ſit hoc facinus, quam vt salua fronte illud admitti potuerit a Triboniano. Hinc huius exemplo alii Triboniano quidem parcunt, at tanto magis ſaeuiunt in POMPONIVM, quem negant quidquam ſcribere potuiſſe ineptius, famaeque ſuae numquam minus conſuluiſſe exiſtimant, quam adornata illa de origine iuris; omniumque magiſtratuum ac ſucceſſione prudentum hiſtoria. Sed quid, quaeſo, admiſit Pomponius, tantis conuiciis dignum? Pleraque ſane, quae in eo vulgo reprehendunt, ita comparata ſunt, vt vel defendi poſſint, vel erudite iam vindicata defenſaque ſint a viris doctiſſimis, quorum commentarii iam vno comprehenſi faſciculo in lucem prodeunt. Nos iam quaedam tantum, quae praeclaro POMPONII opuſculo fraudi fuiſſe videntur, obſeruabimus. Primo nimirum extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur, hiſtoriam illam non totam, prout a Pomponio ſcripta fuerat, eſſe in pandectas relatam, ſed quaedam tantum, quae prae ceteris notatu digna viſa ſunt Triboniano et ſodalibus eius, excerpta, et in hanc formam redacta eſſe. Id verum eſſe deprehendet, quiſquis connectendi formulas paullo accuratius expenderit. Sic quum egiſſet POMPONIVS de origine legum, iuris ciuilis, legis actionum, nec non de iure Flauiano et Aeliano, denique de plebiſcitis, ſtatim prouehitur ad ſenatuſconſultorum originem, de eaque ſcribit: (*d*) *Deinde quum difficile plebs conuenire coepit, populus certe multo difficilius in tanta turba hominum: neceſſitas ipſa curam reipublicae ad Senatum deduxit: ita coepit Senatus ſe interponere, et, quidquid conſtituiſſet, obſeruabatur, idque ius adpellabatur ſenatuſconſultum.* Contigiſſe hoc demum ſub Tiberio, ex hiſtoria ſatis notum eſt. Nam prius nec populus legum ſciſcendarum cauſſa ad comitia confluere deſiit, nec Senatuſconſultum pro lege eſſe coepit, niſi *μετὰ ταῦτα κυρώσαντος τοῦ δήμου*, id eſt, *plebiſcito eam in ſenten-*

(*a*) *Emblem. Triboniani p. 1. ſequ.*
(*b*) *l. 2. ff. de iuſt. et iur.*
(*c*) *l. 2. §. 7. ff. de orig. iur.*
(*d*) *l. 2. §. 9. ff. de orig. iur.*

tentiam condito, vti ſcribit DIONYSIVS HALICARNASSEVS [*a*]. Et tamen ſtatim ſequitur apud POMPONIVM: *Eodem tempore et magiſtratus iura reddebant, et vt ſcirent ciues, quod ius de quaque re quiſque dicturus eſſet, ſeque praemuniret: edicta proponebant, quae edicta praetorum ius honorarium conſtituerunt.* Quis vero hoc eodem tempore factum eſſe dixerit, id eſt ſub Tiberio, quum multis ſaeculis ante Praetores et ius dixerint in ciuitate, et, propoſitis edictis, quod ius dicturi eſſent, ciues monuerint? Nihil ergo certius eſt, quam quaedam praeceſſiſſe alia, a Triboniano omiſſa, quae *eodem tempore* contigerint, quibus illud ius honorarium naſci coepit. Multa ergo praetermiſiſſe videtur Tribonianus, quae Pomponius accuratius prolixiuſque retulerat, nec credibile eſt, hunc omnia tam paucis verbis ac paene per mera lemmata attingere potius, quam narrare voluiſſe. Ea vero re factum eſt, vt multa iam male cohaerere videantur, quae cohaererent procul dubio pulcherrime, ſi totum Pomponii opuſculum exſtaret. Deinde in nulla paene lege magis aberrarunt librarii, quam in hac l. 2. de orig. iur. et hinc in ea emaculanda permultum operae poſuerunt viri ſummi, CVIACIVS et BYNKERSHOEKIVS. Quis igitur miretur, plura in ea lege vel non ſatis Latina, vel hiſtoriae veteri parum conuenientia videri? An non alia innumera eius generis et in aliis melioris aetatis monimentis occurrerunt, priuſquam viri docti, alia adhibitis in conſilium vetuſtis codicibus, alia ex ingenio emendaſſent? Et annon talia quamplurima non vbique fere et hodie in optimi cuiuſque ſcriptoris operibus ſuperſunt? Tum porro nec id praetermittendum arbitramur, non illico pro ἀνιστορησία habendum eſſe, quod a LIVII, aliorumque, quos hodie legimus, veterum ſcriptorum narratione diſcrepare animaduertimus. Potuit enim ſuos auctores habuiſſe POMPONIVS, qui perierunt iamdudum, remque; vti fieri ſolet, paullo aliter, quam alii, retulerunt. Sic quamuis LIVIVS [*b*] aliique Cn. Flauium iam Aedilem fuiſſe ſcribant, quum faſtos actioneſque publice proponeret: non tamen ideo finxiſſe putarem POMPONIVM [*c*], Flauium hoc munere aedilitatem meruiſſe. Nec magis ignorantiae POMPONII tribuerim, quod ille de Q. Mucio Carthaginem miſſo, duabuſque teſſeris poſitis, memoriae prodidit [*d*], quum auctorem ſuum habuiſſe potuerit, ex quo haec, ab aliis aliter expoſita,

[*a*] *Antiqu. Lib. X, p. 676.*
[*b*] *Lib. IX. cap. XLVI.*
[*c*] *l. 2. §. 7. ff. de orig. iur.*
[*d*] *l. 2. §. 37. eod.*

ta, hauſerit. Sunt profecto haec antiquiora, in quibus enarrandis ſaepe diſcrepant a ſe inuicem etiam exploratae fidei ſcriptores, quibus tamen ideo nemo temere ignorantiam atque ἀνιστορησίαν exprobrandam exiſtimat. Multa enim hiſtorici optimi, at non σύγχρονοι, ſcripſerunt, prout illa per manus tradita acceperant, quamuis aliquando tam fabuloſa, vt fateri cogerentur cum LIVIO [a], talia ſaepe *poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monimentis tradita eſſe, ſed dandam tamen hanc veniam eſſe antiquitati, vt miſcendo humana diuinis, primordia vrbium* et ciuitatum ſuarum *anguſtiora faciant.* Denique quum paucis verbis pleraque complexus ſit SEX. POMPONIVS, haut raro illi contigiſſe animaduertimus, quod ait POETA:

Dum breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio.

Hinc multa, quae exprobrari ſolent POMPONIO, ita comparata ſunt, vt non tam ipſius aliqua culpa ſit, quam cenſorum vitio et ſine populi ſuffragio creatorum, qui ne perceperunt quidem illius ſententiam. Vt exemplo rem illuſtrem, quotusquiſque eſt, obſecro, qui non exprobrarit Pomponio, quod exactis regibus omnes leges regias lege tribunicia exoleuiſſe ſcripſerit [b]? Et tamen nulla hic eſt culpa POMPONII; ſatis, niſi fallimur, gnari, leges non exoleſcere noua lege, ſed deſuetudine. Culpa ergo eſt eorum, qui legem Tribuniciam cum verbo exoleuit coniunxerunt, quum POMPONIVS ipſos Reges exactos eſſe lege Tribunicia, i. e. a Iunio Bruto, Tribuno Celerum, lata, moneat. Quotuſquiſque, vbi initio ciuitatis reges omnia manu rexiſſe legit, non animo ſibi concepit regnum aliquod Arſacidarum, in quo regum libido pro lege fuerit? Ita ſane POMPONIVM intellexit vir ceteroquin doctiſſimus, SCIPIO GENTILIS [c], qui vel ideo fragmentum hoc Pomponio abiudicare non dubitauit, quod incredibilis ei videretur haec Romuli ac ſucceſſorum παμβασιλεία. Et tamen verba illa non ad formam reipublicae, ſed ad facultatem edicendi de iis omnibus, quae e republica viderentur, nec adhuc legibus definita eſſent, pertinere, iam alibi nos monere meminimus [d]. Talia plura miramur in commentariis recentiorum ICtorum, quippe qui vel ad leuiſſimos quoſ-

[a] LIV. *praefat. comm.* 7.
[b] *l.* 2. §. 3. *ff. de orig. iur.*
[c] *de Principe Rom. cap. XI.*
[d] *Hiſt. Iur. Lib. I. cap. I.* §. 4.

que ſcrupulos ſaepenumero offendunt, et vbique aliquid ἀνιςορησίας reperire ſibi videntur in Pomponio, etiam, quando ſana omnia ſunt, et optimorum auctorum teſtimoniis nituntur.

Praeclare ergo de bonis litteris meritus eſt iuuenis ornatiſſimus, et ad interioris iuriſprudentiae omniſque humanioris litteraturae adyta incredibili induſtria contendens, Io. Lvdovicvs Vhlivs, qui opuſcula quaedam, ad illuſtrandum Pomponii enchiridion comparata, laudabili induſtria in hunc faſciculum collegit, maxime quum quaedam eorum non facile reperiantur in tabernis librariis, et digna tamen ſint, quae in ſtudioſorum manibus verſentur. In his primum ſibi locum iure vindicant Iac. Cviacii notae, breues illae quidem et pauciores, ſed bonae frugis pleniſſimae, et quae vbique magni iſtius viri ingenium redolent. Emendat ille quaedam ſatis acute et aliqua ab aliorum vel vi maiore vel ψευδερμηνείᾳ defendit: plura vero ex omni antiquitate ſatis erudite explicat, omnibuſque boni interpretis partibus hoc libello egregie fungitur, vti fatebitur, quiſquis haec ſcholia cum iis, quae M. Ant. Mvretvs in hanc legem ſecundam de origine iuris notauit, paullo diligentius contenderit. Emendationis egregium ſpecimen eſt, quando obſeruat, §. 2. ſtatim huius fragmenti pro *in libro Sexti Papirii* in codicibus quibuſdam legi *in libro VI. Papirii*. Veriſſimum enim eſt, Papirium praecipue leges Numae, ad ſacra pertinentes, collegiſſe, iiſque fortaſſe ſub finem, libro nimirum VI. ſubiunxiſſe reliquas leges Regias. Saltim non Sexti praenomen habuiſſe videtur ille iuris Papiriani auctor, ſed vel Caii, vel Manii, quos iiſdem fere temporibus vixiſſe obſeruat Dionys. Halicarnassevs [a], alterum pontificem maximum, alterum regem ſacrorum. Ex his enim Caivm leges Numae poſt Ancum Marcium Regem in vſum reuocaſſe ſcribit Dionysivs, vt dubitare non liceat, quin is ſit auctor iuris Papiriani, adeoque et parum accuratum ſit Pvblii praenomen, quod Papirio alibi tribuere videtur Pomponivs [b]: vnde pro eo iam alibi legendum viſum eſt: *Fuit autem in primis peritus* pvbl. ivris, *Papirius* [c]. Vel maxime enim Papirio hoc competit elogium, qui et Numae oracula, ad ſacros ritus pertinentia, collegit, et leges regias, in quibus genuina procul dubio iuris publici Romanorum antiquiſſimi imago relucebat, compilauit, adeoque ſuffragari nequeo Cviacio [d], qui

[a] *Lib. III. p. 170. et Lib. V. p. 278.*
[b] *l. 2. §. 36. ff. de orig. iur.*
[c] *Hiſt. Iur. Lib. I. cap. 2. §. 15.* *
[d] *pag. 4.*

qui P. Papirium iuris Papiriani auctorem, eumdemque a C. Papirio, cuius DIONYSIVS ſeruauit memoriam, diuerſum fuiſſe ſuſpicatur. Snnt et quaedam alia in opuſculo CVIACIANO, quibus ego quidem ſuffragari non auſim. Sic, quae de lege Tribunicia p. 3. commentatur, vix veroſimilia ſunt. Quum enim verba *Pomponii* de lege tribunicia, qua leges regiae abrogatae ſint, acceperit vir doctiſſimus: non potuit non id a Bruto factum eſſe negare, ac proinde lege a primis Tribunis plebis in prima ſeceſſione in montem Cruſtumerinum ſeu ſacrum rogata, legibus regiis ſemel ſimulque repudium datum eſſe, ſuſpicatus eſt, maxime quum eam ſententiam firmare haut parum videantur verba inſequentia POMPONII: *idque prope viginti annis paſſus eſt.* Sed primo non abrogatae dicuntur leges regiae, ſed *exoleuiſſe*, id quod non expreſſa abrogatione, ſeu noua ac contraria lege, ſed tacite per deſuetudinem fieri, iam ſupra obſeruauimus. Deinde reges exactos eſſe lege tribunicia, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Brutus enim, qui legem de abrogando regi imperio eiuſqne exſilio ad populum tulit, fuit Tribunus Celerum. LIVIVS: [*a*] *Ergo ex omnibus locis vrbis in forum curritur. Quo ſimul ventum eſt, praeco ad* TRIBVNVM CELERVM, *in quo tum magiſtratu forte Brutus erat, populum aduocauit.* Et apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM [*b*], ſuadente coniuratis Bruto, vt vocata in concionem plebe, Tarquinio abrogetur imperium, Valerius, ſumtis dicendi partibus: *Reliqua*, inquit, *recte monere videris, Iuni, ceterum de comitiis ſcire velim, quis indicet ea legitime, et calculum permittet curiis? Magiſtratus enim eſt hoc officium, et noſtrum nemo vllum magiſtratum gerit,* Ad haec BRVTVS: Ἐγὼ, Ὀυαλέριε, τῶν γὰρ Κελερίων ἄρχων εἰμί. Καὶ ἀποδέδοταί μοι κατὰ νόμυς ἐκκλησίαν, ὅτε βυλοίμην, συγκαλεῖν. ἔδωκέ μοι τὴν ἀρχὴν ταύτην ὁ Ταρκύνιος, μεγίϛην ὖσαν, ὡς ἠλιθίῳ, καὶ ὖτ' αἰσθησομένῳ τῆς δυνάμεως αὐτῆς, ὖτ' εἰ γνόιην χρησομένῳ. *Ego, Valeri, ſum enim Tribunus Celerum, licetque mihi per leges quandocumque in comitium vocare populum. Hunc enim honorem, maximum alioquin, Tarquinius mihi dedit, ceu fatuo, vt qui nec poteſtatem eius ſim animaduerſurus, nec, ſi vel maxime intelligam, ea vſurus.* Et quid aliud voluit ipſe POMPONIVS [*c*] quando agens de magiſtratu illo Tribunatus Celerum: *Quo in nume-*

[*a*] *Lib. I. cap. LIX.*
[*b*] *Lib. IV. p. 266.*

[*c*] *L. 2. §. 15. ff. de orig. iur.*

numero, inquit, *fuit* IVNIVS BRVTVS, *qui auctor fuit reges eiiciendi?* Denique ne chronologicae quidem rationes me facile ab ea ſententia dimouerint, quum veroſimillima ſit coniectura viri illuſtris, CORN. VAN BYNKERSHOEK, exiſtimantis, ſcriptum fortaſſis fuiſſe: *prope viginti annis*, id eſt, *ſexaginta annis*, ex eaque ſcriptura librarium indoctum extorſiſſe vocabulum *viginti*. Ita et p. 8. iuſto plus tribuere videtur pontificum collegio circa actionum formulas, quum eorum poteſtas tantum ad res, quae cum iure ſacro quamdam cognationem habent, nec non ad faſtos dierum faſtorum nefaſtorumque, aliaque huius generis pertinuiſſe videatur, ceu recte obſeruauit GEORG. SCHVBARTVS. [a] Pontificibus enim ſacrorum curam demandarat Numa, ad quam etiam pertinebat diſcrimen dierum faſtorum nefaſtorumque, ab ipſo Numa inſtitutum, *quia aliquando nihil cum populo agi, vtile futurum* videbatur [b]. Hinc CICERO [c]: *Poſſet agi lege, nec ne, pauci quondam ſciebant. Faſtos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui conſulebantur: a quibus etiam dies, tamquam a Chaldaeis, petebantur.* At faſtorum curam penes Pontifices fuiſſe, inter omnes conſtat. Porro non reliquas actionum formulas in pontificum poteſtate fuiſſe, ſed eas tantum, quae cum ſacris et religione quodammodo eſſent coniunctae, ex inſtituto oſtendit CICERO [d], qui de pontificum officio circa iuriſprudentiam: *Saepe, inquit Publii filius,* (Q. Mucius Scaeuola,) *ex patre audiui, pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſſet. Totumne? quid ita? quid enim ad pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut vllo omnino? ergo quod cum* RELIGIONE *coniunctum eſt. Id autem quantulum eſt? de ſacris, credo, de votis, de feriis, de ſepulcris, et ſi quid huiuſmodi eſt. Cur ergo haec tanti facimus, quum cetera perparua ſint?* At id in primis notandum eſt, ad pontificum iuriſdictionem etiam pertinuiſſe ſacra priuata, quae perpetua eſſe voluerat ius pontificium. Hoc vno vero poſito, pleraque quae de adrogationibus et hereditatibus diſceptabantur, deferebantur ad pontifices, ab iiſque reſponſa tamquam ex tripode petebantur. Hinc arrogationes fiebant auctoritate Pontificum [e]: hinc eorum arbitrii erat, qui adſtringantur ſacris, et quo ea, mortuo patrefamilias, perueniant [f]. Hinc ipſae nuptiae, ſiue ritu

[a] *De Fatis Iuriſp. Rom.* p. 59

[b] *Liu. Lib.* I. *cap.* XIX.

[c] *pro L. Muraena cap.* XI.

[d] *de Legib. Lib.* II. *cap.* XIX.

[e] *Gell. Noct. Att.* V. 19. *Cic. pro domo cap.* XIII.

[f] *Cic. de Legib. ib. cap.* XX.

ritu confarreationis eſſent ineundae [*a*], ſiue alia quaeſtio, quae religionem attingere videbatur, incideret, pontificum arbitrio fiebant. Quod probari poteſt Auguſti exemplo, qui, quum incredibili ducendae Liuiae, iam nuptae, amore flagraret, et ad ceſſionem parato, marito inde eius deſiderio mora adferri videretur, quod ea, ex Nerone ſextum iam menſem grauida, vt eleganter ait PRVDENTIVS [*b*]:

Nondum maternam partu vacuauerat aluum,
Conceptamque viri ſobolem paritura gerebat
Pronuba.

Auctor ergo eſt DIO CASSIVS [*c*], pontifices conſuluiſſe Auguſtum, an fas eſſet, praegnantem domum ducere? Quod illi, hac diſtinctione inuenta, diſſoluerunt, vt, ſiquidem, ex quo grauida foret, incertum eſſet, nuptias differri oporteret: ſin, ex quo concepiſſet, conſtaret, nihil prohibere putabant, quo minus duceretur. Quod denuo exſecratus PRVDENTIVS:

Idque Deum ſortes et Apollinis antra dederunt,
Conſilium: numquam melius nam cedere taedas,
Reſponſum eſt, quam quum praegnans noua nupta iugatur.

Fuere itaque omnino permulta, quae, quia cum ſacris ac religione coniuncta videbantur, Pontificum erant cognitionis, neque tamen generatim dici poteſt cum POMPONIO, *omnium harum* (XII. tabularum,) *et interpretandi ſcientiam, et actiones apud collegium pontificum fuiſſe, ex iiſque conſtitutum, quis quoquo anno praeeſſet priuatis* [*d*]. Sed ſaepe vniuerſali loquutione efferunt iureconſulti, quod cum quadam reſtrictione eſt intelligendum. Non magis crediderim CVIACIO [*e*], dicto dictatore, manſiſſe magiſtratus legitimos, idque ſibi velle verba POMPONII [*f*]: *Magiſtratus tamen habebantur legitimi.* Quid enim poteſtatis eſſe potuiſſet penes alios magiſtratus, quum omne imperium transferretur in Dictatorem, ipſique conſules, vt LIVIVS [*g*] aliquoties

 innuit,

[*a*] *Hotom. de vet. rit. nupt. cap. XX.*
[*b*] *Lib. I. contra Symmach. v. 254.*
[*c*] *Lib. XLVIII. p. 384.*
[*d*] *l. 2. §. 6. ff. de orig. iur.*
[*e*] *pag. 14.*
[*f*] *l. 2. §. 19. ff. de orig.*
[*g*] *Lib. VIII. cap. XXXIII. et Lib. XXII. cap. XI.*

innuit, illi dicto audientes eſſe tenerentur, quin quum diſerte ſcribat POLYBIVS: [a] ὃ κατασαθέντος, παρὰ χρῆμα διαλύεσθαι συμβαίνει πάσας τὰς ἀρχὰς ἐν τῇ Ῥώμῃ, πλὴν τῶν δημάρχων. *Quo dictatore [illegible] renunciato, extemplo omnes reliqui magiſtratus, tribunis exceptis, poteſtate exeunt.* Mihi ergo nihil dixiſſe videtur POMPONIVS, quam Dictatores, et Magiſtros equitum magiſtratus fuiſſe extraordinarios quidem, attamen legitimo modo creatos, quum conſulibus fas eſſet, in re trepida, noctu, ſilentio, dictatorem dicere [b], et populus deinde rebus diuinis perfectis, rogaretur; *vt equum aſcendere liceret* [c]. At eos magiſtratus de quibus inſequente paragrapho acturus ſit, fuiſſe ordinarios, verum minus legitimos, quippe tumultu creatos, et quidem non in comitiis curiatis aut centuriatis, ſed tributis. Breuia et abrupta ſunt verba: ſed non tamen adeo obſcura, ſi eo ſenſu accipiantur pro tranſitione ad ea, quae inſequente paragrapho dicuntur. Vix porro eſt, vt rem acu tetigiſſe arbitrer CVIACIVM [d], quando cauſſas etiam capitales ad centumuiros pertinuiſſe, ſcribit, niſi forte et eas vocet cauſſas capitales, quibus de libertate et ſtatu familiae diſceptatur: quod tamen vix arbitror, quia has cauſſas opponit ciuilibus. Teſtem laudat FABIVM QVINCTILIANVM *Lib. IV.* ſed eo libro nihil, quod ad rem faciat, legere me memini, vt non dubitem, quin CVIACIO, haec ſcribenti, animo obuerſatus ſit locus [e], quem iam SIB. TEDARD. SICCAMA [f] expendit, vbi FABIVS: *Quibuſdam in iudiciis, maximeque capitalibus, vt apud centumuiros, ipſi iudices exigunt ſollicitas et accuratas actiones.* At capitales illae cauſſae ſunt eius generis, qualem deſcripſit CICERO [g], de patrefamilias milite, *qui ex Hiſpania Romam venerat, quum vxorem praegnantem in prouincia reliquiſſet, Romaeque alteram duxiſſet, neque nuncium remiſiſſet priori, mortuuſque eſſet inteſtato, et ex vtraque filius natus eſſet.* De eo vero iudicio CICERO: *Mediocrisne res in controuerſiam adducta eſt, quum quaereretur de duobus ciuium* CAPITIBVS, *et de puero, qui ex poſteriore natus erat, et de eius matre, quae, ſi iudicaretur, certis quibuſdam verbis non nouis nuptiis, fieri cum ſuperiore diuortium, in concubinae locum duceretur.* Tales cauſſae capitales, quia ciuiles erant, procul dubio ad centumui-

rale

[a] *Lib.* III. *cap.* LXXXVII.
[b] *Liu.* VIII. *cap.* XXII.
[c] *Liu. Lib.* XXIII. *cap.* XIV.
[d] *pag.* 20.
[e] *Lib.* IV. *Inſt. Orat. cap.* X.
[f] *de iudic. centumu. Lib.* I. *cap.* VII.
[g] *de Orat. Lib.* I. *cap.* XL.

rale iudicium deferebantur, non in quibus vita hominum in periculum adducebatur. Nec id probant loca, quae ex OVIDIO et LVCANO attulit CVIACIVS, in quibus *commiſſa* eſſe centumuiris FORTVNA *reorum*, et *haſta decemuirorum* TREPIDOS REOS *ad iura citare*, dicitur. Vbi obſeruat CVIACIVS, vix fortunae iudicium, fortunamue reorum dici aliam, quam in capitali cauſſa, nec trepidos dici alios, quam reos capitalium criminum. Sed non video, cur non et in iudiciis priuatis tribui aliquid poſſit fortunae, quum et hic res redeat ad iudicum tabellas, et cur non et illi trepidare poſſint, quorum fortunae et facultates in diſcrimen adducuntur. Fortunae tribuitur, quidquid plenum eſt aleae, et non poſſunt non trepidare, quibus imminet periculum: ſiue vitae, ſiue famae, ſiue fortunis metuant. Quid multis? CICERO, [*a*] qui ex inſtituto cauſſas centumuirales recenſet, nuſquam meminit capitalium criminum, ſed vſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, adluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum et ratorum, quae poſtremae quaeſtiones tam quotidianae erant in conſiliis centumuirorum, vt hereditatis petitio et querela inofficioſi teſtamenti κατ' ἐξοχὴν centumuiralia iudicia in iure noſtro vocentur [*b*], atque inde non abſurde colligat SICCAMA [*c*], poſterioribus temporibus centumuiros de ſolis hereditariis controuerſiis, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato obuenirent, iudicaſſe. Merito denique mireris, CVIACIVM noſtrum [*d*], vbi de quaeſtionibus publicis a L. Cornelio Sulla inſtitutis agit, negare, Sullam tuliſſe, legem Corneliam de maieſtate, aut vnquam fuiſſe proprium huius quaeſtionis praetorem. Prius ſaltim negare vix licet, poſtquam huius legis capita luculenter expoſuit CAR. SIGONIVS [*e*]: nec dubitaturum quemquam arbitror, quin auctor huius legis Corneliae non alius ſit, quam L. Cornelius Sulla, quum eam Sullae diſerte tribuat CICERO [*f*].

Progredimur ad eruditiſſimum CHRIST. ADAMI RVPERTI commentarium, qui Ienae in forma minima prodiit, ſed adeo inquinatus, vt non minimo labore opus fuerit laudatiſſimo VHLIO ad maculas iſtas eluendas. Fuit RVPERTVS vir doctiſſimus, qui cum diffuſa lectione ingenium elegans iudiciumque rectum et defaecatum, ac notitiam de-

nique

[*a*] *de Orat. Lib. I. cap. XXX. VIII.*

[*b*] *l. ult. C. de hered. pet. l. 13. ff. de inoffic. teſt.*

[*c*] *de centumuir. iud. Lib. II. cap. V.*

[*d*] *pag. 22.*

[*e*] *de iudic. Lib. II. cap. XXIX. p. 428.*

[*f*] *Lib. III. ad Familiar. Epiſt. XI.*

nique rei litterariae haud vulgarem coniunxerat, vt nemini ea aetate dubium eſſet, quin praecipuo Germaniae ornamento fuiſſet futurus, niſi tantas ſpes, quae eſt rerum humanarum conditio, fata praepropera in ipſo iuuentutis flore exſtinxiſſent. Ingenium eius tamquam Phidiae ſignum, ſemel adſpectum ſeſe probauit viris ea aetate doctiſſimis, etiam Gallis atque Italis, qui doctiſſimum virum vnice amabant, participemque rerum nouarum certatim faciebant: vt fieri non potuerit, quin in eius ſcriptis multa haud vulgaria occurrant. Neſcio tamen an eius doctrinae quiſquam plus pretii ſtatuerit, quam THOM. REINESIVS, cuius et RVPERTI epiſtolarum mutuarum volumen haut tenue exſtat, ex quibus patet, eum permulta communicaſſe cum Reineſio, quae ad locupletandum illud Inſcriptionum Reineſianarum ſyntagma pertinebant. Scripſit in tantilla aetate ſatis multa, eaque non vulgaria, interque illa, quibus auctores veteres, VELLEIVM PATERCVLVM, VALERIVM MAXIMVM, FLORVM illuſtrauit, et quae ad emendandam ſupplendamque BESOLDI hiſtoriam vniuerſalem pertinent, etiamnum magni fiunt a viris doctis. Inter alios labores, quos in ſtudioſae iuuentutis vtilitatem Altorffi Noricorum ſuſceperat, iſte quoque non ſine plauſu exceptus eſt, quem POMPONII enchiridio interpretando, auctore viro prudentiſſimo, GEORGIO RICHTERO, Academiae Altorffinae procancellario, impendit. In eo enim commentario, poſt auctoris fata ex eius ſchedis eruto, et typis exſcripto, nihil fere praetermiſerat, quod ad hiſtoriam iuris magiſtratuumque, nec non ad illam prudentum ſucceſſionem pertinere videbatur, vt maximam procul dubio gratiam a ſtudioſis inierit VHLIVS meus, dum nouam opuſculi praeſtantiſſimi editionem adornauit, maxime quum fere iam diſparuerint exemplaria in tabernis librariis, et libello tamen carere vix poſſint, qui praeſtantiſſimum illud POMPONII fragmentum intelligere accurate cupiunt. In eo permulta obſeruat, tum vulgo ignota, veluti, auctorem conſtitutionis de ciuitate cum omnibus in orbe Romano ingenuis communicata [a] non eſſe Antoninum Pium, ſed Antoninum Caracallam [b]: Flauii praenomen vel maxime adfectaſſe principes non modo Romanorum, ſed et Gothorum [c]: enchiridion Pomponii in nouam epitomen eſſe redactum [d]: pau-

[a] l. 17. ff. de ſtatu hom.
[b] pag. 42.
[c] pag. 43.
[d] pag. 47.

paucas quaſdam gentes Romanorum duplici vſos eſſe praenomine: (*a*) fabulam eſſe, quae de Papirio Praetextato referant GELLIVS et MACROBIVS (*b*), et quae ſunt eius generis alia, ſane innumera. Vix enim caput perlegeris elegantiſſimi libelli, quin in obſeruationem aliquam ſcitu digniſſimam incidas. Sed nec omnia tamen eiuſdem praeſtantiae eſſe fateor, obſeruaſſe mihi viſus, non adeo felicem illum fuiſſe in illa critices parte, quae in emendandis locis corruptis verſatur. Quamuis enim omnino probemus ad §. 2. mutationem praenominis *Sexti* in *ſextum*, §. 3. ſcripturam *ſexaginta* pro *viginti*, nec non incerto iure *agi* pro *ali*, §. 37. pro *Q. Mucius*, *Q. Maximus*, §. 40. pro *Paulus Virginius*, *Aulus Virginius*, §. 42. pro *vt ea ad omnes adpetant*, *vt ea adeo omnes adpetant*, §. 47. *Surdinus* pro *Quartinus*, et quaſdam huius generis coniecturas alias: eas tamen RVPERTVS pleraſque aliis debet, quos etiam plerumque bona fide laudat. At parum contra rem acu attigit, quando ad §. 32. legit; *Ita X. Praetores*, *VI. aediles ſunt creati.* In numero enim Praetorum veteres ipſos inter ſe diſſenſiſſe, iam CVIACIVS obſeruauerat. Nec neceſſaria eſt emendatio §. 33. quando eum ita conſtituit: *Is vocatur Praefectus vrbi, qui profectis olim conſtituebatur.* Iam enim praeceſſerat, *Quoties autem proficiſcuntur, vnus relinquitur, qui ius dicat*: et multo concinnior eſt emendatio BYNKERSHOEKII, ſequuti codicem CHARONDAE, niſi quod ſeruat vocem Praefectus, ac proinde totum locum ita reſtituentis: *Qui praefectus olim conſtituebatur feriarum Latinarum cauſſa, poſtea introductus eſt quotannis, et obſeruatur.* Vis maior porro eſt, non emendatio, quando RVPERTVS in §. 36. pro *Centumanus* reſcribit *Caecus*, in §. 45. pro *Q. Mucius Voluſii auditor*, *Q. Mucii et Volcatii auditor*, §. 47. pro *Tuſcianus*, *Voluſius Maecianus.* Quae fere omnia ab aliis erudite profligata ſunt, maxime ab illuſtri BYNKERSHOEKIO. Sed eſt ea quorumdam eruditorum indoles, vt omnia, etiam, quae rectiſſime ſe habent, ſollicitent, eaque modo librariorum inſcitiae, modo Triboniani ſceleri tribuant. Cuius rei inſigne ſpecimen dedit IO. IAC. WISSENBACHIVS, (*c*) qui, ne mala fides Triboniani circa Pomponii enchiridion lectori ignota eſſet, in l. 2. ff. de iuſt. et iure eum pro *Ioue*, *Deum* et in l. 2. §. 7. ff. de orig. iur. pro *formulam* repoſuiſſe formam contendit, quaſi non promiſcue *Iouis* et *Dei* vocabulis vtantur veteres, etiam a Chriſtiana pietate alieniſſimi, et quaſi non ſaepe *forma* pro

[*a*] *pag.* 58.
[*b*] *pag.* 59.
[*c*] *Embl. Trib. pag.* 1. *ſequ.*

pro *formula* ponatur, aut Triboniani interfuerit, in fragmento hiſtorico expungi formulas, quia eius tempore extra vſum fuerit formularia illa iuriſprudentia. Miror ſane, Tribonianum non eadem ſpongia deleſſe, aut refinxiſſe pro lubitu, quae Pomponius de legibus, plebiſcitis,, SCis, magiſtratuum edictis ſcripſerat, quum eorum iampridem nullus vſus eſſet in orbe Romano? Sed de his iam non agimus, ne actum agamus, quum nuper admodum Triboniani cauſſam fere perorarint cum vir ampliſſimus, CORN. VAN BYNKERSHOEK, (*a*) tum v. c. IO. WYBO, qui Tribonianum defenſum antea ſpeciminis academici forma editum nuper recognouit, locupletauitque, eumque egregium libellum doctiſſimo VHLIO miſit, cum Emblematibus Triboniani edendum. Quo nomine ipſi eo maiores agimus gratias, quo vberiorem inde fructum capient ii, qui opinione de Triboniani flagitiis iam pridem imbuti, nihil fere ſinceri ineſſe corpori iuris, omniaque corrupta, contaminata, interpolata eſſe, exiſtimant. Opuſculum ſane Halam tranſmiſſum non ſine voluptate legi, et amare coepi auctoris ingenium, facileque agnoui genuinum SCHVLTINGII auditorem, cuius ad laudes vt magis magiſque adſpiret, vitam ei non minus longaeuam, valetudinem inconcuſſam, ac honeſtum in primis otium ex animo adprecamur. Sed vt ad RVPERTVM noſtrum redeamus, ſunt et alia quaedam in eius commentariis, quibus me adſentiri non poſſe fateor. Sic ad §. I. vt *manum regiam* recte interpretatus videretur, primorum regum ad Seruium Tullium vſque poteſtatem ſummam, nulliſque circumſcriptam legibus fuiſſe, contendit, quamuis, ipſe ſibi diffiſus poſtea manum etiam de principis poteſtate non abſoluta et tyrannica, ſed legibus temperata, accipi fateatur. (*b*) Vbi de Alfeno Varo agit, (*c*) hunc eumdem eſſe putat cum ſutore illo, de quo HORATIVS: (*d*)

> *Optimus eſt modulator, vt* ALFENVS *vafer, omni*
> *Abiecto inſtrumento artis, clauſaque taberna,*
> SVTOR *erat.*

Sed de conſulari ſutore agere HORATIVM, non liquet, nec addit, eum ſubito iureconſultum factum, quemadmodum ſutor ille apud PHAEDRVM (*e*) inopia deperditus ſtupore vulgi illico factus fuerat medicus.

(*a*) *Obſeru. Lib. VI. et ſequ.*
(*b*) *Lib. I. Cap. II.*
(*c*) *Lib. III. Cap. X.*
(*d*) *Serm. Lib. I. Sat. III. v. 130.*
(*e*) *Lib. I. fab. XIV.*

medicus. Quin quum Chryſippum ita loquentem fingat HORATIVS: parum profecto obſeruaſſet τὸ πρέπον, ſi Alfenum ab eo, tamquam doctrinae ſuae exemplum, citatum finxiſſet, quin procul dubio ipſe neglexiſſet praeceptum ſuum: (*a*)

Intererit multum, diuuſne loquatur, an heros,
Maturuſne ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, et matrona potens, an ſedula nutrix,
Mercatorne vagus, cultorue virentis agelli,
Colchus, an Aſſyrius, Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge.

Error ergo hic fuerit ſcholiaſtarum, qui in Alfenum vel Alfinum ſutorem incidentes, memoreſque eiuſdem nominis iureconſulti, nihil certius putarunt, quam eum clauſa ſutrina commigraſſe Romam, et ibi ad ſummam iuriſprudentiae laudem perueniſſe. Sed quaedam iam eam in rem monuerunt viri doctiſſimi, WAECHTLERVS (*b*) et EV. OTTO (*c*), quorum hic, ſe id ſingulari libro plenius probaturum, minatus eſt. Denique praeclare de SALVIO IVLIANO meritus eſt RVPERTVS, dum extremo opuſculo ſubiunxit tabulam genealogicam ſeu ſtemma Saluiorum et Didiorum Iulianorum, quod poſt Is. CASAVBONVM (*d*) concinnarat THOM. REINESIVS (*e*). Sed neutrum eſſe ſatis accuratum, et aliqua tum REINESIVM et RVPERTVM, tum CASAVBONVM praeteruidiſſe, ex inſtituto oſtendimus in programmate inaugurali de Saluio Iuliano, (*f*) vbi et alıud ſtemma plenius emendatiuſque dedimus.

Sequitur, viri incomparabilis, CORN. VAN BYNKERSHOEK, ornamenti reip. ſuae ac totius orbis litterarii, et, ſi hoc fine immodeſtiae ſuſpicione dicere licet, mihi Muſiſque meis amiciſſimi, Commentarius, quem PRAETERMISSA iure inſcripſit, quum non minorem operam dederit, vt ne ab aliis ſcripta ſcriberet, quam, vt praeclara lectuque digna ſcriberet. Noli exſpectare, LECTOR, vt de praeclaro hoc opere, ipſoque viro illuſtri, plura dicam. Quum enim nec meum ſit, amicum laudare, nec BYNKERSHOEKII laudes ab amicis profectas ferre: id vnum faciendum reſtat, vt cum reliqua viri illuſtris opera, tum haec praetermiſſa, auditoribus meis vehementer etiam atque

 etiam

(*a*) *de Arte poet. v.* 115.
(*b*) *Acta Erud. ann. MDCCXI. p.* 21.
(*c*) *Theſaur. Iur. Tom. I. praef.*
(*d*) *Not. ad Hiſt. Aug. p.* 110.
(*e*) *Var. Lect. Lib. III. Cap. II. p.* 34.
(*f*) *Exerc. XXIII. pag.* 794.

etiam commendem, ratus, quod res eſt, tanto magis quemque profeciſſe videri in iuris prudentia, quanto magis illi placeant opera BYNKERSHOEKII.

Inciderat hic vir laudatiſſimus in M. TVLLIVM CICERONEM, et an ille in iureconſultorum numerum referendus ſit, elegante digreſſione diſquiſiuerat. Quum itaque ſatis conſtet inter eruditos, virum candidum, et veritatis omnino ſtudioſiſſimum, orationem ANT. SCHVLTINGII de eo argumento ante oculos habuiſſe, quin hanc ei occaſionem iſti digreſſioni dediſſe: non dubitauit ornatiſſimus editor, quin gratiam initurus ſit ab harum rerum peritis, ſi et SCHVLTINGII Orationem, et ea, quae vir doctiſſimus, WAECHTLERVS, de iurisprudentia Ciceroniana diſſeruit, opuſculis his ſubiiceret, vt eo procliuius ſit lectori, ea inter ſe contendere, et veluti in rem praeſentem ire, dum finium regundorum iudicium inſtituitur. Quaeſtio eſt non maximi momenti, et in qua nec Graeciae, nec reip. litterariae ſalus vertitur, attamen bella, et non iniucunda, et merito relinquenda iureconſultis maximis, qualis eſt BYNKERSHOEKIVS, et nuper fuere SCHVLTINGIVS et WAECHTLERVS. *Vt enim*, iudice PLINIO SECVNDO, (a) *de pictore, ſculptore, fictore, niſi artifex, iudicare; et niſi ſapiens non poteſt perſpicere ſapientem*: ita tantorum iureconſultorum eſt, diſpicere, an tanta in Ciceronis operibus iuriſprudentiae argumenta reperiantur, vt dignus ſit, qui iureconſultorum adſcribatur ordini, idque nomen, quod ipſe fortaſſis numquam adfectauit, ei iure tribuatur.

Haec ſunt, LECTOR BENEVOLE, quae in hoc faſciculo occurrunt. Omnia illa non mihi debes, ſed iuueni ornatiſſimo, quem paullo ante laudaui. Is quid praeſtiterit in hac editione, paucis accipe. In CVIACIO recenſendo eam ſibi dixit legem, vt textum POMPONII initio cuiuſque paginae recudendum curaret, eique ſubiiceret Notas Cuiacii, vt hae cum textu eo facilius contendi a lectoribus poſſent. Deinde quum animaduerteret, CVIACIVM raro auctorum capita exprimere: operam dedit, vt pleraque ſuppleret omiſſa, quamuis, quo minus omnia euolueret, vel capita et verſus citaret, et temporis ratio, et ipſa editionum diuerſitas, prohiberet. Denique ne qua mora obiiceretur lectori, Graeca omnia Latinitate donauit. Scripſit enim haec CVIACIVS iis temporibus, quibus non in laude ponebatur, Graeca noſſe; ſed turpiſſimum et cum ſummo dedecore videbatur coniun-

(a) *Lib. I. Epiſt. X.*

coniunctum, ea ignorare. Hinc vbi locum, ex Graeco ſcriptore depromtum, intexit operibus ſuis, non ſolet adiungere verſionem Latinam, idque et alii eorum temporum ſcriptores inſuper habere ſolent. Enimuero iam in eam deſidiam, ac paene barbariem, relapſi ſumus, vt Graeca noſſe inuſitatum videatur, et ii ſaltim, qui animum non dicam reipublicae, ſed iuri addiſcendo adiiciunt, linguae iſtius notitiam indignam induſtria ſua exiſtiment, et in ipſis ſcholis, ſi quando Graeca docentur, iſta ſatis iuſta ac veluti legitima videatur pigritiae excuſatio, puerum non eccleſiae, ſed reip. deſtinatum eſſe, nec Graecam eruditionem magnopere deſiderari in iis, qui iuriſprudentiae ſe conſecrarint. Quin quum non conſiſtant exempla; vbi coeperunt, ſed ſibi viam latius euagandi facere ſoleant: eo res rediit, vt et, qui theologiae ſtudium profitentur, ſatis docti ſibi videantur, ſi adhibita WELLERI grammatica, ac PASORIS vel SCHREVELII lexico, comma aliquod noui teſtamenti intelligant. Quod eo maiore cum reip. litterariae detrimento coniunctum eſt, quo minus fere alii regendis gymnaſiis ac ſcholis adhiberi ſolent, quam theologi. Si vero hi fontes ſitiunt: quid fiet de riuulis? Et ſi, qui docendi munere funguntur, in Graecia non minus hoſpites ſunt, quam Sauromatae: quo iure reprehendes iuuenes, ex eorum diſciplina prodeuntes, ſi ſint magiſtris ſuis digni, id eſt, barbari, omniſque Graecae elegantiae ignariſſimi? Horum ergo infantiae hodie ſuccurrendum, eaque, quae ſemel Graece proferunt viri docti, Latine ſimul ſiſtenda ſunt, ne nullam plane vtilitatem inde capiant, qui has delicias numquam deguſtarunt. Fecit id laudatiſſimus VHLIVS, magno lectoris bono, eoque effecit, vt commodior ſit libelli vſus, quum antea in quouis Graeco teſtimonio haereret pleriſque aqua, nec ſine lexici ope adiri haec ſacra poſſent. Denique quum quaedam me aliquando in programmate quodam commentatum ſciret de SATVRNINIS iureconſultis, iſta quoque reliquis ſubiicere non dubitauit. Ceterum vtere his, LECTOR BENEVOLE, ſimulque gratias habe viro integerrimo, qui bibliopolio orphanotrophei praeeſt, nulliſque pepercit ſumtibus, vt opuſcula haec et charta nitida et typo elegante prodirent. An parem vbique diligentiam adhibuerint typothetae in emendandis vitiis, quae ab eo, qui corrigendis plagellis praefuit, notata ſunt, non facile dixerim, quum ea in re nullae meae partes fuerint. Labuntur ea in re operae, vbi minime putaueris, eiuſque rei exemplum in hac ipſa praefatione, dum eam fugitiuo oculo luſtro, deprehendo. Nam p. XLVIII. lin. 30. IACOBI praenomen tributum alicui video, quum in ſchedis meis

non IAC. ſed VAL. ſcripſerim. Id vero, et ſi qua alia huius generis occurrerint, quae in tantis, quibus diſtrahor, occupationibus oculo fugerunt, vt aequo animo emendes, eſt, quod te etiam atque etiam rogo. Halae e muſeo, V. Iduum April. MDCCXXXV.

DEFENSIO COMPILATIONIS IVRIS ROMANI.

NVllum vmquam poſt hominum memoriam opus auguſtius, nullum praeſtantius, et quod vniuerſo generi humano magis vſui fuerit, in lucem prodiiſſe arbitramur, quam incomparabilem illum Romanae iuris prudentiae theſaurum, qui *Corporis iuris* nomine, a tot ſaeculis hominum manibus tritus, in foro aeque ac ſcholis ſummam auctoritatem eſt conſequutus. Siue enim auctoris dignitas celebritaſque operi cuidam auctoritatem famamque conciliat: IVSTINIANI illud auſpiciis conditum eſt: ſiue finis, ad quem omnia retulit princeps laudatiſſimus: eo conſilio conditum eſt, vt in vniuerſo orbe Romano iudicantium religionem regeret: ſiue denique fata, quae liber aliquis habet, ad eius commendationem pertinere videntur: hoc iuris Iuſtinianei corpus non in imperii tantum Romani prouinciis, quibus Iuſtinianus praefuit, ſed iis etiam regnis, quae Romanorum faſces numquam viderant, nec eius ſolum temporibus, ſed et multo poſt, pro oraculo fuit. Erat ſane IVSTINIANVS, cui hanc iuris Romani συλλογὴν debemus, quidquid effutierit PROCOPIVS, princeps ſine exemplo maximus, qui non modo quietem ac tranquillitatem rei publicae inter innumeras epiſcoporum lites et factiones procerum prudenter conſeruauit, ſed et, perdomitis Gothis et Vandalis, Perſiſque et aliis barbaris ſaltim ab imperii limite ſubmotis, orbe Romano ſplendidiſſimis vrbibus operibuſque ornato, iudiciis denique prudentius conſtitutis, immortaliter de re Romana meritus eſt. Haec enim qui leuia atque non adeo admiranda eſſe exiſtimant, eos ignorare oportet, quam miſera ante IVSTINIANVM fuerit imperii Romani facies. Occidentem iam ab Honorii temporibus Gothi, Hunni, Franci, Vandali, et reliqui barbari, quorum antea vel nomen

nomen Romanis inauditum fuerat, ita dilacerauerant, vt vix quidquam ſupereſſet imperatoribus, praeter inanem cultum; quo eorum maieſtatem principes barbari comiter venerabantur. In orientem ſub Marciano ſe infuderant Gepidae, Sarmatae, Hunni, Stiri, Satagarii, Alani; ſub Anaſtaſio Bulgari, Getae, et Perſae, vt omittamus tyrannos, Longinum, Selinuntenſem, Athenodorum, Iſaurum, Vitalianum, Areobindam, qui tum perpetuis motibus conquaſſabant rempublicam, et inter armenta nati per flagitia perque caedes ad ſummum in oriente imperium nitebantur. In hac vero omnium perturbatione ita praeeſſe imperio, vt illud non modo nullum capiat detrimentum, ſed et lacertos moueat, et nouis adiectis prouinciis amplificetur; id vero non minus prudentiae argumentum eſſe arbitramur, quam ſi gubernator nauem, paene iam depreſſam, ex hieme marique ſcopuloſo ſeruarit. Quam ob rem FRANC. BALDVINVS inter tres principes magnos, quibus imperantibus maximae in re publica Chriſtiana res geſtae ſunt, et rerum conuerſiones in orbe Romano exſtiterunt, Conſtantinum, Theodoſium, et Iuſtinianum, maxime ſe obſeruare fatetur poſtremum, qui ita ſit poſtremus, vt imperii Romani gloria, quae rurſus in eo veluti illuxerat, cum eodem ſit etiam exſtincta. Nec minus recte calculum poſuiſſe videtur CONSTANTINVS Porphyrogenneta, qui eum *τὸν μέγαν καὶ περίβλεπτον βασιλέα*, *magnum celeberrimumque imperatorem* adpellitat. Iam ſi conſilium, quod optimus princeps in hoc opere conficiendo ſequutus eſt, conſideres paullo adcuratius: quid, quaeſo, laudabilius eſt, quam ius ciuile, quod, vt EVNAPIVS conqueritur, in multorum camelorum onus euaſerat, ad modum redigere, ſuperuacua recidere, innumera tum ipſarum legum, tum ſententiarum, in quae iureconſulti ſectarum ſtudio diſceſſerant, diuortia prudenter tollere, vnamque, et planam illam quidem, viam oſtendere, quam et qui ad iuris prudentiam adpuliſſent animum, et qui iuri dicundo praeeſſent, ſine erroris periculo ingrederentur. IAC. GOTHOFREDVS, de iuris anteiuſtinianei hiſtoria praeclare meritus, in *Prolegomenorum Codicis Theodoſiani capite primo* ex eorum temporum monimentis demonſtrat, iuris prudentiam ob inſignem legum et conſtitutionum multitudinem, ipſorumque interpretum perpetuas diſſenſiones, adeo vulgo inuiſam fuiſſe, vt eam ingenui homines tamquam indignam induſtria ſua libertinis, ac viliſſimis mancipiis noxae darent. Adducit ſane teſtimonium MAMERTINI, qui iuris ciuilis ſcientiam, quae Manilios, Scaeuolas, Seruios in ampliſſimum dignitatis gradum extulerat, libertorum artificium dici, conqueritur. Quin ex ASTERII, Amaſiae epiſcopi, *homilia. VII.* refert; ſeruum

ſeruum quemdam Scytham, emtum a ciue quodam Antiocheno, ſibi praeceptorem fuiſſe, eumdemque profeſſum iuris prudentiam, καὶ νόμων διδάσκαλον viſum eſſe. Ex horum vero non gymnaſiis, ſed ergaſtulis, quales iureconſulti, qualeſque iudices, tamquam ex equo Troiano, quotidie prodierint, facile eſt ad intelligendum: tales nimirum, quales AMMIANVS MARCELLINVS *Lib. XXX. cap.* 4. viuis coloribus depingit, *violenta et rapaciſſima hominum genera, per fora omnia volitantium, et ſubſidentium diuitum domos, qui, vt Spartani canes aut Cretes veſtigia ſagacius colligendo ad ipſa cubilia cauſſarum peruenire ſibi videbantur: qui ſeminando diuerſa iurgia, per vadimonia mille iactati, et viduarum poſtes et orborum limina deterentes, inter diſcordantes amicos, aut propinquos vel adfines, odia infeſta ſtruebant, et ad capiendam verſutis orationibus iudicum fidem, quorum nomen ex iuſtitia natum ſit, ſicam ingenii diſtringebant: qui iuris profeſſi ſcientiam, quam repugnantium ſibi legum aboleuerint diſcidia, veluti vinculis ori impoſitis, reticentes, iugi ſilentio, vmbrarum erant ſimiles propriarum, et velut fata natalitia praemonſtrantes, aut Sibyllae oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum compoſita triſtiorem, hoc ipſum quoque venditabant, quod oſcitarentur: qui, vt altius viderentur iura callere, Trebatium loquebantur, et Caſcellium, et Alfenum, et Auruncorum Sicanorumque leges iam diu ignotas, et cum Euandri matre abhinc ſaeculis obrutas multis; qui denique etſi voluntate matrem tuam te finxiſſes occidiſſe, multas tibi ſuffragari ad abſolutionem lectiones reconditas fuiſſent polliciti, ſi te ſenſiſſent eſſe nummatum.* Quis ergo laude immortali defraudaret IVSTINIANVM, principem auguſtiſſimum, qui, vt haec monſtra quam primum fame perirent, iura confuſa in ordinem redigere, redundantia reprimere, et denique incerta atque ambigua explicatiora reddere ſtatuit, eoque incomparabili labore effecit, vt iuris prudentiae ſuus honor, iuſtitiaeque ſua conſtaret religio atque integritas. Denique quum habeant et ſua fata libelli: ſi ex iis operis alicuius praeſtantia aeſtimanda eſt, hac quoque in re non video, quod opus, ſi a diuinis litteris diſceſſeris, huic corpori Iuſtinianeo non dicam anteponendum, ſed vlla ex parte comparandum videatur. Quum primum illud prodiſſet in lucem, circumferri etiam coepit epigramma, poſtea et Digeſtis Piſanis vel Florentinis praemiſſum, quod ita ſe habet:

Βίβλον

Βίβλον Ἰουστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε
Τὴν ἔσα Τριβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ,
Οἷά τις Ἡρακλῆϊ πανδαίδαλον ἀσπίδα τεύξας,
Ἧς ἐπὶ μαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμίστων.
Ἄνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτοιο Λιβύσσης,
Εὐρώπης τε πίθοντο ἅλης σημάντορι κόσμου.

Hunc Iuſtiniades librum ſub luminis oras
Edidit: hoc illi, rerum regnique potito,
Tribonianus opus cura ſic extudit, vt qui
Alcidae varium clypei produceret orbem,
Omnis vbi recti ſanctique effulget imago.
Europae vero atque Aſiae, Libyaeque ſubactae
Vnum omnes populi regem dominumque tuentur.

Hac vero ſuſpenſa hedera indignum quibuſdam viſum eſt Ivstinianevm opus, quin eam quoque ſaeculi Iuſtinianei vanitatem redolere, et fruſtra perſuaderi aiunt lectoribus, Iuſtinianum et tribus orbis habitabilis partibus imperaſſe, et in iiſdem compilato eius auſpiciis iuris ciuilis corpori locum fuiſſe, quum illud vix eo imperante alicuius vſus fuerit in oriente, in occidente vero numquam auctoritatem aliquam obtinuerit. Sed hi mihi parum memores eſſe videntur, principem illum non modo in Aſia prouinciis ampliſſimis imperaſſe, verum etiam in Europa praeter Thraciam, Macedoniam, Daciam, Illyricum, vniuerſam Graeciam ſub ſua tenuiſſe poteſtate: quin poſtea et per Italiam, Siciliam, Africam victricia arma circumtuliſſe, adeoque non minore iuris titulo, Europae, Aſiae, Africaeque imperium titulis ſuis adſcribere potuiſſe, quam veteres principes, qui ſe generi humano, orbi terrarum, τῇ οἰκουμένῃ, praeeſſe gloriabantur. Et quis huiuſmodi dicendi figuram vitio vertat poetae, quum et hodie, qui non poetice, ſed humane loquuntur, reges ſuos orbi terrarum leges praeſcribere non raro contendant. Vere ergo ac ſine vanitate dici potuit, Iuſtinianeum corpus, ſimul ac lucem viderit, in Europa, Aſia, atque Africa inſignem eſſe auctoritatem conſequutum, et quamuis poſtea, gliſcentibus in Europa Francorum, Langobardorumque; in Aſia et Africa Sarracenorum opibus illud aliquamdiu ex ſcholis et foris exſularit, numquam tamen plane periiſſe iuris Iuſtinianei ſtudium, ſed demum in magna orbis parte tam felicibus auſpiciis refloruiſſe, vt recte ſcripſerit Albericvs

Gentilis, *ius illis praeſcriptum libris non ciuitatis tantum eſſe, ſed gentium et naturae, et aptatum ſic eſſe ad naturam vniuerſam, vt, imperio exſtincto, ipſum ius diu ſepultum ſurrexerit, et in pleraſque ſe effuderit gentes humanas, vt iis ſtent et principes; tametſi priuatis ſit conditum.* Haec ergo omnia; qui paullo adcuratius, adhibita in conſilium ratione, expenderit, is, vt opinor, facile mecum fatebitur, nullum vmquam opus, poſt diuinas litteras, quas ſemper excipio, prodiiſſe in lucem; quod cum corpore Iuſtinianeo ſit vlla ex parte comparandum, de eoque iure repeti poſſe, quod de ſuccincto XII. tabularum libello Craſſus gloriatus eſt apud Ciceronem *de orator. Lib. I. cap.* 44. *fremant omnes licet, dicam, quod ſentio: bibliothecas mehercule omnium philoſophorum vnus mihi videtur hic liber, ſi quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere, et vtilitatis vbertate ſuperare.*

Et tamen ea aetate viuimus, qua veluti in mores abiit, calamum ſtringere aduerſus Ivstinianvm et Tribonianvm, eorumque operam, quam adornando huic corpori nauarunt, tam impudenter reprehendere, vt nihil vmquam abſurdius, nihil ſtolidius ſcriptum eſſe contendant, quam corpus illud Iuſtinianeum. Hinc illud tamquam Polyphemi corpus, circumfundunt omnes, qui ſibi videntur paullo acutiores, *et telo lumen terebrant acuto,*

Ingens, quod torua ſolum ſub fronte latere,
Argolici clypei aut Phoebeae lampadis inſtar

exiſtimant, quin iam pridem illud ad rogum damnaſſent, ſi eorum res acta eſſet arbitrio. In his neſcio an non primum ſibi locum iure quodam ſuo depoſcat Fr. Hotomannvs, qui ſingulari libello Ivstiniani Manibus inſultat, et tamquam

Quaeſitor Minos vrnam mouet, atque ſilentum
Conciliumque vocat, vitaſque et crimina diſcit.

Tantum auctorem deinde ſequuti ſunt plures alii, et ii quidem tanto impudentiores, quanto magis ab Hotomanni ingenio atque eruditione abfuerunt. Hinc ſane et ii Tribonianum vellicant, qui, ſi aetate eius vixiſſent, indigni fortaſſis fuiſſent habiti, qui ab eo *Iuſtinianis nouis*, ſeu, vt V. C. Chr. Gottl. Schwarzivs in *Diſſertatione qua diſquirit, an omnia Pandectarum exemplaria, quae adhuc exſtant, e Florentinis manauerint? §. 16. pag.* 46. ex ſuo codice MS elegan-

eleganter emendat, *Iuſtinianiſtis* accenſerentur. Iam equidem ne ipſius quidem IVSTINIANI tanta ėſt iactantia, vt omnia a Triboniano ſuo aliiſque eius συνεργοῖς ſcripta pro Sibyllae foliis habenda eſſe edicat. Quid enim ſcribi potuiſſet modeſtius, quam quod in *Conſtitutione Tanta de confirmatione Digeſtorum ad ſenatum et omnes populos*, §. 14. legimus: *ſi quid in tanta legum compoſitione, quae ab immenſo librorum numero collecta eſt, ſimile forſan raro inueniatur, nemo hoc vituperandum exiſtimet, ſed primum quidem imbecillitati humanae, quae naturaliter ineſt, hoc inſcribat, quia omnium habere memoriam, et penitus in nullo peccare, diuinitatis magis, quam mortalitatis eſt.* Et quomodo magis perſpicue profiteri potuiſſet nihil ſe humani a ſe homine alienum exiſtimare, quam dum in *Conſt. Graeca* eiuſdem argumenti §. 16. eleganter ſcribit: Εἰ δὲ καί τι τυχὸν παρεῖται τῶν τεθεῖναι δεόντων (εἰκὸς γὰρ καί τι τοῦτο συμβῆναι διὰ τὴν τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθένειαν φύσεως,) ἀλλὰ τῷ πάντη κάλλιον ἂν εἴη τοῖς ἡμῶν ὑπηκόοις, πολλῶν ἀπηλλάχθαι καινῶν τοῦ καταλιπεῖν ἴσως ὀλίγα τινὰ τῶν δοκούντων ἐπιτηδείων μυρίασι σχεδὸν ἀναριθμήτοις ἐγκατορωρυγμένα τε καὶ ἀποκείμενα, καὶ οὐδενὶ σχεδὸν τῶν πάντων γνώριμα, τούτου τε ἕνεκεν διαλαθόντα ῥαδίως: *ſea et ſi quid forte praetermiſſum eſt eorum, quae poni debebant, (forte enim et aliquid tale contigit, propter humanae imbecillitatem naturae) multo ſane melius eſt noſtris ſubditis, multis inutilibus liberari, dum priuantur forte paucis quibuſdam, quae videbantur idonea, myriadibus prope infinitis defoſſa et depoſita, et nemini forte mortalium animaduerſa.* Quae ſane maximi principis modeſtia merito in ruborem dare debebat eos, qui poſita omni fronte non modo quoſlibet naeuos, qui in diffuſiſſimo opere occurrunt, immodeſtius redarguunt, ſed et recte poſita ſollicitant, quaſi nihil ſani ineſſe poſſit operi, quod ſaeculo tam infelice ab illa indoctiſſimorum hominum turba, quam tunc ad palatium ſuum conuocauerat IVSTINIANVS, fuerit compilatum. Quum vero in ſordes et calumniam abeant accuſationes illae pleraeque: operae pretium me facturum exiſtimaui, ſi illas hac praefatione expenderem paullo adcuratius, et quid illis ſolidi inſit, diligenter diſquirerem, maxime quum cauendum mihi videam, ne inane ſit tam praeclari operis προαύλιον, vel ego, qui otio minime omnium abundo, prologis ſcribundis opera abuti videar. Ea vero omnia, quae in corpore illo pulcherrimo reprehendere ſolent cenſores, vitio et ſine populi ſuffragio creati, ad tria potiſſimum capita referri poſſe exiſtimo. Alia enim ad ipſum IVSTINIANVM diffamandum; alia ad Triboniani, eiuſque ſociorum, flagitia detegen-

 tegen-

tegenda; alia ad operis naeuos exaggerandos ſunt comparata. IVSTINIANO diem dicunt, quod ſibi diuinos arrogarit honores, omneſque leges ſuas pro caeleſtibus oraculis haberi voluerit: quod Theodorae, mulieri ſcenicae et ambiguae famae, fuerit obnoxius, iſtiuſque nutu leges fixerit refixeritque: quod inexplebili habendi cupiditate vexatus ſit: quod vano gloriae ſtudio ductus omnia egerit; quod fuerit princeps non ἀναλφάβητος quidem, et litterarum rudis, ſed tamen parum prudens, et ſuperſtitioni potius ac ſubtilitatibus metaphyſicis, quam verae eruditioni, deditus. Nec pauciorum criminum poſtulant TRIBONIANVM, quem vaniſſimum hominem, et ad ſeruile obſequium ſubmiſſum, leges pretio vendidiſſe, multa, quae paganam ſuperſtitionem redoleant, corpori illi inſeruiſſe, pleraque iureconſultorum veterum fragmenta mutilaſſe, interpolaſſe, quin pro lubitu mutaſſe, conqueruntur. Neque multo meliores fuiſſe clamant reliquos, quorum opera vſus ſit IVSTINIANVS, quippe Graeculos indoctos, Latinaeque linguae imperitos, qui, vt iuris prudentiam Romanam foris Graecis attemperarent, leges, edicta, SCta, ipſaque veterum iureconſultorum opera aeternitate digniſſima ſuppreſſerint atque aboleuerint, quin eo peius ſuo functi ſint officio, quo plures vni operi manum admouerint. Quod denique ad ipſum opus ab iis compilatum attinet, quam maxime vrgent impoſturas, quas iam IAC. GOTHOFREDVS *Proleg. cap.* 4. in Codicem Theodoſianum admiſſas, obſeruat, deinde fragmenta Pandectarum ex diuerſarum ſectarum iureconſultis decerpta, emblemata Triboniani innumera, ne ſigno quidem aliquo aut aſteriſco notata, geminationes et repetitiones plurimas, antinomias foediſſimas, libellum Inſtitutionum, a tribus viris ex aliorum, et potiſſimum CAII, iureconſulti parum acuti, ſchedis conſcriptum, doctrinas maxime neceſſarias in eo omiſſas, ius antiquum praeter neceſſitatem admixtum, neglectum porro vbique ordinem, ineptas verborum phaleras, ratiocinationes abſurdas, et quae ſunt eius generis alia. Longa enim haec iniuria eſt, quam paucis complexus vir doctiſſimus, BVRC. GOTTH. STRVVIVS, *Hiſtor. iur. cap.* 3. §. 5. *Ius*, inquit, *Iuſtinianeum ex parte ius eſt iniuſtum, ius eſt incertum, et iuſtitia exſulat.* Adeo nihil eſt, quod delicatis iſtis ingeniis placeat in praeſtantiſſimo opere. Et tamen ſi pleraque haec capita conſideres paullo adcuratius;

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Primum quod diuinos ſibi honores arrogaſſe aiunt IVSTINIANVM, tam putidum

putidum commentum eſt, vt illud miremur cuiquam in mentem venire potuiſſe. Si vero vel maxime haec vera eſſe fingamus: quid, quaeſo, illa omnia ad corpus iuris? An inde conſequitur, vt illud abſurdum opus habendum ſit, quod eius principis auſpiciis ſit compoſitum, qui diuum ſe putarit? At plerique, qui olim leges ſcripſerunt ciuibus, familiarem cum diis conſuetudinem iactarunt, veluti Minos cum Ioue, Lycurgus cum Apolline, Numa cum Aegeria, quorum tamen ideo leges nemo pro abſurdis habuit. Stolidus ergo fuerit IVSTINIANVS, qui oblitus, ſe eſſe hominem, diuinam ſibi perfectionem tribuit: at non ideo ſtolidus fuit labor, quem eius iuſſu viri docti ſuſceperunt. Sed ea quidem defenſione iam non indigemus, quum nemo tam iniquus futurus ſit rerum arbiter, vt in religioſum principem, et Chriſtianae veritatis principiis a puero imbutum, tantum furorem cadere, ſerio ſibi perſuadeat: *adorari aeternitatem ſuam* iubet *L.* 2. *C. de fabric.* Tribuit ſibi *os diuinum*, *l.* 1. *§.* 6. *C. de vet. iur. enucl. diuina oracula*, *l.* 2. *C. de dom. impetr: diuinas conſtitutiones*, *l.* 15. *C. de legit. her. diuinas ſanctiones*, *l.* 4. *C. de temp. in int. reſt. diuinos adfatus*, *l.* 23. *C. de nupt. diuinas ſui numinis aures*, *l.* 12. *Cod. de adquir. et retin. poſſeſſ.* et quae ſunt huius generis alia. At *adorari* etiam dicuntur reges Hebraeorum ſanctiſſimi, nec illi adſpernati ſunt eum cultum, quamuis eum praecipue Deo optimo maximo competere non ignorarent. Vere ac eleganter GROTIVS in *Comment. ad Exod. cap.* 20. *Vox Hebraea*, inquit, השתחוה *ſatis eſt generalis, neque vero animi actum deſignat, ſed corporis: ſiue is fiat caput inclinando, ſiue inclinando corpus totum, ſiue curuandis genibus, ſiue ſubſidendo in poplites, ſiue, qui maximus eſt honos, procumbendo. Graeci interpretes per* προσκυνεῖν *hanc vocem ſolent vertere. Non ſine cauſſa. Nam ſicut apud orientis populos veneratio oſtendebatur variis flectendi corporis formis: ita apud Graecos manum ad os admovendo, quod proprie eſt* προσκυνεῖν *a* κύω, *et inde* κυνέω, *quod eſt oſculor. Nec aliud ſignificat Latinum ADORARE, non ab orare, id eſt, precari factum, vt imperiti homines exiſtimant, ſed ab eo, quod manus admouebatur ori.* Adorabant homines pii veteris teſtamenti Deum, ſed cultu religioſo, adorabant etiam reges, ſed cultu ciuili, vti hodie quoque Britanni regem ſuum prouoluti in genua venerantur, quos nemo tamen ſanus illi diuinos honores tribuere ſuſpicatur. Nimirum iam inde a plurimis ante Iuſtinianum ſaeculis mos inoleuerat apud Graecos, vt principes ſuos certo corporis geſtu, quem *adorationem* vocabant, venerarentur: et hinc IO. ZONARAS *Annal. Tom. III. in vita Iuſtiniani* obſeruat, moris fuiſſe eo tempore, procumbendo adorare Romanorum imperatorem.

Quod et Procopivs in *Anecdot. p.* 170. *edit. Eichel.* fatetur, niſi quod, ſuo more, hunc adorandi modum Ivstinianvm, abolito vetere paullo modeſtiore, inueniſſe ſcribit. En verba Procopii : Τῶν δὲ πρός τε Ἰουστινιανοῦ καὶ Θεοδώρας νεοχμηθέντων καὶ ταῦτα ἐστί· πάλαι μὲν ἡ σύγκλητος βουλὴ παρὰ βασιλεῖ ἰοῦσα τρόπῳ τοιῷδε προσκυνεῖν ἠβούλοντο. Πατρίκιος μέν τις ἀνὴρ παρὰ μαζὸν αὐτοῦ προσεκύνει τὸν δέξιον. βασιλεὺς δὲ αὐτοῦ καταφιλήσας τὴν κεφαλὴν ἐξῄει, οἱ δὲ λοιποὶ ἅπαντες γόνυ κλίναντες βασιλεῖ τὸ δέξιον ἀπηλλάσσοντο· βασιλίδα μέντοι προσκυνεῖν οὐδαμῆ εἴθιστο. Παρὰ δὲ Ἰουστινιανόν τε καὶ Θεοδώραν τὰς εἰσόδους ποιούμενοι, οἵτε ἄλλοι ἅπαντες, καὶ ὅσοι τὸ πατρικίων ἀξίωμα εἶχον ἔπιπτον μὲν εἰς τὸ ἔδαφος εὐθὺς ἐπὶ στόμα χειρῶν καὶ ποδῶν ἐς ἄγαν τετανυσμένων, τῷ χείλει ποδὸς ἑκατέρου ἁψάμενοι : *Ceterum ex iis, quae Iuſtinianus atque Theodora nouarunt, haec etiam ſunt. Senatoribus olim imperatorem adeuntibus, ita licebat ſalutare : quiſque ordinis patricii ad dextram mammam Caeſarem venerabatur, illumque recedentem oſculo Caeſar impertiebat in capite : reliqui ad vnum omnes dextro ſubnixi genu diſcedebant. At Auguſtae nullus adorandae mos fuit. Verum quum in conſpectum Iuſtiniani Theodoraeque venirent, tum alii, tum qui patriciae dignitatis eſſent, ſtatim in faciem procumbebant, pedibuſque ac manibus tenſis vtrumque principis pedem oſculo proſequebantur, et tum abſcedebant.* At *adorare purpuram principis*, iam in mores iuerat ante Ivstinianvm, temporibus Zenonis, *l.* 4. *C. de conſul.* Honorii et Theodosii iunioris, *l.* 1. *C. Th. de praepoſ. ſacri cubic. l.* 1. *C. de comit. et trib. ſchol.* Valentiniani et Valentis, *l.* 1. *C. de adpar. praef. praet. l.* 1. *C. de adpar. praef. vrb.* quin et Ivliani, τοῦ παραβάτου, teſte Ammiano Marcellino *Hiſtor. Lib. XXI. cap.* 9. Adorationem vero hanc purpurae factam eſſe proſtrato corpore, vel ex Themistii *Orat. XIII.* patet, qui mentionem facit τῶν ἐπὶ τὴν ἁλουργίδα (βασιλέως) πεπ-μένων, *eorum, qui ante principis purpuram procubuerint.* Quum ergo ſub Conſtantii et ſucceſſorum imperio floruerit Themistivs : qua fronte Procopivs huius ritus originem ad Ivstiniani tempora referre potuit? Potius Iac. Gothofredvs, qui *Tom. II. Cod. Theod. pag.* 83. de eo more adorandi purpuram omnium adcuratiſſime egit, ex Amm. Marcellino *Lib. XV. cap.* 5. recte obſeruauit, primum omnium Diocletianvm extero ritu et regio more adorari ſe inſtituiſſe; quod veluti ex compacto confirmant Avrelivs Victor *de Caeſar. cap.* 39. Evtropivs *Lib. VIIII. cap.* 16. Hieronymvs in *Chron-*

nu.

nu. 2310. ZONARAS, PAVLLVS DIACONVS, IORNANDES, et quicumque HIERONYMI ſcrinia more illorum temporum in Chronicis ſuis expilarunt. Nec magis reliqua vocabula, quibus de ſe vtitur IVSTINIANVS ipſe adinuenit, quum iam pridem iiſdem vſi ſint omnes, quorum leges in *Codice Theodoſiano* exſtant. Hi quoque imperatores *aeternitatem* ſibi tribuunt, quoties de ſe loquuntur, *l.* 168. *C. Th. de decur. l.* 3. *C. eod. de fabric.* nec aliter fere SYMMACHVS imperatores ſuos compellat, quam elogio AETERNITATIS vel PERENNITATIS. Quin Theodoſius M. INVICTISSIMVS PERENNISQVE PRINCEPS vocatur in marmore apud REINESIVM *Inſcript. claſſe III. n.* 62. *p.* 326. Quis porro ignorat, omnia quae vel ab imperatoribus proficiſcebantur, vel ad eoſdem principes pertinebant, SACRA dici conſueuiſſe multo ante IVSTINIANVM? Quis non in ipſis Pandectis obſeruauit *ſacram domum*, *ſacras largitiones*, *ſacra ſcrinia*, *ſacrum ſtabulum*, *ſacram monetam*, *ſacrum comitatum*, et alia huius generis innumera? Quis denique ignorat, iam a ſaeculo III. in mores iuiſſe, vt DIVINVM vocaretur, quidquid eſſet principum? Haec omnia profecto non magis ad diuinos honores pertinent, quam elogium illud *ſerenitatis*, quo hodie vtuntur principes. Quemadmodum enim non ideo veri Dei cultum eiurarunt Hebraei, quod Deum et magiſtratus ſuos communi nomine vocarent אלהים: ita nec de Chriſtianis ſaeculorum quarti et ſequentium tam male ominari licet ob vocabula quaedam, iam ciuitate donata ab aliquot ſaeculis, et diuturno vſu in aliam plane notionem deflexa. Sunt quaedam huius generis ita comparata, vt iis vtamur, tamquam vulgo receptis, non quod ea probemus, ſed quod iam pridem ea firmarit vſus; *quem penes arbitrium eſt et vis et norma loquendi.* Quemadmodum itaque nemo erit tam iniquus rerum aeſtimator, vt ideo *ἀποσασίας* ſuſpectos habeat iureconſultos, ſi iis remedium *legis vltimae C. de edicto diui Hadriani tollendo*, aut *diuos fratres* in ore eſſe audiuerit: ita nec Chriſtianos principes ideo diuinos honores adfectaſſe crediderim, quod non refugerunt titulos, plurium ſaeculorum vſu firmatos, quamuis non negem, illos maiore laude dignos fuiſſe futuros, ſi eos refugiſſent.

Non minus deinde vitio vertitur IVSTINIANO, quod dum in mulieris ſcenicae et profligati pudoris, THEODORAE, amplexus ruere non dubitarit, rerum foris praeclare geſtarum gloriam domi turpiter perdiderit. Hanc enim non mulierem, ſed furiam, deperire neminem potuiſſe aiunt, niſi quem furiae agitarint. Sed haec quoque, non video, quid faciant ad corpus iuris Iuſtinianeum, quippe non Theodo-

rae,

rae, ſed Iuſtiniani, auſpiciis conditum. An vero nihil recte fieri poſſe credemus ab eo, cui vxorem incommodam ac male conciliatam fortuna obiecit? quis quaeſo, facta Auguſti, admiratione ſane digniſſima, ideo reprehendit, quod domi haberet Medeam, in domus Auguſtae perniciem natam? quis Marci imp. virtutes ideo minoris facit, quod cum imperio illi ceſſerat Fauſtina, indigniſſima tanto patre et marito femina, omnibusque probris, quae illuſtri domui dedecori eſſe ſolent, contaminata? quis denique ideo minus abominanda credit Domitiani ſcelera, quod Domitiam Longinam, probam & ſanctiſſimam feminam, domum duxiſſet, aut Commodi & Antonini Caracallae, quod vxores impudicas palatio atque vrbe exegiſſent? Non ſemper ex animi ſententia habentur vxores, et ipſi ſaepe principes, qui cuiuſuis conditionis habere poteſtatem exiſtimantur, in eam incidunt calamitatem, vt domi alant non reginas, ſed monſtra, quibuſcum vel per omnem vitam ipſis confligandum, vel diuortia, non ſine domus ſuae concuſſione, ſint facienda. Hoc itaque ſi et IVSTINIANO contigerit, et ſi iuuenilis impetus et male ſuadus amor eum infauſtis Theodorae nuptiis implicarit: an ideo meruit bonus princeps, vt illi inſultaret poſteritas, omneſque eius res geſtas, etiam quibus praeclare de re publica meruit, iudicio iniquiſſimo damnaret? Sed quid ſi calumniam redoleant pleraque, quae Theodorae illi exprobrant ſcriptores quidam, qui vel odio et liuori iuſto plus indulgent, vel PROCOPII ſcrinia ſine iudicio expilant? Magno ſane adparatu eius cauſſam egit IO. PETR. a LVDEWIG in *Iuſtiniano, cap.* 8. §. 9. oſtenditque, iis omnibus, quae ad infamandam feminam excogitauit PROCOPIVS, contraria ſcribere vel ipſum PROCOPIVM, vel ſcriptores alios eiuſdem aetatis grauiſſimos. Sic quam obſcuro genere natam, et vrſarii filiam fuiſſe tradunt, eam ipſe PROCOPIVS *Anecdot. p.* 43. *edit. Alamanni* ante nuptias cum Iuſtiniano τὸ τῶν πατρικίων ἀξίωμα, *codicillos ſenatoriae dignitatis* conſequutam eſſe fatetur, quod ἀξίωμα, an in terrae filiam, qualem ipſe Theodoram fuiſſe fingit, contuliſſe IVSTINVM imp. probabile ſit, aliorum eſto iudicium. Formam venuſtiſſimam et corpus quauis ſtatua emendatius ei ipſe concedit PROCOPIVS *Anecdot. p.* 47. et *de aedific. Iuſtinian. Lib. I. p.* 27. vt mirum ſit, ſi tam pulchrum domicilium habitarit mens praua, omnibuſque contaminata vitiis. Quam denique in lupanari vixiſſe aiunt alii, eam in embolo ſeu porticu ſibi conduxiſſe aediculas, ibique, ceu pauperculam, ſibi victum lanificio quaeſiuiſſe, locumque poſtea Auguſtam in templum commutaſſe ſcribit Auctor *Antiqu. Conſtantinop.* a BANDVRIO editus *Lib. III. p.* 47. Et neſcio ſane, an vllo argumento

mento luculentiore calumnias omnes ipſa Theodora profligare potuiſſet, quam quod et principis amorem ſibi conciliauit, et dum cum Ivstiniano vixit in matrimonio, ita compoſuit rationes, vt is cum ea ſine querela ageret, nullumque vmquam inter coniuges hos iurgium, nulla ſimultas eſſet. Quod eo magis mirandum, quo apertius fatetur Procopivs, ὅτι ἐν πολλοῖς τῆς τε γνώμης αὐτοῖς, καὶ τῆς διαίτης τὸ διαλλάσσον ἐφαίνετο, *quod in multis diſcreparint ingenio viuendique ratione.* Inter tales enim coniuges raro eſſe ſolet diuturna concordia, niſi alteruter alterius obſequatur ſtudiis, eiuſque ingenio ſe ſapienter accommodet. Quod ſiue Ivstinianvs fecerit, ſiue Theodora, magnum profecto eſt prudentiae argumentum. An in ſcenam aliquando prodierit Theodora, id quidem in medio relinquo, quum praeter Procopivm, eoſque, qui illum exſcripſerunt, nemo aequalium hoc prodiderit memoriae. At fingamus, eam preſſam inopia aliquando eſſe in orcheſtra viſam, an inde conſequitur, vt ſeſe proſtituerit publice? et an non potius id laudi ducendum feminae pauperculae, quod dura iſta initia illi non obſtiterunt, quo minus ſibi maximi principis animum deuinciret, ab eoque in torum reciperetur? At leges ipſas ex eius mente fixit refixitque Ivstinianvs. Quid tum vero, ſi Theodora non male conſuluerit rei publicae? Non illa ſola eſt inter Auguſtas, quam in conſilium adhibitam a marito nouimus. Ipſe Auguſtus, ſaeculis omnibus memorandus princeps, nihil fere magnae rei ſine Liuiae ſuae conſilio *ſuſcepit*, eaque auctore, teſte Dione Cassio *Lib. LV. p.* 562. aqua et igni interdictos, ne rei publicae periculo vagarentur, in inſulam deportari iuſſit. Quis vero vmquam ideo reprehendit prudentiſſimum principem, quod vxorem recte monentem audiendam putauit? Quid ergo peccauit Ivstinianvs, ſi aliquando Theodoram, quam ipſe Procopivs *de bello Perſ. Lib. I.* γυναῖκα σοφωτάτην, *ſapientiſſimam feminam*, adpellat, in conſilium adhibuit, idque prae ſe tulit in *Nou. VIII. cap.* 1. Egregia ſane eſt illa conſtitutio, nec magis poenitere potuit Theodoram, ſe eius edendae auctorem marito fuiſſe, quam quod, eodem teſte Procopio, ſuaſiſſet, vt euerſis lupanaribus mulierculae impudicae ſacris aedibus, poenitentiae cauſſa includerentur. An vero minus prudentiae ſapit hoc Theodorae conſilium, quam illud Liuiae, quo miſeros exſules inſulis includi iuſſerat? Adeo diuerſa ſunt hominum fata, vt, quod in vno laude digniſſimum cenſetur, id reprehendatur in altero, vel ſaltim parum laudabile iudicetur. Ivstiniano vero et Theodorae huiusmodi quid contigiſſe eo minus mirandum, quod in ea incidiſſent tempora, quibus clerici de praecipuis religionis

capitibus diſceptantes eccleſiam innumeris turbis inuoluerant, vt fieri non poſſet, quin principes, cuicumque ſententiae fauentes, maximam eorum partem inuiſam haberent. Hinc tot conuicia, quibus nobiliſſimum illud par coniugum, inaudito inter Chriſtianos exemplo proſciderunt EVAGRIVS, VICTOR TVNVNENSIS, et alii, vt non mirum ſit, PROCOPIVM, hominem deorum cultui deditum, et Chriſtianis infenſiſſimum, eius famae non pepercisse. Hinc impia iudicia, quibus ne morientibus quidem pepercerunt, adeo, vt EVAGRIVS *Lib. IIII.* extremo, IVSTINIANVM rebus excedentem humanis *ad ſupplicia iuſto Dei iudicio apud inferos luenda profectum eſſe*, impudenter ſcribat, idemque cenſeat, quem minime omnium hoc decebat, Cardinalis BARONIVS *Annal. eccleſ. ad ann.* 565. *num.* 6. Siccine omnes mali, et ſempiternis cruciatibus digni ſunt, qui in clericorum odia inciderunt? Siccine his ne mortuis quidem parcunt, qui alioquin ne viuum quidem vllum, quantumuis hoſtem, odio proſequendum eſſe docent?

Tantaene animis caeleſtibus irae?

Progredimur ad tertium crimen, quod IVSTINIANO inferre ſolent, qui damnandam illius memoriam exiſtimant, inexplebilem nempe illam habendi cupiditatem, qua orbem Romanum totum exhauſerit. In exaggeranda enim hac auaritia dici non poteſt, quot verba profundant PROCOPIVS, EVAGRIVS, et ZONARAS, quorum elogia omnia veluti in nucleo exhibiturus FRANC. HOTOMANNVS *Antitribon. cap.* II. *pag.* 151. *Iuſtinianus*, inquit, *homo erat inſatiabili auaritia, et alieni ita adpetens, vt ſubditos ſuos vulgo venderet, iis praeſertim, qui magiſtratus obtinebant, quique vectigalia et tributa redemerant, aliiſque, qui inſidias illis locarent, ſub aliquo colore ac praetextu, quo ipſe vteretur: ditiſſimi vero cuiuſque bona in fiſcum redigebat.* Sed haec quoque quid ad corpus iuris Iuſtinianeum? id enim praeclarum opus eſſe poteſt, ſi vel maxime non dicam ἱερνοδιώκτην, ſed auctores habuerit Euclione ſordidiores, quandoquidem non ingenio, ſed diligentia, opus fuit ad colligendum huius modi opus teſſelatum, nec quidquam ab auctoribus de nouo inueniri aut elegante conueſtiri oratione, ſed leges tantum, et veterum ICtorum fragmenta, quae aliquam in foro vtilitatem habitura viderentur, in ordinem aliquem digeri debuerunt. Id vero an nullius auſpiciis fieri potuit, quam eius, qui omnem opum cupiditatem animo eraſerit? an ne moleſtiſſimus quidem ille excerpendi atque indices conficiendi labor vlli recte delega-

legatur, quam ei, qui omnes opes pro nihilo habet? At ſcio, quid mihi obuertere poſſint, qui Ivstiniano male cupiunt, et aliis iam pridem obuerterint. Fuerit, inquiunt, Ivstinianvs habendi cupidiſſimus: poſſet fortaſſis id crimen aliquantulum dilui, eoque colore defendi, quod magna imperia magnis egeant praeſidiis, et ſaepe ipſa tempora hanc neceſſitatem imponant principibus, vt a ciuibus paullo acerbius corrogent pecunias, et hinc in auaritiae ſuſpicionem incidant. Saltim ad eleuandam corporis Iuſtinianei laudem pertinere tunc non videretur hoc imperatoris vitium. At vero hoc eo vel maxime pertinet, quod ipſas leges venales habuit, illaſque ad eorum voluntatem et arbitrium, qui plurimum pecuniae dediſſent, plane accommodauit. Id enim diſerte narrat Procopivs *Anecdot. pag. 65. edit. Eichel.* Κέρδους γὰρ οὐκ εὐπρεπῶς ἕνεκα, καὶ νόμους τιθέναι, καὶ αὖ πάλιν αὐτοὺς καθέλκειν οὐδαμῇ ἀπηξίου. ἐδίκαζέ τε οὐ κατὰ τοὺς νόμους, οὓς αὐτὸς ἐγεγράφει, ἀλλ᾽ ἔνθα ἂν αὐτὸν μείζων τε ὀφθεῖσα καὶ μεγαλοπρεπεστέρα ἡ τῶν χρημάτων ὑπόσχεσις ἄγοι: *nam non eſt veritus et leges ferre, et, quas tuliſſet, refigere, dummodo turpi lucro eſſet: neque ad eas, quas ſcripſit, conſtitutiones exegit iudicia, ſed, ad quas trahebatur, pecunias, ſiue luculentiores viſas, ſiue promiſſas munificentius.* Sed et hic antiquum obtinet maledicentiſſimus hominum, Procopivs, et pro arcana hiſtoria venditat calumnias. Si Ivstiniano, ſcribenti leges, propoſitum fuiſſet, accumulare opes, et fiſcum ſuum cum reipublicae detrimento reddere locupletiorem: non debuiſſet ſane abolere leges caducarias, quippe *augendo aerario*, teſte Tacito, *Annal. Lib. III. cap. 25. ſancitas*, non viceſimam hereditatium, quam a Ivstiniano ſublatam putant Cviac. *ad l. 17. D. de verb. ſignif.* et Scipio Gentilis *de iure adcreſc. cap. 1.* non denique ſeruitutem poenae, quam ſuſtulit *Nouell. XXII. cap. 1.* e quibus profecto paucis ſine inuidia plus rediſſet ad fiſcum, quam ex mille legibus, quas non ſine ſempiterna infamia pretio vendidiſſet. Sed ea eſt Procopii nequitia, vt ex vna lege, et ea quidem a decepto Ivstiniano lata, hanc calumniam de legibus venalibus elicuerit. Ipſe enim refert *Anecdot. pag. 156.* Priſcum quemdam Emeſenum confecta a ſe inſtrumenta ac chirographa, ſpecie vetuſtiſſima, eccleſiae Emeſenae procuratoribus ceſſiſſe, hos vero veritos, ne ſibi acturis praeſcriptionis longiſſimi temporis exceptio opponeretur, profectos Conſtantinopolim χρήματι μεγάλῳ, *magnam auri vim* obtuliſſe principi, vt legem ferret de actionibus eccleſiarum non niſi centum annorum praeſcriptione excludendis. Iam non diſquiram,

vtrum tanta ab eccleſiae alicuius procuratoribus pecunia corradi potuerit, vt ea moueret principis animum ad legem hanc ferendam: an non potius PROCOPIVS ſuo more ex muſca, quod aiunt, elephantum fecerit, et quod fortaſſis Iuſtiniani adminiſtris pro obtinenda ea lege datum eſt, ipſi Iuſtiniano datum eſſe mentiatur: ſed id tantum vrgebo, primo Iuſtinianum non ſoli eccleſiae Emeſenae, ſed vniuerſis per orbem Romanum eccleſiis hoc beneficium indulſiſſe, adeoque procul dubio non Emeſenorum pecunia, ſed pietate et ſingulari religionis Chriſtianae ſtudio ad id adductum eſſe: deinde ignarum plane fuiſſe principem fraudis a Priſco admiſſae, ac proinde quum quemdam mittendum putaret Emeſam, qui cauſſam cognoſceret, non miſiſſe hominem aliquem iniuſtum et ſordidum, ſed Longinum δραςήριον ἄνδρα, *virum induſtrium*, neque huic id dediſſe negotii, vt litem ſecundum eccleſiae procuratores daret, quod feciſſet procul dubio, ſi pecunia corruptus auxilio eſſe voluiſſet calumniatoribus, ſed vt ius ea religione, qua par eſt, diceret. Addit enim ipſe PROCOPIVS, rem ita moderatum eſſe Deum, vt quum Longinus Priſcum omnia chirographa ad ſe deferre iuſſiſſet, et detrectanti alapam tanto impetu inflixiſſet, vt ſupinus concideret, ille trepidus, et, fraudem ſuam patere, exiſtimans, rem omnem illico fateretur: Οὕτω δὲ τῆς σκαιωρίας ἁπάσης ἐς φῶς ἐνεχθείσης, τὴν συκοφαντίαν πεπαῦσθαι ξυνέβη: *ſic, detecta totius rei ſcena, deſitum calumniis eſſe.* Ita rem ipſe refert PROCOPIVS, vt Iuſtinianum leges venales habuiſſe demonſtraret. Quid vero, quaeſo, totum hoc factum continet, quod vitio verti poſſit IVSTINIANO? an quod priuilegium centenariae praeſcriptionis eccleſiae dedit? id fortaſſis laudarint alii, et inſigni Iuſtiniani pietati attribuerint, maxime quum non nouum ſit hoc beneficium, ſed iam a Leone eccleſiis datum, *l. 23. C. de SS. eccleſ.* An quod pecuniam ab Emeſenorum procuratoribus eo nomine accepit? at raro priuilegia gratis dantur a principibus, etiam optimis, et minime auaris. An denique, quod Priſci fraudibus commodiſſima ea lex eſſe potuiſſet? quaſi vero non et ſapientiſſimis principibus obreptum ſit. Potius laudandus Iuſtinianus, quod deprehenſa iſta nequitia, non modo Priſci et Emeſenorum procuratorum calumniam repreſſit, ſed et hanc ipſam legem ſexennio poſt, edita nouella CXI. abrogauit, praemiſſo hoc notabili prooemio: *quod medicamenta morbis, hoc exhibent iura negotiis. Vnde conſequitur, vt nonnumquam a iudicio diſcordet effectus; et quod credebat coniectura prodeſſe, experimento inueniatur inutile. Probat igitur hoc praeſentis etiam neceſſitas ſanctionis, in qua priuilegium ex religioſo propoſito SS. eccleſiis Dei et monaſteriis aliiſ-*

que

que religioſis locis conſtitutione noſtra nuper indultum neceſſaria correctione diſtinguimus. Dudum ſiquidem iuſſimus ad centum illis annos, exceptionis propagari curricula, per cuius licentiam ſanctionis negotia quidem multa commota ſunt, et velut antiquorum vulnerum obductae patuerunt iterum cicatrices: ſed eorum ſanitas prouenire non potuit, probationum ſcilicet difficultatibus impedita, quoniam per tantum ſaeculi magis, quam temporis, ſpatium, nec documentis integritas, nec actis fides, nec aetas valet teſtibus ſuffragari. His ſane verbis nihil aliud dicit IVSTINIANVS, quam ſe, circumuentum aliorum dolo, conſtitutionem illam de centenaria praeſcriptione pio conſilio edidiſſe; ſed poſtea rem ipſam docuiſſe, occaſionem calumniandi inde arripuiſſe homines, ac proinde e republica viſum eſſe, legem illam cum tot priuatorum hominum periculo coniunctam tolli, nouamque ferri, quae eccleſiis non niſi quadragenariam praeſcriptionem opponi concedat. Sed plura iam non addo de auaritia. Iidem enim, qui illum huius vitii accuſant, eius ſimul munificentiam in exſtruendis templis, condendis exornandiſque vrbibus, expendendis pro pace firmanda pecuniis mirantur, eodemque ſtilo et auaritiam eius reprehendunt, et inſignem profuſionem. Sed ſi profuſio PROCOPIO viſa eſt liberalitas, qua maxime ad amplificandum cultum diuinum vſus eſt IVSTINIANVS, id procul dubio odio eius in Chriſtianos tribuendum eſt: et ſi auaritia exiſtimata eſt cura locupletandi aerarium, id vulgi iudicium fuerit, quod ſemper fremit, vbi tempora periculoſa principi etiam inuito neceſſitatem noua vectigalia exigendi imponunt. Eam vero exactionem nos hodie facile excuſamus, quum compertum habeamus ex eorum temporum annalibus, IVSTINIANVM non modo Gothos et Vandalos difficillimo bello perdomuiſſe, et Perſas partim armis, partim conſiliis cohibuiſſe, verum etiam cum Antis, Lazis, Zanis, Hunnis, Slauis, Iberis, Gepidis, aliiſque barbaris nationibus perpetua certamina habuiſſe, vt mirari non debeamus, eum de pecunia, neruo rerum gerendarum, fuiſſe ſollicitum.

Gloriam ac immortalitatem nominis adfectaſſe IVSTINIANVM facile PROCOPIO credunt ii, qui male ei cupiunt, quod is in *Anecdot. pag.* 47. omnia nouaſſe ait eum principem, non iure, nec publico commodo inductum, *ἀλλ' ὅπως δὴ ἅπαντα νεώτερά τε καὶ αὐτοῦ ἐπώνυμα εἴη*, *ſed vt omnia noua, et de ſuo nomine dicerentur.* Id ſuo more probaturus ALAMANNVS, magnum texit vrbium, oppidorum, portuum, litterarum, librorum, aliarumque rerum indicem, quibus IVSTINIANVS de ſe nomen indiderit. Aliis ne id quidem ferendum videtur, quod priorem conſtitutionum codicem, quem ipſe conficiendum curarat, IVSTINIA-

NEVM vocare non dubitarit. At ſi nemo ideo reprehendit Traianum, Hadrianum, Conſtantinum M. Gratianum, quod vrbes de nominibus ſuis Traianopolim, Hadrianopolim, Conſtantinopolim, Gratianopolim dixerunt: nec cuiquam ſanae mentis culpandum videtur, quod noſtro quoque ſaeculo academiae quaedam celeberrimae conditorum ſuorum nomina praeferunt: ſi denique nemo ideo inuehitur in principes, a quibus codices THEODOSIANVS, ALARICIANVS, LVDOVICIANVS, AMADEVS cognominantur: quod, quaeſo, flagitium admiſit IVSTINIANVS, ſi vrbibus quibuſdam a ſe conditis, et codici conſtitutionum, ſuis auſpiciis compilato, nomen ſuum indidit? Poſtremo quid haec omnia ad Corpus iuris, quod ſiue gloriae ſtudio, ſiue alio conſilio, adornari iuſſerit IVSTINIANVS, noſtra parum refert. Tu, lector, hoc monitus exemplo, quanta PROCOPIO conuiciandi libido fuerit, diſce. Sed ad alia nos vocat illa accuſatorum audacia.

Accipe nunc Danaum inſidias, et crimine ab vno
Diſce omnes.

Ne quid IVSTINIANO, quod laude aliqua dignum videretur, ſupereſſet: etiam ea illi defuiſſe conqueruntur, quae numquam in bono principe quiſquam deſiderauit, nempe diffuſam rei ſcientiam et litteraturam elegantiorem. Sed id quidem perridiculum eſt, quod inter eos, qui ferulas in Iuſtinianum expediunt, parum conuenit, quid in eo caſtigatione tam ſeuera dignum reperiant. Aliis enim litterarum plane rudis et ἀναλφάβητος, aliis non indoctus quidem, ſed tamen inanibus potius rerum inutilium, maximeque metaphyſicarum, notionibus, quam verae doctrinae ac prudentiae praeceptis imbutus fuiſſe videtur. Quin ſunt, qui et orationem eius barbaram et hiulcam rident, quamuis ipſi tam barbari, vt non viros doctos, ſed ſeruulum aliquem a lacu et furno redeuntem, te audire exiſtimares. Enimuero, quod ad primum attinet, manifeſtam calumniam redolet iſta accuſatio, quam eo porrigit BARONIVS *ad ann.* 551. vt eum *repente ſcribat adparuiſſe palliatum theologum, atque de dogmatibus acutiſſime diſputaſſe, qui numquam legere ſciuerit vel ipſum foris inſcriptum ſacrorum titulum Bibliorum.* Solis enim SVIDAE teſtimoniis nititur haec narratio, quam tamen non ad IVSTINIANVM, ſed ad IVSTINVM pertinere, deprehendere ſtatim potuiſſet BARONIVS, SVIDAE codicem aliquem Vaticanum euoluens, niſi iam imbutus fuiſſet principis optimi odio. Hinc IVSTINIANVM recte defenderunt non modo IAC. MAESTERTIVS *de iuſtit. legg. Roman. diſp. II.*

SCHVRZFL.

SCHVRZFL. in *Iuſtin. orthodoxo* §. 11. et KVSTERVS *ad Suid.* ſub ἀμάθητος et Ἰουστινιανὸς, verum etiam ipſe ALAMANNVS *ad Procop. pag.* 18. Deinde tantum abeſt, vt Iuſtinianus litterarum fuerit rudis, vt PROCOPIVS *de bello Goth. Lib. III.* quamuis nihil eorum, quae ad infamandum illum principem pertinent, omittere ſoleat, eum tamen ſatis doctum et ſtudioſiſſimum fuiſſe fateatur, et ideo Artabanem cum coniuratis ei non facilius inſidias ſtrui poſſe exiſtimaſſe referat, quam libris impalleſcenti: Κάθηται γὰρ ἀφύλακτος ἀεὶ ἐπὶ λέσχης τινὸς ἀωρὶ τῶν νυκτῶν ὁμοῦ τοῖς τῶν ἱερέων ἐσχατογέρουσιν ἄσχετον ἀνακυκλεῖν τὰ χριστιανῶν λόγια σπουδὴν ἔχων: *perpetuo enim ſine cuſtodibus deſidet ad multam noctem cum ſenioribus quibuſque ſacerdotibus in muſeo, attentiſſimo ſtudio arcana Chriſtianorum dogmatum inueſtigans.* Vt iam praetermittam teſtimonia LIBERATI in *Breuiar. cap.* 23. EVSTACHII in *vita S. Eutychii*, denique THEODEHADI et VITIGIS regum apud CASSIODORVM *Variar. Lib. X. cap.* 9. 22. *et* 32. qui omnes illum ſapientiae ac doctrinae nomine celebrant. Atqui metaphyſicae fuerunt hae tricae, in quibus tantum olei inſumſit IVSTINIANVS. Quo vero auctore tam praefidenter id adfirmant boni viri? Si in diuinas litteras dogmataque theologiae penetrare ſtuduit: an ideo ſe metaphyſicis tricis inuoluit? Mirarer ſane, niſi eo res redeat, vt qui doctrinas theologicas attingunt, tamquam περιττολογίαις nimis dediti traducantur. Denique quis in principe requirat vel profeſſoriam linguam, vel adcuratiorem omnium artium ſcientiam? quis quemquam generi humano praeeſſe poſſe neget, niſi qui humanitatis ac doctrinae ſtudium numquam omiſerit, quum ſi vllos mortalium, certe imperio deſtinatos, memores oporteat eſſe illorum, quae olim monuit NEOPTOLEMVS: *philoſophandum eſſe, ſed paucis, nam omnino non placere?* Sed ne his quidem immorari operae pretium eſt, quum haec quoque omnia nihil faciant ad corpus iuris, quippe non IVSTINIANI, ſed aliorum opera adornatum, qui aliquid perfectum ſuiſque abſolutum numeris perficere potuerunt, ſi vel maxime indoctiſſimus mortalium fuerit IVSTINIANVS, et contra opus procudere, tanto nomine indignum, ſi vel maxime ille omnes omnium ſaeculorum philoſophos doctrina ac ſapientia ſuperarit, niſi forte principi eum imponere velis laborem, vt tanto volumini ipſe limam adhibeat, et obelo notet, ſi quid a miniſtris fuerit peccatum.

Saeculo itaque, et miniſtrorum IVSTINIANI ſocordiae, imputandum fuerit, non ipſi IVSTINIANO, quidquid in componendo hoc opere peccatum. Illi enim, dum bene mereri voluit de re publica, vberri-

mum eius conſilii fructum. licuit ad conſcientiam ſuam referre, ſi vel maxime eius ſpem deſtituerint ii, quibus eam curam demandarat. Sic peroratam eſſe putarim cauſſam IVSTINIANI, ſed ita, vt in tanto maiorem inuidiam TRIBONIANVS, eiuſque collegae, adducantur. In hos enim iam praecipue faba cuditur, nec fieri poteſt, quin horum tanto maior futura ſit culpa, quanto magis culpa omni vacat IVSTINIANVS. Itaque iam nouo nobis defenſionis labore perfungendum eſt pro TRIBONIANO eiuſque ſociis, in quos tantum impetum faciunt accuſatores vehementes atque acerrimi, vt, ſi in parricidii aut perduellionis ſuſpicionem adducerentur, vix poſſint maioribus conuiciis onerari. Quin, quod maxime illaetabile eſt, ipſa TRIBONIANI cauſſa multo difficiliorem reddit reliquorum defenſionem, nec quiſquam fere inter iudices eſt, cui non proletaria illa turba videatur, cui TRIBONIANVS praefuerit, vir et omnibus coopertus flagitiis, et illo ſaeculo indoctiſſimus. Si enim, qui primum inter illos locum tenuit, tam nullius fuerit pretii, quid ſperes de reliquis? nonne te incidiſſe putes in Sardos venales, quorum alter altero ſit nequior? Nunc quam rem vitio dent Triboniano, quaeſo, animaduertite. Hominem illum fuiſſe, aiunt, vaniſſimum, et ad ſeruile demiſſum obſequium, quippe qui IVSTINIANVM viuum conſecrarit, eique perſuaſerit, eum, tamquam alterum Romulum, viuum ac ſpirantem in caelum iturum. Auctor huius quoque calumniae eſt PROCOPIVS, qui de IVSTINIANO in *Anecdot. pag. 63.* Θῶπάς τε, inquit, λόγους ἐνδελεχέστατα προσιέμενος. Ἔπειθον γὰρ αὐτὸν, οἱ κολακεύοντες οὐδενὶ πόνῳ, ὅτι μετέωρος ἀρθείη, καὶ ἀεροβατοίη. καὶ πότε αὐτῷ παρεδρεύων Τριβωνιανὸς, ἔφη, περιδεὴς ἀτεχνῶς εἶναι μήποτε αὐτὸν ὑπὸ εὐσεβείας εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναληφθεὶς λάθοι. τοιούτους δὲ τοὺς ἐπαίνους, ἤτοι σκώμματα, ἐν τῷ τῆς διανοίας ἐποιεῖτο βεβαίῳ: *aſſentatoribus cumprimis patefaciebat aures, quibus facile fore crederet, vt ſublimis aliquando raptus aera penetraret. Tribonianus illi adſidens vereri ſe vehementer adfirmabat, ne ob ſingularem pietatem in caelum improuiſo ſurriperetur. Quam laudem, vel potius cauillum, apud animum ſic plane ſuum conſtanter habebat.* Eadem repetiit HESYCHIVS MILESIVS *de viris illuſtribus*, et SVIDAS, qui procul dubio haec ſublegerunt PROCOPIO. Iam vetus quidem aularum peſtis eſt adulatio, vereque ac ſapienter dictum eſt a SENECA *de benefic. Lib. VI. cap. 30. non vllius rei inopia magis laborare magna faſtigia, quam eorum, qui verum dicant, et principem inter mentientes ſtupentem vindicent a conſenſu concentuque falſorum. Omnes fere in praeceps agere*

agere exſtinctam libertatem et fidem in obſequium ſeruile ſubmiſſam, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadeat diſſuadeatque, ſed adulandi certamen ſit, et vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandiſſime fallat. At neminem tamen tam abſurdum fuiſſe arbitror, vt principi perſuadere vellet, quod hic ne poſſet quidem, ſi vel maxime vellet; credere; nec principem vllum tam ſtupidum eſſe crediderim, vt ab homine talia effutiente ſibi illudi non animaduertat. Et quis ergo credat, vel Tribonianum, hominem profecto non ſtupidum, haec IVSTINIANO in aurem dicere auſum eſſe, vel IVSTINIANVM adeo non hominem, ſed fungum, fuiſſe, vt Triboniano, homini pagano, immortalitatem ſibi, promittenti, fidem haberet? Si quid veri ineſt illi narratiunculae, illa procul dubio orta eſt ex carmine aliquo vel epigrammate, quo vel Tribonianus, vel alius quicumque, vt IVSTINIANVS ſero in caelum redeat, optauit, quale eſt illud HORATII *Carm. Lib. I. od. 2. v. 45.*

Serus in caelum redeas, diuque
Laetus interſis populo Quirini:
Neue te noſtris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat!

Quis vero HORATIO hanc fecerit iniuriam, vt eum Auguſto perſuadere voluiſſe dicat, eum non moriturum, ſed ſublimem aliquando iturum in caelum? Vt paucis omnia complectar, aut poëticum fuit illud TRIBONIANI votum, aut inſignis calumnia PROCOPII, ſano homini impudenter impingentis crimen,

Quod ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Probabilius videri poſſet alterum crimen, in quod vocari ſolet TRIBONIANVS: puta, quod leges ipſas venales turpiter habuerit. Eum enim incredibili habendi cupiditate arſiſſe, teſtantur omnes, qui eius res geſtas attigerunt, puta PROCOPIVS *de bello Perſ. Lib. I.* et qui eius ſcrinia expilarunt, SVIDAS, et HARMENOPVLVS. Equidem quum non habeam, quae his opponam, veterum teſtimonia, et ipſa nos doceat experientia, homines etiam doctos et ſapientes in huius modi ſordes incidere poſſe: non ſane ſuſcipiam ea in re Triboniani patrocinium, quin fatebor, eum, ſi eo animi morbo labo-

rarit, vix illis laudibus dignum fuiſſe, quibus hominem paſſim ornat IVSTINIANVS. Nullum enim eſt vitium tetrius, nullum foedius, quam auaritia, praeſertim in iis qui adminiſtrant rem publicam. At iam ſupra obſeruare me memini, nihil hoc facere ad Corpus iuris, quippe cui adornando cum laude praeeſſe, potuit Tribonianus, ſi vel maxime hominum fuerit auariſſimus. Neque enim tum de legibus nouis ferendis, ſed de antiquis in ordinem digerendis, agebatur, nec vlla Triboniano, id facienti, occaſio eſſe potuit aliena adpetendi, vel accumulandi opes, niſi forte princeps amplum aliquod praemium iis, quibus aerumnabilem illum laborem delegarat, propoſuerit. Hoc praemium, inquiunt, non inuidemus Triboniano: id vero vix ferendum, quod leges ipſas venales habuit. Hoc enim illi exprobrat PROCOPIVS, non in *arcana hiſtoria*, cui tu fidem omnem abrogare ſoles, ſed *de bello Perſico, Lib. I.* vbi collaudans Triboniani doctrinam, ſtatim ſubiicit: Ἐς δὲ φιλοχρηματίαν δαιμονίως ἐσπουδακὼς, οἷός τε ἦν κέρδους ἀεὶ τὸ δίκαιον ἀποδίδοσθαι τῶν δὲ νόμων ἡμέρᾳ ἐκ τῶν ἐπὶ πλεῖστον ἑκάστῃ τοὺς μὲν ἀνῄρει, τοὺς δὲ ἔγγραφεν, ἀπεμπολῶν τοῖς δεομένοις κατὰ τὴν χρείαν ἑκατέρων: *verum hianti homo et inexplebili auaritia, vnice lucro ſeruiebat, erantque apud illum iura venalia. Iamdiu legum nundinationi deditus, quotidie pretio refigebat alias, alias figebat, prout e re erat atque vſu poſcentium.* Sed ſi fingamus, haec omnia vera eſſe, (vere enim tam ſordidum atque iniuſtum hominem fuiſſe Tribonianum, PROCOPIO, homini maledicentiſſimo nemo temere crediderit,) nemo tamen tam erit iniquus rerum aeſtimator, vt illud Triboniani crimen ad Corpus iuris quidquam attinere cenſeat. Nimirum Tribonianum aliquamdiu quaeſtura ſacri palatii; munere ſplendidiſſimo, et cum legum ſcribendarum, principique commendandarum poteſtate quam maxime coniuncto, functum eſſe nouimus. Si itaque tam prauus fuit, vt leges pretio venderet: id fieri oportuit, a quaeſtore ſacri palatii, quippe cui muneri praefectos, SYMMACHVS *Lib. I. Epiſt.* 17. *concilii regalis participes, precum arbitros, legum conditores*; CASSIODORVS *Variar. Lib. VI. cap.* 5. et *Lib. VIII. cap.* 13. *armaria* et *voces legum* adpellitant, quia, vt eſt in *Notitia imper. orient. pag.* 112. *edit. Pancirol. ſub diſpoſitione viri illuſtris, quaeſtoris, erant leges dictandae et preces, ita vt officium non haberet; ſed adiutores de ſcriniis, quos voluerit.* Iam ſi temporum ineamus rationes: eum toto fere illo tempore, quo de Corpore iuris concinnando actum eſt, quaeſtura non amplius functum eſſe, ſatis compertum habemus. Anno enim erae Chriſti Diony-

Dionyſiacae 528. quando Codex Iuſtinianeus compilari coepit, quaeſtura illa erat penes Thomam, quem virum glorioſiſſimum vocat IVSTINIANVS, *Conſtit. Haec quae neceſſario §. 1. de nouo Cod. faciend. Conſt. Summa reip. §. 2. de Iuſtin. Cod. confirm.* Anno 530. Tribonianus quidem *quaeſtor ſacri palatii* memoratur in inſcriptione *L. 1. C. de vet. iur. enucl.* at triennio poſt, id eſt, anno 533. quum Inſtitutionum libellus et Pandectae prodirent, iam *exquaeſtor ſacri palatii* adpellatur. *§. 3. prooem. Inſt.* et *L. 3. §. 9. C. de vet. iur. enucl.* eodemque titulo vtitur anno inſequente 534. quum abolito priore nouus vel repetitae praelectionis Codex publicaretur. *Conſt. Cordi nobis, §. 2. de emend. Codic.* Quaeſturae ergo praefuit anno 530. anno Iuſtiniani quarto, anno poſt, teſte CEDRENO, (non demum poſt pacem ἀπέραντον anno Iuſtiniani ſeptimo cum Coſroë Perſarum rege initam, vti ſcribit PROCOP. in *bello Perſ. Lib. I.*) triſtiſſima illa ſeditio, quam Victoriatam adpellant eorum temporum annales, commota eſt, qua Tribonianus magiſtratu abire iuſſus eſt in gratiam furentis plebis, eum non recuperaturus ante annum 535. vel 536. quamuis poſtea illum tanto conſtantius retinuerit, diemque obierit ſupremum anno 546. Iam biennio illo, quo quaeſturam ſacri palatii geſſit, adornatae ſunt Pandectae et Inſtitutiones, in neutro vero libello concinnando occaſio fuit Triboniano leges venales habendi, quum non nouae leges ſcribendae, ſed veterum iureconſultorum fragmenta in ordinem redigenda eſſent. Prodierunt quidem tum leges Iuſtiniani plurimae, poſtea in Codicem repetitae praelectionis relatae, quarum longum indicem texuit PETR. RELANDVS in *Faſt. conſul. p. 700. et ſeqq.* Sed in quo nullam me deprehendere fateor, quam pecunia corruptus ſcripſiſſe videatur, plures contra prudenter ſcriptas, ac rei publicae valde ſalutares. Enimuero eſt hoc fatum magnorum imperiorum, vt quo pluribus adiutoribus ad rem publicam adminiſtrandam indigent principes, eo facilius quaedam non ea, qua par eſt, religione, ſed per ſordes, fiant. Quale quid ſi et ſub Iuſtiniani imperio contigit, id adeo non mirum eſt, vt, ſi non contigiſſet, id eſſet vel maxime mirandum. Non tamen ideo ſordere nobis debent eius leges, quia illae non a Triboniano vim ſuam ac poteſtatem acceperunt, ſed a IVSTINIANO, neque nos illas, tanquam Triboniani foetum, exoſculamur, ſed quia eas ciuitate donare viſum eſt maioribus noſtris. Quam multas, quaeſo, leges libera adhuc re publica tribunitius furor, quam multa edicta Praetorum auaritia, quam multa SCta patrum adulatio peperit? Et tamen eorum auctoritatem in dubium numquam vocarunt Romani, multo minus ea ideo

ideo plane proſcribenda e re publica exiſtimarunt, quod non ex virtute legiſlatoris, ſed ex vituperabili aliqua cauſſa, originem habuiſſent. Parum ergo noſtra hodie intereſt, quid vel Iuſtinianum, vel Tribonianum mouerit ad hanc illamue legem publicandam, ſi nihil ipſis legibus ineſt, quod iniquum vel vtilitati rei publicae adverſum videatur. Nec deſunt exempla, quae ea etiam, quorum non admodum laudabilis origo eſt, rei publicae tamen aliquando vtiliſſima fuiſſe, demonſtrant, ceu vel celeberrima illa conſtitutio Antonini Caracallae *l.* 17. *D. de ſtatu hom.* de iure ciuitatis cum ingenuis omnibus in orbe Romano communicando ſatis ſuperque probat, quae poſteris, ſublato vectigali viceſimae, admodum ſalutaris fuit, quum nihil minus propoſitum fuerit Caracallae, quam ciuibus dare beneficium, ſed potius ingenuos ciues eſſe voluerit, λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω αὐτῷ καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου προσῇ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, *ſpecie quidem eis honorem tribuens, ſed reuera vt fiſcum ſuum augeret, quippe quum peregrini pleraque vectigalia haec non penderent*; vti eſt apud Dion. in *Excerpt. Peireſc. pag.* 745.

Sed haec de auaritia Triboniani, cui et aliud non minus deteſtabile vitium acceſſiſſe aiunt, nimirum impietatem. Quum enim Hesychivs et Svidas eum vocent ἕλληνα καὶ ἄθεον, ἀλλότριον κατὰ πάντα τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως, *hominem gentilem et impium, et a Chriſtianorum fide prorſus alienum:* ne dubitandum quidem eſſe exiſtimant, qui ei male cupiunt, quin data opera permultas paganiſmi reliquias in corpore iuris exſtare voluerit. Eo enim pertinere, quae paſſim occurrant *de ſacrorum euocatione, L.* 9. *§.* 2. *D. de rer. diu. de ſponſa aqua et igni accepta, L.* 66. *§.* 1. *D. de donat. int. vir. et vxor. de iure, quo naturaliter ſe in pretio emtionis et venditionis inuicem poſſint circumuenire contrahentes, L.* 16. *§.* 4. *D. de minorib. de concubinatu ciuibus conceſſo, L.* 3. *D. de concub. de caede adulteri patri et marito permiſſa, L.* 24. *pr. D. ad leg. Iul. de adulter. de parricidio eo ſaltim caſu licito, ſi pater aduerſus patriam coniuraſſet, L.* 35. *D. de religioſ.* denique *de tortura, tit. D.* et *C. de quaeſt. de ſtupro in vulgares feminas non admittendo,* L. 29. *C. ad leg. Iul. de adult. de tranſactione ſuper criminibus, L.* 18. *C. de tranſact.* et quae ſunt huius generis alia. Haec enim omnia paganiſmum redolere contendunt, et dolo malo inſerta eſſe arbitrantur Corpori iuris, vt lectores, quaſi aliud agentes, impietate iſta imbuerentur. Sed ſi veteri impietati adhuc mordicus inhaeſit Tribonianus, quod fecerunt etiam illo tempore alii,

certe

certe Chriſtianis eum nomen vel dicis cauſſa dediſſe oporteret, quum publicis functus ſit officiis, eaque tempeſtate per leges Ivstiniani ſeueriſſimas nemini, niſi Chriſtiano, ad rem publicam pateret aditus, teſte Cedreno in *Annal. pag.* 366. Et certe fieri non poteſt, quin tunc admodum ingenioſe inſtruxerit ſcenam, vt, quod Hesychivs animaduertit, numquam animaduerterint Ivstinianvs vel Theodora, quorum in oculis quotidie verſabatur, eum nimirum eſſe. ἕλληνα καὶ ἄθεον, καὶ ἀλλότριον κατὰ πάντα τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως. Qui vero aliam perſonam adſumunt, et Chriſtiani volunt videri, quum ab ea religione quam maxime abhorreant, ii nihil prius, nihilque habere ſolent antiquius, quam vt ne verbulum quidem, quod Chriſtianae pietati repugnare videatur, ſibi excidat, maxime vbi periculum imminet ſermocinantibus ex animi ſententia. Quis ergo tam parum callidum fuiſſe credat Tribonianum, vt prodere voluerit animum, a Chriſtiana religione alienum, quin ſuperſtitionem ſuam in opere, principis Chriſtiani auſpiciis ſcripto, ſtolide denudare voluerit? Et quid eſt, quaeſo, tam profanum, quod Tribonianus inſtillare legentibus voluiſſe videatur? An periculum erat, ne quis Chriſtianorum religioni ſuae repudium daturus eſſet, ſi in Vlpiani, id eſt, pagani hominis fragmento legerit, *ſolere eos, qui liberare locum religione velint, ſacra inde euocare?* aut ſi Scaevolam reſpondiſſe obſeruarit, donationem factam ante nuptias, id eſt, *antequam aqua et igni acciperetur vxor*, ratam eſſe? quaſi non innumera eius generis occurrant et in aliis veterum fragmentis, quae ipſi Chriſtiani ſcriptores collegerunt. Si quam legem Corpori iuris inſerere auſus eſſet Tribonianus, qua quid profanum dici fierique iuberetur, tunc ſane iure vapularet homo improbus, et, me iudice, quamcumque poenam ſubiret. Sed eum paganiſmum prodere, qui fragmentum, in quo ritus antiquus deſcribitur, adducit, ea vero tam abſurda eſt accuſatio, vt eius merito pudere debeat eruditos. Nec maioris momenti ſunt accuſationes reliquae, veluti quod de circumuentione mutua emtorum venditorumque dixit non Tribonianvs, ſed Pomponivs. Praeterquam enim, quod non omnia, quae improbe dicuntur, paganiſmum produnt, ne probitati quidem aduerſantur verba illa Pomponii. Plerumque quidem dolum ſignificat verbum *circumuenire*, ſed non ſemper. Qui in re et pretio conſentiunt, ii *conuenire* dicuntur: adeoque *circumuenire ſe inuicem* recte dixeris, inter quos nondum conuenit, altero quippe plus exigente, altero offerente minus, illoque operam dante, vt quam optima conditione

vendat, hoc, vt emat pretio quam minimo. Nota ſunt illa PLAVTI in *Perſa*, *act.* *IIII.* *ſcen.* 4. *v.* 38.

Vin' tu bene emere? DO. *Vin' tu pulcre vendere?*
TO. *Ego ſcio vtrumque velle.*

Nuſquam ſane reperies, iureconſultum vllum dolum probare, quum inter primas iuris regulas ſit, neminem ex dolo ſuo fructum capere debere, vt vel tirones non ignorent, non modo emtionem, cui cauſſam dolus dederit, nullam eſſe, ſed et incidentem dolum quemcumque emendari debere, quin et ſtricti iuris contractus ob dolum reſcindi, eoque nomine competere actionem de dolo. Qua fronte ergo dicere potuiſſet POMPONIVS, *in pretio emtionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe inuicem* DECIPERE? Sed ſalua res eſt. Quod enim verbo *circumuenire* parum commodo expreſſerat POMPONIVS: id multo cautius eloquutus PAVLLVS: *quemadmodum*, inquit, *in emendo et vendendo naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere, quod minoris ſit, pluris vendere: ita in conductionibus et locationibus idem iuris eſt*, *L.* 22. *§.* *vlt.* *D.* *loc.* *cond.* Idem, ac nihil aliud, voluit POMPONIVS, quamuis verbo vſus duriore, nec magis ei, vel TRIBONIANO, quam PAVLLO, in mentem venit, doli mali ſuſcipere patrocinium. Concubinatus porro, neſcio quo iure inter paganiſmi reliquias referatur, quum inter omnes conſtet, eum non modo Hebraeorum moribus pro licita conſuetudine habitum, verum etiam apud hos veri Dei cultores multo minus, quam apud Romanos, legibus circumſcriptum fuiſſe. Praeterea tantum abeſt, vt ille cum profano deorum cultu aut ortus ſit, aut exoleuerit, vt potius ſub ipſis, qui Chriſto nomen dederant, imperatoribus vſque ad Leonis Sapientis tempora in orientali imperio; multoque diutius in occidentali manſerit, ceu cum ab aliis, tum maxime a CHRISTIANO THOMASIO, ſingulari *diſſertatione* eſt demonſtratum. Quid ergo peccauit Tribonianus, dum leges, quotquot eo tempore in ipſis rerum argumentis obtinerent, in vnum volumen referre iuſſus, eas quoque, quae ad concubinatum ſuis limitibus circumſcribendum pertinent, non omittendas eſſe exiſtimauit? Sane ſi liberiorem cum concubinis conſuetudinem, legibus publicis proſcriptam e re publica, ab exilio reuocare auſus eſſet: non quidem paganiſmi, at improbitatis et neglecti officii, merito coargueretur. Dum vero leges, ad ius tum quotidiano

no vſu firmatum pertinentes, in Corpus iuris retulit, nihil profecto egit, quod eſſet ab eius officio iuſſuque domini, a quo pendebat, alienum. Adulterum quoque in probro iſto deprehenſum occidendi poteſtas non magis ex profano deorum cultu fluit, quam ius illud Athenienſibus et Romanis cum Hebraeis commune, quod furem nocturnum occidi patitur. *Exod. XXII.* 2. Nam et Hebraeis, quos ipſe Deus legibus ſanctiſſimis inſtituerat, fas erat, ſtupratorem non ſolum a femina, cuius pudicitia vi attentabatur, ſed et a quocumque altero, oppreſſam illam vindicaturo, cum caede repelli, vti pluribus demonſtrauit Io. SELDENVS *de iure nat. et gent. ſecund. diſcipl. Hebraeor. Lib. IIII. cap.* 3. Et ſane quum in ciuitatibus legiſlatores recte potuerint ſupremnm ſupplicium in adulteros et violentos ſtupratores ſtatuere: quid prohibuit, quo minus et honeſtis feminis et adulterae propinquis, et maxime maritis, facultatem darent, inſignitam illam iniuriam, familiae ſuae toroque illatam, etiam ferro vindicandi, adulterique ſanguine parentandi dolori ſuo? Nihil porro cum profano deorum cultu commune habet caedes patris, aduerſus patriam rem publicam coniurantis. Neminem enim ignorare arbitramur, inter veteres frequenter diſceptatum eſſe de gradu atque ordine officiorum; quaeſitumque, pluſne debeamus parentibus, an patriae, in qua quiſque natus, educatuſque ſit, itemque quibuſnam nos ea prioribus potioribuſque facere oporteat, ſi neceſſe ſit in opera danda faciendoque officio alios aliis anteferre? Et auctorem habemus GELLIVM *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 13. iuxta parentes primum locum tenere pupillos debere, fidei tutelaeque noſtrae creditos: ſecundum eos proximum locum clientes habere, qui ſeſe itidem in fidem patrociniumque noſtrum dederint: tum in tertio loco eſſe hoſpites; poſtea eſſe cognatos adfineſque. At his omnibus longe praeferebant communem omnium parentem, patriam, ac proinde CICERO *de offic. Lib. III. cap.* 23. ſeruauit fragmentum ex libro HECATONIS *de officiis*, pleno huius modi quaeſtionum, in quo et haec legas: *quid ſi pater fana expilet, cuniculos agat ad aerarium, indicetne id magiſtratibus filius? nefas id quidem eſt, quin etiam defendat patrem, ſi arguatur: non igitur patria praeſtat omnibus officiis? immo vero: ſed ipſi patriae conducit, pios ciues habere in parentes. Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? ſilebitne filius? immo vero obſecrabit patrem, ne id faciat: ſi nihil proficiet, accuſabit: minabitur etiam: ad extremum, ſi ad perniciem patriae res ſpectabit, patriae ſalutem anteponet ſaluti patris.* Vix ouum ouo ſimilius eſt, quam quod in *L. 35. D. de relig.* et

et ſumt. fun. tradidit MARCELLVS : *minime maiores lugendum putauerunt eum, qui ad patriam delendam et parentes, et liberos interficiendos venerit, quem ſi filius patrem, aut pater filium occidiſſet, ſine ſcelere, etiam praemio adficiendum omnes cenſuerunt.* Iam quid ineſt huic fragmento, tam profanum, vt TRIBONIANUM, illud inferentem Corpori iuris, ideo paganiſmo deditum fuiſſe ſuſpicari velimus? Ne legem quidem continet illud fragmentum, ſed tantum, quid maioribus ea de re viſum ſit, enarrat. Veriſſimam vero eſſe illam MARCELLI narrationem, vel Horatii, Bruti & Veturiae ac Volumniae, matris, vxoriſque Coriolani, exemplis abunde conſtat. An porro paganiſmum redoleant dirae quaeſtiones, alii viderint : Saltim nihil eſt, quod vitio verti poſſit TRIBONIANO, ſelectiora ea de re veterum fragmenta inſerenti Pandectis et Codici, quum iuſſus eſſet, ea colligere iura, quae in ipſis obtinerent rerum argumentis. Inter haec et tortura erat, nec per eum ſtabat, quo minus illa ex re publica proſcriberetur. Quin quum et hodie illam in rebus publicis ſuis, tanquam neceſſarium malum, tolerent Chriſtiani : an ideo et horum leges paganiſmum redolere profitebimur? Quis vero Tribonianum accuſet, quod *Legi* 29. *C. de leg. Iul. de adulter.* a Conſtantino M. Chriſtiano Imperatore, ſcriptae locum in Codice conceſſerit? an, quod in ipſo auctore paganiſmum redolere, nemo vmquam dixit, ideo profanum videtur, quod Tribonianus illud inſeruit Corpori iuris? Quis vero ignorat, legem Iuliam de adulteriis ne potuiſſe quidem locum habere in miniſtra cauponae, quippe ſeruilis conditionis femina, quacum nullae erant iuſtae nuptiae, cuiuſque adeo nec maritus eſſet, qui adulterum adulteramque accuſaret? Non itaque Imperator probro carere putauit hujus modi feminam, quae quaeſtum corpore fecit, nec virum, qui vota ſua in crucem miſit, excuſandum exiſtimauit : ſed id dumtaxat monuit, indignam eſſe hujus modi feminam legum obſeruatione, ſatiſque poenae pendere feminam, quae turpiſſimum illum quaeſtum profiteri non dubitet. Sunt haec profecto legibus publicis conſentanea, adeoque ita comparata, vt a Triboniano recte potuerint in Corpus iuris referri, quamuis forte cauſſas habuiſſent theologi, inuehendi in laxam ſaeculi diſciplinam, legeſque ſeueriores aduerſus impudicitiam flagitandi, vel, vt rectius dicamus, inculcatis quotidie legis diuinae praeceptis atque exemplo ſuo impellendi homines, vt ſe vltro ab omni vaga Venere abſtinerent. Poſtremo mirari me fateor, cur et ea, quae de tranſactione ſuper criminibus *l.* 18. *C. de tranſact.* traduntur, paganiſmum redolere videantur viris doctiſſimis. Lex enim illa, ſi cum aliis comparetur,

tur, nihil aliud ſancit, quam ne is, qui ſanguinem ſuum quacumque ratione redimere voluit, pro confeſſo et infami habeatur, quamuis accuſator, qui tranſegit, praeuaricationis poenam iure omnino ſubeat, nec ideo crimine liberetur is, qui pactionem huius modi cum accuſatore iniit, ſed neuter omnino id impune ferat. Rem tam adcurate expoſuerunt GER. NOODTIVS in *Diocletiano et Maximiano*, nec non ANT. SCHVLTINGIVS in Πρώτοις, *titulo de tranſactionibus*, vt actum agere nolimus, ſed merito potius miremur, leges has a Chriſtianiſmo alienas videri potuiſſe, quum vix intelligamus, quid prudentius ab vllo Chriſtiano principe conſtitui ea de re potuiſſet. Sed eo viuimus ſaeculo, quo quidam omnem iuris prudentiae laudem non in eo poſitam eſſe exiſtimant, vt leges noſtras prudenter interpretentur, ſed ut eas exponant ludibrio, et e re publica, quantum in ipſis eſt, proſcribendas cenſeant. Hinc non ſine ſtupore animaduertas circumferri libellos de *iuriſprudentia* non modo *papizante*, ſed et *paganizante*, non ab hominibus imperitis, ſed a ICtis ſcriptos: quin merito mireris, barbaris illis inſcriptionibus lectores inuitari ad explodendam iuris prudentiam, tamquam ſcientiam profanam, et a Chriſtiana pietate abhorrentem, quum nihil omnino, quod profanum illis videatur, adferre poſſint, quam quod VLPIANVS ius publicum in ſacris, ſacerdotiis, ac magiſtratibus conſiſtere ſcribat: *l.* 1. *§.* 2. *D. de iuſt. et iure*: quod liberis ex damnato coitu natis alimenta ſubtrahantur: *Nou.* LXXXVIIII. *extr.* quod dominis in ſeruos ius vitae ac necis indulgeatur: quod res diuini iuris in ſacras, religioſas, et ſanctas diuidantur: quod latrocinia permitti quodam modo videantur *l.* 5. §. 2. *l.* 6. *D. de capt. et poſtlim.* quod filius in captiuitate natus, et patre apud hoſtes mortuo, cum ſola matre reuerſus, ſpurius habeatur; et quae ſunt huius generis alia. Quaſi vero ideo paganizet iuris prudentia, (liceat enim imitari eorum hypercriticorum elegantiam,) quod quaedam de moribus antiquis in ea occurrant, vel ICti aliquando ex Stoicorum ſententia philoſophentur. Omittere haec debuiſſe Tribonianum, aiunt, et tamen HOTOMANNVS in *Antitrib. cap.* 3. eum plurima ad antiquitates pertinentia omiſiſſe, conqueritur, indignaturque ideo Triboniano, quod non ſtatum antiquum rei Romanae, ſed imperii Byzantini, qualis Iuſtiniani temporibus fuerit, et ne hunc quidem ſatis adcurate expreſſerit, adeo, vt, quod ad antiquitates Romanas attinet, plus vno anno ex lectione Graecorum et Latinorum ſcriptorum, atque id maiore cum delectatione et ſuauitate, quam totis ſex annis ex his fragmentis et centonibus, poſſit cognoſci. Sic in fatis eſt, vt quidquid egerit bonus Tribonia-

nus, vapulet, et quod in aliis operibus maximi fieri ſolet, id in Corpore iuris repreſienſione digniſſimum iudicetur, perinde ac ſi ad opus iſtud damnandum ſatis ſit, operas ad illud elucubrandum contuliſſe Tribonianum.

Venimus ad grauiſſima iſta flagitia, quae in corrumpendis interpolandiſque veterum fragmentis admiſiſſe Tribonianum, contendunt, quaeque Tribonianiſmi vel emblemata Triboniani adpellari ſolent. Sed hic primo obſeruari velim, nihil egiſſe Tribonianum, niſi quod iuſſus erat a principe. Hic vero in *Conſt. Deo auctore* §. 7. *de concept. Dig.* id negotii dederat Triboniano et ſociis, vt quae in veterum libris ſuperflua viderentur, reſecarent, perperam ſcripta emendarent, quae deeſſent, ſupplerent, grauem iis interminatus animaduerſionem, qui veterem ſcripturam cum noua componere, vel, ſi quid mutatum eſſet, id culpae tribuere ſuſtinerent. *Quare ſcire velim*, inquit Corn. van Bynkershoek in *praefat.* eruditiſſima, nouis *Obſeruationibus iuris Romani* praemiſſa, *cur non cenſore emblematici in ipſum potius Iuſtinianum inſurgant, quod nempe ita mandauerit?* Quid mali admiſit bonus Tribonianus, cui in obſequio gloria erat relicta? Cur in illum ſaeuiunt, cuius nulla ea in re culpa fuit, niſi culpa dicenda ſit, cuſtodire fines mandati, et principis ſui iuſſa capeſſere? Deinde, qui in hoc muſtaceo quaerunt laureolam, ii id plerumque agunt, vt omnia, quae etiam ſana et integra ſunt, ſollicitent, integraſque leges, quibus aliorum nomina praeſcripta ſunt, ab improba Triboniani manu eſſe, demonſtrent. Et ita quidem ſolent accuſatores, quibus αὔξησιν conuenire docent rhetores, quemadmodum ταπείνωσιν refellentibus. Sunt quaedam, quae vel ſtudio omiſit, vel aliquantulum immutauit interpolauitque Tribonianus, (nec aliter potuit, ſi Iuſtiniano hero dicto audiens eſſe voluit,) at, qui illum immodeſtius hac poteſtate vſum eſſe contendunt, et hinc vbique Tribonianiſmos ſibi deprehendere videntur: illi vel iniuriam faciunt viro optimo, vel illo laborant vitio oculorum, quod efficit, vt omnia multo maiora, quam vere ſunt, videant: Qua de re denuo laudatiſſimus Bynkershoekius: *ſed quid tandem de emblematibus dicemus? Vetus prouerbium eſt, inquit Vlpianus in* L. 6. §. 1. D. de off. procoſ. οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, *neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus. Sic et nos de emblematibus. Omnia agnoſcere ſtultiſſimum, paſſim, turpiſſimum, et ab omnibus, imprudentiſſimum. Quemadmodum vero, vt ſupra dicebam, ipſius iuris prudentiae intereſſet, nullum omnino dari emblema, ita et intereſt, dari quam pauciſſima. Quapropter non oportet nos eſſe liberales in*

his

his vel temere iactandis, vel anxie inueſtigandis: quin nec vllum largiendum; ſi res aliter ſalua eſſe poſſit, et, an poſſit, tentanda prius omnia, omnis mouendus lapis. Sedulo in primis cauendum, ne integros partus ſuppoſitos dicamus, vel aliorum quoque emblematum; vltra, quam neceſſe eſt, ſimus prodigi.* Denique permulta, quae inter emblemata Triboniani nonnulli referunt, integra ac ſana eſſe, ſatis euicerunt cum alii viri doctiſſimi, tum in primis laudatiſſimus CORN. VAN BYNKERSHOEK, nouarum *Obſeruat. Lib. VII. et VIII.* et IOANNES WYBO in *Diſſertatione anno* 1729. *Vltraiecti* habita, quae tamen breui, vt ſpero, auctior locupletiorque ex officinis noſtris prodibunt. Horum ſi et alii prefferint veſtigia, ſpes ſane eſt, fore, vt rariores in poſterum ſint Tribonianiſmi, vel potius omnino in fumum abeant. Ceterum miſer eſt atque infauſtus eorum labor, qui in tanta rerum vtiliſſimarum adfluentia conquirendis huius modi emblematibus bonas horas perdunt, ſimiles muſcis, quae reliquis dapibus praeferunt vlcera, et in illa ſanie quaerunt delicias.

Qui Triboniano non parcunt, eos profecto non mirum eſt, et reliquis diem dicere, quorum opera in concinnando illo diffuſiſſimo opere vſus eſt imperator. Et quidem quum praeter Tribonianum Inſtitutionum libello conficiendo praefuiſſe conſtet Theophilum et Dorotheum, Codici Iuſtinianeo colligendo Ioannem, exquaeſtorem ſacri palatii, Phocam magiſtrum militiae, Baſilidem, expraefectum praetorio orientis, Thomam, quaeſtorem ſacri palatii et conſulem, Conſtantinum, comitem ſacrarum largitionum, Theophilum, iuris in ſchola Byzantina doctorem, et Dioſcorum et Praeſentinum, diſertiſſimos cauſſarum in foro praetoriano patronos: Pandectis in ordinem redigendis Conſtantinum, Theophilum, Dorotheum, Anatolium, Cratinum, Stephanum, Mennam, Proſdocium, Eutolmium, Timotheum, Leonidem, Leontium, Platonem, Iacobum, Conſtantinum, Ioannem, cauſſarum patronos facundiſſimos: denique Codici repetitae praelectionis adornando Dorotheum, Mennam, Conſtantinum, et Ioannem: hos omnes indoctos homines, Latinaeque linguae, qua veteres leges et iureconſultorum libri ſcripti erant, imperitos, ac proinde impares tanto labori fuiſſe, clamant, quaſi in eorum omnium profectus ſollicite inquiſiuiſſent, vel eos ex quotidiana conſuetudine habuiſſent perſpectiſſimos. At fuere ex his quidam anteceſſores, ad quos tum Conſtantinopoli, tum Beryti, eo tempore maximi concurſus fiebant. Quis vero eos indoctos legumque imperitos fuiſſe credat, qui tum famam ſcholarum iuris in orbe Romano ſuſtinebant? Eſtne

veroſimile, eos linguae Latinae fuiſſe imperitos, qui auditoribus Caii Inſtitutiones, et quoſdam libros ſingulares, Papiniani et Pavlli reſponſa, edictumque perpetuum publice enarrabant? *Conſt. Omnem reipubl.* §. I. *ad Anteceſſores*: qui ex tot veterum iureconſultorum conſtitutionumque voluminibus optima quaeque excerpebant? qui denique, quod Theophilvm, Thalelaevm, et poſtea Ivlianvm feciſſe nouimus, libros Inſtitutionum, Pandectarum, et Codicis in Graecam, Nouellas Graecas in Latinam linguam transferebant? Manſit ſane et Conſtantinopoli linguae Latinae vſus, non modo ſub Conſtantino M. ſed et ſub Iuſtiniano, et maxime in principum palatio nihil fere magnae rei, niſi Latine, ſcriptum eſt, ceu pluribus oſtendit Car. dv Fresne, cum in *Conſtantinopoli Chriſtiana*, tum in erudita, quam *Gloſſario mediae atque infimae Latinitatis* praemiſit, *praefatione* §. 12. *pag.* 10. *ſeqq.* Nec dubitamus, quin et Beryti non modo in auditoriis iuridicis, verum etiam in priuatorum aedibus, Latina lingua perſonuerit, et vel eo nomine Berytum πόλιν ῥωμαϊκωτέραν, *vrbem plane Romanam* vocarit Gregorivs Thavmat. in *Oratione panegyr. in Origen. pag.* 186. Itaque neminem fore arbitramur, qui proletariae indoctorum hominum turbae accenſere velit Theophilum, Dorotheum, Anatolium, Cratinum, quippe Romanae iuris prudentiae doctores celeberrimos. Sed et Constantinvm νόμων μὲν οὐκ ἀμελέτητον, *legum haud imperitum* vocat Procop. in *Anecdot. pag.* 109. et Leontii eruditionem iuridicam laudans Sidonivs Apollinar. *Carm.* XXIII. *ad Conſentinum* ita canit:

Siue ad doctiloqui LEONIS aedes,
Quo bis ſex tabulas docente iuris
Vltro Claudius Appius taceret,
Claro obſcurior in decemuiratu.

Non iam dicam de reliquis, quorum ſi de doctrina teſtimonia non exſtant, nec de ignorantia, vel linguae Latinae imperitia quiſquam veterum aliquid memoriae prodidit; vt merito hanc ſpem concipiamus de Ivstiniani prudentia, eum non paſſurum fuiſſe, vllos alios ad hoc tam ſplendidum opus conficiendum eligi, quam viros eorum temporum doctiſſimos, diſertiſſimoſque. Nec ex Triboniano de reliquorum imperitia iudicare licebit, quum et hunc doctiſſimum fuiſſe fateantur et illi ſcriptores, qui alioquin de eius laudibus libenter detrahunt, veluti Svidas et Procopivs, quorum ille Οὗτος, inquit,

φύσεως μὲν δυνάμει ἐχρῆτο καὶ παιδείας εἰς ἄκρον τε ἀφίκετο, τῶν κατ᾽ αὐτὸν οὐδενὸς ἧσσον: *hic et ingenii acie valebat, et apicem eruditionis attigerat, ita vt nullum aetatis ſuae mortalium hac laude ſuperiorem haberet.* Et iterum: Ἦν γὰρ αἱμύλος τε καὶ τ᾽ ἄλλα ἡδὺς καὶ τῆς φιλοχρηματίας τὸ νόσημα ἐπισκιάσαι ἱκανώτατος τῇ τῆς παιδείας περιουσίᾳ: *erat enim mira vrbanitate, lepore, et ſuauitate praeditus, et auaritiam ſplendore ſummae eruditionis obſcurabat:* Hic vero, puta PROCOPIVS, quamuis alioquin maledicentiſſimus, et Triboniano parum aequus, eum tamen *de bello Perſ. Lib. I. pag.* 71. eadem laude ornat, vt SVIDAS illum manifeſto exſcripſerit. Iam eat aliquis, perfricet frontem, et reliquos corporis iuris compilatores indoctiſſimos fuiſſe ex eo colligat, quod Tribonianus, cui inter eos primus locus datus fuerit, omnis doctrinae expers fuerit. Inciderant hi homines in illud ſaeculum, quo priſcus Latinae linguae nitor atque elegantia iam pridem perierat, eiusque in locum ſucceſſerat genus dicendi incomtum, tumidum, ac valde inſuaue, quale tum in conſtitutionibus Iuſtiniani Codici inſertis, tum in Nouellis eiuſdem, quotquot earum Latine ſcriptae ſunt, vbique deprehendimus. At haec ſtili ſtribiligo non impediebat, quo minus eadem ſaecula mirum prouentum darent hominum praeſtantiſſimorum, et cum omni doctrinarum genere ornatorum, tum ſtudioſiſſimorum iuris prudentiae: quales et Triboniani ſocios fuiſſe, neminem, niſi cui tempora Iuſtiniani, tamquam ingeniorum virtutiſque ſterilia, ſordent, dubitaturum arbitramur.

Sequitur horum hominum crimen, quod ſacrilegii nomine digniſſimum cenſuit FRANC. HOTOMANNVS *Antitrib. cap.* 11. Iis enim et ideo diem dicunt, quod abſoluto illo opere omnes antiquas leges, edicta praetorum, ſenatus conſulta, ſupprimi et aboleri curarint, adeoque nihil minus praeſtiterint, quam quod in *Conſt. Omnem reipubl. §. vlt. ad anteceſſores* gloriatus eſt IVSTINIANVS, nimirum illos permutaturos.

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων.

Sed quum nemo veterum, etiam eorum, qui alioquin omne virus in Tribonianum illiuſque ſocios euomunt, hac de re quidquam memoriae prodiderit, neſcio profecto, vnde id commentum natum ſit FR. HOTOMANNO. Et quis, quaeſo, credat, vno vel edicto, vel rogo, tot veteres libros aboleri potuiſſe? an nullius eorum plura per

orbem Romanorum exſtiterint exemplaria; quam ſingula illa; quae flammis tradiderint Tribonianus et collegae? Denique quum nemo quidquam facere ſoleat ſine certo fine, certoque conſilio: ratio ſane vix vlla excogitari poterit, cur combuſtos voluerit Tribonianus rariſſimos illos libros, quorum maximam partem ex bibliotheca ſua cum ſociis communicauerat. Cui enim bono, quaeſo, id feciſſet? Ideone, vt ex eorum cineribus ſibi immortalis gloria, tamquam Phoenix, renaſceretur? At hoc, ſi non emoti cerebri fuerit, ſperare non magis potuit, quam Heroſtratus ex templi Epheſini ruderibus. An, ne libri hi in forum recepti noui Corporis Iuſtinianei luminibus officerent? At nullum fuit periculum, ne id fieret, partim quod voluminum illorum plerorumque vix nomina antiquiores homines ſcirent audiuiſſentque, *Conſt. Tanta §. 17. de confirm. Digeſt.* partim quod iam Iuſtinianus lege publica, propoſitaque falſitatis poena, ſanxiſſet, ne vel in iudicio, vel alio certamine, vbi leges neceſſariae ſint, ex iis libris quidquam recitaretur. *Conſt. ead.* §. 19. Accedit, quod multo poſt illa tempora non modo Codicis Theodosiani, ſed et Gregoriani et Hermogeniani nec non librorum Caii, Vlpiani, Pavlli fragmenta luculentiſſima ſuperfuerunt, et hodie quoque ſuperſunt, et fortaſſis alicubi latitant aliqua, quae ſatis refellunt commentum de libris iure conſultorum omnibus a Triboniano eiuſque ſociis nefarie combuſtis. Memini ſane in *catalogo codicum MSSC. Angliae, Scotiae, ac Hiberniae* me notare quaedam opuſcula ſiue Vlpiani, ſiue Pavlli, quae vel non exſtitiſſe vmquam, vel dudum periiſſe, putaram. Et Cviacivs *Obſeru. Lib. VI. cap.* 40. refert, amicum quemdam ſuum integrum habuiſſe Ivlii Pavlli libellum *de gradibus* non multo maiorem fragmento, quod ex libro illo ſingulari ſupereſt *L.* 10. *D. de grad. et adfin.* vt iam non repetam, quod ex Cyni *Comment. ad tit. C. de vſucap. tranſfor.* obſeruauit doctiſſimus van Bynkershoek *de rebus mancipi et nec mancipi cap.* 3. *p.* 107. Caii Inſtitutiones ſi non totas, ſaltim multo integriores vidiſſe Iac. Ravani, ſaeculi XIIII. iureconſultum, ex eoque locum aliter, ac eſt apud Boethivm, protuliſſe. Ex quibus ſatis adparet, non Triboniani ſociorumque faces, ſed tempus, edax rerum, nobis tot praeſtantiſſima veteris iuris prudentiae monimenta intercepiſſe, illamque fabulam ab Hotomano perpolitam tam abſurdam eſſe, vt paene nobis operam videremur perdere, ſi ei profligandae diutius immoraremur.

Sunt, quibus ne ipſa quidem horum hominum multitudo placet. Quod enim apud veteres in prouerbium abiit:

πολ-

πολλοὶ ϛρατηγοὶ καρίαν ἀπώλεσαν.
Multi duces deperdidere Cariam:

id et in hoc opere conficiendo non potuiſſe non contingere, exiſtimant. Vbi plures vnum agunt, ibi facile euenit, vt quod vnum oporteret agere, id ab altero curatum iri ſperet, adeoque a neutro fiat, quod ab alterutro fieri debuiſſet. Sed hi ſane pro certo adfirmant, quod probari non poteſt, Tribonianum ita diſtribuiſſe penſa, vt vnus hunc, alius alium librum perluſtraret, eaque, quae eſſent notatu digniora, inde decerperet: hinc poſtea ſiue Tribonianum, ſiue alium quemcumque centones hos conſuiſſe, et ſub certos retuliſſe titulos: et ſic fieri non potuiſſe, quin multa geminata, ſibique repugnantia, vbique deprehenderentur. Quid vero ſi excerpta illa fragmenta prius expenderint tot viri docti, et, an locum in nouo iuris prudentiae corpore mereantur, de totius collegii ſententia ſtatuerint? Quid ſi ea, quae in ordinem redacta digeſtaque ſunt, plures deinde recognouerint, limamque ſeueriorem, pro eo, ac decet, adhibuerint? Vix ſane ferendum eſt, nos hodie tot viris doctis abſurdam adfingere excerpendi rationem, tantum vt opus ab iis perfectum, imperfectiſſimum eſſe, aliis perſuadeamus. *Quidni potius meliora ſperemus de* viris doctis et prudentibus, eoſque rationem componendi huius modi opus optimam ac perfectiſſimam elegiſſe credamus? Semper eam conſuetudinem tenuerunt gentes ſapientiſſimae, vt ſcribendarum legum negotium non vni, aut alteri, ſed pluribus darent. Ita ſane Romani, pertaeſi iuris incerti, decemuiros legum ferendarum cauſſa crearunt, ab iiſque conditas eſſe nouimus duodecim tabulas, fontem vniuerſi publici priuatique iuris. Iidem, perdomita aliqua gente, mittere ſolebant vel decem, vel quinque legatos, quorum de ſententia imperator de hoſtibus, eorum regione ſtatueret, iiſque aut ignoſceret, aut in prouinciae formam redactis leges, prout mereri viderentur, daret: qua de re accuratius egit CAR. SIGONIVS *de iure prouinc. Lib. I. cap.* I. Iam ſi veteres Romanos, id facientes, nemo ideo imprudentiae arguit: quid, quaeſo, IVSTINIANVS admiſit tam nefandum, dum plures viros doctos in medium conſulere iuſſit, vt ob eam cauſſam ab omnibus impune vapulet, et tantum non capitis damnetur?

Hactenus IVSTINIANI, TRIBONIANI, ſociorumque reliquorum, cauſſa agenda fuit: iam de ipſo opere, quod eorum auſpiciis, curaque in lucem prodiit, erit dicendum. Hoc vero eſt, in quod et

illi,

illi, qui alioquin de IVSTINIANO paullo modeſtius iudicant, omne virus euomere non verentur, idque vel ideo iure quodam ſuo ſibi videntur facere, quod iam IAC. GOTHOFREDVS in *Prolegom. Cod. Theod. cap.* 4. permultis argumentis demonſtrarit, in ſolo Codice tot admiſſa eſſe flagitia, vt qui eum cum Theodoſiano conferat, nihil fere integri, nihilque ſinceri ſit reperturus. Saepe enim Tribonianum lucem legibus detraxiſſe exiſtimat, dum hiſtorica reſecuerit, legemque vnam in plures diſtraxerit; ſaepe eumdem prodidiſſe ignorantiam, ſaepe falſi genus non vnum admiſiſſe, veluti dum totius legis materiam mutarit, vel duas, ſeruata alterutrius inſcriptione, et ſubſcriptione vtriusque, in vnam conflarit, vel denique quaedam, quae inſcriptioni manifeſto repugnent, adſuere non dubitarit. Quae omnia deinde, ne per calumniam dicta videantur, exemplis illuſtrat IAC. GOTHOFREDVS, alii vero ex eo ſpecimine iudicare nos iubent, quam parum candide in reliquis vetuſtatis monimentis verſatus ſit Tribonianus, et quam nihil omnino fiduciae in eius diligentia poſſit collocari. Sed hic primo tenendum eſt, pleroſque illos naeuos, quos IAC. GOTHOFREDVS in pulcherrimo illo corpore deprehendit, magis ad hiſtoriam et criticam, quam ad iuris prudentiam pertinere, et hinc eo facilius condonandos eſſe Triboniano eiuſque ſociis, quo minus illi criticorum aut hiſtoricorum eximiorum laudem vmquam adfectarunt. Deinde ſunt in his quaedam a IAC. GOTHOFREDO acrius reprehenſa, quae tam ſeueram cenſuram vix merentur. Lumen hiſtoricum Tribonianum legibus detraxiſſe, ait, dum conſtitutiones ſingulas in plures alias diſtraxerit. Sed aliter ſane non potuit, ſi lex fuit ſatura, multaque diuerſa capita comprehendit, nec ipſe Theodoſianus Codex, quem tanti fecit Gothofredus, exemplis ſimilibus caret, quorum plura notauit ipſe GOTHOFREDVS in *Prolegom. cap.* 2. *pag.* 438. Et ſcire velim, quodnam lumen hiſtoricum detractum fuerit *L.* 8. *C. Th. de iuriſd.* dum eam in tres alias decerpſit Tribonianus, puta in *L.* 8. *C. vnde vi*, *L. penult. C. de accuſat.* et *L. vn. C. de abigeis.* Vbique enim eadem inſcriptio, eademque ſubſcriptio occurrit, niſi quod in *L. penult. Cod. de accuſ.* pro *Paſiphilo*, legitur *Pamphilo*, quod tamen, vtrum a Triboniani, an librarii alicuius manu ſit, nemo facile dixerit. Idemque ſtatuendum videtur de *L. vn. C. Th. ne in ſua cauſſ.* quam licet in duas alias diſcerpſerit Tribonianus, nempe in *L. vn. C. eod.* et *L.* 10. *C. de teſtam.* vix tamen video, quid luminis hiſtorici ei ideo deceſſerit, vel quid interfuerit poſteritatis, non perire argumentationis elegantiam. Dixerant Valens, Gratianus, et Valen-

Valentinianus, *neminem ſibi eſſe iudicem debere*, addiderantque rationem: *quum enim omnibus in re propria dicendi teſtimonii iura facultatem ſubmouerint: iniquum admodum eſt licentiam tribuere ſententiae.* Tribonianus vtrumque iuris expeditiſſimi eſſe ſciens, ſub titulo *ne quis in ſua cauſſa* poſuit particulam: *neminem ſibi eſſe iudicem debere*: ſub titulo *de teſtibus: omnibus in re propria dicendi teſtimonia iura facultatem ſubmouere.* Quantum vero hoc, quaeſo, flagitium eſt? Quum vtrumque ſit veriſſimum, quid prohibebat, quo minus vtrumque ſuo loco poneretur? At periit ita elegans argumentatio a teſtibus ad iudices, de qua fuſius agunt, qui *locos legales* tractant, veluti Nic. Everardvs. Quid tum vero? an eum in finem ſcriptus eſt Codex, vt in eo locos legales, quos vocant, indagemus, id eſt, vt cum Everardo inde diſcamus argumenta ducere a baculo ad angulum? Magna fuit Iac. Gothofredi ac plane diffuſa eruditio, ſed aliquando miſera et anxia nimis diligentia, et mira in conſectandis obſeruationibus nullius momenti ſubtilitas, criticum denique acumen, quod tamen vbique adfectat, plane nullum, quod vel inde patet, quod voce *perfruantur*, poſita in *L.* 1. *C. de veterani.* ignorantiam ſuam prodidiſſe Tribonianum exiſtimat, quia paſſiue ea voce vſus ſit, quum tamen in *L.* 2. *C. Th. eod.* vnde haec deſcripſit Tribonianus, idem vocabulum ſenſu paſſiuo occurrat, et ipſe Gothofredvs ſimilem loquutionem alibi occurrere, ex Ivreti *Comment. in Symmach. Lib. I. epiſt.* 21. obſeruet, et miſerrima praeterea ſit emendatio Gothofredi, pro *perfruantur*, legentis *perferantur*, quum iſtud vocabulum ibi nullum plane locum habeat. Falſi crimen vſquam admiſiſſe Tribonianvm, vix crediderim. Verum eſt in *L.* 6. *C. de haeret.* pro *Simonianis*, qui ſunt in *L.* 66. *C. Th. eod.* legi *Neſtorianos.* Sed certe id vocabulum non dolo malo repoſuit Tribonianus, ſed quia iuſſus erat leges, quas in Codicem eſſet relaturus, ita temporibus ſuis attemperare, vt nihil obſoletum continerent. Iam verum quidem eſt, Theodoſium iuniorem cum collegis, odio aduerſus Neſtorianos paene internecino impulſum, infame iis *Simonianorum* nomen a Simone Mago dari voluiſſe: at quum id cognomen Iuſtiniani ſaeculo plane extra vſum eſſet, nec princeps ille fortaſſis infauſtis huius modi conuiciis, ex quibus nihil vtilitatis ad eccleſiam redundaturum eſſet, magnopere delectaretur: quid mirum, ſi expuncto Simonianorum cognomine eos Neſtorianos a Neſtorio dici voluerit; *vt cuius ſcelus ſint in deſerendo Deo imitati, eius vocabulum iure eſſe videantur ſortiti?* Satis poenarum dare videbantur Neſtoriani, quod indigni, videren-

 tur

tur Chriſtianorum nomine, ſi vel maxime a Simone non cognominarentur. At praeterea ea, quae de Arianis in *L. 66. C. Th. de haeret.* dicuntur, miſere interpolauit Tribonianus. Quum enim ex hac lege, nec non SOCRATIS *Hiſtoria eccleſiaſt. Lib. I. cap. 6.* conſtet, Conſtantinum M. lata lege praecepiſſe vt Ariani a Porphyrio, rabido illo aduerſus Chriſtum cane, Porphyriani in poſterum vocentur: Tribonianum illam Conſtantini ſanctionem in alium plane ſenſum detorſiſſe, dum ſcripſerit: *ſed quemadmodum Ariani ab Ario, lege diuae memoriae Conſtantini, ob ſimilitudinem impietatis: Porphyriani a Porphyrio nuncupantur: ſic vbique participes nefariae ſectae Neſtorii Neſtoriani vocentur.* Sed euaneſcet omnis illa ſuſpicio interpolationis, ſi colon poſt vocabulum *impietatis* expunxeris. Veriſſimum enim eſt, Conſtantinum Arianos, ab Ario dictos, ob ſimilitudinem impietatis, Porphyrianos a Porphyrio dici voluiſſe. Quamuis ergo, expuncto Simonianorum nomine quodammodo perire videatur ſimilitudo legis huius ac Conſtantinianeae: ſalua tamen manet ratio, puta, quod *cuius ſcelus ſint in deſerendo Deum imitati, eius vocabulum iure videantur eſſe ſortiti.* Neſtorianos enim imitari ſiue impietatem, ſiue errorem Neſtorii, nemo tum erat, qui inficiaretur. Maius crimen admiſiſſe videri poſſet Tribonianus in *L. 9. C. de epiſcop.* et *cleric.* vbi conſtitutionem VALENTINIANI, THEODOSII, et ARCADII ita deſcripſit: *nulla, niſi emenſis quinquaginta annis, ſecundum praeceptum apoſtoli, ad diaconiſſarum conſortium transferatur,* quum tamen non modo in *L. 27. C. Th. de epiſc. eccleſ. et cleric.* diſerte legamus: *emenſis ſexaginta annis*, ſed ea aetas in *Timoth. V. 9.* diſerte ab apoſtolo conſtituatur, tamquam legitima viduarum, per manuum impoſitionem ad miniſterium eccleſiae prouehendarum. Vnde IAC. GOTHOFREDVS in *Comment. ad d. l. 27. Tom. VI. pag. 61. Adeo*, inquit, *incurioſos etiam ſacrae ſcripturae illi egere?* Enimuero quum tam multa in Codice vtroque ſuſpecta habeat GOTHOFREDVS: cur et hic non potius librarios, quam Tribonianum accuſauit? Quam facile enim contingere potuit, vt, ſigno numeri denarii praetermiſſo, pro LX. ſcriberent L. idque deinde in alios quoque codices irrepſerit? Vere autem collectores codicis ſcripſiſſe ſexaginta, iam pridem obſeruarunt ANT. CONTIVS et IO. LEVNCLAVIVS in *Notat. Lib. I. cap. 13. pag. 1476. in Theſ. iur. Tom. IIII.* idque vel inde patet, quod et apud PHOTIVM, et in libris *Baſilicorum*, et in *Paratitlis* legatur: ἡ μὴ ὑπερβᾶσα τὸν ἑξηκοστὸν ἐνιαυτὸν, vt dubitare vix liceat, quin et in authentico non *quinquaginta*, ſed *ſexaginta*, fuerit. Quod ad *L. 3. C. de apoſtat.* attinet,

tinet, Triboniano non parum indignatur GOTHOFREDVS in *Comm. ad Cod. Theod. Tomo VI. pag.* 209. quod, quae VALENTINIANVS, THEODOSIVS, et ARCADIVS *l.* 4. *C. Th. eod.* de Chriſtianis transfugis, et in paganorum ſuperſtitionem lapſis ſtatuiſſent, inſertis verbis: *haeretica ſuperſtitione* ad eos, qui ad haereticos deſciuerint, inepte porrigere non dubitarit. Sed quid, quaeſo, obſtitit IVSTINIANO, cuius auſpiciis ſcripſit Tribonianus, et qui omnia ab eo ſcripta pro ſuis accipi voluit, quo minus ea, quae de apoſtatis ſanxerant Valentinianus et collegae, ad haereticos, baptiſmum reiterantes, porrigeret? Eum morem tum, teſte AVGVSTINO *Epiſt.* 173. et contra litteras Petiliani *cap.* 88. tenebant non modo Donatiſtae, verum etiam Eunomiani, qui ſimul in eo a reliquis Chriſtianis faciebant diuortium, quod et vna immerſione vterentur, et caput ita ſub aquam ſupprimerent, vt pedes ſurſum verterentur, ceu memoriae prodiderunt EPIPHANIVS *Haereſi* 76. PHILOSTORG. *Hiſt. eccleſ. Lib. IIII. cap.* 4. et *Lib. X. cap.* 4. SOZOM. *Hiſt. eccleſ. Lib. VI. cap.* 26. quamuis eos ideo dictos eſſe ἰσοπόδας, quod coniecit GOTHOFREDVS *ad Philoſtorgium* et in *Comment. ad Cod. Theod. Tom. VI. pag.* 134. nec a vetere vllo traditum ſit, nec vocis iſtius notioni ſatis conueniens eſſe videatur. His Eunomianis iam teſtamenti factionem ademerant iidem imperatores, *l.* 17. *C. Th. de haeret.* quumque poſtea eamdem poenam in apoſtatas, ſanctum baptiſma profanantes, ſtatuiſſent: nihil profecto ab inſtituto IVSTINIANI alienum fecit Tribonianus, quod cum apoſtatis coniungeret haereticos, baptiſmi ritum iterantes, quippe qui ſacrum baptiſmum non minus, quam παραβάται illi, profanare videbantur eorum temporum theologis. Non iam immorabor iis, quae GOTHOFREDVS de pluribus imperatorum conſtitutionibus in vnam conflatis monet, quibuſque vel maxime inuidiam facit Triboniano, eiuſque ſociis. Quamuis enim ipſi fateamur, rectius facturos fuiſſe illos codicis architectos, ſi conſtitutionum ſingularum auctores, et ſubſcriptiones religioſius indicaſſent: tamen ita hiſtoricis tantum et iuris interpretibus aliquam vtilitatem attuliſſent. Quum vero non fuerit hoc eorum conſilium, vt poſteris opus quoddam hiſtoricis obſeruationibus, et varia doctrina iuridica refertum, relinquerent, ſed vt leges, in foro valituras, imperatoris iuſſu et auſpiciis colligerent: quo iure, quaeſo, ab iis plura deſideramus, quam a principe iis imperatum eſt? Id vnum addo, ne Codicem quidem Theodoſianum, cui plurimum tribuit GOTHOFREDVS, mera Sibyllae folia comprehendere, quippe quum editionem hodie ſuperſtitem a Wiſigothis velut per manus traditam acceperimus, eaque paſſim redoleat

manum Aniani. Saepenumero itaque, vbi a Theodoſiano abit Iuſtinianeus, huic plus tribuo, quod non dubium ſit, Triboniano, ſociiſque eius, codicem adornantibus, integrius emendatiuſque exemplar; quam quo nos hodie vtimur, ad manus fuiſſe.

Sed pergimus ad reliqua adcuſationis capita, inter quae illud haud poſtremum eſt, quod boni illi viri diffuſum Pandectarum opus ex operibus variorum iureconſultorum, diuerſis addictorum ſectis, compilarint. Ex eo enim iure ſibi colligere videntur, non magis ſibi conſtare aut conſentientia eſſe potuiſſe fragmenta inde decerpta, quam ſi quis opus theologicum ex ſcriptis theologorum, diuerſis religionibus deditorum, compilare conaretur. At primo plerique iureconſulti, quorum ex operibus quaedam in Pandectas relata eſſe animaduertimus, poſt Hadriani tempora vixerunt, a quibus, recte id obſeruante Gottfr. Mascovio *de ſect. Sabin. et Procul. cap.* 7. ita paullatim deferuuit ſectae ſtudium, vt rariſſima eius in eorum ſcriptis ſupereſſent veſtigia. Deinde obſeruari velim, non in omnibus, ſed paucioribus iuris capitibus diſſenſiſſe ſectarum capita, adeoque nihil obſtitiſſe, quo minus a diuerſarum ſectarum ICtis quam plurima eodem modo tradi; eaque fere ſola ſufficere potuerint conficiendo iuris vniuerſi ſyſtemati. Accedit, quod diuerſae illae ſectarum ſententiae Triboniano, eiuſque συνεργοῖς magis procul dubio cognitae perſpectaeque fuerint, quam hodie ſunt vlli mortalium, adeoque non tam facile in illis promiſcue admittendis falli ac decipi potuerint, maxime quum iam ab Hadriani temporibus vetuſtiſſimae illae lites innumeris principum conſtitutionibus, et quae adhuc ſupererant, quinquaginta illis Iuſtiniani deciſionibus compoſitae eſſent. Et quis denique tam male ominaretur de tot doctorum virorum diligentia, vt dubitaret, quin, ſi quae diſſentientes iureconſultorum ſententiae ſupereſſent, in medium conſuluerint, et rationem maxime probabilem ſint ſequuti? Si qua eorum oculos fugerunt, (fugiſſe enim aliqua, viri docti obſeruarunt,) ea plerumque non admodum magni momenti ſunt, et ab aequo iudice facile condonantur tot aliis Triboniani meritis: vt iam non dicam, multa, quae vulgo praecipiti iudicio inter antinomias referuntur, ita conciliata eſſe a viris doctiſſimis, vt merito ceſſare tandem aliquando deberet hoc conuicium. Quae de interpolationibus ſeu emblematibus altum hic iterum vociferantur viri docti, ea iam ſupra ſatis excuſſimus; nec tantum eſt otii, vt longiſſimam iſtam antinomiarum ſeriem, quam nonnulli texunt, expendamus. De facto haec quaeſtio eſt, eaque iuſtum volumen, non praefationem aliquam, exigeret. Id

modo

modo monitum velim, ſaepe neſcio quo oculorum vitio, antinomias quibuſdam videri diuerſas ICtorum ſententias, quas ſtudio recenſent non modo veteres iureconſulti, ſed et architecti Pandectarum. Vnde eleganter CORN. VAN BYNKERSHOEK *Obſ. Lib. I. cap.* 5. *pag.* 28. *inepti valde ſunt*, inquit, *qui de religione cenotaphii, ceu antinomia iuris ciuilis, altum hic vociferantur: opima earum ſeges foret, ſi, quoties iureconſulti committuntur, toties ſibi crederetur contradicere ius ciuile, adpoſita maxime, et vltimum recitata, quae obtinuit, ſententia.*

In Inſtitutionibus fere nihil placet cenſoribus, vitio, et ſine populi ſuffragio creatis: non auctores, quia tres in tantillo libello elaborarint: non fons, vnde pleraque hauſta ſunt, quia tres viri illi CAIVM, iureconſultum parum acutum potiſſimum ducem elegerint: non doctrina; libello iſto propoſita, quia et praecipua iuris capita omiſſa, et ius antiquum praeter neceſſitatem admixtum ſit: non denique ordo et eloquutio, quia et perturbatior ille, et haec fere barbara ſit, ipſique auctores, a ratiocinandi facultate ſe parum inſtructos eſſe, vbique re ipſa oſtenderint. Sed haec omnia vltro in fumum abibunt, ſi conſideraueris paullo adcuratius, primum tribus hominibus non obſtare potuiſſe numerum, quo minus libellum elegantem, ſuiſque abſolutum numeris, procuderent, ſi ea, quae ſinguli ex veterum iure conſultorum Inſtitutionibus decerpſerint, vnus in ordinem redegerit, et opuſculum iſtud poſtea omnes iunctis operis expenderint, limamque ei adhibuerint: deinde, illos nobis non videri CAII doctrinam elegantiamque ſatis perſpectam habere, qui eum ICtum parum acutum fuiſſe cenſent, quum pleroſque et acumine, et doctrinae vbertate, et ſtili elegantia longo poſt ſe interuallo reliquerit, et hinc nullus fere veterum iureconſultorum frequentius a grammaticis laudari ſoleat, quam CAIVS noſter: tum porro, ſi quaedam iuris capita in illo libello omiſſa ſint, id facile vel ipſum Triboniani inſtitutum excuſare, quippe qui non iuſtum iuris ciuilis ſyſtema, ſed prima eius elementa componere decreuerat, eaque inculcare praecipue, quae ad ſolidiorem iuris prudentiam adſpirantibus prae reliquis imbibenda eſſent. Eo vero non pertinebant difficiliores doctrinae de iure dotium, de diuortiis, de iure pignorum, de πρωτοπραξίᾳ creditorum, aliaeque, quas maiori Pandectarum operi reſeruare maluit. Nimis vero, quae pulcra ſunt, faſtidiri videntur, quibus Tribonianus ideo vapulat, quod alicubi, et maxime in doctrina de teſtamentis, quaedam ex iure antiquo admiſcuerit. Tantum enim abeſt, vt ideo reprehenſionem incurrere debeat, vt maximam hoc ipſo a pru-

dentioribus gratiam inierit, maiorem initurus, ſi plura eius generis; quae ad perſpiciendas noui iuris origines vel maxime comparata ſunt, admiſcuiſſet. Experientia enim docet veriſſimum eſſe, quod §. 1. *Inſt. de teſtam. ordin.* monuit, eum, qui in iuris prudentia velit operae pretium facere, *nihil antiquitatis penitus ignorare debere*, vel, vt THEOPHILI paraphraſi vtamur, *μηδὲν ἡμῖν τῶν πάλαι πολιτευομένων ἄγνωστον εἴη. εἰ καὶ ἡ τούτων ἄγνοια οὐδένα φέρει κίνδυνον, ἀλλ᾽ οὖν πρὸς ἱστορίαν καὶ τὸ μαθεῖν, πῶς κατὰ μικρὸν προϊόντες ἠμείφθη τοῦ χρόνου, εἰπεῖν οὐκ ἄτοπον*; *non quidquam eorum, quae olim in vſu erant, ignorare nos decet. Quamuis enim in horum ignorantia nihil ſit periculi, tamen ad cognitionem hiſtoriae, et, vt intelligatur, quemadmodum paullatim temporis proceſſu haec mutata ſint, haud abſurdum erit, aliquid dicere.* Quod ad ordinem attinet, non video, quem commodiorem reique ipſi magis conuenientem eligere potuiſſet Tribonianus, quam vt iura perſonarum, rerum, et actionum diſtincte explicaret, et praecipuas perſonarum, rerum, atque actionum diuiſiones ſingularibus titulis exponeret, in eos, tamquam in tribus referens omnia, quae de iure priuato tironem ſcire oportebat. Et ſane videre cuperem libellum eius generis, quocumque ordine conſcriptum, in quo non ordinem deſiderent faſtidioſa ingenia. Nam quum nullae proditae ſint regulae, quae ſpeciatim praecipiant, quo ordine diſponendae ſint ſcriptiones iuridicae, et permultum hic ſcriptorum arbitrio relinquatur: nemo erit, qui tam concinno ordine vtatur, vt non meliore vti eum potuiſſe, plerique ſint exiſtimaturi. Quin eo viuimus ſaeculo, quo tenebriones quidam ordinem omnem nexumque a libris iuridicis abeſſe debere cenſent, veluti nuper perſonatus SCHVZIVS [*], cui libelli mei ideo ſordent, quod iuris prudentiam in ordinem aliquem redigi, eiuſque doctrinas vinculo quodam inter ſe copulari poſſe, crediderim, quum ipſi, qua eſt inſigni iudicandi facultate praeditus, tanto magis ad palatum ſint compendia vulgaria, quanto propius ad primi illius mundi antemundani formam accedunt, in quo

Frigida pugnabant calidis; humentia ſiccis;
Mollia cum duris; ſine pondere habentia pondus.

Sed SCYTHA iſte, ſi ipſi in turbido eſt conſilium, non ideo alios coget,

[*] Latere ſub hoc nomine voluit Heineccii quondam collega Io. WOLFG. TRIERVS.]

get, vt et ipſi omnia turbent, et tales componant libellos, quales gloſſarum auctores compoſuerunt, de quibus vir acutiſſimi ingenii, id eſt, SCHVZII diſſimillimus, M. ANT. MVRETVS *Vol. I. Orat. XVII. Exſtat praeclara ſententia apud Xenophontem in oeconomico, nihil eſſe aut pulcrius, aut ad vſum commodius, quam ordinem; nihil contra aut adſpectu foedius, ac deformius, aut quod plura omnibus rebus incommoda adferat, quam confuſionem ac perturbationem. At noſtri illi gloſſatores; quum dialecticen aut non didiciſſent, aut ita didiciſſent, vt non didiciſſe praeſtaret: quibus, quaeſo, modis omnia miſcuerunt? qualem nobis cuiuſque generis praeceptorum farraginem reliquerunt? Vt ſi quis ruſticus hordeum, triticum, viciam, legumina in vnum aceruum conferat, non illius aceruum horum commentariis exiſtimem perturbatiorem fore. Mihi quidem quum in eos inſpicio, ſaepiſſime Ouidiana illa de Chao in mentem veniunt:*

Quaque erat et tellus, illic et pontus, et aër.

Non aliter enim apud hos, vbi verbi cauſſa de auctoritate magiſtratuum agitur, dicetur etiam aliquid de teſtamentis; vbi de emtione et venditione diſſeritur, aliquid de poenis, aut de auctoritate tutorum inſeretur: nihil eſt denique, quod certam ſedem aut domicilium habeat, nihil, quod non alieniſſimo aeque facile, ac ſuo, loco pertractatum reperiatur. Inde illae crebrae ex vno in alium locum reiectiones, quum te, quod hic agendum ac tractandum erat, id iubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, numquam, niſi admonitus, diuinare potuiſſes, prorſus, vt ſi quis paterfamilias veſtem non in veſtiario, ſed in arca panaria conderet, panem ex puteo hauriret, piſces in nemore, lepores in piſcina incluſos haberet. Iam ſi talibus libellis delectatur SCHVZII gula: per me ſane fruatur iſtis deliciis ſuis, ea tamen lege, ne cogar ad coenam promittere. Mihi enim non ſunt dentes calceati, quibus ſentes eſitem. Sed nimirum a velitatione hac in praelium demum redeundum eſſet, niſi aliorum virtute iam debellatum videretur. Superſunt quidem adhuc hoſtium reliquiae, ſed iam ab aliis viris fortibus et bonis ita profligandae, vt mihi otium factum eſſe videam. Eo enim merito referas, quod de ſtilo Triboniani, quo Inſtitutiones ſcriptae ſunt, monent. Non eſſe illum vbique ſui ſimilem facile largimur, nec potuit eſſe aequalis, quum quaedam ex CAIO, alia ex VLPIANO, quaedam etiam ex HERMOGENIANI iuris epitomis deprompſerint, quaedam ex iure nouo de ſuo adiecerint eius libelli auctores. At nuſquam tamen tantam mihi barbariem in eo reperire videor, quan-

quanta in libris eorum, qui in Tribonianum quam maxime ſaeuiunt, vbique reperitur. Tenuis eſt ſtilus, qualis decet eius modi libellum, at maxima tamen ex parte purus et Latinus, et, quod maximi feceris, perſpicuus, ſaltim iis, qui Latinae linguae non plane ſunt ignari. Qui elegantius quid deſiderant, eos memores eſſe velim, nec Triboniani hoc fuiſſe conſilium, vt Romanae eloquentiae ſpecimen admiratione dignius ederet, nec eo illum vixiſſe saeculo, ex quo eius modi quid poſſis exſpectare. Vnum ſupereſt, in quo delicias quaerunt Tribonianomaſtiges. Eum enim aliquando male ratiocinari putant, veluti quando iuris ſcripti et non ſcripti originem ab inſtitutis duarum ciuitatum, Athenarum ſcilicet et Lacedaemoniorum, fluxiſſe, ait; §. 10. *Inſt. de iure nat. gent. et ciu.* quando argumentum ducit ab alienatione per teſtamentum ad manumiſſionem inter viuos, libertatemque contemplatione adoleſcentum manumittendorum vocat *rem inaeſtimabilem*; *§. 7. Inſt. quib. ex cauſſ. manum. non lic.* quando eamdem libertatem manumittendi morti proximis indulgendam putat, quae competit ſanis ac valentibus, §. *vn. Inſtit. de lege Fuſ. Can. toll.* et quae ſunt huius generis alia. Sed primum non ineptum eſt, ſi non cum VINNIO alienum ſenſum adfingas verbis ſive CAII, ſiue TRIBONIANI, ſed memor ſis eorum, quae ad VINNIVM pag. 26. ea de re notauimus. Argumentum ductum a teſtandi facultate itidem rectiſſime ſe habet: ſemper enim iureconſulti exiſtimarunt, ei, cui, quod plus eſt, licet, non debere, quod minus eſt, non licere, *l.* 21. *D. de reg. iur.* quamuis alia diſpectio ſit, an prudenter egerit IVSTINIANVS, dum legem illam Aeliam Sentiam abrogavit? quae tamen quaeſtio ad Triboniani labores non videtur pertinere. Verum porro eſt, libertatem eſſe rem inaeſtimabilem ſeruo; nec tamen ideo male rationes ſubduxit Tribonianus, dum inde collegit iuuenibus non eſſe denegandam facultatem, eam ſeruo dandi. Quum enim ignominioſum quodammodo videretur, homini ingenuo ſanae mentis liberam rerum ſuarum adminiſtrationem non permitti, ac proinde ne curatores quidem adoleſcentibus, inuitis darentur: §. 2. *Inſt. de curat. l.* 13. *§.* 2. *D. de tut. et curat. dat. l.* 2. *§. penult. et vlt. D. qui pet. tut. et cur.* quanto durius erat, adoleſcenti, inprimis frugi, in eam bonorum partem non permitti arbitrium, quae quodammodo eſſet inaeſtimabilis, vt ne ſeruo quidem, optime de ſe merito, ſine multis ambagibus gratiam referre, nec, niſi conſequuto decreto, dicere poſſet cum Simone apud TERENTIVM *Andr. act. I. ſcen.* I. *v.* 10.

Feci,

Feci, e ſeruo vt eſſes libertus mihi,
Propterea, quod ſeruiebas liberaliter.
Quod habui, ſummum pretium, perſolui tibi.

Vbi itidem beneficium ſummum eſſe dicit, non ſibi, ſed ſeruo, cui οὐδὲν τιμιώτερον ἐλευθερίας eſſe ſolet. Denique quum ab alienatione inter viuos ſaepiſſime ad teſtamentifactionem argumentum ducant iureconſulti: cur Ivstiniano id non licuiſſet? Male quidem haec collectio proceſſiſſet iis temporibus, quibus lex Fuſia Caninia adhuc neceſſaria erat; quia tum intereſſe videbatur rei publicae, ſeruos quam pauciſſimos manumitti, ne ciuitas impuriſſimis pileis pollueretur, maxime, quum domini, teſte Dionysio Halic. *Lib. IIII. cap.* 28. ſibi maximam laudem poſt mortem conſequuturi viderentur, quorum lecticam maxima pileatorum turba proſequeretur, et in ſe ita natura comparatum ſit, vt facilius teſtamento manumittant homines, quam inter viuos. *l. 4. fin. D. de SC. Velleian.* At Ivstiniani temporibus, quibus ſtolidam iſtam opinionem iam pridem exuerant homines, nec admodum intererat rei publicae, ſeruos quam pauciſſimos ad libertatem peruenire, nihil omnino obſtare videbatur, quo minus huius modi argumento vteretur Ivstinianvs, qui, qua erat humanitate, libertatibus magis, quam ſeruituti, fauebat, nihilque magis optabat, quam vt ſummum hoc beneficium atque inaeſtimabile bonum cum pluribus ſiue manumiſſione inter viuos, ſiue per teſtamentum communicaretur.

Multa dicenda ſupereſſent contra illos, qui ius noſtrum ex parte iniuſtum, ex parte incertum eſſe, conqueruntur. Sed quum iam non liber, ſed praefatio, a nobis exigatur, et nos, haec inter perpetuas occupationes in chartam coniicientes, vehementer vrgeat bibliopola, vir integerrimus, vt demum finem huic prooemio, feruente iam foro, faciamus, denique hanc cauſſam iam iuſtis voluminibus egerint Maestertivs, Hvbervs, et alii viri doctiſſimi: ad id potius venimus, cuius cauſſa tota haec qualiſcumque opera a nobis ſuſcepta eſt. Merito ſaeculo noſtro cum alia Dei munera, tum et illud maxime gratulamur, quod Corporis iuris non vna editio memoria noſtra prodiit, ſumtuſque haud exigui in id opus facti ſunt a bibliopolis celeberrimis. Vel id enim argumento eſt, nondum a tot ſaeculis exſoleuiſſe iuris prudentiae ſtudium, ſed in dies magis magiſque eſſloreſcere, nec quidquam adhuc profeciſſe, qui illam, ſi res earum arbitrio ageretur, ex vniuerſa Germania proſcriptam, et ad vltimos Garaman-

tas relegatam vellent. Enimuero quum pleraeque, quas adhuc vidimus, praeſtantiſſimi operis editiones, vel grandioris ſtaturae ſint, quam quas commode ſecum ferre poſſint ſtudioſi, vel litteris tam minutis exſcriptae, vt iis non ſine oculorum moleſtia vterentur: bene de republica litteraria meriturus vir optimus, bibliopola Lipſienſis, de hac noua adornanda cogitauit, nullique labori ac ſumtui pepercit, vt et commoda mole, et charta munda, et litteris nitidiſſimis in lucem prodiret. Qua re eo maiorem ab omnibus gratiam iniit, quo rarius in tabernis noſtris librariis reperiuntur exemplaria editionis minoris, quae in Belgio excuſa, adhuc ſtudioſis in deliciis fuit. Quid praeterea in hac editione praeſtitum ſit, id quidem ſigillatim ediſſerere nequeo: ſancte tamen mihi adfirmatum eſt, et editiones emendatiſſimas ad manus fuiſſe, et in conſilium adhibitos viros doctos ac diligentes, qui cum ea in emendandis chartis cura verſati ſint, vt lectori optima quaeuis polliceri non dubitemus. Tuum iam erit, lector, frui his dapibus, ſimulque bene precari bibliopolae, qui tibi eas ſuo ſumtu adparauit. Ego vero Deum optimum maximum ſupplex veneror, vt quo magis his temporibus in foris gliſcit calumnia, eo magis in academiis iuris prudentia floreat, illaeque quotidie ex ſe emittant colonias doctorum virorum, qui incorrupta religione ius dicant, et multorum vitae, exiſtimationi, ac fortunis praeſidio, ac rei publicae vniuerſae, quam videbunt poſteri, inſigni ſint ornamento. *Halae ex muſeo, ipſis Nonis Maiis 1735.*

XI.

* * * * * * * * * * *

XI.

DE SECTA TRIBONIANOMASTIGVM.

ESſe quamdam, vti ipſorum hominum, ita et opinionum ſucceſſionem; tam multis argumentis atque exemplis compertum eſt, vt nemo, niſi rerum omnium ignarus, dubitare ea de re poſſe videatur. Equidem de philoſophia hoc vulgo notum, omnibuſque perſpectum eſt, quum DIOGENES LAERTIVS non modo in ipſo pulcherrimi operis prooemio (*a*) τὰς τῆς φιλοσοφίας διαδοχὰς, ſeu *ſucceſſiones philoſophiae* veluti in nucleo exhibeat, verum etiam toto illo incomparabili libro omnem iſtam et philoſophorum et philoſophometum ſucceſſionem deſcribat, quam adcuratiſſime. Idem vero et in ciuili illa ſapientia, quam iuris prudentiam vocant, obſeruabunt omnes, qui in iſtius hiſtoria non plane hoſpites ſunt. Ofilii enim ſententias opinioneſque Ateius Capito (*b*), Trebatii Antiſtius Labeo ſequebatur, ac proinde hi duo primi veluti diuerſas ſectas faciebant, Ateii doctrinas propagantibus Maſſurio Sabino, C. Caſſio Longino, Caelio Sabino, Priſco Iauoleno, Aburnio Valente, et Saluio Iuliano, contra nihil reliqui facientibus Labeonis ſucceſſoribus, Nerua patre, Proculo, Nerua filio, Pegaſo, Celſo vtroque, et Neratio, vt praeceptoris ſui opiniones in ſcholis iuridicis, ipſoque foro et palatiis principum dominarentur. Quo factum etiam eſſe arbitramur, vt Pomponius tertiam *Enchiridii* ſui partem non *de vitis et ſcriptis ICtorum*, ſed *de ſucceſſione prudentum* inſcripſerit; oſtenſurus, vti videtur, eo libello, eam eſſe cum doctorum prope omnium, tum et ICtorum indolem, vt praeceptoribus, tamquam claudi pilae, inhaereant, eaque, quae ſemel ab iis veluti per manus tradita acceperint, ad poſteros tranſmittere, et aliis tantum non pro oraculis obtrudere, ſumma ope nitantur.

 Sed

(*a*) *Segment.* XIII.
(*b*) L. 2. §. 47. *D. de orig. iur.*

Sed haec quidem veterum ſectarum exempla iam non moramur. Cui enim non dictus Hylas? Et cui his noſtris temporibus ignota ſunt, quae de iſtis ICtorum ſectis paſſim commentati ſunt viri doctiſſimi, Iac. Cuiacius, Em. Merillius, Otto a Boekelen, Gottfr. Maſcouius, et alii complures? Nos, quum iam notiſſimo Io. Iac. Wissenbachii libello *de emblematibus Triboniani*, apud nos eum antidoto vir. clar. Io. Wybonis recuſo, quaedam praefari conſtituerimus, id potius obſeruamus, eamdem et nouiſſimis temporibus actam eſſe fabulam, et Wiſſenbachium certae ICtorum ſectae addictiſſimum, non alio conſilio eum librum adornaſſe, quam vt eam de Triboniani flagitiis opinionem, a praeceptoribus acceptam, ad poſteros propagaret, aliiſque, quoad eius fieri poſſet, illam redderet quamueroſimillimam. Eius vero ſectae originem atque incrementa quum vulgo non adeo nota ſint, paucis hic tradere, neque infructuoſum erit, neque ab inſtituto noſtro alienum.

Ex quo Andreas Alciatvs, iunctis cum iuris prudentia elegantioribus litteris, et antiquitatum maxime adcuratiore notitia ſibi comparata, auditores ſuos, quos in Italia ac Gallia innumeros habuerat, ad nouum interpretandi genus traducere coeperat: praeclarum iſtud exemplum, tamquam ſignum aliquod ſublatum, adeo multos ad imitandam illam iura docendi rationem excitauerat, vt in Gallia fere vniuerſa viris doctis paullatim ſorderet Accurſiana illa illuuies, et plerique omnia critices et philologiae praeſidia ad enotandas leges adferrent. Id agentes fere omnes inciderunt in loca quaedam, quae a Triboniano vel mutata, vel interpolata eſſe animaduertebant, qualia tantum non omnes, quidam etiam paullo acerbius quam opus erat, notabant. Sane huius modi Triboniani emblemata, vel, vti Ant. Faber (*a*) ea adpellare ſolet, *Tribonianiſmos* paſſim obſeruarunt cum ipſe Alciatvs (*b*), tum Ant. Avgvstinvs (*c*), Iac. Cviacivs (*d*), Francisci Dvarenvs (*e*) et Baldvinvs (*f*), Emvndvs Merillivs (*g*) aliique, qui tum Gallicanas academias, et maxime Bituricenſem, doctrina ſua illuſtrabant viri doctiſſimi. Sed nullus horum ideo bellum indixit iuri Romano Iuſtinianeo, quod illi po-

(*a*) *Coniect. Lib. XII.* et XVI. et *de error. pragmaticor. decad. XXI. error. 7.*

(*b*) Ad L. 1. *D. de legat.* 1.

(*c*) *Emendat. Lib. III. cap. vlt.*

(*d*) *Obſeruation. Lib. XXI. cap.* 26. et *Lib. XXIII. cap.* 12.

(*e*) In L. 7. §. 2. *D. de pact.*

(*f*) *Praefat. Iuſtiniano praemiſſa.*

(*g*) *Obſeru. Lib. IIII. cap.* 2.

potius tanto plauſu docuerunt, vt eo tempore maximi concurſus fierent in Galliam, mirareturque Italia, tam breui tempore tantam factam eſſe rerum conuerſionem, vt, quum antea ad iuris prudentiae laudem ſufficere videretur, Bononiae, vel Patauii, vel Ticini prima iuris ſtipendia feciſſe, iam omnes certatim in Biturigum ciuitatem confluerent, petituri inde ſolidioris cultioriſque iuris prudentiae exemplum. Quum vero tum illuxiſſet Cuiacii ingenium, ſine exemplo maximum: fieri non potuit, quin tanti viri fama aliorum veluti luminibus officeret, ac proinde magna inter viros doctos συγχρόνους eſſet ſimultas, magna obtrectatio. Male ſane conueniebat Cuiacio cum Duareno, Hotomanno, Io. Roberto, Fornerio, aliiſque viris doctis, qui quum eius doctrinas, depromtaſque ex reconditis doctrinae theſauris obſeruationes paſſim carperent, viro meritorum in rem publicam litterariam maximorum ſibi conſcio adeo ſtomachum mouerunt, vt acrius iuſto eos inſectaretur, et eorum alios *ſcutica dignos*, *ſtultos*, *mendaces*, *caecos*, *caliginoſos*, alios *tritapoſtatas*, *ſanctimonialium confeſſores*, *temulentos*, *turbulentos*, *lutulentos* vocaret, alios denique aliis exciperet conuiciis, quin et anagrammatibus, paranomaſiis, aliiſque verborum figuris in quoſdam luderet, et IOANNEM ROBERTVM transpoſitis litteris *ſero in orbe natum* (*a*) GVIL. FORNERIVM, defuncta ex ſpecie PAVLLI ICti (*b*) denominatione, *fornacarium*, *qui obdormiuit ad fornacem* (*c*), IOANNEM BODINVM *Andium ſine bono* (*d*) adpellaret. Iam quidem hanc animi intemperiem ne in viro quidem doctiſſimo laudaueris, optandumque eſſet, vt ille ab his conuiciis abſtinuiſſet: et viro alioquin optimo humaniſſimoque bilem in naſum exciuerat incredibilis aduerſariorum improbitas, qui non tam Cuiacium petebant, quam ipſas eius ſcholas, et quum inſignem, quo Cuiacium omnes proſequebantur, plauſum ferre non poſſent, de eius fama quauis occaſione detrahere ſtudebant. EMVNDVS ſane MERILLIVS (*e*), qui ne ipſe quidem pepercit Cuiacio, huius tamen eius aduerſariorum nequitiae pertaeſus: *plures*, inquit, *e ſchola Cuiacius habuit aemulos et obtrectatores*, *e Biturigis*, Franciſcum Duarenum, *Aureliae* Ioannem Robertum, *in Germania* Franciſcum Hotomannum *et* Hugonem Donellum, *quum academia Biturigum exceſſiſſent*: *qui Cuiacii famam increbeſcentem prae in-*

 uidia

(*a*) *Obſeruat. Lib. XV. cap.* 23.
(*b*) L. 27. §. 9. D. *ad leg. Aquil.*
(*c*) *Obſeruat. Lib. VIIII. cap.* 37.
(*d*) *Obſeruat. Lib. XVIII. cap.* 38.
(*e*) *Diſſ. ad Variant. Cuiac. cap.* 8. *pag.* 8.

inuidia ferre non poterant. Οὐδὲ κορυδαλλὶς ἄνευ λόφου, οὐδὲ Ὀρειβάσιος ἄνευ φθόνου, *non eſt alauda ſine criſta: non eſt Oribaſius ſine inuidia*, ait Eunapius *in Oribaſio ex paroemia. Sed et viuo Cuiacio ſtudioſi quidam, qui ſub eo profecerant, ſcriptis praeceptoris ſui aduerſati ſunt, vt* Henricus *a* Suerin, Antonius Faber, Marquardus Freherus, *et alii, de quibus queritur* (*a*): *ſunt huic* [Ioanni Roberto] *ſimiles hodie multi altelli mei, quibus ſingulis reponam in tempore, quod debeo. Toti ii ſunt dies totas in legendis noſtris, nec ex alio iecore ſapiunt, et, quod mordeant, inueſtigant, vbique tranſuerſa mente, nihil tamen, quod imitentur bene.* At vero qui cum iis confligantur ingeniis, quae tantam exiſtimationis acceſſionem ſibi futuram credunt, quantum aliorum famae detrahunt: iis profecto difficile eſt, ſatyram non ſcribere, et fucos iſtos ac crabrones abigere ſine impetu quodam: vt mirandum non eſſe videatur, et Cuiacio, quamuis humaniſſimo, aliquid tamen humani accidiſſe.

At inter iſtos Cuiacii aduerſarios, quamuis odio in virum doctiſſimum pares, magnam tamen diſſenſionem, magna ſententiarum diuortia deprehendes. Plerique eorum ius Romanum a Cuiacii emendationibus, in quibus aliquando iuſto audacior videbatur, vindicandum exiſtimabant, in quo praecipue Io. Roberti induſtria verſabatur, quamuis par illud male compoſitum, et quidem Cuiacius caedendo, Robertus vapulando, ſermonem de ſe hominibus daret. Verum Franciſcus Hotomannus, Franciſcus Balduinus, et Antonius Faber, alia plane via adorti Cuiacium, non ſe eum facilius debellaturum ſperabant, quam ſi in ipſum ius Romanum arma conuerterent, et Cuiacium in iure incerto, male compilato, et plane inutili interpretando exercere ingenium, oſtenderent. Quem enim ſtudioſorum in addiſcendo iure Romano bonas horas perditurum, aut Cuiacio, id tanto cum ſtrepitu docenti, operam daturum credibile erat, ſi totam illam artem et abſonam, et in vita ciuili plane infructuoſam eſſe demonſtraſſent. Hinc omnem viri iſti docti laborem in eo poſitum habebant, vt ius ciuile reprehenderent, nihil in illo ſanum, nihil integrum, ſed omnia ſceleſta Triboniani manu peſſime corrupta ac deprauata, innumeriſque antinomiis inquinata, quin a rerum publicarum hodiernarum ſtatu ac conditione alieniſſima eſſe, viris doctis perſuaderent. Et Antonius quidem Faber quantum calamo ſuo aduerſus ius ciuile indulſerit, argumento ſunt eius libri *Coniecturarum*,

(*a*) *Obſeruat. Lib. XVI. cap. 29*

rarum, et quae *Rationalia* et *de erroribus pragmaticorum* inſcripſit. Nec ignotus eſt Franciſci Balduini *Iuſtinianus*, cuius in praefatione omnes eloquentiae ſuae, qua abundabat, opes in exagitando iure Iuſtinianeo et Triboniano accuſando conſumſit. At ferocior his Franciſcus Hotomannus, ad cuius acroaſes, quum Argentorati, Coloniae Allobrogum, et Baſileae doceret, plures iuuenes confluebant, nihil faciebat reliqui, vt conceptam de iuris Romani praeſtantia opinionem ex eorum animis euelleret, eaque in re eo plures inuenit conſentientes, quo maiore excellebat facundia, et quo minus ei quiſquam dicendo reſiſtere poſſe videbatur. Hinc auctor eſt Petrvs Nevelletvs Doschivs (*a*), qui Hotomannum vnice admiratur, eum *de tollendis* in primis *Triboniani ſalebris*, *vti ipſe vocitare ſolitus ſit*, fuiſſe ſollicitum, et *Digeſta*, *quae* indigeſta *ille iudicauit*, *Caeſarumque conſtitutiones non leui manu verſaſſe*. Et paucis interiectis, vbi in eius Antitribonianum incidit, de eo libro ita pergit (*b*): *quin et ante multo*, *quum optimo et ſapientiſſimo viro doleret*, *tantum temporis tam inutiliter a iuuentute in ſcholis iuris publicis impendi*, *videretque*, *aliam plane eſſe Romanarum legum*, *aliam regni huius rationem*, *et vtramque tamen errore noxio confundi*; *ſcripto breui*, *ſed valido*, *erroris huius publici admonuit*, *ne deinceps iuuentutem noſtram poeniteret longi*, *ſed infructuoſi in re non ita neceſſaria*, *laboris*. *Libello nomen* Tribonianiſmus, *in eo πανουργίαν et imperitiam Triboniani*, *iuris Romani varias in contrarium variis temporibus mutationes*, *eiuſque in omnibus partibus ambages*, *et varietate ſcripturae temporumque*, *interpretum ſpinas tricaſque*, *et*, *quae aliae labes*, *propoſuerat*, *et euidentiſſime*, *non eſſe illud ius ad Galliae mores valde adcommodatum*, *oſtenderat*, *et peritorum exemplo medicorum*, *aliam longe breuiorem iuris docendi diſcendique viam vſibus noſtris commonſtrauerat*. Non viderat Neuelletus hunc libellum, cuius nec titulum nec ſummam ſatis adcurate expreſſit. Addit enim ſtatim: *ac ſcriptum iſtud Soloni Galliarum*, *Hoſpitalio*, *lectum et probatum*, *cur lucem hactenus non viderit*, *in ambiguo eſt*, *niſi per huius ſeculi mores*, *quo maxime ſalutaria quaeque maxime diſplicent*, *quo nec vitia iam*, *nec vitiorum remedia pati poſſumus*, *factum eſt*, *vt quae boni publici*, *quam priuati*, *in profeſſione ſua commodi amantior hic noſter conſcripſerit*, *poſt mortem demum ſuam legi voluerit*. Sed prodiit demum libellus Gallice ſcriptus vicennio fere poſt auctoris exceſſum, anno 1609. eumque deinde, vi-

ſum

(*a*) In *Vita Franciſci Hotomanni* apud Leickher. in *Vitis ICtorum*, *pag.* 234.

(*b*) *Ibid. pag.* 236.

ſum in Friderici Lindenbrogii bibliotheca, neſcio quis Latinitate ſatis lutulenta donatum recuſum dedit Hamburgi a. 1647. a quo tempore et a Georgio Beyero, et a Chriſtiano Gottfr. Hoffmanno repetita eſt libelli, ad explodendum ius Romanum vnice comparati, editio. Addubitarunt initio viri docti, an vere hic libellus a Franciſco Hotomanno profectus ſit. Neque enim ſibi perſuadere quiſquam poterat, tantam in ICtum cadere imprudentiam, vt ipſe vineta ſua caedere, artemque, quam profiteretur, e re publica proſcribere conaretur (*a*). At euellit eorum animis hunc ſcrupulum IOANNES filius, qui *epiſtola* ad Nic. Brulartum Sillerium (*b*) hunc libellum patri diſerte vindicat. Et aliunde conſtat, hanc fabulam, auctore Hotomanno, dediſſe MICHAELEM HOSPITALIVM, qui in eo totus erat, vt corpori Iuſtinianeo exſilium in comitiis Molinenſibus, anno 1566. habitis, ſciſceret, regnique ordines eo oratione ſua adduceret, vt cum rege ſuo de nouo ſelectiorum legum corpore concinnando cogitarent (*c*). Itaque tam certum videtur, quam quod certiſſimum, et ſcriptum hunc libellum eſſe a Franciſco Hotomanno, et eo conſilio ſcriptum, vt et Hoſpitalio placerent, quas feciſſet fabulas, et eadem opera aegre faceret Cuiacio aliiſque, qui tum ad illuſtrandum ius Iuſtinianeum omnem operam atque induſtriam ſuam in Gallia conferebant.

Erat tum Hotomanni ea fama ac celebritas, vt ad eius ſcholas maximus vndique concurſus fieret, adeoque ei non deerat occaſio, ſuam hanc de iure Iuſtinianeo ſententiam auditoribus quamplurimis inſtillandi. *Odium* enim, inquit IOSEPH. AVREL. A IANVARIO, *quo in Tribonianum ferebatur, numquam exuit Hotomannus, et in hac re publica illum exagitare omni vel improbo tentabat conatu. Conueniebat quotidie et domi, et in foro, vt ſibi viſum eſt opportunius, vetuſtos illos ICtos, ingentia Romanae olim ornamenta rei publicae, qui ante Auguſti imperium, aut paullo poſt, floruere. Hos eloquentia comtiſſima, qua pollebat plurimum, quamque a Tullio, ſibi familiariſſimo, exhauſerat vberrime; hortabatur, arcebat, impellebatque, vt poenas ſumerent de Triboniano, homine nequiſſimo, qui, quidquid ab ipſis fuerat profectum ingenio, induſtria elaboratum, improbe auſus eſſet orbi ſubtrahere, et poſteris furari.* Qua quidem fabula, ad Luciani exemplum effícta, nihil aliud innuere voluiſſe videtur

(*a*) IOSEPH. AVREL. A IANVARIO in *Re publ. ICtor. pag.* 416. *edit. Mencken.*

(*b*) Praemiſſ. *Comment. ad tit. D. qui teſtam. fac. poſſ. Tom. II. oper.*

(*c*) THVAN. *Hiſtor. Lib. XXXVIIII. pag.* 359.

tur vir doctiſſimus, quam ſerio et omni animi contentione id egiſſe Hotomannum, vt omnes, quibuſcum verſabatur, quotidie, inſigni illo, quod ipſe aduerſus Tribonianum conceperat, odio imbueret. At neſcio tamen, an magis idoneum quemquam reperire potuiſſet, qui eam ſententiam propagaret, quam HERMANNVM VVLTEIVM, qui poſteaquam et Heidelbergae et Marburgi Cattorum per omnes honeſtioris litteraturae partes viuidam circumtulerat indolem, nihil prius, nihilque antiquius habuit, quam vt Coloniam Allobrogum excurreret, ibique Hotomannum audiret, iura ſuo more non ſine plauſu interpretantem. Ea de re vir clariſſimus, qui nuper vitam Hermanni illius Vulteii luculenta commentatione illuſtrauit, IO. PHILIPPVS KVCHENBECKERVS (*a*) ita loquitur: *quum vero tot diuerſiſſimas, et saepius ſibi inuicem contrarias in iuris prudentia animaduerteret ſententias: non abs re futurum credidit, ſi ad illas diſſoluendas, aliorum etiam illuſtrium virorum effata in auxilium vocaret, probe gnarus, Vlyſſeam ſapientiam non in vnius Ithacae finibus conquiri. Neque a propoſito ſibi ſcopo vlla ratione abduci potuit* Vulteius *noſter, ſed relictis patriis Laribus anno* 1576. *Geneuam ſine mora abiit. Euaſerat huc ex laniena Pariſienſi cum* Enimundo Bonifidio *lumen illud Galliae* Franciſcus Hotomanus, *cuius viſendi et adloquendi deſiderio nimium quantum flagrabat.* Neque indocilem diſcipulum in Vulteio inuenit Hotomannus, qui, tametſi magnopere ſibi caueret, ne eadem libertate, qua vſus fuerat Hotomannus, Tribonianum in ſcriptis ſuis vellicaret, ſimilia tamen auditoribus principia inculcare non deſinebat, immo et in *prolegomenis de ſtudio iuris, Iuris prudentiae Romanae* praemiſſis (*b*), quid de vniuerſo Triboniani labore ſentiret, non poterat ipſe diſſimulare. Sed adcuratius fortaſſis de Vulteii ſententia iudicare liceret, ſi ad manus eſſent NIC. VIGELII *Examen ICtorum*, aliaque, quae ad controuerſiam illam, quae inter Vigelium et Hermannum Vulteium circa annum 1593. interceſſerat, pertinent, acta ad manum eſſent (*c*). Quum enim illa adeo veluti in neruum eruperet, vt et Vigelius, de academia Marburgenſi optime meritus, officio publico priuaretur, et typographo Baſileenſi irrogaretur mulcta, et IOANNES NIELLIVS, Veſalienſis, qui Vigelio, optimo ſeni, patrocinatus fuerat, primum relegatione, tum octiduano carcere dignus haberetur (*d*): vix dubito, quin

(*a*) *Vit. Vulteii, pag.* 42.
(*b*) KVCHENBECK. *ibid. pag.* 32.
(*c*) KVCHENBECK. *ibid. pag.* 86.
(*d*) KVCHENBECK. *ibid. pag.* 92. *ſequ.*

lis illa ad ipſam Vulteii doctrinam docendique rationem pertinuerit, quam ferre non potuerat Vigelius, quamuis et ipſe, ceu ex illius libris patet, in Iuſtiniani methodo permulta deſideraret.

Vulteium praeceptorem Marburgi ab anno 1581. habuit ANTONIVS, CONR. FIL. MATTHAEVS, qui poſtea tum Herbornae et Marburgi, tum Groningae ius ciuile publice docuit, et primus eam de Triboniani flagitiis ſententiam intulit in Belgium, multoque apertius et maiore cum adparatu, quam vel Vulteius, vel ipſe Hotomannus, propugnauit. Argumento eſſe poſſunt, cum alii eius libri, quorum recenſum e *Vitis profeſſorum Groningenſium* dedit PAVLLVS TREHERVS (*a*), tum maxime *Collegia iuris ſex*, edita Groningae 1638. quorum primo ipſe ita praefatus eſt (*b*): *reprehendes, quod in quibuſdam notaui iura, notaui ICtos, notaui imperatorem Iuſtinianum. Non moror. Nihil eorum a me factum eſſe praeter rationem et auctoritatem, ipſae diſputationes loquuntur. Qui me in his refutare conati ſunt, quam inde reportarunt laudem? Non aliam, quam vt habiti ſint indoctiores.* Nec minus huc pertinent, quae *praefatione alteri Inſtitutionum collegio* (*c*) praemiſſa profitetur, vbi ſe ſimul doctorum virorum, inprimis Ronchegalli, Connani, Raeuardi, Contii, Viglii, Hotomanni, Weſenbecii, Budaei, Cuiacii, Alciati, Charondae, Longoualli, et Baronis conquiſitis vndique ſuffragiis tuetur. Et ſane id huic viro otium, id negotium, is labor, ea quies, in eo vigiliae, in eo ſomnus quoque reponebatur, vt ceu ipſe in poſteriore illa praefatione loquitur, *et antinomias iuris oſtenderet, et Tribonianum, compoſitorem iuris, reprehenderet, et aliquando nec a iure ipſo, quin improbaret hoc, ſibi temperaret.* Hinc in primo ſtatim collegio, quod *fundamentum iuris* vocat, *Diſp. II.* agit de Inſtitutionum iuris materie et methodo, et naeuis in vtroque, *Diſp. III.* de tribus Inſtitutionum iuris naeuis, *Diſp. IIII.* et ſequentibus de antinomiis iuris, *Diſp. VII.* de iis, in quibus ius ciuile a lege Dei, ab honeſtate, et a ratione deflectit, *Diſp. VIII.* de iis, in quibus ICti ſibi non conſtant, *Diſp. VIIII.* de iuris capitibus non admodum inter ſe cohaerentibus, *Diſp. X.* de otioſis et inertibus, quibus ICti vtuntur, rationibus, *Diſp. XI.* et ſequ. de vitioſis eorum definitionibus et diuiſionibus, *Diſp. XIIII.* et ſequ. de non mouendis, ſed diſtinguendis terminis iuris, *Diſp.* XVII.

(*a*) Theatr. viror. eruditor. pag. 1079.
(*b*) Pag. 4.
(*c*) Pag. 3.

XVII. de lege et vſu inter ſe pugnantibus. Quibus quidem fundamentis, quae vocat, omnia deinde ſuperſtruxit, quae ſcripſit de iure, vt vere dicere liceat, hunc Antonium Matthaei primum Hotomanni ſectam data opera propagaſſe, nihilque feciſſe reliqui, vt et ipſe bellum aduerſus Tribonianum perpetuum gereret, et, tamquam Hamilcar ille Afer, et filium eiuſdem nominis, et alios, eodem internecino imbueret odio, eoſque, ne vmquam cum exſecrando illo capite in gratiam redirent, impelleret.

Inter hos primum ſibi locum iure meritoque depoſcit Io. Iacob. Wissenbachivs, cuius ex adfinitate auunculum Antonium Matthaeum fuiſſe, tradit Vlricvs Hvbervs (*a*). Hic ad interiorem admiſſus Matthaei conſuetudinem, *eius familiari et efficaciſſima inſtitutione*, vti ait Huberus, *perinde quadriennio tanto cum fructu vtebatur, vt anno tertio eximium ingenii foetum in lucem ediderit. Is fuit liber, cui nomen fecit* Emblemata Triboniani, *quo eleganti artificio ex variis auctoribus ea loca collegit et illuſtrauit, quae compilatores Pandectarum reſponſis veterum ex nouis conſtitutionibus adiecerant et aptauerant. Tunc primum palam fecit, ſe exactae iuris Romani peritiae iunxiſſe multam hiſtoriae, antiquitatis, et philologiae Graecae atque Latinae cognitionem; adeoque ſe plane ad academicam inſtitutionem formatum eſſe.* Merito dubites, an haec ex animi ſententia ſcripſerit laudatiſſimus Huberus, quo nemo ab inſano illo antinomias et Tribonianiſmos venandi ſtudio magis vmquam abhorruit. Sed dediſſe id videtur pietati in praeceptorem, vt eum libellum ſaltim ab ingenio atque artificio laudaret, quem ipſe Wiſſenbachius tamquam filiolam exoſculabatur, vtpote quo primum rei publicae litterariae innotuerat, Spartamque nactus erat in illuſtri Franequerana, quam deinde ad mortem vſque, id eſt, ad annum 1668. illuſtrauit. Paucis enim interiectis, quid ipſe de illo Wiſſenbachii ſtudio ſentiat, ſatis perſpicue oſtendit, dum ait: *vt moribus, ita opinionibus iuris conſtans, et ſui per omnia ſimilis fuit, iis, quae ſemel acceperat, praeciſe inhaerens. Inter quae multa fuere ſingularia ex inſtitutione Antonii Matthaei, qui gaudebat recedere a vulgo, hauſta, et ſemper animoſe a noſtro defenſa, cuius generis inter alia fuit crebra cum Iuſtiniano et amanuenſibus eius de antinomiis, aliiſque maleficiis, expoſtulatio.* Ita Wiſſenbachius, quae ipſe ab Antonio Matthaeo, hic a Vulteio, Vulteius ab Hotomanno quaſi per manus tradita acceperat,

 ad

(*a*) In *Vita Io. Iac. Wiſſenbachii*, praemiſſa huius *Commentario ad Inſtitutiones*.

ad poſteros hoc libello propagare ſtuduit, tantumque eo labore dedit ſtrepitum, vt ex eo tempore fuerint innumeri, qui coeptam ab eo telam pertexere, et in indagandis Triboniani flagitiis exercere ingenium, ſumma ope niterentur.

Equidem quantum detrimenti inde capiat iuris prudentiae ſtudium, ſi in contemtum adducantur libri iuris, nihilque in iis rectum, nihil ſanum atque integrum eſſe, quotidie inculcetur adoleſcentibus, neminem eſſe arbitramur, quin intelligat. Et ſunt tamen, qui ea in re neruum atque artus ſapientiae poſitos credunt, ſibique tanto magis videntur ſapere, quanto minus ſapuiſſe Tribonianum aliis perſuadeant. Quemadmodum enim olim de Homeromaſtige illo Zoilo obſeruatum eſt, eum Homero id debuiſſe, vt poſteris innoteſceret, ac proinde eleganter, vt ſolet, cecinit OVIDIVS (*a*):

Ingenium magni detrectat liuor Homeri,
Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.

Ita illi ſe putant immortales laudes conſequuturos, ſi dente Theonino ſaeuiant in Iuſtinianum, eiuſque amicum, Tribonianum, et vtrumque male meritum eſſe de iuris prudentia, exemplis quam plurimis oſtenderent. At ſordere prudentioribus noſtra aetate coepit hoc Cynicum pus atque venenum, et quamuis viri docti ingenue fateantur, Tribonianum fuiſſe hominem, ab eoque nihil humani alienum eſſe exiſtiment: religioni tamen ſibi ducunt, tam male ominari de tot viris illius aeui doctiſſimis, vt eos data opera veterum ICtorum libros corrumpere atque interpolare voluiſſe putent. Neſcio, an ea in re quiſquam induſtriam ſuperarit aeui noſtri Papiniani, CORNELII A BYNKERSHOEK (*b*), qui, quum animaduerteret, non tam late tum patuiſſe Wiſſenbachii eruditionem, quum hunc libellum ederet, vt omnes interpretum loculos potuiſſet excutere, et in rem ſuam vertere, non tantum ex interpretibus iuris, ſed et ex ipſis grammaticis, locis fugitiuis, tot emblemata, a Wiſſenbachio praetermiſſa, collegit, eaque non ſine iniuria Triboniano imputari coepit oſtendere, vt facile ſpiſſum librum ea de re edere potuiſſet. Sed noluit in hoc muſtaceo laureolam quaerere vir, grauioribus diſtractus negotiis, eiuſque mutati conſilii rationes grauiſſimas reddidit in praefatione nouis *Obſeruationum iuris*

(*a*) *Remed. amor. v. 365.*
(*b*) *Praefat. Obſeruation. iuris nouar.* anno 1733. editarum.

iuris ciuilis ante biennium editarum libris praemiſſa. Ne tamen nullum ex incredibili iſta induſtria fructum caperent poſteri: ſaltim ἀποσπασμάτια pulcherrimi operis exſtare voluit in obſeruationibus iſtis doctiſſimis, quibus permulta, ob quae Triboniano atrociſſima dica ſcribitur, tam ſolide profligauit, vt cauſſam peroraſſe videatur. Enimuero ipſe vir doctiſſimus IOANNIS WYBONIS in eluendis his maculis induſtriam in eadem praefatione mirifice commendat, de illaque ita iudicat: *laudo conſilium viri conſultiſſimi*, Ioannis Wybo, *amici et popularis mei, qui quum anno* 1729. *ICtorum ordini adſcriberetur, Diſſertatione inaugurali, Vltraiecti habita, cauſſam Triboniani egit aduerſus eum libellum, quem primus edidit* Io. Iac. Wiſſenbachius, *et* Emblemata Triboniani *inſcripſit.* Quum itaque in eo eſſet vir optimus, Henricus Zopfius, qui bibliopolio orphanotrophei cum magna prudentiae atque induſtriae laude praeeſt, vt Wiſſenbachii libellum typis de nouo exſcriberet, is, qui huius editionis curam ſuſcepit, ei auctor fuit, vt ei ſociam daret iſtam Ioannis Wybonis diſſertationem, vt adoleſcentes, hoc veluti antidoto praemuniti, ipſum Wiſſenbachium tanto minore cum periculo, et fructu eo vberiore, legerent. Rogatus itaque per epiſtolam vir conſultiſſimus, vt id fieri pateretur, non modo adnuit, verum vltro ſibi eum laborem indixit, vt diſſertationem illam retexeret, et nouis hinc inde acceſſionibus locupletaret, vt iam pro diſſertatione academica iuſtus fere libellus ἀντιῤῥητικὸς prodeat. Iam non eſt, quod tibi libellum commendem, cuius vtilitatem vnus quiſque facile perſpiciet. Docebit te Wiſſenbachius, quid in vniuerſa illa iuris collectione, quam Triboniano debemus, viri docti deſiderent. At et clariſſimus Wybo docebit, quid alii viri eruditiſſimi pro Triboniano, eiuſque opere, dicere ſoleant, quibuſque argumentis vtantur ad abſtergendos naeuos, quos tanto verborum adparatu illi exaggerant. Animaduertes legendo vtrumque, aliquando et viros doctiſſimos, odio vel amore in tranſuerſum actos, nodum in ſcirpo quaerere, magnoque conatu maximas agere nugas. Denique et mirum hominum in iudicando ſtuporem vel hoc maxime exemplo intelliges, quod eo opuſculo Wiſſenbachius ſibi viam paraſſe dicatur ad famam, quum, iudice ampliſſimo Bynkershoekio (*a*), *nihil quidquam ibi videatur praeſtitiſſe, quam quod, vt eſt in prouerbio, hircum mulgentibus cribrum ſuppoſuerit. Exhibuit enim ſeſquicentum fere emblemata, ſed ex aliis maximam*

Z 3

(*a*) *Praefat. ead.*

mam partem deſcripta, quae enim ex ſuo ipſius ingenio profecta ſunt, vix numerum faciunt. Saepe etiam ei libello inſeruit πάρεργα, ἔργῳ μείζονα, *vt ſolent, qui primum quid ſcriptitant, eruditionis oſtentandae gratia, ſed et ea* πάρεργα *non minus aliis auctoribus debentur, quam ipſa emblemata, vt obſeruabis, ſi vel eos ipſos locos excutias, quos ipſe adducit. Probo tamen, quod plerumque auctores ſuos laudauerit, quamuis non ſemper primum emblematis auctorem, ſed vel ſecundum, vel tertium: verum non probo, quod aliquando nomina auctorum ſuppreſſerit, iiſdem tamen ſeruatis rationibus, quin iiſdem quoque verbis, quibus illi emblemata defendunt.* Nihil hoc viri doctiſſimi iudicio verius, nihil grauius: et tamen ille libellus viro ad maiora nitenti inſigni adiumento fuit, et vel maxime impuliſſe dicitur illuſtriſſimos Friſiae ordines, vt ei lautis ſatis conditionibus docendi munus in academia Franequerana offerrent. Ita nonnumquam vtilius eſt nouaturientibus ingeniis, παράδοξα ſcribere, quam vera, quum mundus veluti iam ſenio deſipiens, veterumque pertaeſus, non niſi noua circumſpiciat, iiſque non minus oblectetur, quam ſenes, qui ſibi, dum noui quid rumor nunciat, ipſi poſteritati intereſſe videntur. Sed haec quidem de vtroque libello dicto ſufficiant. Nos, vti editori, et laudato Zopſio, publice hic gratias agimus, quod in recudendis libellis nec operae, nec ſumtibus pepercerint: ita te, lector beneuole, certiorem facimus, breui eodem typorum ac chartae nitore ſeſe commendaturum, quod nunc ſub praelo ſudat, Iacobi Cviacii opus *Obſeruationum iuris ciuilis* incomparabile, quod tibi exhibebitur multo elegantius emendatiuſque, quam adhuc vmquam vel in Cuiacii operibus, vel ſeorſum, prodiit. Adeo feruet apud nos ſtudium bonos libros, qui paene in tabernis diſparuerunt, in vitam veluti reuocandi, faciliоremque ſtudioſae iuuentuti reddendi ſolidiorem iuris prudentiam. Eam vero felicitatem vt nobis propriam ac perpetuam eſſe iubeat ſummum, quod omnia moderatur, Numen, ex animo precor. *Halae III. Non. Octobr. 1735.*

XII.

* * * * * * * * * * *

XII.
DE IVRIS PRVDENTIA HEVREMATICA.

APud LVCIANVM *in dialogis marinis* (*a*), Iupiter, redditurus rationem, cur tres deas pulcherrimas, quibus Eris aemulationem iniecerat, ad Paridem, Idaeum iuuenem, tamquam ad iudicem competentem, ablegarit: αὐτὸς μὲν, inquit, ἐ κρινῶ περὶ τέτε ἄπιτε δὲ εἰς τὴν Ἴδην παρὰ τὸν Πριάμε παῖδα, ὃς οἶδέ τε διαγνῶναι τὴν καλλιόνα, φιλόκαλος ὢν, καὶ ἐκ ἂν ἐκεῖνος κρίναι κακῶς: *Ipſe quidem non feram iudicium de hoc: ſed in Idam ad Priami filium abite, qui et diſcernere nouit, quaenam formoſior ſit, vtpote elegantiae ſtudioſus et ipſe, et non facile, talis quum ſit, iudicauerit male.* Quae quidem verba non alio videntur pertinere, quam vt intelligamus, non poſſe de rei pulchritudine ac praeſtantia quemquam alium, niſi artificem, et qui in ea re contemplanda efficiendaque totus ſit, Ioue aequo iudicare. Ideo enim de Paride hanc ſpem concepiſſe Iupiter fingitur, eum dearum illarum pulcherrimam facile inuenturum, quod ipſe non modo formae dignitate omnibus aliis antecellat, ſed et φιλόκαλος, pulchritudiniſque conſeruandae tam ſtudioſus ſit, vt eum recte adloquutus Hector apud HOMERVM.

> Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανὲς ἠπεροπευτά.
> *Male Paris, forma optime, mulieroſe, impoſtor*, (*b*),

idemque paucis interiectis ei (*c*) exprobrare non dubitarit κίθαριν, τά τε δῶρα Ἀφροδίτης, τήν τε κόμην τό τε εἶδος; *citharam, donaque Veneris, et comam formamque*, tamquam quibus ſolis aliis praeſtare ſtudeat Paris iſte φιλόκαλος. Talem nimirum eſſe oportebat

(*a*) *Tom. IIII. pag.* 29.
(*b*) *Iliad. Lib.* III. *v.* 39.
(*c*) *Ibid. v.* 54.

tebat ex Iouis ſententia, qui de dearum inter ſe de forma certantium, pulchritudine, recte et vellet, et poſſet omnino, iudicare.

Enimuero, ſi dicendum, quod res eſt, non adeo difficile videri potuit hoc iudicium, quod non tam ad mentem rationemque, quam ad ipſos oculos pertinuit, cuiuſque rationem non aliam quis a iudice expectare potuit, quam quod oculis eius vna ex his viſa ſit pulcherrima. Quare in eodem dialogo (*a*) Galenae Nereidi, de iudicii iſtius exitu ſollicitae, praedicit Panopa: Ἤδη σοι φημὶ, οὐκ ἄλλη κρατήσει, τῆς Ἀφροδίτης ἀγωνιζομένης, ἢν μή τι πάνυ ὁ διαιτητὴς ἀμβλυώττῃ: *at iam nunc tibi adfirmo, quod nulla alia vincet, veniente in certamen Venere, niſi arbiter ipſe omnino caecutiat.*

Haec cur mihi, calamum iam arripienti, in mentem venerint, paucis accipe. Solet iis, qui praefationes aliorum operibus praemittere iubentur, id plerumque negotii dari, vt non tantum operis pulchritudinem, vtilitatem, ac praeſtantiam collaudent; mercique iſti veluti hederam ſuſpendant, ſed et cum aliis eiuſdem argumenti libris, ſi fieri poſſit, comparent, denique id opus aliis omnibus eius generis longe eſſe praeferendum, oſtendant, idemque ſaltim faciant, quod feciſſe aiunt Paridem, qui inter pulcherrimas omnes vni tamen Veneri laudem pulchritudinis, dato pomo, attribuit. At periculoſae res plena aleae videri poſſet, talem ferre ſententiam, cum maxima inuidia coniunctam. Neque enim oculorum hoc iudicium eſt, ſed mentis eiuſque facultatis, quae rem illam omnem peruideat, quam tamen vix in alio reperias, quam qui ipſe in opere eiuſmodi, de quo dicturus eſt ſententiam, perficiendo, eximium praeſtare poſſit artificem, vt recte ſcripſiſſe videatur PLINIVS iunior (*b*): *vti de pictore, ſculptore, fictore, niſi artificem iudicare: ita, niſi ſapientem, non poſſe perſpicere ſapientem.*

Quae quum ita ſint, rogatus ego a bibliopola, viro integerrimo, vt SAM. STRYKII *Cautelis contractuum*, (ita enim librum inſcribere, illuſtri auctori placuit,) aliquid praefarer, diu profecto hanc Spartam refugi, tum pudore ſuffuſus, quod veluti iudicis partes de opere incomparabilis praeceptoris mihi deferri viderentur, tum veritus inuidiam, edoctuſque experientia, alios ſibi plerumque tantumdem laudis exiſtimare detractum, quantum in alium conferri animaduertunt.

Atta-

(*a*) Ibid. p. 29.
(*b*) Lib. I. epiſt. 10.

Attamen quum veluti per conuicium a me efflagitari hanc praefationem intelligerem: paullo adcuratius, et adhibita in conſilium ratione, expendere mecum coepi, primum, non id a me exigi, vt vni alicui doctrinae palmam, tamquam illud Eridos pomum, adiudicem, alioſque praeiudicio meo damnem: deinde, non eſſe adeo multos, qui in hoc argumento ita exercuerint ingenium, vt vel perſpicuitate atque ordine, vel rerum varietate, vel ipſa ſoliditate doctrinarum, cum STRYKIO, ſi viuerent, in certamen vellent venire: denique, ſi quis me, vti olim praetor arbitros, ſententiam dicere cogeret (a), non difficilius futurum eſſe iudicium, veniente in certamen STRYKIO, quam illud Paridis, τῆς Ἀφροδίτης ἀγωνιζομένης. Iampridem enim bonorum omnium calculum tulit vir ille doctiſſimus, qui, dum rebus humanis interfuit, tamquam Germaniae noſtrae PAPINIANVS, ſcholas omnes, in quibus primario docendi munere functus eſt, et almam in primis Fridericianam, ad ſummam celebritatem euexit: ex cuius auditorio, tamquam ex equo Troiano, prodierunt ICti innumeri, qui ſummorum principum palatia, curias, fora, et academias diutiſſime illuſtrarunt, et ex parte hodie quoque illuſtrant: qui denique doctrinarum ſoliditate, argumentorum, quibus vtebatur, robore id conſequutus eſt, vt, quemadmodum olim ex lege VALENTINIANI et THEODOSII (b), litigante vtroque totidem veterum iureconſultorum teſtimonia adnumerante, is demum victor foro excedebat, cuius ex partibus excelſiſſimi ingenii vir, PAPINIANVS, ſtabat, ita in foris noſtris haud parum ad victoriam momenti in auctoritate STRYKII poſitum eſſe videatur. Quanti porro viri laudatiſſimi opera, ex quo in lucem eorum vnumquodque prodiit, fecerit res publica litteraria, vel id profecto indicio eſt, quod de iis argumentis, quae ipſe occupauit, (occupauit autem ſelectiſſima, et ad vſum forenſem vel maxime comparata) vix quiſquam aliquid commentari auſus ſit, quaſi verecundia quaedam rohibuerit omnes, quo minus actum agerent, et poſt hunc Homerum, quod eſt in prouerbio, ſcriberent Iliadem. Quod quum commune ſit doctorum omnium de STRYKIO, eiuſque operibus, iudicium: facile intellexi, nec difficile fore, laudare laudatiſſimum virum, et mihi magis eſſe verendum, ne infantia mea aliquid de eius laudibus detriuiſſe, quam ne virum numquam ſatis laudatum laudibus immodicis extuliſſe videar. Denique ipſam pietatem, qua Manes prae-

(a) L. 15. D. *de recept. arbitr.*
(b) *In vn. C. Th. de reſponſ. prudent.*

ceptoris venerandi proſequor, me ſatis excuſaturam, ſperabam, ſi et hoc exſtaret grati, memoriſque tot beneficiorum, animi monimentum. Verum enim vero quum vino vendibili nhil opus ſit hedera, et iam olim officio illo, eruditionem ac virtutes viri incomparabilis laudibus pro virili ornandi, mihi videar defunctus: nihil addere conſtitui de STRYKII laudibus, ſed de ipſa iuris prudentiae parte, quam ille, hoc, aliiſque ſimilibus operibus illuſtrare conatus eſt, id eſt, *de iuris prudentia heurematica* quaedam, prout illa calamum ſubierint, diſſerere decreui, maxime quum non adeo vulgare ſit hoc argumentum, et plures, quibus alioquin in iure noſtro nihil incompertum eſt, qualis fuerit illa veterum iureconſultorum diſciplina, ſcire ſe iuxta cum ignariſſimis, fateantur.

ARISTOTELES (*a*), philoſophus in his rebus acutiſſimus; prudentiam περὶ πόλιν, vti vocat, vel ciuilem, duorum generum eſſe, ait, quorum alterum, ἀρχιτεκτονικὸν, in legibus ſapienter ferendis conſiſtere, ac proinde et νομοθετικὸν ſeu *legiſlatorium* vocari poſſe ſtatuit; alterum, quod in ſingularibus verſetur, πολιτικῆ, ſeu *ciuilis* nomine deſignat. Hanc porro prudentiam modo in *agendo*, modo in *conſulendo* conſiſtere obſeruat, ac proinde illam πρακτικήν, vel, vt alibi loquitur, δικαςικὴν, *iudicialem*; hanc βουλευτικὴν, ſeu *conſultatricem* adpellitat. Addit philoſophus, hanc illa priorem; illam huius finem ac veluti ſcopum eſſe. Τὸ γὰρ ψήφισμα πρακτὸν, ὡς τὸ ἔχατον, *id enim, quod decretum ſit, cadere ſub actionem, tamquam vltimum*: vel, vti rem eleganter expreſſit SALLVSTIVS (*b*), *prius, quam incipias*, CONSVLTO: *vbi conſulueris, mature facto opus eſſe: ita vtrumque, per ſe indigens, alterum alterius auxilio egere.*

Quod vero de omni prudentia praeclare tradidit philoſophus, idem et de nobiliſſima eius parte, quam *iuris prudentiam* vocamus, veriſſimum eſt, quae et ipſa vel ad leges prudenter ferendas, vel ad deliberandum de negotiis futuris, dextre et ſine detrimento explicandis, vel ad ius perſequendum reddendumque pertinet, ac proinde in *legiſlatoriam, conſultatricem*, et *iudicialem* recte diſpeſcitur, ceu poſt alios oſtendit doctiſſimus THOMASIVS, (*c*) qui, quum priores illas partes, quantumuis neceſſarias, in academiis fere pro derelictis ac depoſitis haberi, animaduerteret, pulcherrimum ceperat conſilium, illas ad certas regulas

(*a*) *Ethic. ad Nicomach. Lib. VI. cap. 8.*
(*b*) *Catilin. cap. 1.*
(*c*) *Iurisprud. diuin. Lib. I. cap. 1. §.*

regulas reuocandi. Quod etiam, editis quibuſdam ſpeciminibus, prudenter eſt exſequutus, vt merito mireris, defuiſſe ab eo tempore, quos tam praeclarum exemplum excitaret ad idem conandum, viamque ex ſemita, quam primus muniuit vir doctiſſimus, faciendam.

Iam porro iuris prudentiae illius συλευτικῆς, vel *conſultatricis*, pars haud poſtrema eſt ἑυρηματικὴ, ſeu *heurematica*, quam iureconſulti, tum libera adhuc re publica, tum ſub imperatoribus mira excoluerunt induſtria, et tamquam partem ſuae artis nobiliſſimam, atque a vulgi cognitione remotiorem, m[illegible] magiſque perpolire ſtuduerunt. Eo vero vocabulo veteres intelligebant facultatem, nimium iuris ciuilis rigorem, inuentis quibuſdam effugiis, euitandi, vel ius illud ſubtilius ſine cauillatione inflectendi ad aequitatem, ac denique eas in negotiis omnibus inueniendi cautiones, quibus ciues ab ingenioſa aliorum improbitate ac calumnia tuti praeſtentur. Quamuis enim Henr. Brenkmannvs in commentario, quo Modestini *Heurematica*, vel eorum potius reliquias, illuſtrauit (*a*), doctiſſimo, prius tantum iſtud iureconſulti officium, quod in emolliendo iuris ciuilis rigore poſitum erat, definitione ſua exprimendum putauerit: tamen et poſterius non poſtremam fuiſſe partem iuris prudentiae *heurematicae*, et ipſe vir doctiſſimus agnoſcit (*b*) et ex fragmentis, quae illuſtrat, Modestini perſpicue poteſt demonſtrari. Pleraque enim non tam ad iuris ciuilis rigorem aequitate temperandum, quam ad negotia ciuilia caute explicanda pertinent: quum iam, quo pacto pupillo caute ſubſtituendum ſit, oſtendat (*c*), iam rationem oſtendat, conditionem libertatis legato adſcriptam detrahendi (*d*), iam conſilium det heredi fiduciario, vt coactus potius, quam ſua ſponte, hereditatem adeat reſtituatque (*e*), quae ſane aliaeque cautiones non tam iuris rigori, quam aliorum calumniae, oppoſitae eſſe videntur a Modestino. Quamobrem finem, qui illi, hunc adornanti libellum ob oculos fuit, ita recte expreſſit Iac. Cviacivs (*f*): Modestini *eurematica conſilia et cautiones ſunt, a Modeſtino excogitatae, rei iuriſque cuique ſui tuendi cauſſa, quod ſermo is, quo libro de eurematicis vtitur, ſatis indicat. Modo enim ait:* CONSVLENDVM EST (*g*), *modo* SVASERIM (*h*), *modo* OPTIMVM FACTVM EST (*i*).

 Sed

(*a*) *Diatr. de eurematicis, cap. 1. §. 3. pag. 9.*

(*b*) *Ibid. §. 6. n. 4. pag. 15.*

(*c*) L. 4. D. *de vulg. et pupill. ſubſtit.*

(*d*) L. 53. D. *de condit. et demonſtr.*

(*e*) L. 45. D. *ad SC. Trebell.*

(*f*) *Obſeru. Lib. XII. cap. 32.*

(*g*) L. 58. D. *ſolut. matrim.*

(*h*) L. 45. D. *ad SC. Trebell.*

(*i*) L. 9. D. *de ſuſp. tutor.*

Sed et EMVNDVS MERILLIVS (*a*), qui et ipſe pleraque MODESTINI fragmenta illuſtrauit, de libri iſtius fine ac ſcopo ita diſſerit: MODESTINVS *inter alios librum inſcripſerat de eurematicis, id eſt, inuentis, ſiue conſiliis, quae Modeſtinus inuenerat, vt facilius aut* TVTIVS *negotia explicari poſſent*, id quod deinde vir doctiſſimus exemplis compluribus toto illo obſeruationum capite demonſtrat. Nec puto, Io. BERTRANDVM (*b*) aliter fuiſſe iudicaturum, ſcripturumque, *libello iſto conſilia cautioneſque contra iuris ſubtilitatem fuiſſe propoſita*, ſi in rem praeſentem venire, ipſaque MODESTINI fragmenta paullo adcuratius expendere voluiſſet. Quamuis enim id de quibuſdam huius libelli fragmentis concedi poſſit: tamen idem nec de pleriſque, nec de omnibus, cum BERTRANDO poteſt adfirmari.

Ex his vero, quae de definitione iuris prudentiae *heurematicae*, diximus, facile vnuſquiſque intelligit, duas fuiſſe eius diſciplinae poſitiones, ac veluti ſumma capita, quorum altero *remedia* et *conſilia* aduerſus iuris ciuilis rigorem ac ſubtilitatem; altero *cautiones*, in explicandis negotiis ciuilibus obſeruandae, comprehendebantur. Vtrumque vero, quum mentis acumen et naturalem in reperiendis, quae factu optima ſint, ſollertiam celeritatemque ingenii requirat, non commodiore vocabulo, quam εὑρηματικῶν, exprimi poſſe videbatur, ἀπὸ τοῦ ἰχνεύειν (?) ſ. ἰχν., quod grammatici a canibus, olfactu ferarum veſtigia perſequentibus, quos Graeci ἰχνευτάς vocabant, tranſlatum eſſe, monent. Inde enim eximia facultate inueniendi id, quod e re ſit, praediti εὑρετικοί, ipſaque conſilia, vel callida commenta εὑρήματα adpellantur. SVIDAS (*c*): Εὕρημα ἐπίτευγμα, βούλευμα, id eſt, vti KVSTERVS vertit, *inuentum, commentum, conſilium*. Et paucis interiectis: Εὑρήματα ὁμοίως ἐπιτηδεύματα, βουλεύματα, *ſtudia, conſilia, commenta*. Pro callide ſane excogitato conſilio, ipſo SVIDA teſte, accepit XENOPHON (*d*), apud quem Tiſſaphernes: *ἐπεὶ εἶδον ὑμᾶς εἰς πολλὰ κακὰ καὶ ἀμήχανα πεπτωκότας*, ΕΥΡΗΜΑ *ἐποιησάμην, εἴπως δυναίμην παρὰ βασιλέως αἰτήσασθαι, δοῦναι μοι ἀποσῶσαι εἰς τὴν Ἑλλάδα ὑμᾶς*: *poſtquam vos in multas et magnas difficultates incidiſſe video: commentus ſum rationem, qua a rege impetrarem, vt mihi permitteret, vos ſaluos in Graeciam reducere.* Elegans ergo inprimis eſt hoc vocabulum, dignumque MODESTINI ingenio, qui quum ſolus poſt PAPINIANVM (*e*) tanta Graecae linguae

(*a*) *Obſ. Lib. VII. cap.* 34.
(*b*) *De iuriſperit. Lib. I. cap.* 32.
(*c*) *In* εὕρημα *pag.* 905. *Tom. I. ed* KVSTERI.
(*d*) *Expedit. Cyri, Lib. II. cap.* 3. §. 11.
(*e*) EVER. OTTO *Papin. cap.* 4. §. 2.

quae peritia fuerit, vt libellum iuridicum *de excuſationibus* ea lingua ſcriberet, licet *difficulter iura Romana Graece conuerti, ipſe fateretur* (*a*), eo facilius vocabulum iſtud Graecum elegantiſſimum reperit, quo nobilem hanc vtiliſſimamque iuris prudentiae partem inſigniret.

Sed vt a vocabulo ad rem ipſam, tamquam e diuerticulo in viam, redeamus, *primum* εὑρηματικῶν caput in *remediis* et *conſiliis*, aduerſus iuris ciuilis rigorem ac ſubtilitates nimias inuentis, conſtitiſſe, praediximus. Nam ita comparatum tunc erat ius ciuile, certis formulis regulisque circumſcriptum, vt de eo recte vſurpare poſſes illud comici (*b*): *ſummum ius eſſe ſummam malitiam.* Ea, quae ad mores et vitam mortalium pertinent; non ita veluti in puncto conſiſtunt, vt non aliquam admittant latitudinem, et vel vna, quae in factum incidit, circumſtantia rem ipſam non plane mutaſſe videatur. Dum igitur Romani omnia ad certas regulas reuocabant: fieri non poterat, quin aliquando inciderent caſus, vbi regulae inhaereri, ſalua aequitate, non poſſet, atque adeo idem contingeret, quod dixit MENANDER (*c*):

Οἱ δ' ὀρῶν τὺς νόμυς
Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται:

Nimis qui inhaeret legibus,
Parum quidem a calumniante diſcrepat.

Ne igitur hoc accideret frequentius, non modo praetores, teſte VLPIANO (*d*), id ſibi negotii datum credebant, *vt ius ciuile adiuuarent, ſupplerent, corrigerent, propter vtilitatem publicam:* ſed et iureconſulti eos in hoc aequitatis ſtudio imitabantur ſtrenue, quin eo maiorem ſibi laudem peperiſſe videbantur, quo magis ingenio valerent in iure ſtricto, commentis quibuſdam, ſeu εὑρήμασιν, emolliendo. Ideo ſane incredibilem ciuium ſuorum plauſum tulit C. AQVILLIVS GALLVS, quem aequalis eius, CICERO (*e*), modo *hominem prudentiſſimum*, modo *acutum et exercitatum* (*f*), adpellitat, eo, *quod eius prudentiam populus Romanus in* CAVENDO, *non in decipiendo, perſpexiſſet, iſque iuris ciuilis rationem numquam ab aequitate ſeiunxiſſet.* Ceterum quatuor potiſſimum modis ius ad aequitatem inflectere ſtudebant iureconſulti. Vel

(*a*) *L.* 1. *D. de excuſat.*
(*b*) TERENT. *Heaut. act. IIII. ſcen.* 5. *v.* 48.
(*c*) *Apud* STOBAEVM, *Sermon.* 145.
(*d*) *L.* 7. §. 1. *D. de iuſt. et iur.*
(*e*) *Pro A. Caecin. cap.* 23.
(*f*) *Idem in Bruto, cap.* 42.

enim *colore* quodam inuento, vel excogitata *fictione*, vel nouis *formulis* conceptis, vel dato *conſilio*, euitabant iuris ciuilis rigorem, hominibuſque oſtendebant, quid factu opus eſſet, ne in leges, tamquam in laqueos, inciderent.

Primum aliquando colore quodam vtebantur ad ſummum ius aequitate temperandum, id eſt, titulo quodam honeſto, quem interpretationi ſuae praetexebant, ne tam euertere leges, quam eas facto adplicare, viderentur. Huius rei vt exempla quaedam pauca e multis, quae in iure noſtro paſſim occurrunt, ſeligamus: neminem ignorare putamus, quam miſera Romae fuerit liberorum, quos pater exheredes etiam innocentes ſcripſerat, conditio. Quamuis enim nihil egiſſent contra pietatem: quamuis ipſa infantia eos ab omni ingrati animi ſuſpicione abſolueret: quamuis denique res ipſa oſtenderet, patrem ſaeuo illo codice *maligne de ſanguine ſuo intuliſſe iudicium; nouercalibus delinimentis inſtigationibuſque corruptum* (*a*): nullum tamen iis, tam inſigni adfectis iniuria, praeſidium erat vel in legibus, vel in praetoris edicto, ad quod alioquin, tamquam ad ſacram anchoram, confugiebant; quicumque non malitia aut culpa ſua, ſed legum ſeueritate, ſe circumſcriptos eſſe conquerebantur. Inexorabiles hic erant leges, quia verbis his legis duodecim tabularum: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO, latiſſima poteſtas tributa videbatur, non modo heredes ſcribendi, et legata libertateſque dandi, et tutelas conſtituendi (*b*), verum etiam exheredandi, nec abſurdum videri poterat, parentibus licere liberos exheredare, quum *et occidere poſſent* (*c*). Neque in praetoris religione ac benignitate, quam non temere quiſquam ſibi alias clauſam ſentiebat, aliquid ſpei erat exheredatis, quum, teſte VLPIANO (*d*), *non putauerit praetor exheredatione notatos et remotos ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem admittendos*, adeoque procul dubio alucinatus ſit PETR. PITHOEVS (*e*), dum ex praetoris edicto arceſſendam eſſe querelam inofficioſi teſtamenti, contendit. At iureconſulti facile reperiebant *colorem*, quo tabulae, tam improbe et contra officium pietatis ſcriptae, reſcinderentur, ſaluo iure ciuili, dum prae ſe ferebant, *non videri ſanae mentis fuiſſe parentes, quum teſtamentum ordinarent: non, quaſi vere furioſi fuiſſent, ſed recte quidem feciſſent teſtamentum, non autem ex officio pietatis* (*f*). Ex quo facile patet,

(*a*) L. 4. D. de inoffic. teſtam.
(*b*) L. 120. D. de verb. ſignif.
(*c*) L. 11. fin. D. de liber. et poſtum.
(*d*) L. 8. pr. D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.
(*e*) Ad Pariat. legum Moſ. et Rom. tit. 16. § 3.
(*f*) Pr. Inſt. de inoff. teſtam.

patet, inter iureconſultorum εὑρήματα fuiſſe etiam querelam inofficioſi, cuius de origine tam operoſe inter ſe diſputarunt iureconſulti doctiſſimi. Similis paene eſt color, quo vſus ANTISTIVS LABEO occaſionem dedit, vſuras ſaltim in bonae fidei contractibus ob moram debitoris admittendi, quum eas non admitteret ius ciuile, cuius hanc regulam tradit POMPONIVS (a): *vſura, quia in fructu non eſt, non eſt ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſſa;* id eſt, NOVA OBLIGATIONE, ſeu ſtipulatione, qua ſibi de hoc lucro diſertis verbis proſpexerit creditor. At primus LABEO, acerrimi ingenii maximaeque auctoritatis iureconſultus, inuento colore, ſocium ſocio vſuras ex mora debere ſtatuit, non tamquam vſuras, *ſed quod* ſocii interſit, ſocium moram non adhibuiſſe (b). Qui color vbi ſemel in contractu ſocietatis valuit, adeo reliquis iureconſultis placuit, vt in aliis quoque bonae fidei iudiciis vſuras ob moram deberi adfirmarent, donec principum, et maxime ANTONINI PII conſtitutionibus generatim caueretur, vt creditor vſuras in omnibus bonae fidei iudiciis, ob ſolam moram, palam et ſine colore, officio iudicis conſequeretur, ceu praeclare obſeruauit GER. NOODTIVS (c). Talibus coloribus frequenter in iure noſtro vſos eſſe veteres iureconſultos animaduertimus, per eoſque nihil aliud intelligimus, quam titulos, qui praetexuntur actionibus, alias iure ciuili non competentibus, vel, vti eleganter vocat QVINCTILIANVS (d), *falſas expoſitiones, quas tuetur dicentis ingenium.* vt iam non addamus, quae de huius modi coloribus monuit ὁ πάνυ GROTIVS (e).

Ex hoc vero ſimul intelligitur, quomodo a *colore* differat fictio, qua non minus ſaepe vtebantur iureconſulti ad rigorem iuris ciuilis aequitate temperandum: quare nos in ea alterum εὑρηματικῶν genus conſiſtere obſeruauimus. Nam *color* rem nouo nomine, nouoque veluti χήματι induit, idque nomen rei conuenire, ex ipſo effecto oſtenditur. Sic iureconſulti, exheredationem liberorum innocentium furorem eſſe, contendebant, idque a ſe iure fieri, probabant ab effectu, quia ille parens naturam ipſam odio habuiſſe videatur: id quod

Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Πῶς γὰρ οὐκ ἔςιν εἰπεῖν μανίαν τὸ χαλεπαίνειν οὕτως κατὰ τῆς φύσεως;

qui

(a) L. 121. *D. de verb. ſignific.*
(b) L. 60. *pr. D. pro ſoc.*
(c) *De foenor. et vſur. Lib. III. cap.6.*
(d) *Inſt. Orat. Lib. IIII. cap. 1.*
(e) *Flor. ſparſ. ad L. hoc colore. D. de inoff. teſtam. pag. 137.*

qui furorem non dicamus, ita naturae ſuccenſere? (*a*) At fictio ponit, aliquid factum eſſe, quod factum non eſt, vel non factum, quod factum eſt tamen. Ita fingitur, illum rem in bonis habere, qui actionem habet ad eam adipiſcendam (*b*). Fingitur contra, eum non cepiſſe, qui rem mox alii ſit reſtiturus (*c*). Fingitur, res illas interiiſſe, quae non in rerum natura, ſed in commercio, eſſe deſierunt (*d*): at contra res quaedam exſtinctae ſaluae exiſtimantur fictione iuris, veluti res fungibiles, abſumtae a quaſi uſufructuario, praeſtita cautione, quam quaſi vſufructuariam ſolemus vocare (*e*). Nec diſpare fictione dotis cauſſa perpetua eſſe creditur, quum tamen fungi ea deſinat, ſoluto matrimonio (*f*). Quis porro ignorat, heredem, quandocumque adeat hereditatem, fingi heredem exſtitiſſe a tempore mortis teſtatoris, adeoque per fictionem hanc aditionem hereditatis retrotrahi ad mortis tempus (*g*)? Quin poſtrema haec fictio, vti eleganter docuit Ant. Dadinvs Alteserra (*h*), tam veluti foecunda eſt, vt plures alias pepererit, veluti, quod ſeruus hereditarius ante aditam hereditatem ſtipulari fingitur heredi futuro (*i*): quod heredis familia funeſta facta intelligitur, a tempore mortis, licet interiecto demum tempore hereditatem adquiſiuerit (*k*): quod coepta a defuncto vſucapio poteſt ante aditam hereditatem adimpleri, ac proinde tempus poſt mortem teſtatoris, quo nemo poſſedit, heredi prodeſt ad implendam vſucapionem (*l*). Sed plura iam non addimus, quae iura noſtra ſanciunt de retrotrahenda legati agnitione vel repudiatione, de retrotrahendo iure adcreſcendi, denique de conditionibus caſualibus retrotrahendis: quas fictiones omnes ex iſta fictione, tamquam ex fonte, promanare, nemo non animaduertit. Talia innumera inexhauſtus iuris noſtri theſaurus complectitur, quae ad emolliendum iuris ciuilis rigorem pertinere, adeoque partem non minimam conſtituere iuris prudentiae heurematicae recte vidit laudatiſſimus Alteserra (*m*), qui initio ſtatim pulcherrimi operis de fictionibus iuris

(*a*) *Gloſſa Baſilic. Lib. XXXVIIII. tit. 1.*
(*b*) *L. 52. D. de adquir. rer. domin. L. 15. D. de reg. iur.*
(*c*) *L. 16. §. vlt. D. de SC. Trebell.*
(*d*) *L. 63. §. vlt. D. pro ſoc.*
(*e*) *L. 1. et L. 2. D. de vſufr. ear. rer. §. 2. Inſt. de vſufr.*
(*f*) *L. 1. D. de iure dot.*
(*g*) *L. 54. D. de adqu. hered.*
(*h*) *De fict. iur. tract. IIII. cap. 2. pag. 143.*
(*i*) *L. 28. §. vlt. D. de ſtipulat. ſeruor.*
(*k*) *Dict. L. 28. §. vlt. D. de ſtipulat. ſeruor.*
(*l*) *L. 31. §. 5. D. de vſucap. L. 40. et L. 44. §. 3. D. eod.*
(*m*) *Ibid. Tract. I. cap. 1.*

iuris cauſſam earum oſtenſurus: *etſi*, inquit, *fictiones videantur abhorrentes a iure, quod eſt ars aequi et boni, cuius obiectum eſt ſtudium veritatis, et fictiones, tamquam legum praeſtigiae et laruae veritatis deteſtandae ſint, cuum iuris prudentia ſit vera, non fucata et ſimulata philoſophia: infinitae tamen propemodum fictiones iure ciuili introductae ſunt optimo conſilio, vt* PER EAS PERVENIATVR AD IVS *et* AEQVVM, *non diſpari arte a nautica, quo auerſi tendunt ad portum. Fictiones ſcilicet ſunt eximii colores, quibus veritas fucata non corrumpitur, ſed potius illuminatur.* Et alio loco (*a*): *ius ciuile gaudet fictionibus: tot enim paſſim fictiones occurrunt in iure ciuili, vt eas in hoc iure, tamquam in ſuo regno, verſari dicendum ſit, nec illas explodere poſſis, quin pulcherrimam partem iuris ciuilis è medio tollas: nec fictiones in iure vituperandae, quae dolo carent, et in quibus conſiſtit oeconomia iuris, vti fraudem, ſi abſit dolus, non eſſe fraudem,* ἀλλ' οἰκονομίαν τινὰ ἢ σοφίαν, *ait Chryſoſtomus.* Denique in epiſtola, qua praeſtantiſſimum librum Guillelmo de Lamoignon, Senatus Pariſienſis principi, conſecrauit, rem omnem ita eloquitur: *quid aliud iſtae fictiones, quam iuris remedia, et iuris prudentiam* εὑρήματα, *quibus difficiliores caſus expediuntur, et aureae claues, quibus iuris prudentiae ſecreta aperiuntur? Fictiones doli et fraudis expertes, non tam artis, quam oeconomiae iuris, vincula ſunt, quae totius iuris compagem continent.* Addimus et CVIACII (*b*) teſtimonium, quod non minus ad rem facit, et tum finem illarum fictionum, tum earum vtilitatem neceſſitatemque, luculenter explicat. *Confirmat ea lex*, ait vir doctus, *teſtamenta eo colore, hocue inducto figmento, quaſi retro fuerit mortuus momento captiuitatis, qui mortuus eſt in captiuitate, atque ita tempus captiuitatis ex die, quo captus teſtator eſt, morti eius lex Cornelia iungit, vt ait L. 44. §. 7. D. de vſurp. et vſuc. Confirmatione et* FICTIONE *perſpicua opus fuit, quia* SVMMO IVRE *captiuitas teſtatorum irrita teſtamenta facit. Fictiones multae ſunt in iure et legibus, et fictitiae etiam rationes multae, quas introduci oportuit, et admitti, rerum, vt ratio et aequitas poſtulat, expediendarum gratia.*

Praeter *colores* et *fictiones* prudentes noſtri, qui iuris prudentiae *heurematicae* illuſtrandae animum adpulerunt, ſaepenumero etiam excogitarunt *formulas* quaſdam tanta ingenii ſollertia conceptas, vt, quae iure ſtricto fieri non poterant, his tamen adhibitis formulis, recte

(*a*) *Ibid. Tract. I. cap. 3. pag. 8.*

(*b*) *Praelect. in Iuliani Digeſta, Lib. XXXXI. pag. 293. Tomo VI. Opp. edit. Neapol.*

fierent. Equidem negari non poteſt, permultos tum fuiſſe, qui huius modi verborum conceptiones, tamquam horribile ſecretum, iactantes, proiiciebant ampullas et ſeſquipedalia verba, quum tamen, conſiderata paullo adcuratius, aeque inania eſſent, ac illa, de quibus poeta (*a*):

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Quos quidem leguleios, magno hiatu neſcio quid magni atque eximii minantes; CICERO (*b*) lepide vocat *cantores formularum, ſyllabarumque aucupes.* At tanto praeclarius de ciuibus ſuis mereri videbantur, qui tales formulas felici excogitabant ingenio, quibus corrigeretur ius iuſto rigidius, negotiaque, alias inutilia iure ſummo futura, ſuſtinerentur. Quo in numero fuit C. AQVILLIVS GALLVS, in hoc iuris prudentiae genere omnium exercitatiſſimus, qui facultate illa concipiendi formulas incredibilem ſibi laudem peperit. Vt enim iam praetermittamus formulam de dolo malo, *malitiarum omnium*, ex CICERONIS (*c*) ſententia, *euerriculum*, quam non tamquam iuris conſultus, ſed tamquam praetor, propoſuit: quis, quaeſo, ignorat ſtipulationem vel acceptilationem illam, quae ab Aquillio illo nobile ac perpetuum nomen accepit? Nimirum ita comparatum erat ius ciuile, vt acceptilatione non alia obligatio tolli poſſet, quam quae eſſet verbis contracta (*d*), quod nihil eſſe videretur tam naturale, quam eodem modo quidque diſſolui, quo eſſet colligatum (*e*). Si quis ergo obligationem, re, litteris, vel conſenſu contractam, acceptilatione ipſo iure ſublatam credebat: is opinione ſua fallebatur quam maxime, quum acceptilatio illa nihilo eſſet efficacior, quam pactum nudum. Quid vero hic C. AQVILLIVS? Hic formula ingenioſe concepta id conſequutus eſt, vt, quaelibet obligatio, etiam quae verbis non capit ſubſtantiam, primum novari, et in verborum obligationem transfundi, ac deinde perimi poſſet acceptilatione (*f*). Quae ſtipulationis Aquillianae formula, in Inſtitutionibus aeque, ac Pandectis obuia, tam in vulgus nota eſt, vt illi immorari propemodum pudeat. Eamdem ingenii alacritatem prodidit inuenta formula, qua poſtumi nepotes, non obſtantibus viuis parentibus, inſtitui poſſint (*g*), quae tanti viſa eſt illius aeui prudentibus, vt et poſtumos illos, quaſi qui fortunas ſuas debeant Aquillio, *Aquillianos* vocarent, et auctores eſſent procul dubio

(*a*) HORAT. *Lib. II. epiſt.* 1. *v.* 31.
(*b*) *De orat. Lib. I. cap.* 55.
(*c*) *De nat. deor. Lib. III. cap.* 30.
(*d*) *L.* 8. §. 3. *D. de acceptil.*
(*e*) *L.* 35. *D. de reg. iur.*
(*f*) *L.* 18. §. 1. *D. de acceptil.*
(*g*) *L.* 29. *D. de liber. et poſtum.*

dubio magiſtratibus, vt tam prudenter concepta formula lege Iunia Velleia confirmaretur (*a*). Caue tamen exiſtimes, ſolum iſtum Aqvillivm in hoc muſtaceo laureolam quaeſiuiſſe. Fuerunt et alii, qui ſimilibus inuentis formulis nobilem illam artem heurematicam locupletiorem reddere conarentur, quamuis non eadem vſi felicitate, ac Aquillius, vt εὑρήματα iſta illis prodeſſent ad immortalitatem. Numquam profecto ſatis laudari poteſt *clauſula codicillaris*, quae non modo iureconſultis, verum etiam tabellionibus, tam nota eſt, ac ſui cuique digiti. Illa vero nihil aliud eſt, quam formula; qua teſtamentum, alias inutile futurum, eatenus ſuſtinetur, vt ſi codicilli ad inſtar ſit, heres inſtitutus deſtinatam ſibi hereditatem, tamquam fideicommiſſum, ab heredibus legitimis conſequatur. Eam vero procul dubio veteri alicui iureconſulto, cuius nomen deleuit obliuio, debemus, vt illam inter εὑρηματικὰ iure quodam ſuo retulerit laudatus Brenkmannvs (*b*). Immo, ne quis dubitare poſſit, quin maximi veteribus viſa ſit haec pars ſapientiae ciuilis, id addimus, fuiſſe ex iureconſultorum numero, qui vnam alteramque formulam iuſtis libris illuſtrarent. Inter Caii ſaltim ſcripta μονόβιβλα fuit liber *de formula hypothecaria* (*c*), de qua etiam Aelivm Marcianvm (*d*), et Ivlivm Pavllvm (*e*) libros edidiſſe ſingulares, novimus: quemadmodum eiuſdem Pavlli, veterum iureconſultorum πολυγραφωτάτου, libellus *de conceptione formularum* inter cetera ingenii eius monimenta exſtitit (*f*). Quae opuſcula ſi aetatem tuliſſent, totam iuris prudentiae heurematicae partem, quae eſt de formulis, mirifice eſſent illuſtratura.

Poſtremo ad genus illud εὑρηματικῶν, quo ii, qui negotium ciuile qualecumque ſuſcipere vellent, a iuris ciuilis rigore nimio tuti praeſtabantur, pertinent varia *conſilia* ſaluberrima, non illa quidem, aliorum calumniis atque improbitati oppoſita, quae ad poſteriorem huius diſciplinae partem pertinent, ſed quibus modum rationemque effugiendi ſummi iuris rigorem ciuibus praemonſtrarent. Quoties enim lex paullo durior atque iniquior eſſe videbatur: toties iureconſulti, qui aequitatem a iure ſeiungendam haud putabant, ſoli litterae inhaerebant, fierique aliquid ſuadebant, quod legi κατὰ τὸ ῥητὸν non repugnaret, et agen-

(*a*) *L.* 2. *D. de vulg. et pupil. ſubſtit.*

(*b*) *Heuremat. cap.* 12. §. 18. *n.* 4. *pag.* 281.

(*c*) *L.* 4. *et L.* 14. *D. de pign. L.* 2. *L.* 3. *D. quae res pign. vel hypoth. L.* 4. *D. de fid. inſtr.*

(*d*) *L.* 17. *L.* 19. *L.* 33. *D. de pign. act. L.* 5. *L.* 11. *L.* 15. *L.* 10. *D. de pign. et hypoth.*

(*e*) *Index Florent. ſub Paullo.*

(*f*) *L.* 20. *D. de except.*

tes tamen tutos praeſtaret a ſententia legis aliquando iniquiſſima. Vt hoc etiam exemplis quibuſdam illuſtremus, SC. Velleianum mulieres pro aliis intercedere non patiebatur, adeoque ne pro ſeruis quidem ſuis, quum tamen tunc magis ſuo nomine contrahere, quam pro aliis intercedere viderentur. Auctor ergo creditoribus eſt MODESTINVS (*a*), vt potius dominae iuſſu credant, quam eiuſdem fideiuſſione freti: ita enim eſſe futurum, vt domina actione honoraria, *quod iuſſu*, teneatur, quum alioquin fideiubenti in mundo futura ſit SCti Velleiani exceptio. Quum deinde in ancipiti periculo verſarentur, qui hereditatem, ex fideicommiſſo reſtituendam, adibant, eo, quod ſiue ex SCto Trebelliano reſtituentes, quartam non caperent, ſiue ex Pegaſſiano, omnibus actionibus conuenirentur: MODESTINVS (*b*) rogato reſtituere hereditatem, et quartam adſpernanti ſuadet, vt ſuſpectam dicat hereditatem, et potius a praetore coactus reſtituat, quam ſe ſua ſponte ad fidum obſequium precibus defuncti praebendum procliuem eſſe oſtendat. Ita enim futurum eſſe ſpondet, vt ex SCto Trebelliano reſtituere videatur, et expoſito hereditario metu vniuerſae actiones in eum, qui recipit hereditatem, transferantur. Quandoquidem porro heres ſub conditione non faciendi inſtitutus, vel is, cui legatum ſub tali conditione relictum erat, nihil viuus conſequi poſſet, ab herede vero, vel contra heredem, nulla actio inchoari poſſe videretur (*c*): Q. MVCIVS SCAEVOLA, qua erat in cauendo ſollertia, inuenit cautionem illam vtiliſſimam, quae ab auctore *Mucianae* nomen perpetuum retinuit (*d*), praeclare enucleatam a iureconſulto celeberrimo, FRANC. BALDVINO (*e*). Poſſent fortaſſis huius modi conſilia alicui aſtute potius, quam ſapienter excogitata, et reprehenſione magis, quam laude, digna videri. Nam manifeſto ea in fraudem legum excogitata eſſe, vel inde quis colligat, quod *in fraudem legis facere* exiſtimetur, *qui ſaluis verbis legis, ſententiam eius circumueniat* (*f*): vel ſicubi, *quod lex fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fiat: ſiquidem non aliter fraus ab eo, quod contra legem ſit, diſtet, quam quod diſtet τὸ ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, dictum a ſententia* (*g*). Enim vero permultum intereſt inter prauas iſtas cauillationes, quibus ciues improbi leges, veluti per cuniculos, ſubruere conantur, et εὑρήματα illa iureconſultorum, quibus cauebatur, ne ſummum ius in ſummam iniuriam euaderet: illae enim ad euertendas; haec ad ſtabiliendas leges ſunt com-

(*a*) *L. 25. D. ad SC. Velleian.*
(*b*) *L. 45. D. ad SC. Trebell.*
(*c*) *§. 13. Inſt. de inut. ſtipul.*
(*d*) *L. 65. D. ad SC. Trebell.*
(*e*) *Iuriſprud. Muc. pag. 205.*
(*f*) *L. 29. D. de legib.*
(*g*) *L. 30. D. eod.*

comparata: illae ex dolo malo; haec ex ſtudio aequitatis proficiſcuntur: illae in aliorum perniciem; haec in ciuium ſalutem atque utilitatem reperta ſunt. Atque inde eſt, quod quum omnium odium ac reprehenſionem incurrant, qui legiſlatoribus tam proterue illudunt, maximis contra laudibus celebretur iureconſultorum in excogitandis huius modi conſiliis ſollertia, ipſeque CICERO, (*a*), qui alioquin parum fauet verborum aucupio, ſcribere non vereatur: *in iure* CAVERE *et* CONSILIO *iuuare, atque hoc ſcientiae genere prodeſſe, quam plurimis vehementer et ad opes augendas pertinuiſſe, et ad gratiam.*

Sed ne priori iuris prudentiae heurematicae parti iuſto diutius inhaerere videamur: ad alteram demum progredimur, non iuris ciuilis rigori, ſed hominum *improbitati*, oppoſitam; quae ab aliis iuris prudentia *cauens*, ab iis vero, quibus pragmaticorum Latinitas in deliciis eſt, *cautelaris* ſolet adpellari (*b*). Cauere olim tam proprium videbatur iureconſultorum, vt in eo vel maxime conſiſtere crederetur eorum officium, et CICERO (*c*) *eum demum iuriſconſultum vere nominari*, exiſtimaret, *qui legum, et conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vtuntur, et ad reſpondendum, et ad agendum, et ad* CAVENDVM, *peritus eſſet.* Talia et alibi paſſim apud eumdem legas, maxime, quando cum Trebatio ſuo iocatur, eumque ideo, *quod ceteris* CAVERE *didicerit, ne in Britannia ab eſſedariis decipiatur, cauere* iubet (*d*), itemque, vbi comparatis inter ſe ducis belli et iureconſulti officiis, *hunc, ne ſui conſultores; illum* NE *vrbes et caſtra* CAPIANTVR, CAVERE, ait (*e*). Ceterum *cautiones* iſtae (ita enim vocare illa εὑρήματα veteres malebant, quam *cautelas*,) late admodum patebant, aliaeque, vti HERTIVS (*f*) obſeruat, ad negotia *reipublicae rectorum*, ſiue hi *inter ſe*, ſiue *cum ciuibus* agerent; aliae ad *actus priuatorum* pertinebant. Sed et harum omnium quaedam *neceſſariae* erant, quaedam *vtiles*, quaedam *abundantes*, quaedam *noxiae*. Praeterea aliae *iuſtae*, aliae *iniuſtae*, atque *iniquiſſimae* erant: denique aliae *nouae*, aliae *veteres*, aliae *obſoletae* poterant adpellari. De ſingulis ex inſtituto egit HERTIVS. Nos pro inſtituti ratione paucis diſquirere iuuat, quibus modis aliis cauere ſoliti ſint veteres iureconſulti, ne in captionem inciderent. Sic enim et huius poſterioris partis εὑρηματικῶν naturam atque indolem magis perſpicuam fore, ſperamus.

 Tria

(*a*) *De offic. Lib. II. cap.* 19.
(*b*) HERT. *de iuriſprud. cauente ſect. I.* §. 3.
(*c*) *De orat. Lib. I. cap.* 48.
(*d*) *Idem ad diuerſos Lib. VII. epiſt.* 6.
(*e*) *Idem pro Murena, cap.* 9.
(*f*) *Ibid.* §. 6.

Tria erant, quae hominibus, negotium qualecumque explicaturis, metum aliquem incutere, aut certe ſuſpicionem iniicere poſſe videbantur. Aut enim verebantur, ne ex actu, quem ſuſceperant, *vitae* periculum immineret: aut ne iis, vnde res ſubſtantiam capit, per imprudentiam neglectis, actum tamquam *inutilem* impugnaturi eſſent ii, quorum intererat, eum non ſubſiſtere: aut ne in ipſo negotio ab illo, quo cum iis res erat, turpiter circumſcriberentur, aut, vt dicere ſolebant veteres, *caperentur*. Omnia haec pericula a ciuium ſuorum corporibus ac fortunis depellere ſtudebant iureconſulti, qui iuris prudentiae heurematicae ſcientiam profitebantur. *Vitae* periculum aliquando teſtator, aliquando heres, incurrere poterat. Si enim in vulgus emanaſſet heredis nomen: facile contingere poterat, vt hic habere, quam exſpectare, hereditatem mallet, ac proinde vitae teſtatoris ſtrueret inſidias. Sin quis pupillo ſe ſubſtitutum eſſe ſciret in eum caſum, ſi hic ante pubertatis annos deceſſiſſet: pupillus heres de vita periclitabatur optante herede ſecundo; vti eſt apud PERSIVM (*a*):

Vtinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque eſt ſcabioſus, et acri
Bile tumet;

quin aliquando ſedulo agente, vt improbi voti damnaretur. Quid hic iureconſulti? Primum inuenere rationem teſtandi μυστικῶς, et quamuis teſtamentifactio per aes et libram praeter mancipationem familiae vel hereditatis etiam nuncupationem heredis requireret, auctores tamen fuerunt teſtatoribus, vt, diſſimulato heredis nomine, ſeſe ad tabulas, in quibus illud expreſſum eſſet, referrent, vterenturque formula: HAEC VTI IN HIS TABVLIS SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQVE VOS, QVIRITES, TESTIMONIVM PRAEBITOTE (*b*). Deinde feminis, quae quoad ſub tutela eſſent, niſi tutore auctore teſtari non poterant, ſuadebant, vt non niſi ſuſceptis liberis teſtamenta conderent, quando trium liberorum iure a tutela liberatis fas eſſet ſuo arbitrio teſtari. Iuriſconſulti enim alicuius εὕρημα eſſe videtur hoc conſilium, quod teſtamento ſuo inſeruerat pater (*c*): *mando filiae meae, pro ſalute ſollicitus ipſius, vt, quoad liberos tollat, teſtamentum non faciat: ita enim poterit ſine periculo viuere.* Quam cautionem, male intelle-

(*a*) *Sat.* II. *v.* 12. *ſequ.*
(*b*) VLPIAN. *tit.* 20. §. 9.
(*c*) L. 77. §. 24. L. *de legat.* 2.

telleĉtam a doĉtiſſimo Merillio (*a*), in *Commentario* noſtro *ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam* (*b*) diligentius nos enucleare meminimus. Ceterum nos hoc conſilium iureconſulto cuidam tribuere, nemo mirabitur, qui ſecum cogitauerit, veteres non temere condidiſſe teſtamentum, niſi adhibito in conſilium iureconſulto, ac proinde tamquam inuſitatum quid iaĉtaſſe Lucium illum Titium, ſuo ſenſu abundantem hominem, dum *ſe ſuum teſtamentum ſcripſiſſe* profitetur *ſine vllo iuriſperito, rationem animi ſui potius ſequutum, quam nimiam et miſeram diligentiam* (*c*). Alias enim iam apud Arrianvm obſeruauit Epictetvs: τὴν διαθήκην ȣ̓ γράφειν, μὴ εἰδότα, πῶς δεῖ γράφειν, εἰ παραλαβόντα τὸν εἰδότα, *teſtamentum neminem ſcribere, niſi aut ipſe norit, quomodo ſcribendum ſit, aut eius rei peritum adhibeat.* Denique eodem pertinet belliſſima iſta cautio, quam patri de ſalute filii impuberis anxio, commendat Ivstinianvs, imperator (*d*). Quum enim facile contingere poſſet, vt pupillo ſubſtitutus, illum quam primum e medio ſublatum cuperet: patri eius conſilium hoc dat ſaluberrimum: *ſi quis ita formidoloſus ſit, vt timeat, ne filius ſuus, pupillus adhuc, ex eo, quod palam ſubſtitutum acceperit, poſt obitum eius periculo inſidiarum ſubiaceat: vulgarem quidem ſubſtitutionem palam facere, et in primis teſtamenti partibus ordinare debet, illam autem ſubſtitutionem, per quam, ſi heres exſtiterit pupillus, et intra pubertatem deceſſerit, ſubſtitutus vocatur, ſeparatim in inferioribus partibus ſcribere debet, eamque partem proprio lino, propriaque cera, conſignare, et in priore parte teſtamenti cauere, ne inferiores tabulae, viuo filio, et adhuc impubere, aperiantur.* Non autem hoc eſſe Ivstiniani, ſed veteris alicuius iureconſulti εὕρημα, ex eo patet, quod ſubſtitutiones *in ima cera* multo ante Iuſtiniani tempora factas eſſe, ſatis aliunde conſtat (*e*).

Enimuero non *vitae* tantum teſtatorum heredumue cauebant iureconſulti: verum etiam operam dabant, *ne actus* qualiſcumque, a ciuibus ſuſceptus, eſſet *inutilis.* Si qua ergo ſollemnitate opus erat ad negotium rite explicandum: de ea ſollicite monebant clientes. Sin certa conceptione verborum: hanc quoque illis praeſcribebant. Denique ſi quando plures eſſent ius ſuum perſequendi negotiumque explicandi rationes, in id intendebant ingenii neruos, vt quae earum optima, facilli-

(*a*) *Obſ. Lib. II. cap. I. et Lib. IIII. cap.* 39.
(*b*) *Lib. II. cap. VI.* §. 3. *pag.* 240.
(*c*) L. 88. §. 17. *D. de legat.* 2.
(*d*) §. 3. *Inſt. de pupill. ſubſtit.*
(*e*) *L. vlt. D. de fideicommiſſ. libert* L. 8. §. *vlt. D. de bon. poſſ. ſecundum tab. L. vlt. D. ad SC. Trebell.*

facillima, tutiſſimaque eſſet, monſtrarent. Cuius quidem ſollertiae tot exempla in omnibus fere iureconſultorum reſponſis exſtant, vt exempla accumulare velle nihil aliud eſſet futurum, quam meridie lucere cereum. Ne tamen in quaeſtione ſint huius modi exempla, eorum pauca ſubiiciam. MODESTINVS in ipſo εὑρηματικῶν libello (*a*), ei, qui procuratorem abſentem ſatiſdatione releuare velit, hanc praeſcribit formulam mandati, quae per modum litterarum, ad ipſum aduerſarium directarum, concepta ſit, oſtenditque, ita eſſe futurum, vt hoc caſu, litteris domini adprobatis, tamquam praeſentis procurator intelligatur. Quem locum pluribus expoſuerunt viri doctiſſimi, IO. SCHILTERVS (*b*) et HENR. BRENKMANNVS (*c*). Simili ingenii ſollertia Q. MVCIVS SCAEVOLA omnem captionem, quae in adrogationibus adoleſcentum videbatur metuenda, excluſurus, certam ſcripſit formulam iuriſiurandi, ab adrogante praeſtandi, cuius meminit A. GELLIVS (*d*). Quod quamuis tamquam pontifex maximus feciſſe videatur: tamen ex penu iuris prudentiae heurematicae, qua ipſe excellebat, eum cautiones illas omnes depromſiſſe, probabile eſt, vt tunc vel maxime verum adparuerit, quod ipſe SCAEVOLA apud CICERONEM (*e*) ſe ex patre ſuo audiuiſſe ait, *pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſſet.* Quam cauti demum fuerint prudentes in actione optima tutiſſimaque ex pluribus ſeligenda, inter alia patet exemplo ANTISTII LABEONIS (*f*), qui conſultus de ſpecie, vbi quis, rogatus pecuniam mutuam, pro nummis rem vendendam dederat, vt pretio vteretur, actioni ex mutuo, quam alii commendant (*g*) actionem praeſcriptis verbis, tamquam tutiorem, praeferendam eſſe, cenſet, vt innumera huius generis exempla alia, quae fere vtramque paginam in Pandectis noſtris faciunt, hic praetermittam.

Poſtremo et id agebant iureconſulti, et in id omnes ingenii intendebant neruos, ne clientes ſui *caperentur* ab iis, quibuſcum illis erat aliquid negotii. Hunc vero latiſſimum habebant campum, in quo excurrerent, ingeniique vires cum laude explicarent. Ob hanc potiſſimum in cauendo prudentiam eorum domus, tamquam ciuitatis oracula quaedam celebrabantur, ad eoſque ſub ipſum galli cantum confluebat, liminaque obſidebat turba conſultorum. Siue enim contrahere, ſiue adire

(*a*) *L. 65. D. de procurat.*
(*b*) In *Herenn. Modeſtino, cap. 2.*
(*c*) *Diatr. de heuremat. cap. 2.*
(*d*) *Noct. Attic. Lib. V. cap. 19.*
(*e*) *De legib. Lib. II. cap. 19.*
(*f*) *L. 19. D. de praeſcript. verb.*
(*g*) *L. 11. D. de reb. cred.*

adire hereditatem, ſiue eamdem ex fideicommiſſo reſtituere vellent: iureconſultus quidem interueniebat, qui cautiones ſtipulationeſque conciperet, vel conceptas ab aliis cum cura expenderet, omneſque, qui incidere poſſent caſus, animo praeciperet, et clientes aduerſus quaſcumque aliorum fraudes, calliditates, machinationes, veluti antidoto quodam praemuniret. Fieri potuit, vt viri boni aliquando iuſto eſſent ſuſpicaciores, et cautiones abundantes et ſuperfluas, ceu vocant, (*a*), nonnumquam adhiberent. Sed id quidem vel ideo illis vitio verti non debet, quod innumerabiles ſunt hominum fraudes, nec quidquam tam bene ſubducta ratione a quoquam fieri poteſt, quin acutior atque ingenioſior ſit improbitas, vt ſi in alterutram partem peccandum ſit, ſatius videatur, iuſto ſuſpicaciorem eſſe, quam nimis credulum. Notum enim eſt Epicharmeum illud, *neruos atque artus ſapientiae eſſe, non temere credere*, et ſapienter iam olim dixit PLAVTVS (*b*):

Qui cauet, ne decipiatur, vix cauet, dum etiam cauet:
Etiam, quum cauiſſe ratus, ſaepe is cautor captus eſt.

Enimuero ne verboſior, quam par eſt, fiat praefatio, demum ad rem redeo, id eſt, ad τὸ πάνυ SAM. STRYKII librum *de cautionibus contractuum*. Non ignorabat vir prudentiſſimus, quantum momenti poſitum ſit in iuris prudentia heurematica, cuius nos hactenus primas veluti lineas duximus, et quam procul illi omnes abſint a vera iureconſulti laude, qui in hac ſapientiae ciuilis parte omnino ſint hoſpites. Meminerat, temporibus etiam inſequentibus non defuiſſe decora ingenia, quae in ea quoque iuris prudentia ad veterum illorum laudem, quoad fieri poterat, adſpirarent, inter quae praecipue MAR. SOCINVS, iureconſultus Senenſis egregio iſto εὑρήματι, quod CAVTIONIS SOCINI nomine venit, inſignem, nec minorem, quam vllus veterum, laudem eſt conſequutus (*c*), quamuis illud εὕρημα ab aliis ANGELO, ab aliis DVRANTI tribuatur, quorum in operibus iam ſimile quid reperitur, (*d*). At pleroſque tamen eorum, qui a reſtitutae iuris prudentiae temporibus huic iuris prudentiae parti animum adpulerunt, plus aſtutiae, quam ſapientiae ad hoc ſtudium attuliſſe, res ipſa docebat. Ta-

(*a*) STRYK. *de caute. abundant. Vol. III. Diſſertationum.*
(*b*) *Captiu. act. II. ſcen. 2. v. 5. 6.*
(*c*) SOCIN. *conſil.* 122.
(*d*) *Card. de* LVCA *Theatr. iuſt. et verit. tract. I. part. III. diſc.* 18. *n.* 3.

les profecto ſunt, qui in primis magni olim a pragmaticis fiebant; IOANNES A DEO, LVDOVICVS ROMANVS, IO. DILECTVS GVALDENSIS, THO. FERRATIVS, MARC. ANT. BLONDVS, et, cui primus fere locus deberi videtur, BARTH. CAEPOLLA, qui non cautiones ſed cauillationes et fraudes commenti ſunt, eaſque nouis veluti fraudibus, ne perpluerent ſcilicet, texerunt, parum ſolliciti, honeſta atque aequa eſſent, quae ſuaderent, an turpia atque iniquiſſima,

Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat? (*a*)

Quo maius vero hiſce cautionibus pretium ſtatuebant rabulae, quibus caninum illud locupletiſſimum quemque adlatrandi ſtudium, conceſſumque intra moenia et in ipſo foro latrocinium curae cordique erat: tanto minus illae ſeſe probabant viris bonis, et in his SAM. STRYKIO, cuius non minus pietatem, quam doctrinam et prudentiam, ii omnes, quibus notus ac familiaris erat, admirabantur. Itaque non modo a nequiſſimis iſtis cauillationibus, quarum ipſe ſpecimen in hoc opere dederat (*b*), quam maxime abhorruit, verum etiam cautiones nouas digniorefque Chriſtiano iureconſulto, excogitare, iuſtoque ordine in lucem edere conſtituit, idque praeſtitit adornatis praeclaris illis voluminibus, quae trito magis et familiari cauſſarum patronis, quam ſatis Latino, vocabulo, *cautelas* inſcripſit, quibus, quid in praecipuis negotiis, quae in vita humana incidere ſolent, veluti in contractibus, teſtamentis, iureiurando, actionibus, cauendum prouidendumque ſit, tam ſolide ac ſapienter expoſuit, vt non exſtent alia eius argumenti volumina, quae cum STRYKIANIS illis vel auctoritatis pondere, vel vtilitatis vbertate, comparanda eſſe videantur. Itaque non potuiſſet a iuris ſtudioſis maiorem gratiam inire vir integerrimus, quam dum nouam hanc editionem curauit, quae ſaltim chartae litterarumque nitore ſuperioribus nihil omnino concedit. Iam nolim a me exſpectes libri vtiliſſimi elogium, quum nullum reperiri poſſit magnificentius, quam quod in ipſo titulo praefulget, nomen illuſtre incomparabilis STRYKII. Vale. *Halae Magdeb. prid. Kal. Martias* 1736.

NB. Num. XIIII. quem nondum habere potuimus, ad huius Sylloges finem remittimus.

XIIII.

(*a*) VIRGIL. *Aen. Lib. II. v.* 390. (*b*) *Caut. contr.* I. 1. 8.

XIIII.

DE IACOBI CVIACII OBTRECTATORIBVS ET ADVERSARIIS.

QVamuis Iac. Cviacii, quae exſtant, opera tam vaſta ac prope immenſa ſint, vt plura legiſſe vir iſte incomparabilis, quam alii viderint, plura, quam alii ſcripſerint, diuino ingenio comprehendiſſe, plura denique, quam vllus hodie lecturus ſit, ſcripſiſſe videatur (*a*): tantum tamen abeſt, vt in tam illuſtris ingenii monimenta cadat illud Callimachi apud Athenaevm (*b*), μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ, *magnum librum, magnum eſſe malum*, vt quo maior eſt, cuiuſuis libri, ab eo editi, moles, eo plus pretii illi a viris doctis merito ſtatuatur. Nihil enim in illis vulgare, ac veluti e triuio petitum eſt, nihil, quod aeque facile a quouis alio, quam a Cviacio, diſcere poſſis: ſed praeclara omnia, ſelecta, atque admiratione digniſſima, vt ea legentes nulla capere poſſit ſatietas aut faſtidium; et reipſa vir ille doctiſſimus praeſtiterit, quod eum auditoribus, verboſiores flagitantibus commentarios, reſpondiſſe ferunt, *ſe doctis ſcribere, viua voce indoctos docere* (*c*). Enimuero omnibus, quos Cviacivs reliquit, libris neſcio an palmam praeripiat teſſelatum illud Observationvm atqve Emendationvm opus, cui non, vti reliquis, vnum alterumue, ſed plures, quam triginta, annos impendit, et in quod ille, tum quidquid reconditae eruditionis ex antiquis omnis generis ſcriptoribus eruerat, tum quidquid ipſe ad illuſtrandam ornandamque iuriſprudentiam excogitauerat, tamquam in promtuarium quoddam locupletiſſimum, coniecit. Librum harum obſeruationum primum edidit Pariſiis anno MDLVI., ſecundum anno inſequente, eumque mox tertius eodem anno ſequutus eſt; quos omnes Bartholomaeo Fayo, Senatori, inſcripſit. Biennio poſt lucem vidit Liber quartus, vti anno MDLXII. quintus, conſecra-

 tus

(*a*) *Prodierunt poſtremo Neapoli MDCCXXII. apud Michaelem Aloyſium Mucium Volum. XI.*

(*b*) Athenaeus *Libr. III. Deipnoſoph. init.*

(*c*) Zachar. Palthenius *in praef. Commentariis Iac. Cuiacii in Reſponſa Papiniani praemiſſa p.* 1.

tus viro eximio, Michaeli Hoſpitalio. Hinc porro anno MDLXIIII. tres libros ſequentes Ioanni Iacobo Cambrayo, Magiſtro libellorum et Academiae Bituricenſis Cancellario, dicauit, anno vero MDLXVIIII. Libros VIIII. X. et XI. et quadriennio poſt libros XII. XIII. et ſequentes, anno MDLXXVIIII. Libr. XVIII. XVIIII. et XX. ann. MDLXXXV. Libr. XXI. XXII. XXIII. et XXIIII. publici iuris fecit, eodemque anno libros XXIIII, adhuc editos, vno volumine comprehenſos prodire vidit Pariſiis. Quae enim anno MDLXX. Lugduni lucem vidit editio, non niſi vndecim libros complecti potuit. Conſilium fuerat CVIACIO, opus illud ad XXXX vſque libros, quorum ſinguli totidem capitibus abſoluerentur, perducere, eumque ſibi ipſe vitae et ſcribendi finem fiducia virium ac doctrinae praeſcripſerat (*a*). Sed aciem intentionis idem, quod omnia mortalium conſilia turbat, fatum abrupit, nec plures ipſe libros, quam viginti quatuor, viuus edidit. Viceſimum enim quintum cum duobus inſequentibus et parte viceſimi octaui, non ipſe publicauerat, ſed Franciſco Pithoeo, morti iam proximus, ſupremo elogio publicandos, teſte MENAGIO (*b*), mandauerat, quem id mandatum religioſe exſequutum eſſe, argumento eſt editio Colonienſis anno MDLXXXXV. quinto poſt mortem CVIACII anno curata. Et intra hunc librorum numerum ſtetit viri incomparabilis diligentia, fatiſque plura nobis inuidentibus, iam

Pendent opera interrupta, minaeque
Murorum ingentes, aequataque machina caelo (*c*)

Ceterum ex eo tempore ſaepius non vna forma ac mole prodiit hoc opus, et ſemper tamen emtores reperit tam facile, vt exemplaria iam pridem deſiderari coeperint in tabernis librariis, idque impulerit virum publici egregii ſtudioſiſſimum, qui bibliopolio Orphanotrophei praeeſt, vt nouam curaret editionem, cui nec ad typorum elegantiam, nec ad chartae nitorem, quidquam deeſſet. Ei vero quum praefationem ego praemittere iuberer; facile quidem intellexi, nihil mihi fore procliuius, quam in CVIACII laudes excurrere, ipſoſque hos obſeruationum libros lectori, iuriſprudentiae ac elegantiorum litterarum amanti, argumentis quam plurimis commendare: ſed non minus, me ſic actum acturum, eumque, quem nemo vituperat, laudaturum eſſe, facile intellexi. Nam vt Cyrenaeus poeta (*d*) facile ait eſſe omnibus, laudare Apol-

(*a*) Thuan. *Hiſt. Lib. LXXXXVIIII. ad ann. MDLXXXX.*

(*b*) Aegid. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap. 16. p. 86.*

(*c*) Virgil. *Aeneid. Lib. IIII. v. 88.*

(*d*) Callimach. *hymn. II. in Apoll.*

Apollinem: ita mihi perfacile videtur homini quamlibet infanti atque indiſerto, laudare CVIACIVM, at difficillimum viris etiam eloquentiſſimis, eum ita laudare, vt non aliquid de eius laudibus detraxiſſe videantur. Cogitanti itaque, qua de re potiſſimum tecum confabularer, nihil mihi occurrit, quod ad illuſtrandas CVIACII obſeruationes magis pertineret, quam accuratior eorum hominum notitia, quibuſcum certandum fuit viro incomparabili, et quibus ipſe pleraſque obſeruationes ſuas oppoſuit. Sine ea enim fieri vix poſſe arbitramur, vt quiſquam vel luctuoſam bonis litteris illorum temporum faciem ſatis perſpiciat, vel ipſas obſeruationes recte intelligere, et de iis aequo Ioue iudicare poſſit.

Equidem in ea tempora inciderat aetas CVIACII, quibus, ſeneſcente indies gloſſatorum auctoritate, id tamquam ex compacto agebant viri docti, vt iuriſprudentiam priſtino nitori ſuo reſtituerent, adhibitoque cultiorum artium praeſidio diſpellerent caliginem, quam illi a tot ſaeculis doctorum barbaries offuderat. Ex quo enim ANDR. ALCIATVS nouum ſignum ad melius de iuriſprudentia ſperandum ſuſtulerat: eo exemplo excitati viri doctiſſimi, AEMILIVS FERRETVS, ANT. GOVEANVS, ANT. AVGVSTINVS, GVIL. BVDAEVS, EGVIN. BARO, ARN. FERRERIVS, nihil reliqui fecerunt, vt auditores ſuos ab illa gloſſatorum illuuie ad nouum interpretandi genus traducerent. Eam vero felicitatem Galliae inprimis deſtinauerant fata, in qua eo magis indies effloreſcebat maſcula illa et caſtior iuriſprudentia, quo plures horum aliorumque virorum doctiſſimorum in regno iſto ingenii ſui vires explicabant. Quum ergo et CVIACIVS iuriſprudentiae adieciſſet animum; praeceptorum ſibi in patria delegerat ARNALDVM FERRERIVM, qui tum Toloſanam cathedram doctrinae atque eloquentiae laude prae aliis illuſtrabat. Quantum per illum profecerit, nemo planius dicere potuit ipſo CVIACIO, qui, quoties praeceptoris ſui meminit, ei omnem, quam ſibi pepererit, doctrinam acceptam ferre non dubitat. Nam in epiſtola, qua illi commentaria ad titulum de vſucapionibus et aliquot inſequentes inſcripſit (*a*), his eum verbis adloquitur: *Abſit vero moribus meis ea labes, vt a quo traditam iuris diſciplinam habeo, non me agnoſcam accepiſſe. Tu me,* ARNALDE FERRERI, *quo tempore, concurrentibus vndique auditoribus Toloſae ius ciuile profitebaris, doctrina tua informaſti, et, quantum in te fuit, exornatum ea inſtructumque reddidiſti: nec vnquam ipſe alium iuris praeceptorem laudauero.* Et in alia epiſtola ad Paullum de Foix, Paratitlis Codicis praemiſſa (*b*): *Vnum*, inquit, *e mul-*

(*a*) Cuiac. *Tom. I. Op. p.* 1107. *edit. Neap.*
(*b*) Idem *Tomo II. Op. init.*

e multis, quos audiui, Ferrerivm *excipio*, *ſummum et admirabilem iureconſultum, quo nemo publice docuit, vel docebit vmquam ornatius, ſubtilius, facilius, fideue et diligentia maiore: nemo, qui audiuerit, dicet ſecus.* At, ſi dicendum quod res eſt, plus diſcipulo magiſter, quam magiſtro diſcipulus, debuit, nec Ferrerivs cum Cviacio, quem inſtitutione ſua formauit, vlla ex parte eſt comparandus. Quamuis enim eſſet vir doctus, et rerum ciuilium peritiſſimus, rebus quoque, cum in ſuprema Pariſienſium curia, tum in concilio Tridentino, variiſque legationibus geſtis, celeberrimus (*a*): non tamen eo ſtudiorum genere, quo Cviacivs alios omnes ſuperauit, ſed diſciplina forenſi, prudentiaque et eloquentia ciuili, enituit, nec quidquam ei Cviacivs, praeter prima ac vulgaria iuris prudentiae elementa debere potuit. Itaque ipſe ſibi et doctor, et ἐργοδιώκτης, ſuo Marte non modo ad illam Graecae Latinaeque eruditionis laudem, ſed et ad ſummum iuriſperitiae faſtigium connixus eſt, vt primus fere iuriſprudentiae abſterſerit illuuiem illam, qua per tot ſaecula inquinata fuerat a gloſſatoribus. Iam voluentem hoc ſaxum Cviacivm eorum omnium in ſe odium prouocaſſe, qui vltra Accurſium ſapere religioni ſibi ducebant, adeo non mirum eſt, vt, ſi iis placuiſſet, id vel maxime mirandum videretur. At eo ſidere natus erat vir doctiſſimus, vt non minus viri eleganter docti, quam veteris barbariei adſertores, bellum ei ἄσπονδον ac paene internecinum indicerent: et hi quidem, quod cornicum oculos configere velle videretur, illi, quod iſtum excellere ingenio, et magis ab hominibus doctis, quam perpeti ipſi poſſent, celebrari animaduerterent. Et barbaros quidem iſtos alto ſupercilio deſpexit vir doctiſſimus, nec eorum oblatrationibus magis vmquam, quam fulgure ex pelui, exterritus eſt. At cum viris doctis illi per omnem paene vitam decertandum fuit, et, ſi a paucis, quos ipſe pleroſque formauerat, diſceſſeris, quales erant Ios. Ivstvs Scaliger (*b*), Iac. Avg. Thvanvs (*c*), Gvil. Maranvs (*d*), Ianvs a Costa (*e*), Petr. et Franc. Pithoei (*f*), Petrvs et Carolvs Fabri

(*a*) Bayle *dans le Dictionnaire hiſt. et crit.* voce *Ferrier*. Paull. Sarp. *Hiſt.Concil.Trid. Lib. VII. p. 708. ſequ. Lib. VIII. p.* 816. *et* 862. Ferrier *dans les Inſtructions et miſſiues des Rois T. C. et de Leurs Ambaſſadeurs et autres pieces, concernant le Concile de Trente MDCVIII.*

(*b*) *Scaligeriana prima p.* 21.

(*c*) Iac. Avg. Thvan. *Hiſt. Lib. LXXXXVIIII. ad ann. MDLXXXX.*

(*d*) *Vita Guil. Marani praemiſſa Tomo II. Op. p. IIII.*

(*e*) Io. d'Avezani *Anteceſſ. Aurel. in Elogio Iani a Coſta.*

(*f*) Iac. Cviac. *Obſ. Lib. I. Cap. XI.* Petr. Pithoevs *in Epitaphio apud Papir. Maſſon. in elog. Iac. Cuiacii.*

BRI (*a*) reliquos aequales ſuos tantum non omnes obtrectatores hoſteſque habuit acerrimos. Hinc ipſe in Epiſtola ad Monlucium, Epiſcopum et Comitem Valentinum (*b*), conqueritur, *fruſtra ſe obtrectatorum, ſi qui ſint, qui ſuis eant itineribus, iudicium requirere, fruſtra aduerſariorum, quia ſuis deuia ſectentur: συφφετώδη enim illum gregem Doctorum ſe ſuamque docendi rationem adſpernari, abhorrere; nec ſecus, ac ſanguinem viperinum peſtemque, vitare.* Non ergo ea fuit CVIACII felicitas, quae paullo ante laudati, CALLIMACHI, qui in epitaphio, patri ſuo ſcripto, ſe *κρείσσονα βασκανίης, inuidia meliora* cecinisse gloriatur (*c*), nec ſub Herculis eum ſidere natum dicere poſſumus, qui cum monſtris tantum bellum geſſit. Ipſi enim cum viris doctis, et bene de communi arte meritis, magno quidem reipublicae litterariae bono, ad quam tam eruditarum litium fructus haud exiguus peruenit, ſed non minore moleſtia ſua, per omnem vitam pugnandum fuit. Expertus quidem in ſe eſt vir doctiſſimus, quod obſeruauit PLVTARCHVS (*d*), inimicos, perpetuo vigiles res noſtras infenſos obſeruare, circuire vitam, ſtudiaque noſtra, vndiquaque anſam nocendi calumniandique capere, neque tantum per quercum viſu, vti lynceos, penetrare, aut per lapides vel teſtas, ſed et per amicos, famulos, familiares quoſcumque, quid rei geramus, pro virili explorare, et, quid capiamus conſilii, per cuniculos inquirere ac perſcrutari: quin tantam eſſe curioſitatem hoſtium, vt et ſomnia noſtra perquirant. Quemadmodum ergo continentibus vicinorum bellis atque expeditionibus, quaelibet ſibi ciuitas tanto diligentius caueat, legeſque et ſanam reip. formam ſeruare ſtudeat: ita ab inimicis homines cogi ſobrie viuere, ſibique a negligentia et incuria cauere, et nihil, niſi ſubductis rationibus, agere, ſaepiuſque ſibi in memoriam reuocare illud HOMERI (*e*):

Ἦκεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες;
Proh, quam gauderent Priamus Priamoque creati?

Et hunc ſane fructum ſe ex delatoria obtrectatorum curioſitate capere gloriabatur etiam CVIACIVS, ea quippe multo cautior factus, nihil vt doceret ſcriberetque, niſi ſubductis rationibus, nec vmquam committeret,

(*a*) CVIAC. *Obſ. I.* 18. *II.* 3. *III.* 22.
(*b*) CVIAC. *Tom. I. Op. p.* 915.
(*c*) CALLIMACH. *Epigr. XXI.*
(*d*) PLVTARCH. *de capienda ex hoſtibus vtilitate p.* 87.
(*e*) HOMER. ILIAD. *Lib. I. v.* 255.

teret, vt latus praeberet aemulis, quos ſua omnia oculis emiſſitiis circumſpicere, non ignorabat. Vnde dicere ſaepenumero ſolebat, ſe aduerſariorum odio exacui, et quidquid in iuris diſciplina profecerit, id omne ſe aemulo atque obtrectatori, FRANCISCO DVARENO, acceptum ferre *(a)*.

Quamuis vero CVIACII vicem dolerent boni omnes, et nos ei iniuriam a plerisque aduerſariis factam eſſe non diffiteamur: negandum tamen non eſt, etiam CVIACIVM paſſum eſſe ſuos Manes, et aliquando ſibi iuſto plus indulſiſſe. Erat enim ille quidem vir optimus, ſed paullo commotioris tamen animi, qui inimicorum inſolentia irritatus, facile excandeſceret, omneſque, qui ab eo diſſidebant, haberet ſuſpectos, iiſque non modo argumenta, ſed et conuicia, anagrammatiſmos, paranomaſias, opponeret, quos ſales ipſi ingenium foecundiſſimum facile ſufficiebat. Hinc Io. BODINVS illi κατ' ἀναγραμμα erat ANDIVS SINE BONO *(b)*; IOANNES ROBERTVS itidem tranſpoſitis litteris SERO IN ORBE NATVS *(c)*, GVIL. FORNERIVS petito ex iure Iuſtinianeo *(d)* acumine, *fornacarius, qui obdormiuit ad fornacem (e)*, alii aliis nominibus eiuſdem generis notantur. Quam in conuiciando intemperiem acriter perſtringens FR. HOTOMANVS *(f)*: *Dura certe*, inquit, *illa verba ſunt, et petulantia, et dictu aſpera, et vix ingenuo cuiquam ferenda: Scutica dignus, ſtultus, mendax, caecus, caliginoſus, os durum, pro quibus nequaquam illa referenda fuerunt, tritapoſtata, ſanctimonialium confeſſor, temulentus, turbulentus, lutulentus*, cetera. Haec vero ſunt illa litium flabella, quae homines, iam dum CVIACIO infenſos, ex inſanis reddiderunt furioſos, viroque bono, etiam bonam defendenti cauſſam, incredibilem inuidiam conflarunt.

Deinde et nimia aliquando ingenii fiducia plura iuris capita, etiam nulla cogente neceſſitate, ſollicitabat, pluresque veteres ac probas lectiones loco mouere, alia ex leuiſſimis cauſſis expungere, alia refigere ex ingenio, religioni ſibi non ducebat, idque facere ſolebat eo lubentius, quo elegantiores erant diuinationes, quas tantum parturiebat ingenium. At quum non parum periculoſa videretur illa leges pro lubitu figendi refigendique licentia, et ſaepe, obſeruante

(a) THVAN. *Hiſt. Lib. XXIII. ad ann. MDLVIIII.*

(b) CVIAC. *Lib. XVIII. Obſ. Cap. XXXVIII.*

(c) IDEM *Lib. XV. Obſeru. Cap. XXIII.*

(d) *l. 27. §. 9. D. ad leg. Aquill.*

(e) CVIAC. *Lib. VIIII. Obſ. Cap. XXXVII.*

(f) HOTOMAN. *praefat. Amicab. Reſp. praemiſſ.*

ſeruante ampliſſimo BYNKERSHOEKIO (*a*), *pendeat ab vna particula ſalutari ſalus hominis, vt, ea addita, Titio debeatur, quod nunc, ſi legem ſequamur, deberetur Maeuio*: tantum abeſt, vt hoc CVIACII inſtitutum obtrectatorum reprehenſionem effugere potuerit, vt ne amici quidem illud probarent, et nec diſcipuli eius omnes, quibus alioquin ſacroſancta erat Doctoris memoria, eius veſtigia hac quidem in re premenda exiſtimarent, quod vel IO. MERCERII (*b*) graue ea de re teſtimonium, et IANI A COSTA, viri modeſtiſſimi, exemplum ſatis ſuperque oſtendit. Quemadmodum enim hic, tametſi a CVIACIO formatus, ab omni tamen truculentiore critica, quae vrendo ſanandoque omnia peruertit, ſeſe prorſus abſtinuit: ita ille, CVIACIO licet amiciſſimus; in hanc *inſanam correctorum libidinem*, vti vocat, acriter inuehitur, ita tamen, vt, qua eſt modeſtia, aliquid concedendum exiſtimet viris magnis, ingenioque et doctrina praeſtantibus, quod non ſtatim etiam dupondiis ſit indulgendum. *Neceſſe id quidem*, inquit, *fuit, et eſt nunc quoque, vt inquiratur in quemque locum, ſi quis forte obiiciatur contrarius; ſitne eius vera et genuina lectio, quae confertur: omnibus vero paſſim id concedendum non eſt, vt in corrigendis iis, quae vitioſa putantur, adminiſtrent. Non eſt, inquam, id cuiuſuis ex plebe doctorum, quod iam omnes plane diſcipuli et tentant, et audent.*

Denique, quod facile contingere ſolet hominibus, tam multa edentibus volumina, vt dum noua quotidie excogitant, ſibi non conſtare videantur: id et CVIACIO vſu veniebat, qui ſua ipſe vineta aliquando caedebat, ſiue quod dies diem doceret, ſiue quod virum doctum, vti rem interpretabantur aduerſarii, eorum, quae antea ſcripſiſſet, cepiſſet obliuio. Quod itaque in homine ingenuo magnopere laudat SENECA (*c*), quodque ipſe CVIACIVS (*d*), exemplo vſus Papiniani, iureconſulti, etiam atque etiam commendat, vt quae vel falſo, vel inepte aliquando et ſenſerint, et ſcripſerint, ingenue retractent, nec in iis contra, quam poſtea reſciuerint, tam obſtinato, tamque obfirmato animo perſeuerent: id vel maxime vitio verſum eſt viro incomparabili, adeo, vt integros variantium CVIACII interpretationum libros compilare non dubitarit EM. MERILLIVS (*e*). In his ergo CVIACIVS nudum latus praebere viſus eſt aduerſariis, qui quibus artibus eum

 adgreſſi

(*a*) CORN. VAN BYNKERSH. *praefat. Obſeru. priorum.*

(*b*) MERCER. *conciliat. p.* 35.

(*c*) SENECA *de Benef. Lib.* IIII. *Cap.* XXXVIII.

(*d*) CVIAC. *Lib.* II. *Obſ. Cap.* XXXVIII.

(*e*) *Pariſ.* MDCXXXVII. 4.

adgreſſi ſint, et quam iuſtum piumque aduerſus eum bellum geſſerint; age, iam paucis diſpiciemus.

Primus, qui veluti claſſicum cecinit, procul dubio eſt Io. Bodinvs, vir ille quidem doctiſſimus, ſed maleuoli animi, cuiusque ſtilus procaciſſimus rebus nec diuinis nec humanis parcere, omniaque lacerare liberrime ſolebat. Hic, quamuis aliis deditus ſtudiis, vereri non poſſet, ne Cviacivs luminibus ſuis officere vellet, graues tamen atque implacabiles aduerſus illum inimicitias ſuſceperat, non iudicio quodam vel offenſione commotus, ſed Stephani Forcatuli ſtudio. Quum enim hic locum in cathedra Toloſatium peteret, eamdemque dignitatem ambiret Cviacivs: Bodinus nihil fecit reliqui, vt hic repulſam ferret, eique praeferretur Forcatulus. Hiſtoriam ipſam habent Papir. Massonvs (*a*) et Scaev. Sammarthanvs (*b*). Bodinum vero eius factionis ducem fuiſſe, ita refert Merillivs (*c*): *Vnus e foro, qui Toloſae ſtudiorum cauſſa agens, a partibus* Steph. Forcatvli *ſteterat, earumque partium dux fuerat, et tam efficaciter, vt, repulſo a cathedra* Cviacio, *praelatus fuerit Forcatulus.* Itaque tum temporis in ſtudioſorum numero erat, primaque iuris ſtipendia faciebat Bodinus, quando cum aliis aduerſus Cviacivm coniurauerat. Quod et temporis rationibus non male conuenit, quum Cviacivs anno MDXXII. Bodinus MDXXVIIII. in lucem editus ſit, ac proinde ille hunc ſeptennio anteceſſerit. Enimuero id tum per tumultum, in quo ingenia turbulenta melioribus praeeſſe ſolent, geſtum eſt: neque eo tempore calamo, ſed tribuniciis furoribus Bodini ſuccubuit Cviacivs, non ſine dedecore patriae ciuitatis, cui multo poſt exprobratum eſt, quod eo tempore homini ſimiam, Apollini Marſyam, viro reſtituendae iuris prudentiae nato ineptiſſimum ardelionem praetulerit (*d*). Vidit hoc patriae ciuitatis flagitium auctor, qui Gvil. Marani vitam atque elogium reliquit, (*e*) facileque animaduertit, illud ſuis non maiori laudi eſſe, quam Epheſiis Hermodori exſilium, plebiſcitumque turpiſſimum: Ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήϊςος ἔςω· εἰ δέ τις τοιῦτος, ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων. *Noſtrum nemo meritis excellat: ſed ſi quis erit*

(*a*) Papir. Masson. *in elog. Cuiac.*

(*b*) Sammarthan. *Elog. Lib. IIII. Cap. V. p.* 200.

(*c*) Merill. *Diſſ. ante Variant. Cuiac. interpr. Cap. III.*

(*d*) Gravina *de ortu et progr. iur. ciu.* §. CLXXX. Masson. *elog. Cuiac.* Mornac. *ad l. vlt. C. de iur. emphyt.* Diog. Laert. *Lib. VIIII. ſegm. II.*

(*e*) Vit. Gvil. Marani *Tom. II. Op. praemiſſa p. IIII.*

erit talis; *alibi degat et cum aliis*. Hinc nihil facit reliqui, vt hanc ignominiam a Toloſatibus amoliatur, perſuadeatque lectoribus, eſſe hoc Maſſoni commentum, quod nec teſtibus, nec monimentorum fide, nec CVIACII auctoritate, qui illatam hanc ſibi iniuriam numquam fuiſſet diſſimulaturus, poſſit probari, immo potius manifeſto refellatur antiquiſſimae illius academiae actis, ex quibus pateat, ad diſputandum non prodiiſſe CVIACIVM, quum Forcatulus cathedrae eſſet praeficiendus. Nec denique rem conficere THVANI et SAMMARTHANI teſtimonia, qui a MASSONO decepti haec retuliſſe videantur. Enimuero quis crediderit, id omne vel a MASSONO fingi, vel a THVANO et SAMMARTHANO pro vero et explorato accipi potuiſſe, quum omnes ea aetate floruerint, cui CVIACII fata erant notiſſima, quique ipſum CVIACIVM habuerant doctorem, ab eoque procul dubio, quae illi tum contigerint, ex eius ore acceperant? At ipſe ſilet CVIACIVS, iniuriarum alioquin non patientiſſimus. Immo non ſilet, (ceu iam obſeruauit FRIDR. IAC. LEICKHERVS (*a*), quamuis patriae veneratione de ignominia iſta non niſi ab aduerſario prouocatus conqueratur. Quum enim ei exprobraret IO. ROBERTVS (*b*), *quod a Toloſatibus ſuis, vanas verborum velitationes et iuris auctoritati dignitatique detrahentes futiles tot correctiones, a ſolidiore iuris doctrina ſegregare plus, quam vellet, ſcientibus repulſam in Anteceſſurae petitione paſſus ſit*; reſpondet ANT. MERCATOR, id eſt, CVIACIVS: *Nihil mouetur Cuiacius etiam eo, quod mentiris in his libris bis aut ter, eum a Toloſanis tuliſſe repulſam in petitione cathedrae, quam eum a Cadurcis, et mox a Biturigibus euocatum oblatam repudiaſſe, teſtis eſt Senatus et populus Toloſanus, qui nec deſtitit vmquam ab eo tempore eum ſublatum ex oculis deſiderare, et requirere.* Quamuis vero tum aperto Marte Cuiacium non adgrederetur Bodinus, viro optimo famam per vrbem diſtuliſſe contentus: mox tamen maiora auſus, in ſuo *de Republica* opere, et interpretationes quaſdam illius traducere coepit, *nec deſtitit poſtea*; teſte MERILLIO (*c*), *eum ſcriptis laceſſere: quod quam contumelioſe fecerit, poſterior aetas videt.* At non impune id tulit homo petulantiſſimus. Quaecumque enim ille ſuis doctrinis ante annum MDLXXVIIII. obuerterat, ea omnia non ſine bile ſemel ſimulque refellit CVIACIVS (*d*) et vna aduerſarium ſuum in rerum etiam maxime vul-

 garium

(*a*) LEICKHER. *Vit. iureconſ. p.* 268.

(*b*) IO. ROBERT. *Animaduerſ. Lib. I. cap.* 30.

(*c*) MERILL. *Diſſ. variant. Cuiacii praemiſſ. cap.* 3.

(*d*) *Lib. VIIII. Eclog. X. cap.* 126. *et* 128.

garium ignoratione verſari, oſtendit. Sic quum BODINVS in SYNOPSI ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ (*a*), aliquando legiſſet κηρίας ἡμέρας pro κυρίας, facili et vix cuiquam impoſituro errore: illam lectionem ipſe non modo pro genuina venditat, et reliqua loca, in quibus eſt κυρία, corrigenda eſſe cenſet, ſed et addit, quo nihil ſcribi potuiſſet abſurdius, τὸ κυρίας male lectum eſſe ab iis, qui codices Iuſtinianeum, Theodoſianum et Hermogenianum in Latinum ſermonem verterint. Enimuero CVIACIVS, hac κρίσει eum non modo inſcitiam in hiſtoria iuris, ſed et infantiam in Graeca lingua prodidiſſe, oſtendit, eaque in re nemo fortaſſis, niſi ſecundum CVIACIVM, litem dederit. Κηρίας ſuas ἡμέρας ille procul dubio deriuandum credidit ἀπὸ τοῦ κηρὸς, quod veteres, pro ſorte, vel fato, et quidem illaetabili vſurparunt, et hinc *fatalem diem* commodiſſime dici poſſe κηρίαν ἡμέραν ſibi perſuaſit. Sed auctoritate omnino deſtituitur illud κηρίαν, quum loquutio vere Graeca, et non modo Graecis iureconſultis (*b*), verum etiam ſcriptoribus vetuſtiſſimis, familiaris ſit illa κυρία ἡμέρα pro *fatali* et *praefinito die*. Eo ſenſu κυρίαν ἡμέραν *pro die condicto* habet EVRIPIDES (*c*), κυρίην τῶν ἡμερέων HERODOTVS (*d*). Quin eo ſenſu veteres voce κυρία et ſine adiecto ſubſtantiuo ἡμέρα vſos eſſe, iampridem obſeruarunt Lexicographi, et in his laudatiſſimus ille, cuius de Graeca lingua commentarios videre Bodinus potuit, GVIL. BVDAEVS (*e*). Et quid, quaeſo, clarius loco IVLII POLLVCIS (*f*): Ἡ ἐπί τινι τεταγμένη ἡμέρα κυρία καλεῖται, καὶ χωρὶς δὲ τῆς ἡμέρας εἴπωσαν ἂν οἱ ῥήτορες παρούσης τῆς κυρίας, καὶ ἐνεστώσης τῆς κυρίας, προσυπακούεται γὰρ τὸ ἡμέρας. *Sed et alicui certae rei conſtitutus dies* ἡμέρα κυρία *vocatur. Ceterum rhetores, diei vocabulo omiſſo, ſimpliciter veniente* κυρίᾳ, *vel inſtante* κυρίᾳ *dicere conſueuerunt.* Ἡμέρα *enim ſubintelligitur.* Itaque hic iure procul dubio a CVIACIO reprehenditur Bodinus, nihilque ſani hic ſcripſit, dum ſibi hac obſeruatione placuit quammaxime.

Talis et alter eſt error, quem eodem obſeruationum capite BODINO exprobrat, puta, quod ex loco VLPIANI (*g*) probare voluerit, conſulem

(*a*) CVIAC. *Obſeru. Lib. XVIII. cap.* 37.

(*b*) Βασιλικ. *Lib. VIIII. tit.* 1. §. 129. *et paſſim.*

(*c*) EVRIPID. *Oreſt. v.* 48.

(*d*) HERODOT. *Lib. I. p.* 12. *edit. Henr. Stephani.*

(*e*) GVIL. BVD. *Comment. Graec. Lingu. pag.* 32. 33. *edit. Bad. Aſcenſii.*

(*f*) IVL. POLLVX *Onomaſt. Lib. I. ſegm.* 67.

(*g*) *l.* 1. *D. de offic. conſul.*

conſulem non niſi praeſente collega apud ſe manumittere poſſe, quum tamen nec VLPIANVS, nec alius veterum iureconſultorum (*a*) collegae praeſentiam deſideret. Iam manifeſtus quidem et hic BODINI error eſt, at non talis tamen, ob quem tamquam *imponendi callidiſſimus* traduci a CVIACIO debuerit. Quae enim excogitari poſſet ratio, cur aliis in re tam leui nulliuſque plane momenti imponere voluerit?

Paullo iuſtior eſt CVIACII indignatio, dum ſibi quaedam, de quibus numquam vel per ſomnium cogitauerit, a BODINO tribui conqueritur, veluti, quod in *lege XXXXV. D. de manumiſſ.* negationem expunxerit: quod cenſoriam notam adpellarit infamiam iuris: quod ius occidendi vxorem adulteram marito ademerit: quum tamen his omnibus contraria ſe ſcripſiſſe, oſtendat. (*b*) Et quia BODINVS illam de poteſtate mariti ſententiam CVIACIO exprobrauerat in *notis ad* OPPIANI *Cynegetica*: hic omittere non potuit occaſionem ei exprobrandi plagium turpiſſimum. *Hoc* enim ait, *eum ſuo Marte ſcripſiſſe*, *quum*, *librum illum a quo emendicauerit*, *ipſe*, *qui ſaepe de ingrato diſcipulo querentem doctorem audiuerit*, *non minus*, *quam ipſemet* BODINVS, *ſciat*. Fama enim tum differebatur Bodino, eum pleraque, quae in illa OPPIANI editione praeſtiterit, HADR. TVRNEBO ſublegiſſe. (*c*) Quod vtrum de tota metaphraſi, an de lectionibus variis et emendationibus intelligendum ſit, inter HADRIANVM BAILLETVM (*d*) et AEGID. MENAGIVM diſceptatum eſſe, *nouimus*, quamuis poſteriorem ſen*tentiam probabiliorem eſſe*, *iam pridem obſeruarit* CONR. RITTERS*HVSIVS* (*e*) *ex eoque* IAC. THOMASIVS (*f*).

Vt πάντα περὶ πάντων redderet CVIACIVS, et id porro exprobrat *BODINO*, quod omnes actus iudiciarios alicubi *legis actiones* vocare non dubitarit, ac proinde ita in eum omnem veluti bilem euomit: *Neſcit* ANDIVS SINE BONO, *quid ſit legis actio. Quis vel hoc ſolo nomine non iubeat te*, *ANDI*, *in ſcholam iuris reuerti*, *e qua te crudior nimis in forum immiſiſti*, *in quo vereor*, *vt non geras te*, *prout facis in ſcriptis tuis. Quae me cauſſa impulit*, *de te forte loquentem*, *tuique ſimilibus*, *aliquando*, *vt vos vulturios togatos dicerem*, *non etiam*, *vt falſo inſimulas*, *in vniuerſum ordinem aduocatorum. Os mihi tuo longe diſſimile*,

(*a*) *l. 5. D. de manumiſſ.*

(*b*) CVIAC. *Obſ. Lib. VII. cap. 17. Lib. I. cap. 1.*

(*c*) COLOMES. *Gall. Orient. p. 75. et 83.*

(*d*) BAILLET *dans les iugemens des Sçauans, Tom. II. Part. II. p. 115.*

(*e*) RITTERSHVS. *in Epiſt. Richterian. p. 205.*

(*f*) THOMAS. *de plagio litter. §. 374. p. 364.*

mile, qui falſo etiam me id dictaſſe ſcribis auditoribus, quibus praeterfluens oratio mea nihil dictat vmquam: tu ipſe, proprium conuicium quod tibi erat, edixiſti palam, et effudiſti perperam in omnes, vt es temerarius et inſolens. Iam facile quidem credimus CVIACIO, ſe vmquam vniuerſo aduocatorum ordini conuicium dixiſſe, neganti, et in eo agnoſcimus BODINI ingenium, in inuidiam apud viros doctiſſimos adducturi aduerſarium: at vereor, vt homo ideo iure in ſcholam remitti debuerit, quod actus iudiciarios omnes, *legis actiones* dici ſcripſerit. Tam late enim omnino aliquando patere apud veteres phraſeos LEGE AGERE ſignificationem, viri doctiſſimi iam pridem obſeruarunt, quamuis iureconſultos, quoties ex arte loquuntur, aliam ac ſtrictiorem notionem huic vocabulo ſubiicere, nemo, niſi rerum omnium ignarus, ignoret: nec putauerim haec fugere potuiſſe Bodinum, quae ipſis adoleſcentibus in ſcholis iuridicis explicari ſolent.

Sed et alia in Bodino reprehendit CVIACIVS, veluti, quod ius ſupplendi corrigendique iuris ciuilis Praetori per legem Laetoriam datum eſſe, et hanc ipſam legem PAPINIANVM, (*a*) quamuis nomen legis ſuppreſſerit, in animo habuiſſe, ſcripſerit: quod M. Aurelium Hibero de iure reſpondiſſe, (*b*) ſomniarit: quod per *aetates aedium* (*c*) ex VITRVVII ſententia, intelligenda ſit parietum menſura et quantitas: quod CVIACIVM fugerit ratio, quando plures vnius rei definitiones dari poſſe, ſcripſerit. (*d*) Quae omnia qualia ſint, nemo eſt qui non intelligat: quamuis non adeo ridicula videatur Bodini de aetatibus aedium ſententia, et laudatus ab eo locus VITRVVII (*e*) non parum lucis adfundere poſſit fragmento PAPINIANI, (*f*) quod ne ipſe quidem CVIACIVS (*g*) ex mea quidem ſententia, ſatis intellexit. Ceterum non is profecto erat BODINVS, qui de interiore iuriſprudentia cum CVIACIO collatis ſignis et aperto Marte pugnaret: ac proinde mihi calones videtur imitatus, qui clamoribus terrorem hoſti ſtudent incutere, et, vbi, eum terga non dare, animaduertunt, ſeſe recipiunt poſt principia, vel praedam, vel ſcuticam exſpectantes.

Magis FRANC. DVARENVM reueritus eſt CVIACIVS, virum quippe eleganter doctum, et ei ſoli ſecundum, vt recte de pari iſto non male compoſito iudicarit PAPIR. MASSONVS, (*h*) *aduerſarios* CVIACIVM *habuiſſe*

(*a*) *l.* 7. §. 1. *D. de iuſt. et iure.*
(*b*) *l.* 13. *D. de ſeru. praed. vrban.*
(*c*) *l.* 58. *D. de legat.* 1.
(*d*) CVIAC. *Epiſt. ad Gregor. Lomellin.* Tom I. *Op. p.* 719.
(*e*) VITRVV. *Architect. Lib. II. cap.* 8.
(*f*) *d. l.* 58. *D. de legat.* 1.
(*g*) CVIAC. *Obſ. Lib. VI. cap.* 3.
(*h*) PAPIR. MASSON. *Elog. Cuiacii* apud FRIDR. IAC. LEIKHER. *Vit. ICt. p.* 279.

habuiſſe DVARENVM forte, ac vix parem, ceteros impares, et vilia tantum capita, ſcuticaque, vt ipſe quodam loco ſcripſerit, digna. Et ſane quanti ipſe DVARENVM fecerit CVIACIVS, argumento ſunt tot elogia, quibus eum paſſim ornauit laudator ceteroquin ſatis parcus. Auctor ſane eſt THVANVS, (*a*) dicere ſolitum eſſe CVIACIVM, *ex quatuor Franciſcis, qui eadem aetate eamdem ſcientiam profitebantur, vnum ſibi DVARENVM placere, ceteros ius tantum deligurire ſibi videri.* Sunt illi quatuor *Franciſci*, qui eodem tempore iuris prudentiam docuerunt, praeter DVARENVM, FRANC. HOTOMANVS, FRANC. BALDVINVS, et FRANC. ROALDESIVS, quos viros doctiſſimos quum prae DVARENO tantum ius deligurire dixerit CVIACIVS, quanta hunc vnum praerogatiua donarit, facile eſt ad intelligendum. Sed et alibi (*b*) in Epiſtola ad MARGARETHAM, Sabaudiae et Biturigum Ducem, eumdem *ſine exemplo maximum iuris prudentiae ducem* praedicat, et quum iam non minimae inter iſtos ſimultates eſſent, non tamen ſine quadam venerationis ſignificatione DVARENI meminit, eiusque laudat prudentiam, *quod quum a non nemine traductus laceſſitusque eſſet, libro in eum edito proprio, qui perſequeretur ſingula capita diſputationum eius, tacere maluerit, quam reſpondere homini, poſito infra dignitatem commutandorum cum eo verborum.* (*c*) Sed erat ea DVARENI indoles, vt nec parem, nec ſuperiorem, immo ne inferiorem quidem, ferre poſſet, nullumque fere haberet collegam, quocum non perpetuum bellum gereret. Quas enim ſimultates habuerit cum EGVINARIO BARONE, vel *Apologia* eius *de iuriſdictione et imperio,* (*d*) eleganter quidem, ſed animo parum beneuolo, ſcripta argumento eſt. Et tamen aduerſarii ſui, anno MDL. exſtincti, manes, non obſcura iniuriae a ſe illi viuo illatae confeſſione, erecto ſuis impenſis monimento ſplendidiſſimo placauit, magis, credo, fauens iam mortuo, quam viuenti, et reliquis aduerſariis et collegis lubenter idem praeſtiturus officium, ſi eum fata ſuperſtitem his eſſe voluiſſent. Non magis concorditer vixit cum ANTONIO CONTIO, quem ius apud Biturigas Margarethae Sabaudae ſtipendiis profeſſum adſiduae prope collegarum DVARENI et HOTOMANI velitationes exercuerunt, donec fato functus iuxta ipſius Duareni cineres in D. Hippolyti fano conditorium reperit, *vt qui ſe perpe-*

(*a*) THVAN. *Hiſt. Lib. XXIII. ad ann. MDLVIIII.*

(*b*) CVIAC. *Tomo II. Op. p.* 639.

(*c*) CVIAC. *Obſ. Lib. XVI. cap.* 30.

(*d*) DVAREN. *Tom. II. Op. p.* 1097. Add. *Reſponſio Chriſtianorum iuriſconſultorum ad Fr. Duareni Comment. de miniſt. Eccleſ. atque benefic. pag.* 195.

perpetuo, dum viuerent, invicem agitauere, tandem vna mortui conquieſcant, quod eſt elegans iudicium SCAEVOLAE SAMMARTHANI. (*a*) Quid dicam de duobus Franciſcis, HOTOMANO et BALDVINO, quorum alteri male amicus, alteri fuit inimiciſſimus? (*b*) Quid de IOANNE CORASIO, cui, ſcripta ad Franc. Hotomannum epiſtola, vel declamatione potius (*c*) plagium exprobrauit, tanta vſus verborum acerbitate, vt cuius nomini ſe parcere velle ſimulabat, eum *coruum atrum*, κόρακα, *autolycum*, vocare non dubitaret? In hunc enim cudi illam fabam, qua erat ἐυστοχία, iam olim diuinauit, V. C. IAC. THOMASIVS, (*d*) at cum haeſitatione quadam, quam ita expreſſit: *IO. CORASIVS in catalogum plagiariorum venit, neſcio, ſuane dicam, an Duareni, an noſtra culpa. Fieri enim poteſt, vt hic fallamur. Sed Duarenum tamen legentibus nobis admodum probabile videbatur, quum ille ſub Coracis nomine plagiarium accuſat ſuum, CORASIVM deſignari. Iudicent peritiores.* Nihil ſane hac coniectura verius. Eam enim firmat eorumdem temporum ſcriptor, totiuſque iſtius fabulae ſpectator, FR. BALDVINVS, (*e*) dum ſcribit: *Verum ne longius ſpectra requiras, potes vel ex tua aduerſus Coraſium declamatione plagiaria repetere, atque iterum effare coruos atros, coracas, autolycos, ſic te profecto formidabilem facies.* Talis adverſus collegas et anteceſſores vicinos erat DVARENVS, quorum nemo fere eius odia effugit, praeter HVG. DONELLVM, quem maximi ſemper fecit, partibuſque ſuis addictiſſimum, quin ad omne obſequium tam pronum habuit, vt eum moriens bonorum ſuorum heredem ſcriberet. (*f*) Ceterum, quum litteraria illa bella cum BARONE, CONTIO, CORASIO, HOTOMANO et BALDVINO ante annum MDLVI. quo rariſſimus ille, quo adhuc aliquoties vſi ſumus, FR. BALDVINI libellus aduerſus DVARENI commentaria de miniſteriis et beneficiis eccleſiae lucem vidit, geſta ſint: in ipſo illo libello eleganter ſcribebat BALDVINVS, (*g*) quum iracundiam ſuam aeſtuantem deſpumantemque in Coraſium IC. et paullo poſt in Baronem, publico ſcripto effudiſſet Duarenus, vtrumque attonitum obſtupuiſſe, obſtupuiſſe et lectores attonitos, tantum atrae bilis et in vno homine eſſe poſſe, et in tales tantoſque viros, nihil meritos tale, tale nihil expectantes, eſſe effuſum. Sed quum aliquot deinde annis multo plus iterum collegiſſet: futurum fortaſſis fuiſſe, vt medius

(*a*) SCAEV. SAMMARTH. *Elog. Lib. II. cap.* 25.

(*b*) THOMAS praef. LANCELLOTO praemiſſ. §. *II.*

(*c*) DVAREN. *Op. pag.* 1106.

(*d*) THOMAS. *de plag. litt.* §. 396.

(*e*) *Reſponſ. Chriſt. iureconſult. p.* 151.

(*f*) VINC. GRAVINA *de ortu et progr. iur. ciu.* §. 178.

(*g*) *Reſponſ. Chriſtianor. iureconſult. p.* 199.

medius creparet, niſi tertium iureconſultum, in quem totum illud euomeret, nactus eſſet. Se vero facile diuinaſſe, quicumque ille eſſet, in quem tamdiu compreſſus fluctus tandem erumperet, prope obrutum iri, niſi ſi cedendo ſe ſubduceret: et ſuperaſſe exſpectationem ſuam DVARENVM. Quae ſane omnia ad ipſum CVIACIVM noſtrum pertinent. Poſtquam enim hic Toloſae, vbi priuatim aliquamdiu docuerat, ignominioſam illam repulſam, de qua ſupra diximus, tulerat: mox ſeceſſerat Cadurcum, in qua academia ad annum vſque MDLV. tantam ſibi laudem docendo iuris prudentiam pepererat, vt MARGARETHA Sabauda, auctore MICH. HOSPITALIO, eum Auaricum Biturigum euocaret, et proximum illi a DVARENO locum, inſuper habito DONELLO, adſignaret.

Ille dies primus leti, primuſque malorum
Cauſſa fuit.

Ex eo enim, iuncto foedere, id egerunt DVARENVS et DONELLVS vt vel euerterent CVIACIVM, vel vitam ei redderent acerbiſſimam ille, quod efflorefcentem viri incomparabilis metueret famam, hic quod ſe de ſpe maxima augendae dignitatis deiectum eſſe, intelligeret. Hinc primo omnium dabant operam, vt eius cooptationi in collegium iuridicum moram iniicerent. Id vero quum aegre ferret MARGARETHA, princeps, eaque ſcripta ad Bituricenſes graui epiſtola (*a*), non ſine ſignificatione indignationis, extemplo recipi in collegium iuberet CVIACIVM: illi publice diſputanti, quo labore ex academiae lege defungi oportebat profeſſores, in collegium cooptandos, obiecerunt homines quoſdam loquaces et garrulos, qui virum doctiſſimum in ruborem darent. Id conſilium quem exitum habuerit, non adeo exploratum eſt. Nam IO. ROBERTVS (*b*) non ſine ignominia e cathedra deſcendiſſe ait CVIACIVM; remque ita narrat: *Quum Toloſae repulſam in anteceſſurae petitione paſſus, ad Bituricenſes ſe contuliſſet, atque ibi anteceſſuram auidiſſime ambiens, ex more axiomata publica diſputatione adſerenda, quantumcumque renitens, proponere coactus eſſet: ab vno ex ſuis collegarumque ſuorum auditoribus, qui paucis ante diebus Biturigas aduentaſſet, cum ipſo congrediente, in eas anguſtias eſt redactus,* *vt*

(*a*) *Eam a Pinſonio acceptam primus in editione Neapolitana, data d. III. Febr. MDLV. Car. Hannibal Fabrottus edidit, et Tomo I. Operum Cuiacii praemiſit. Habetur ibidem* — (*b*) IO. ROBERT. *Animadu. Lib. I.*

vt quum eius obiecta et argumenta, quibus vrgebatur, nullo modo diluere poſſet, neque haberet, in quam ſe partem verteret, neque a FR. DVARENO, adſidente vna cum collegis agonotheta, diſputationi finem imponi impetrare potuiſſet, (quum ille receptum ſcholae morem id minime ferre cauſſaretur,) morbo correptum ſe ſimulans, inde, non ſolum antequam receptui datum eſſet vllum ſignum, ſed et, vix coepto congreſſu, terga dare, et ex ſuggeſto ſeſe turpiter proripere coactus eſt. Haec ROBERTVS, qui facile animaduertens, incredibilem poſteris viſum iri hanc narratam ab acerrimo CVIACII hoſte fabulam, HADRIANO PVLVEO, ſpectatori iſtius tragoediae, teſtimonium denunciat, quippe qui CVIACIO id publice in libello *de Lege Atinia*, exprobrare non dubitarit. Et ſane ſibi ſuffragantem habet hunc teſtem, ſimulque Stentoris illius, qui tum CVIACIVM clamando obtuderit, nomen prodentem (*a*). Fuit enim is GVIL. ABOTVS, cui PVLVEVS paedagogus datus fuerat, quemque hominem fortaſſis natum hodie neſciremus, niſi eum puluis hic ſcholaſticus, *metaque feruidis euitata rotis, palmaque nobilis, terrarum dominos euexiſſet ad Deos.* Sed vereor, vt deteriorem minuſque idoneum teſtem inuenire potuerit ROBERTVS, quam PVLVEVM, quippe qui, quum tela altello ſuo ABOTO ſubminiſtraſſet, quaeſiturus in hoc muſtaceo laureolam, ipſe ſibi ſuoque Aboto hoc cecinit ἐπινίκιον. Hinc eam fabulam riſit CVIACIVS (*b*), ſuumque ANT. MERCATOREM ita inducit loquentem: *Nihil mouetur eo, quod Auarici Biturigum eum de iure ciuili inſtituta publica diſputatione in ipſo paene exordio nequeuntem reſpondere his, quae obiiciebantur, ſimulaſſe morbum, et duxiſſe ſe ab ſchola ante tempus, mentiris. Innumeri ſuperſunt etiam hodie ex eo populo, qui ſciunt, quam is ſtrenue ſe geſſerit in ea re, et a ſummo mane, vti ad vndecimam perſtiterit inuictus, vtique exeunti et procedenti certatim multi adclamauerint feliciter, multi: aliis eum diebus viciſſe alios, eo die viciſſe ſe ipſum. Vnus tantum exſtitit, qui offenderetur, quem ille male diſputantem rubore ſuffuderat, cuius tu ſolius tamquam idoneo teſtimonio vteris.* Et ſane vt clamore tum vicerint Pulueus et Abotus, vt iis linguis fauerint Duarenus et Donellus, vt denique obnoxia illis ſtudioſorum turba plauſum his praeclaris athletis dederit: an ideo vel indoctior CVIACIVS, vel PVLVEVS et ABOTVS cuiquam minus indocti et rudes videbuntur?

(*a*) PVLV. *de lege Atinia cap.* 10. p. 336. *Tom. IIII. Theſaur. iur.*

(*b*) ANT. MERCATOR. *Notat. ad Io. Rob. Animadu. Lib. I. cap.* 30.

tur? An quiſquam mortalium crediderit CVIACIVM, nec tardi ingenii, nec elinguem hominem, terga dediſſe Pulueo et Aboto, et in ipſa prima velitatione obmutuiſſe, niſi ei idem euenerit, quod certanti cum Aenea Turno eueniſſe fingit VIRGILIVS (*a*), quando

Vnam Dirarum demiſit ab aethere ſummo
Iuppiter, inque omen Iuturnae occurrere iuſſit?

Sed quid opus eſt verbis? Defendit tum CVIACIVS emendationem aliquam ſuam, et in loco VLPIANI (*b*) pro *ſeruus publicus praetoriſue* reſcribendum eſſe monuit *ſeruus publicus populi Romani*, quemadmodum in altero (*c*) *ſub imperio populi Romani*. Hic veluti de vi et vi armata conqueſti ſunt Pulueus et Abotus, quum nihil ſit ea emendatione verius, quam poſtea a clamoribus illis Puluei pluribus argumentis ipſaque codicis Tiliani auctoritate ipſe CVIACIVS (*d*) ſolide defendit. Eat ergo Pyrgopolinices ille, perfricet frontem et a ſe deuictum debellatumque CVIACIVM, mentiatur. Ceterum ex his patet, inter CVIACII aduerſarios, ſed ſcutica dignos, fuiſſe etiam PVLVEVM et ABOTVM, quorum hic, militis Terentiani exemplo ſapiens, poſt principia latuit, ille καλαμοβόας in eo omnem poſuit victoriam, quod CVIACIVM, tamquam *inconſultum*, *deprauatorem*, *correctorem*, *interpretationem legum de faece haurientem*, vbique traducit. Tam durum virorum doctiſſimorum fatum eſt, vt aliquando non modo cum monſtris, ſed et cum aſinis, quos fortaſſis feruentior Syrius in rabiem egit, pugnandum ſit, quosque fere indignos dixeris, qui talibus manibus conficiantur.

Ad DVARENVM vero et DONELLVM vt redeamus; hi, vbi ſe ne eo quidem ictu CVIACIVM proſtrauiſſe animaduertebant, ſingulari quadam arte, nefanda quidem illa, ſed doctoribus tamen ſcholaſticis et olim, et hodie, familiariſſima, ſibi vtendum putarunt, puta, vt rapta aliqua occaſione calumniandi, qualis non deeſſe vmquam ſolet in academiis, CVIACIO inuidiam apud ſtudioſos conflarent. Quo factum eſt, vt multitudine ab hominibus turbulentis ad ſeditionem conſternata, de vita paene periclitaretur CVIACIVS, et fuga ſibi conſulere, Valentiamque ſe conferre cogeretur. Qua de re THVANVS (*e*):

 Duare-

(*a*) VIRGIL. *Aeneid. Lib. XII. v.* 853.
(*b*) VLP. *Tit. XX.* §. 16.
(*c*) IDEM *tit.* 24. §. 28.
(*d*) CVIAC. *Lib. XVII. Obſ. cap.* 28.
(*e*) THVAN. *Hiſt. Lib. XXIII. ad ann. MDL.*

Duarenus iam prouecta aetate magnas et acres contentiones cum Iacobo Cuiacio, tunc iuuene, habuit, ex eoque non obſcurae ſimultates inter auditores exortae ſunt, ita, vt ſchola Bituricenſis in partes ſcinderetur, ob idque maius periculum immineret, niſi ceſſiſſet CVIACIVS, et Valentiam Cauarum migraſſet. Et SCAEVOLA SAMMARTHANVS (*a*) : *O beatam, ſi ſua nouiſſet bona, Biturigum vrbem! At illa, quum tam excellens et nobile depoſitum omni cura diligentiaque adſeruare ac tueri deberet, indigniſſima paene proiecit, ac perdidit, oborto ſeditioſorum tumultu.* Adeo verum eſt, eamdem ſemper fabulam in hoc orbe, mutatis tantum perſonis, agi. Procul dubio hanc viri optimi doctiſſimi vicem doluerunt boni omnes, at nemo magis, quam HOSPITALIVS, qui eo nomine DONELLVM iam antea graui epiſtola reprehenderat (*b*). Solus HADRIANVS PVLVEVS, tamquam alter P. Clodius, huic Tullio exſuli inſultauit, et impudentiſſima epiſtola (*c*) MARGARETHAE Sabaudae hanc ſcilicet ſcholae Bituricenſis- liberationem anno MDLVII. gratulatus eſt.

Quod ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

At non magis diuturna fuit illa Puluei, quam P. Clodii laetitia. Exſtincto enim biennio poſt DVARENO, paullo poſt Bituricenſibus reſtitutus eſt CVIACIVS, ceu docent eius opera, annis erae Dionyſiacae MDLXII. MDLXIIII. MDLXVI. edita, vixitque ibi in maxima celebritate, et facile per hos annos pertulit iras HVG. DONELLI, quem et ſuperiorum, et ipſius CVIACII auctoritas in officio continuit, donec anno MDLXXII. ob feralem illam, qua in purioribus ſacris addictos inaudita truculentia ſaeuitum eſt, lanienam ſolum vertere coactus (*d*), ſeſe in Germaniam, atque inde in Belgium, ac denique iterum in Germaniam Altorfum Noricorum recepit.

Et inter haec fere molimina tunc ſtetit obtrectatorum CVIACII furor. Scriptis enim libris praeter PVLVEVM illum, cui male ceſſit illa digitorum prurigo, nemo iſtorum viri doctiſſimi doctrinas impugnauit, quamuis in reliquis operibus ſuis non temere vllam elabi patiantur occaſionem, eius interpretationes ac ſententias perſtringendi. Cuius rei vt ſpecimen proferamus: hoc tantum habeto. CVIACIVS (*e*) libro obſer-

(*a*) SAMMARTHAN. *Eleg. Lib. IIII. cap. 5. p. 20.*

(*b*) SCIPIO GENTIL. *Opuſc. Donelli poſtum p. 268. 270.*

(*c*) *Theſaur. Iur. ciu. Tom. IIII. p. 329.*

(*d*) THVAN. *Hiſt. Lib. LV. ad annum 1572.*

(*e*) CVIAC. *Obſ. Lib. I. cap. 16.*

obſeruationum primo mendoſum putauerat locum VLPIANI, ex IVLIANO depromtum *(a)*, vbi remiſſio noui operis nunciationis, vicino factae, ab vſufructuario, vtilis; domino factae ab eodem, inutilis dicitur. Ipſe enim inuertenda haec eſſe ſtatuit, ſcribitque. *Denique haec duo verba vtilis et inutilis aut locum inter ſe commutent, neceſſe eſt, aut certe nulla eſt ſcientia, nulla diſciplina iuris.* Iam ſolide quidem et eleganter oſtendit DVARENVS *(b)*, nihil hac vocabulorum tranſpoſitione opus eſſe, quum diuerſimode vtilis atque inutilis dici poſſit remiſſio: at facere id eum non potuiſſe ſine bile, probant verba ſequentia: *Quaeſo, quid his verbis clarius, quid rationi iuris conuenientius? Corrector tamen noſter, aut corruptor potius, et* παρεκδιορθώτης *ait, aut haec mutanda eſſe, aut nullam eſſe ſcientiam, nullam diſciplinam iuris. His enim verbis vtitur, quibus nihil impudentius, aut ſtultius dici poteſt. Si duo verba in me addidiſſet, fortaſſis vera fuiſſet diſiunctiua:* Hoc ſcilicet argumento probandum erat, nullam in CVIACIO eſſe ſcientiam ac diſciplinam iuris. Sed talis erga collegas erat DVARENVS, vt nemini vel ingenium vel doctrinam, aliquam concederet, niſi qui ſibi, tamquam claudus pilae haereret. DONELLVS paullo modeſtior raro nominatim perſtringit CVIACIVM, et ſi quando diſſentit ab eo, tantum tamen ſibi non temere permittit, vt conuiciis in eum debacchetur. Ceterum in eo vtrique omnia conueniunt, quod emendationes et correctiones textuum iuris non temere admittunt *(c)*, ac proinde ſaeuitiam illam criticam, cuius eo tempore CVIACIVS in primis reus peragebatur, quauis data occaſione perſtringunt: quamuis, ſi vera fateri velimus, ne ipſe quidem CVIACIVS *(d)* tam promiſcue faueat illi emendandi corrigendique licentiae, vt ea ſine neceſſitate vtendum vbique exiſtimet, immo potius eam audaciam grauiter reprehendat, adeoque tantum facti ſit quaeſtio, ſintne omnes CVIACII emendationes ita comparatae, vt eas ipſa efflagitare neceſſitas videatur? De eo vero diſceptare inter ſe viri docti potuiſſent ſine conuiciis, ſine clamore tragico. Fatendum enim eſt, aliquas CVIACII emendationes plus ingenii, quam ſoliditatis, habere, et ſaepe eaſdem ita eſſe comparatas, vt parum vel nihil interſit, CVIACII an vulgarium exemplarium lectio-

 nem

(a) *l. 1. §. 4. D. de remiſſion.*

(b) DVAREN. *praelect. 6. ad tit. de noui op. nun. p. 593. Op.*

(c) DVAREN. *ad l. 28. D. de legat. 1. p. 521. Op.* DONELL. *ad l. 34. D. de verb. obl. n. 8. 9.*

(d) CVIAC. *ad l. 9. D. de excuſat. tut. Tom. I. Opp. pag. 1034.*

(e) CVIAC. *Lib. XVIII. Obſ. cap. 9.*

nem ſequi malis. Cuius rei inſigne exemplum dabit caput aliquod obſeruationum, in quo quatuordecim adcumulat eius generis coniecturas, in quibus idem de ipſo iure ſenties, ſiue Cviacio, ſiue Accvrsio ſuffrageris.

Paullo poſt in arenam hanc deſcendit Franciscvs Hotomanvs, qui in tantum modeſtia ſuperauit Dvarenvm, in quantum ei doctrina iuriſque ſcientia ceſſit. Maximi et hunc faciebat Cviacivs, qui in primo ingenii ſui monimento (a) non modo eius coniecturam aliquam mirifice probat, ſed et *viri ingenii probi et recti* elogio eum proſequitur. Enimuero ſiue ſaeculi is eſſet genius, vt inter viros doctos, qui reſtituendae iuriſprudentiae animum adpuliſſent, male conueniret, ſiue eos immodica gloriae cupiditas, ſiue priuatae quaedam cauſſae colliderent: non admodum diuturna fuit illa inter viros doctos amicitia. Si Petro Neveleto Doscio (b), vtriuſque diſcipulo, fidem habemus: ſola ſpes victoriae ſplendidioris, quam ex aduerſarii celebritate conceperat, Hotomanvm ad ſuſcipiendas cum Cviacio inimicitias exſtimulauit. Vbi enim quaedam de ſimultatibus illius cum Fr. Baldvino et Hvgone Donello retulit: ſtatim ſubiicit vir doctus: *Deinceps iniurias* Baldvini *atque offenſiones ſuperne deſpiciens, cum eo certandum ſibi non iudicauit. Vbi autem cum magno illo iuris Romani antiſtite*, Cviacio, *res fuit: tum vero dignum ſe, dignum fama, oppoſitum aduerſarium, intellexit.* Idem elogii, Fr. Hotomano ſcripti, auctor obſeruat, initia iurgiorum fuiſſe tolerabilia, quum vterque aemulum mutuis laudibus, quamuis diſſentientem, ferret: at poſtea rem erupiſſe in neruum, et Cviacivm, quo erat ingenii feruore, ne a conuiciis quidem abſtinuiſſe, de quibus et ſupra conquerentem audiuimus Hotomanvm. At ſi Cviacivs caeſim; Hotomanvs certe punctim hoſtem petiit, et ſaepe ſatyrico, aliquando et comico ſale perfricare voluit Cviacivm, quem nemo vnquam impune laceſſiuerat. Quod aeque abſurdum erat, ac ſi quis leoni barbam per iocum euellere vellet. Sed vt ipſarum, quae inter viros iſtos doctiſſimos interceſſerunt, controuerſiarum ſpecimina quaedam demus: operae pretium fuerit, ex Hotomanni *amicabilibus reſponſionibus*, ex profeſſo oppoſitis Cviacio (c), quaedam excerpere, quae ſe haec ſcribenti ſua ſponte

(a) Cviac. *ad Vlpian. tit.* 22. *p.* 335. *Tom.* I. *Op.*

(b) Nevelet. Dosc. *vit. Hotomanni* apud Frid. Iac. Leickher. *vit. iureconſ.*

(c) *Prodierunt primum cum Obſeruationum et emendationum libris VIIII. et Conſiliis, Geneu. MDLXXXVI. fol.*

ſponte obtulerunt. Exſtat in CODICE IVSTINIANEO (*a*) Ioannis Pontificis Romani I. ad Iuſtinianum Imp. epiſtola, cui et ipſius Iuſtiniani litterae, ad Ioannem ſcriptae, intextae ſunt, *data Romae VIII. Kal. Apr.* D. N. IVSTINIANO P. P. A. IIII. ET PAVLLINO V. C. COSS. Eam iam pridem ſuſpectam habuerant viri doctiſſimi, cum alias ob cauſſas, tum ideo potiſſimum, quod illa in permultis codicibus, ceu AZO notauerat, iam olim deſideraretur, in aliis multo aliter, ac hodie, legeretur. Adfirmauerat enim CHARONDAE Auredamus, ſe codicem habere MSC. nouellarum Iuſtiniani conſtitutionum Graecarum, in quo exſtet epiſtola illa, diuerſa ab ea, quam hodie legimus, cum aliis pleriſque (*b*). Id quum aegre ferret ANDR. ALCIATVS (*c*): γνησιότητα iſtius epiſtolae vindicare ſtuduit, non alio tamen argumento, quam quod eam exſtare ſciat in codicibus pluribus, et qui eam in aliquibus deeſſe dicant, id eo facere videantur, quod Pontificis maximi auctoritatem deprimere velint, niſi ea omiſſio tribuenda ſit librariorum incuriae, illam epiſtolam ad legalis ſcientiae materiam non multum pertinere, exiſtimantium. Sententiae ALCIATI et CVIACIVS (*d*) adiecerat calculum, ſed aliis ac ſolidioribus vſus argumentis. Nam et ordinem nexumque elegantem legum iſtius tituli vrget, et auctoritatem ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ (*e*), quibus pars illius epiſtolae iiſdem propemodum verbis inſerta ſit. Contra HOTOMANVS (*f*), ſubleſtam illius eſſe fidem, multis demonſtrare argumentis conatus eſt, oſtenditque, primum eam in codicibus quibuſdam non reperiri (*g*), deinde fraudes huiusmodi et fallacias quam plurimas iam olim eſſe admiſſas, ad amplificandam Pontificis Max. potentiam: tum porro manifeſto ea, quae in vtraque epiſtola legantur, pugnare cum conſtitutionibus antecedentibus anno DXXIII. ſcriptis, in quibus Imperator ſe fidei ſuae confeſſionem Ioanni, Pontifici Rom. iam antea tranſmiſiſſe, adfirmat, quum ex ipſa Ioannis Epiſtola id inſequente demum anno factum eſſe, intelligamus. Praeterea quum IVSTINIANVS (*h*) alibi reliquorum imperatorum Byzantinorum exemplo patriarchis Conſtantinopolitanis ſaltim non minorem, quam Epiſcopis Romanis, dignitatem auctoritatemque

(*a*) *l. 8. C. de ſumm. Trinit.*

(*b*) *Notauit hoc* CHARONDAS *ad marginem d. l. 8. in editione ſua Corporis iuris apud Plantin. MDLXXV. Tomo II. p. 22.*

(*c*) ALCIAT. *Parerg. Lib. V. cap. 23.*

(*d*) CVIAC. *Lib. XII. Obſ. cap. 26.*

(*e*) Βασιλικ. *Lib. I. tit. 1. §. 8.*

(*f*) HOTOM. *Amicab. Reſp. Lib. 1. cap. 1.*

(*g*) HALOAND. *var. lect. ad. l. 8. C. de ſumm. Trin.*

(*h*) *l. 24. C. de SS. eccleſ. l. 16. C. eod.*

tatemque tribui velit: in litteris iſtis fictitiis eum patriarchas ſuos iudicio poteſtatique Pontificis Romani manifeſto ſubiicere. Accedere porro, quod, quum aliunde pateat (*a*), IVSTINIANVM res eccleſiaſticas, et ad ipſam religionem pertinentes, ſuo arbitratu conſtituiſſe: in hac tamen epiſtola ille ſcripſiſſe fingatur, nullum ſe pati velle geri negotium, ad religionem pertinens, quantumuis notum ac diuulgatum, de quo non continuo ad pontificem, vtpote caput exſiſtentem omnium Dei eccleſiarum, exquirendae ſententiae cauſſa referatur. Denique vnumquemque, harum rerum paullo intelligentiorem, perlecta hac epiſtola, illico intellecturum, dicendi genus illud, quo logodaedalus epiſtolae iſtius auctor ſit vſus, prorſus eſſe alienum a ſtilo, quo alias IVSTINIANVS in conſtitutionibus Latinis vti conſueuerit. Neque his tanti ponderis argumentis obſtare exiſtimat, quod partem eius epiſtolae in libris ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ Graece exſtare, animaduerterit CVIACIVS, quia impoſtori, qui adulterinam iſtam epiſtolam cuderit, vix deeſſe potuerit Graeculus, tribus conductus obolis, cuius in illa vertenda opera vteretur. His ergo argumentis inter viros doctos de epiſtolae illius γνησιότητι tunc diſceptatum eſſe, comperio. Sed quamuis non careant aliqua ſpecie, quae obiecit HOTOMANVS: ſecundum CVIACIVM tamen litem dant viri doctiſſimi, non modo iureconſulti, veluti MORNACIVS (*b*) et FACHINAEVS (*c*), verum etiam theologi, tum pontificii (*d*) tum qui receſſionem a Romana eccleſia fecerunt (*e*), qui omnes hanc epiſtolam pro genuina agnoſcere non dubitant. Nec enim ideo ſtatim fictitiam dixeris conſtitutionem, quod illa in quibuſdam codicibus deſideratur. Quot enim aliae deſiderantur, quas nobis CONTIVS, CVIACIVS aliique viri docti partim ex codicibus MSSC, partim ex libris ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ reſtituerunt? Deinde ſi quas adulterinas merces orbi Chriſtiano olim obtruſerunt pontificiae auctoritatis adſertores: quis ideo et reliqua omnia, in quae non cadit haec ſuſpicio, tamquam fictitia reiiciat? Nec pugna inter hanc et ſuperiores conſtitutiones tanta eſt, vt ideo codice eiicienda videatur IOANNIS epiſtola, maxime quum multae eſſe poſſint rationes, cur conſtitutiones illae, quas IVSTINIANVS iam anno DXXIII. ad varias dioeceſes, imperio ſuo ſubiectas, mittere decreuerat (*f*), demum inſequente

(*a*) *Nouell. III. V. VI. VII. XI. XVI. LVIII. CXXIII. CXXXIII. CXXXVII. cap. 6.*

(*b*) MORNAC. *ad d. l. inter clara* 8. C. *de ſumm. trin.*

(*c*) FACHIN. *Controu. iur. Lib. VIII. cap.* 1.

(*d*) DVPIN. *Bibl. eccleſ. Tom. V. p.* 45.

(*e*) FRID. SPANHEM. *Introd. ad Hiſt. eccleſ. ſaec.* VI. *p.* 180.

(*f*) *l.* 6. *et l.* 7. C. *de ſumm. Trinit.*

ſequente, impetrata illa IOANNIS epiſtola, miſſae ſint, nec raro contingat, vt principes ſtilum, et Pontificem modo blandius, modo verbis dilutioribus, prout e re eſſe videatur, adloquantur. Denique omnino vix probabile eſt, LEONEM Imperatorem ex illa epiſtola quidquam inſeri paſſurum fuiſſe libris ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ, niſi eam in genuinis atque antiquioribus Codicis IVSTINIANEI exemplaribus, reperiſſet. Non itaque reiicienda quidem eſt illa epiſtola, quamuis eam ex Graeco male tranſlatam, atque hinc inde interpolatam eſſe, ex comparatione huius tituli de ſumma Trinitate cum vetere et praeſtantiſſimo παρατιτλων libro, didicerit IO. LEVNCLAVIVS (*a*), obſeruans inter alia, *quod in edicto legatur de pontifice Romano, capite omnium ſanctarum eccleſiarum, id in Graeco ſic expreſſum eſſe, vt* ECCLESIARVM, IVSTINIANVS *ſcripſerit* ἱερέων, *hoc eſt, ſacerdotum.*

Sed valeant demum amoebeae iſtae IVSTINIANI et IOANNIS epiſtolae, quibus fere immorati ſumus iuſto diutius, et aliud controuerſiarum iſtarum, quae inter CVIACIVM et HOTOMANVM interceſſerunt, ſpecimen videamus. Primus CVIACIVS (*b*) ab obliuione vindicauerat veterem iureconſultum, FVFIDIVM, quem aliquoties in pandectis memorari, (*c*) libroſque quaeſtionum reliquiſſe, obſeruauerat. Honori ſibi quodammodo ducebat vir doctiſſimus, a ſe in vitam veluti reuocatum eſſe FVFIDIVM iſtum, antea multa obrutum nocte, idemque illi a ſe beneficium datum, quod ANT. AVGVSTINVS (*d*) dederat CARTILIO. Ne tamen nomen tantum ab obliuione vindicaſſe videretur: de eius etiam aetate ita coniecerat: *Forte hic ille eſt* L. FVFIDIVS, *quem* M. TVLLIVS *in Bruto* (*e*) *in aliquo patronorum numero fuiſſe ſcribit: ad quem etiam M. Scaurus tres libros de vita ſua ſcripſit, vt et* PLINIVS (*f*) *teſtatur.* Quid ad haec HOTOMANVS (*g*)? Primum nullius momenti eſſe cenſet hanc obſeruationem, *nec magnopere ad intelligendam iuris prudentiam pertinere, quis vel qualis ille iureconſultus fuerit* FVFIDIVS, *et utrum albus, an ater, breuis, an longus fuerit.* Deinde male eum cum L. Fuſidio illo, quem Tullius laudet, et cui vitam inſcripſerit M. Scaurus, confundi a CVIACIO, quum Fuſidius ille ICtus,

(*a*) LEVNCLAV. *Notat. Lib. I. cap.* 4. *Theſaur. iur. ciu. Tom. III. p.* 1474.

(*b*) CVIAC. *Obſ. Lib. I. cap.* 9. *et Lib. II. cap.* 40.

(*c*) *l.* 5. *l.* 7. *D. de aur. arg. leg. l.* 25. *D. de manumiſſ. vind. l.* 29. *D. de re iudic.*

(*d*) ANT. AVGVSTIN. *Emendat. Lib. III. cap.* 6.

(*e*) CIC. *in Bruto cap.* 29.

(*f*) PLIN. *Hiſt. Nat. Lib.* XXIII. *cap.* 1.

(*g*) HOTOMAN. *Amicab. Reſponſ. Lib.* II. *cap.* 9.

quiſquis ſit, ATILICINVM citet (*a*), quem PROCVLO fuiſſe σύγχρονον, adeoque ſaltim poſt Claudii Imperatoris tempora floruiſſe, inter omnes conſtet. Denique, an vmquam hominibus interfuerit iureconſultus ille FVFIDIVS, ideo ſe addubitare, ait, quod Graeci interpretes non *Fuſidium*, ſed *Aufidium* legerint, et AVFIDIVS NAMVSA in pandectis ſaepe laudetur, et hic ipſe ille Fuſidius, immo ipſiſſimus, eſſe videatur. Iam in eo quidem, quod FVFIDIVM ſuum libera adhuc republica M. Scauri temporibus vixiſſe, coniecerat CVIACIVS, illum manifeſto fugit ratio, idque poſt HOTOMANVM et GVIL. GROTIVS (*b*) obſeruauit. At primum tamen ſuo more agit HOTOMANVS, dum huiuſmodi obſeruationes tam alto ſupercilio deſpicit, quas magni faciunt omnes, quibus cum CVIACIO *nihil videtur honeſtius, quam eorum excitare memoriam, qui omni doctrina exculti exornatique aliquando vixerint.* Deinde abſurdiſſima eſt illa *Fuſidii* in *Aufidium* μεταμόρφωσις. Quos Graecos interpretes ille iactet, neſcio. In iis enim, qui libros ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ ſcholiis illuſtrarunt, diſerte non Aufidium, ſed FVFIDIVM lego (*c*) Ἔλεγεν ὁ Fuſidius, ὅτι καὶ ἐπὶ τῷ σχεῖν ἐπίτροπον δύναται ὁ νήπιος ἐλευθερῶν οἰκέτην. *Dicebat Fuſidius, infantem ſeruum manumittere poſſe, vt eum tutorem habeat.* Immo vt HOTOMANVM ipſum HOTOMANO iudicem feramus: qui fieri, quaeſo, potuit, vt Aufidius Namuſa laudarit Atilicinum, quum ille fuerit inter SER. SVLPICII auditores, (*d*) liberamque adeo viderit rempublicam? Adeo HOTOMANVS, dum CVIACII notat anachroniſmum, ipſe in eodem luto haeret, parum memor, quid moneat poeta:

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.

Simile eſt tertium, quod addere iuuat, exemplum. Eleganter alicubi expoſuerat CVIACIVS (*e*), quid ſit *circa columnas* (*f*), et *circa ſtationes, creditoris euitandi cauſſa, latitare* (*g*), eamque in rem bina, eaque elegantiſſima, adduxerat veterum teſtimonia, AMBROSII (*h*) alterum,

(*a*) *d. l. 5. pr. D. de aur. arg. leg.*

(*b*) GVIL. GROT. *de vit. iureconſ. Lib.* II. *cap.* 4.

(*c*) *Schol.* Βασιλικ. *Lib.* XXXXVIII. *tit.* 2. §. 22. *litt.* 1. *p.* 285. *Tomo* VI.

(*d*) *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.*

(*e*) CVIAC. *Obſ. Lib.* I. *cap.* 13.

(*f*) *l.* 36. *D. de bon. auct. iud. poſſ.*

(*g*) *l.* 7. §. 13. *D. quib. ex cauſſ. in poſſeſſ. eat.*

(*h*) AMBROS. *ad Tobiae librum cap.* 7.

terum, vbi debitor, fugiens creditoris conſpectum, *continuo caput poſt columnas obumbrare* dicitur: alterum SIDONII APOLLINARIS (*a*), quod totum hic adſcribimus: *Principe poſt diem viſo, in forum ex more deſcendo, quod vbi viſum eſt, illico expauit, vt ait ille, nil fortiter auſa ſeditio. Alii tamen mihi, plus quam decet, ad genua prouolui, alii, ne ſalutarent, fugere poſt* STATVAS *occuli poſt* COLVMNAS. Vnde coniectura naſcebatur CVIACIO, in *l.* 7. §. 3. *D. quib. ex cauſſ. in poſſeſſ. eat.* pro *ſtationibus* legendum eſſe *ſtatuis*, vtrumque vero pandectarum locum intelligendum eſſe de columnis et ſtatuis, quibus refertum fuerit forum Romanum, et circa quas occultare ſe facile potuerint, qui effugere voluerint creditorum occurſum. Sed et alibi (*b*) hanc interpretationem ſuam nouis firmat teſtimoniis, tum BASILII (*c*), tum LVCIANI (*d*), quorum ille eius furfuris homines ait φεύγειν πρὸς κίονας καὶ τείχους, ἀποσκιάζοντας τὴν κεφαλὴν, *fugere ad columnas, et parietes, ibique caput obumbrare*, hic vero eoſdem ſiſtit πρὸς κίονά τινα, ἢ πρὸς ἀνδριάντα προσελθόντας, *ad columnam aliquam vel ſtatuam ſeſe recipientes.* Hic denuo ſplene abundat HOTOMANVS (*e*). *Quae enim*, inquit, *potuit latitatio poſt columnam aut ſtatuam, niſi perdicum ſimilis, quae, ſi quo in angulo caput occultare poſſunt, bene ſe occultari putant?* Hinc nos cauere iubet, ne hic intelligamus columnas, quibus porticus ambitu fori, teſte VITRVVIO (*f*), ſuſtinebantur, ſed columnas circa baſilicas, in quibus tribunalia fuerint, centumuiralia, decemuiralia, ſeptemuiralia. At ego, quid commoditatis illa HOTOMANI interpretatio prae CVIACIANA habeat, vix me intelligere fateor. An enim poſt has vnius baſilicae columnas facilior fuerit latitatio, quam poſt columnas totius fori Romani? An qui fugiunt, loca frequentiora petere, ac non potius illa diligenter fugere ſolent? At porro HOTOMANO non placet CVIACII emendatio, quumque ipſe retinendum eſſe cenſeat vocabulum *ſtatio*, ea occaſione multa accumulat de ſtationibus militum, mercatorum, municipum, colonorum, ſtudioſorum iuris, quorum pleraque nihil ad rem faciunt, ac denique per ſtationes, circa quas latitare conſueuerint obaerati, ipſe intelligit hominum concurſum, qui iuris iudiciiue audiendi circumſiſtendique cauſſa, maxime ad columnam Maeniam fieri conſue-

(*a*) SIDON. APOLLIN. *Lib.* I. *epiſt.* 11.
(*b*) CVIAC. *Obſ. Lib.* XI. *cap.* 8.
(*c*) BASIL. *homil. ad Pſalm.* XIIII.
(*d*) LVCIAN. *in Lapith. ſeu Sympoſ. Tom.* II. *p.* 635.
(*e*) HOTOM. *Amicab. reſp. Lib.* II. *cap.* 13.
(*f*) VITRVV. *Architect. Lib.* III. *cap.* 1.

conſueuerit. Sed hae ſtationes non magis quidquam ad rem faciunt, quam columna Moenia, et iudicia ſeptemuiralia, quae dum in chartam coniecit, ne ipſe ſe quidem fortaſſis intellexit HOTOMANVS. Quis vero tam ſtolidus eſt, vt latitaturus ſe immiſceat hominum congreſſibus, et ad baſilicas et tribunalia confugiat, a quibus locis, tamquam a ſcopulis, abhorret? Hinc quamuis non admodum neceſſaria ſit illa CVIACII emendatio, et obaerati aeque facile pone tabernas, quarum plurimae circa forum Romanum erant poſitae, quaeque et ipſae ſtationes dicebantur (a) ac poſt ſtatuas, latitare, occurſumque creditorum effugere potuerint: multo elegantior tamen et probabilior eſt CVIACII correctio, quam interpretatio HOTOMANI. Et talia ſane ſunt pleraque, quae CVIACIO obuertit. Saepe enim illi ſine iuſta cauſſa dicam ſcribit; ſaepe iuſtam cauſſam tam frigide defendit, vt in lapſibus ipſis CVIACII plus eruditionis reperias, quam in CVIACII ſtricturis: ſaepe denique coniecturam opponit coniecturae, et minus quidem probabilem probabiliori. Denique numquam nequior eſt, quam vbi prae ſe fert modeſtiam, et tamen vbique miſcet iocos mordaciſſimos, quaſi cum eo ſibi res eſſet aduerſario, quem tanquam nullius pretii hominem admordere poſſet. Ita enim ſolet illud hominum genus, qui eſſe primos ſe rerum omnium volunt, nec tamen ſunt. Sic quum CVIACIVS (b) nomina quaedam orphanotrophorum Conſtantinopolitanorum indicaſſet, et ad Niconem pertinere oſtenderet legem 34. C. de epiſc. et cler. quin id nomen excidiſſe exiſtimaret ex textu: HOTOMANVS (c) contrariae obſeruationi ſuae hoc praemittit exordium; *Indicis pollicitatio de Niconis nomine in hac lege reſtituendo ſummam mihi primo adſpectu magnae alicuius rei exſpectationem commouit. Nomen enim vnius alicuius eſſe credidi ex priſcis heroibus, delectis viris, qui in Argo naui petierunt pellem inauratam arietis. Vbi presbyteruli, boni cuiuſdam homunculi, et pauperum puerorum curatoris, nomen eſſe audiui, fluctus in ſimpulo excitatos perſpexi.* Quid vero dici potuiſſet mordacius? Quis haec legens non crederet, HOTOMANO rem eſſe cum homine abſurdiſſimo, qui laureolam quaerat in muſtaceo, et reſtituto orphanotrophi alicuius nomine, ſibi vnius ex argonautis nomen poſteris prodidiſſe videatur? Ego equidem neſcire me fateor, quas cauſſas SCALIGER (d) habuerit ſui de HOTOMANO iudicii, *qu'il n'y avoit en luy*

(a) CVIAC. *Obſ. Lib.* II, *cap.* 40. MERILL. *Obſ. Lib.* V. *cap.* 5.

(b) CVIAC. *Obſ. Lib.* I. *cap.* 12.

(c) HOTOMAN. *Amicab. reſponſ. Lib.* II. *cap.* 12.

(d) *Scaligeriana prima p.* 91.

luy rien de recommandable, que ſon beau Latin, et ſon eloquence, et que du reſte c'etoit un pauvre homme : at id tamen, perlectis vtriusque libris, videor mihi obſeruaſſe, par male compoſitum fuiſſe CVIACIVM et HOTOMANNVM, illumque cum hoc comparatum, tantum efferre caput,

Quantum lenta ſolet inter viburna cupreſſus.

Quos hactenus recenſuimus CVIACII aduerſarios, ii, tamquam robur exercitus hoſtilis, digni nobis viſi ſunt, de quibus paullo accuratius ageremus. Ne itaque in libri molem excreſcat praefatio : de reliquis tanto erimus breuiores, quanto minoris eos fecit CVIACIVS, quippe qui, quum nullo loco inter viros doctos fuiſſent futuri, eam ſolum gloriam adfectabant, vt cum PVLFEO et ABOTO, (at quantis viris) inter CVIACII aduerſarios numerarentur. Vnum excipio GVIL. FORNERIVM, virum certe eleganter doctum, dignumque ex mea ſententia, qui mitius tractatus fuiſſet a CVIACIO. Sed hic iam tot expertus erat aduerſarios nequiſſimos, vt non poſſet non omnes habere ſuſpectos, qui aduerſus ſe ſcribendi conſilium caperent. De eo quum plura iam dixerit V. C. EV. OTTO (*a*), ſimulque controuerſiarum, quae ipſi cum CVIACIO interceſſerunt, plura ſpecimina dederit : non eſt, quod illi immoremur. Inde enim diſcimus, Aureliae eum iura docuiſſe cum IO. ROBERTO : id quod ſatis ei cauſſae fuiſſe exiſtimamus, cur CVIACIVM adgrederetur, cui minime omnium bene cupiebant anteceſſores Aurelianenſes, quippe aegre ferentes incredibilem ſcholae Bituricenſis celebritatem, cui tunc, ipſo CVIACIO (*b*) teſte, nihil par in orbe erudito, nihilque ſecundum eſſe videbatur, ex quo ibi purioris atque emaculatae iuris prudentiae ſedem conſtituerat ANDR. ALCIATVS. Acceſſerunt procul dubio collegae, IO. ROBERTI, inſtigationes, qui quum ſemel odium pluſquam Vatinianum aduerſus CVIACIVM concepiſſet, non temere quidquam, quod illi moleſtum eſſe poſſet, praetermiſiſſe, nec quemquam virorum doctorum quantum in illo eſſet, amicum CVIACIO paſſum eſſe, credibile eſt. Ceterum et erudita ſunt, quae in *Selectionum ſuarum libris III.* CVIACIO oppoſuit, et ea vſus eſt modeſtia, vt ſuperſedere hic potuiſſet acumine *de ſeruo fornacario; obdormiſcente ad furnum,* de quo ſupra diximus. Quum enim aduerſarios

Ff 3 ſuos

(*a*) *Praefat. Tomo II. Theſauri iur. praemiſſa, p. 1. ſequ.*

(*b*) CVIAC. *Epiſt. ad Margaretham Sabaudam Tom. II. Opp. p. 639.*

ſuos rarius reſponſione dignaretur CVIACIVS, huic tamen fuſius, ſed non ſine conuicio, reſpondit (*a*). Ceterum quum ſelectiores illae anno MDLXV. lucem viderint: inter primos fuit FORNERIVS, qui adſurgenti ad ſereniorem famam CVIACIO negotium faceſſere conati ſunt, idque fortaſſis eum impulerit, vt hominem non malum acciperet paulo inclementius.

Iam vero collegae iungimus collegam, nec doctrina, nec modeſtia, nec meritis illi vlla ex parte comparandum, ſolaque audacia ſuperiorem, puta IO. ROBERTVM, anteceſſorem Aurelianenſem. Neſcio an hic ſit idem IO. ROBERTVS, quem THVANVS (*b*) anno MDLXII. Franciſci Bellemontii, Adretii Ducis, edicto cum Guil. Porta, Petro Bucero, Ioanne Buffenetitio, Io. Pauioto ciuitate Gratianopolitana eiectos eſſe refert, quod de proteſtantibus delendis coniuraſſe cum Gondrinio diceretur. Eſt enim et alius eiusdem nominis IO. ROBERTVS Arduennas, cuius *quatuor euangelia, hiſtoriam ſerie vinculantia*, Graece et Latine prodiiſſe *Moguntiae MDCLV. fol.* ex BIBLIOTHECA THVANEA (*c*) didicimus, nec non tertius IO. ROBERTVS, Medicus, cuius Anatome tractatus Rod. Goclenii de magnetica vulnerum curatione, Louanii MDCXVI. 12. edita, in eodem catalogo laudatur (*d*). Quod ſi idem eſt, nemini obſcurum eſſe poteſt turbulentiſſimum et factioſum ROBERTI ingenium. Id certius eſt, eum paullo poſt iura docuiſſe Aureliis, ibique mature ſatis CVIACII famam adrodere coepiſſe. Primum enim anno MDLXVII. edidit *receptarum lectionum libros II.* quibus non modo generatim inualeſcentem illam corrigendi iuris auctores licentiam reprehendit, ſed et CVIACIVM non obſcure notauit, nec paucas eius emendationes ac coniecturas audacius, quam doctius, vellicauit. Earum vero non paucas paullo poſt hic repetiit et a ROBERTI obiectiunculis erudite vindicauit *Libro obſeruationum XV.* (*e*) quem cum quibuſdam aliis anno MDLXXIII. in lucem prodiiſſe, iam ſupra monuimus. Nec tamen ſine bile id exſequi potuit CVIACIVS, non ignarus, nec veritatis ſtudio, nec vlla ſua culpa, ſibi hunc obtrectatorem inſultare, ſed ſolam inuidiam, viliſſimarum animarum vitium, vrere cupidiſſimum pugnandi hominem, ac paene in furorem agere. Hinc eum vocat *refractarium*, et grauiter accuſat plagii: *Dicerem*

(*a*) CVIAC. *Obſ. Lib. VIIII. cap.* 38.

(*b*) IAC. AVG. THVAN. *Hiſtor. Lib. XXXI. ad ann.* 1562.

(*c*) *Biblioth. Aug.* THVANI *Part. I. p.* 20.

(*d*) *Ibid. Part. II. p.* 178.

(*e*) CVIAC. *Lib. XV. Obſeru. cap.* 18. *et ſequentibus.*

cerem non immerito, quod PLAVTVS*: me mea ludo lamberant; quodue Aquila*, ἐκ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεθα, *nec obloquerer, niſi id fieret inſcite et calumnioſe* (*a*). Denique, quod vel maxime momordit ferreae alioquin frontis hominem, eum ἀναγραμματικῶς SERO IN VRBE NATVM adpellitat. (*b*) Nondum ſibi quieſcendum ratus ROBERTVS anno MDLXXVIIII. denuo in lucem protruſit *Animaduerſionum libros III.* vel hoc nomine ridiculos, quod ſe in iis CVIACIO manifeſto anteponit, ſeque ſolum ſapere, hunc volitare velut vmbram, contendit. Quum vero eum inprimis male haberet anagrammaticum iſtud elogium: fecit indignatio verſus (*c*), quos ſibi ab amico ſubmiſſos mentitur, in quibus ex nomine ſuo aliud anagramma: ABSENS VRIT HONORE, ex IACOBI vero CVIACII, vel, vti ipſe illud torquet, CVIATII illud: SVAVI CIBO VISCAT, elicit. Quibus quidem nihil excogitari potuiſſet abſurdius. Quo enim *honore abſens* Cuiacium *vrere* poterat ROBERTVS, Anteceſſorem Bituricenſem Aurelianenſis, celeberrimum vix domi ſuae notus, eruditiſſimum indoctiſſimus? Et quid magis honorificum dicere poterat, de CVIACIO, quam quod *ſuaui cibo auditoria viſcet*? Adeone vaecordem atque inficetum aliquem eſſe, vt, quid inter laudem et vituperium interſit, neſciat? Id enim a PAPIRIO MASSONO (*d*) in ſummis CVIACII laudibus ponitur, *quod, vt apes regem ſuum, quocumque ierit, ſic adoleſcentes, iuris ſtudioſi CVIACIVM ſequuti ſint, venerintque e Germania aliisque longinquis prouinciis in Galliam complures, omnibus virtutibus politi, tantum vt* CVIACIVM, *velut alterum Liuium, viderent, vtque cum eo colloquerentur.* Iam indignus viſus eſt ROBERTVS, qui ſe collatis ſignis cum CVIACIO conflixiſſe gloriaretur. Hinc vir doctiſſimus *Notata ad illas animaduerſiones* non ſub ſuo, ſed ANT. MERCATORIS, nomine publicauit, *Biturigibus MDLXXXI.* Erat enim hic MERCATOR *Antoine Marchand*, CVIACII ſeruulus (*e*), cuius perſonae πρέπον vbique ſeruat cum in ipſo libro, tum maxime in praefatione, lectu ſane digniſſima, in qua et anagramma illud, quod tam aegre tulerat ROBERTVS, ita interpretatur ſeruulus naſutulus (*f*): *Legi libros tres animaduerſionum, quos triennio parturiſti, et edidiſti nuper:*

(*a*) CVIAC. *ibid. cap.* 19.
(*b*) CVIAC. *Obſ. Lib. XV. cap.* 23.
(*c*) ROBERT. *Animadu. Lib. I. cap.* 30.
(*d*) MASSON. *Elog. Cuiac. apud* Leickher. *Vit. iureconſ. p.* 271.
(*e*) BAILLET *dans les iugemens des ſauans Tom. V. Part. II. p.* 249.
(*f*) CVIACII *Operum Tom. X. edit. Neap.*

per: de quibus quid ſentiam, ſi forte requiris, eſſent memorabiles, ſi exiſ-ſent ante annos ducentos: SERIVS EDITI *non ſunt memorabiles.* Paullo poſt veniam petit, *quod lorarios adhibuerit, qui ipſi in hoc opere ſuppetias ferrent, facerentque ſecundas; neque enim ſe potuiſſe ſolum tot ſufficere animaduerſionibus.* Denique notatu digniſſima ſunt verba poſtrema: *Alius, niſi ego occupaſſem, tecum egiſſet acerbius: ego me praebeo clementiorem. Immo alius forte transmiſiſſet ad plures: ego te incolumem ſeruo, et ita me Deus amet, mentis et animi tui ſanum eſſe percupio.* Iam nihil ſolatii ſupererat ROBERTO, cuius de corio peſſime luſerat Mercator ille cum lorariis ſuis, quam vt poſtrema antiſtropha clauderet fabulam, et clamore ſaltim incondito, ſe nondum ad plures eſſe transmiſſum, teſtaretur. Edidit enim *Aurel. MDLXXXII. Notas ad Iac. Cuiacii Mercatoris notata*, ſed miſerrimas profecto, quas quis legerit, ab hoſte iam ſeminece tremula manu ſcriptas eſſe, ſtatim intelliget.

Quid multa? Quam male compoſitum par fuerint CVIACIVS et ROBERTVS, vel inde patet, quod reliquos CVIACII aduerſarios ſocii tam indocti atque imbellis puduerit. Multo poſt enim in ſcenam prodiit eiuſdem factionis homo, FRANCISCVS MARSIVS GORDONIVS, Doctor Cadurcenſis, ediditque aduerſus CVIACIVM et ANT. FABRVM *libellum praetermiſſorum* (*a*), cuius octodecim capitibus loca quaedam ab eorum correctionibus vindicare ſtudet. Iam incredibilis huius hominis faſtus eſt, quippe qui textus, quos ipſe vel interpretatur, vel vindicat, a nemine mortalium, quam a ſe, intellectos eſſe, vbique iactat, nec minus eſt odium, quo omnes CVIACII aliorumque emendationes proſequitur: adeoque tam ſimiles ſunt ille ROBERTVS et MARSIVS, vt Menaechmos Plautinos facilius, quam hos fraterculos, diſcernas. Et tamen quid hic de ROBERTO iudicet, operae pretium fuerit cognoſcere (*b*): *Vnus*, inquit, ROBERTVS, *tot hoſtibus impar, veritatis quidem defenſor exſtitit, ſed non idoneus. Receptae enim lectionis et veterum opinionum vbique pertinaciter retinens, eam cauſſam non tam egit, quam prodidit. Quis enim aequo animo ferre poteſt, quod falſis antiquorum rationibus veritatem quum defendat, ſuſpecta magis habeatur? nec immerito: nam licet huius ſcripta ſubſtantiam veritatis contineant, non ea tamen, quibus veritas demonſtratur: vera ſunt, quae ipſe ſcripſit, non vt ſcripſit: in hoc eum tantum ſuperiorem ceteris arbitror, quod non errauit, dum ignorauerit. Quae enim ſimpliciter adfirmat, vera ſunt, et eadem, vt probat, falſa.* Omitto reliqua, adhuc magis

(*a*) *Theſaur. Iur. ciuil. Tom. II. p.* 817. (*b*) *Theſaur. iur. Tom. II. p.* 821. *ſequ.*

magis abſona, ex quibus CVIACIVS, ſi ea vidiſſet, incredibilem capere potuiſſet voluptatem. Sed leoni iam mortuo inſultaſſe videtur hic Marſius. Libellus enim hic anno demum MDCXXXI. Pariſiis excuſus eſt, nec perſuadere mihi poſſum, eſſe hanc iteratam editionem, quum vix typographus aliquis oleum operamque tam male perdere voluiſſe videatur.

Sed nobis ſeſe paene ſubduxiſſet EMMANVEL ZOARES, Doctor Conimbricenſis, qui, edito obſeruationum libello, ipſe quoque in CVIACIVM impetum fecit, et quaſdam eius doctrinas, ſed parum feliciter, tentauit. Et tamen nobis haud praetermittendus videtur hic CVIACII aduerſarius, partim quod eius liber rariſſimus eſt, partim quod ipſe auctor, Iudaico cretus ſanguine, poſtea deſerta religione Chriſtiana, in Iudaeorum caſtra tranſiit. Id vero factum, vti exſecratione digniſſimum eſt, adeo abominabatur CVIACIVS (*a*), vt ſi a ROBERTO diſceſſeris, nullum aduerſariorum ſuorum immitius, quam *legiſlatorem illum Iudaicum*, ceu vocat, tractarit. *Etiam Iudaei*, inquit, *iuris ciuilis ſacra admirantur et colunt: qua re gauderem, ſi non eis ſuperſtitiones ſuas admiſcerent.* Paullo poſt, vbi quaedam de legato lecticariis et coquis relicto diſſeruerat ZOARES: acute, vt ſolet, ſubiicit CVIACIVS: *Reſipuerit, ſi his ſe imbui permiſerit.* Hinc eum vocat *κατάρατον*, *non tam, quod Iudaeus, quam quod ex Chriſtiano Iudaeus horrendum ac dictu cunctis horribile monſtrum.* Denique, vbi varias eius interpretationes profligauit, totam eamque bene longam obſeruationem hoc epiphonemate claudit: *Ruerent riſu lectores, ſi alia, quae in medium contulit Iudaica ſapientia, explicarem omnia.* De hoc viro nihil fere, quod te docere poſſim, reperiſſe me adhuc, fateor. NIC. enim ANTONIVS, (*b*) qui non temere vllum ſuae gentis ſcriptorem praetermiſit, de eo nihil prodidit memoriae, niſi huc referre velis, quae de EMANVELE SVAREZ A RIBEIRA ſcripſit, *iureconſulto docto valde ac diſerto, qui ſub Antonio Pinelo in Academia Conimbricenſi aliisque prudentiae legalis praeceptoribus, data huic ſtudio opera, eo deuenerit, vt locum docendi veſpertinis horis Pontificum canones obtineret.* Multa ſane perſuadent, vt hunc ipſum eſſe ZOAREM noſtrum, cenſeam. Parum differunt cognomina ZOARES et SVAREZ: vterque Conimbricae docuiſſe dicitur: praeterea EMMANVEL ille SVAREZ a NIC. ANTONIO laudatus edidit *Iuris Obſeruationum librum ſingularem*, *Lugd. MDLXII. in* 8. Et quamuis de eius defectione ad ſuperſtitionem Iu-

(*a*) CVIAC. *Obſ. Lib. VIIII. cap.* 16.

(*b*) NICOL. ANTON. *Biblioth. Hiſpan. Tom. I. pag.* 273.

daicam nihil compertum habuerit ANTONIVS: ipſe tamen addit: *Profectus deinde, qua cauſſa mihi ignotum, vſque ad Gallos, Lugduni aliquamdiu ſubſtitit, hinc Venetias, inde Patauium ſe contulit, paſſus neſcio in quo loco a certo quodam iurato ſibi hoſte, quem, ſuum Ibim alicubi adpellat, quidquid timeri potuit ab homine, quomodo ipſe refert, omni vitiorum genere conſpurcatiſſimo, impio, exlege, A. A. nomine, quem omnes alios precatur abominari, diriſque omnibus ac furiis deuouere, exſecratione, vt aeſtimo, parum Chriſtiana.* Fortaſſis haec ipſa profectio ex Hiſpania, cuius ſe cauſſam ignorare fatetur NIC. ANTONIVS, Iudaiſmi amplectendi cauſſa ſuſcepta eſt ab illo EMMANVELE, eiuſque rei fama ad CVIACIVM facilius, quam ad ANTONIVM peruenire potuit. Attamen quum res incerta ſit: eam cuiuſuis iudicio permittere, quam coniecturis indulgere, malumus.

Fuerunt iisdem temporibus aliqui ex CVIACII diſcipulis, quia DVARENO et DONELLO in tranſuerſum acti, non modo eius deſeruerunt ſcholam, verum etiam famam atque exiſtimationem eiusdem adrodere non dubitarunt. De his ipſe ita conqueritur CVIACIVS (*a*): *Sunt huic* (IO. ROBERTO) *hodie ſimiles multi altelli mei, quibus ſingulis in tempore reponam, quae debeo: toti ii ſunt dies totos in legendis noſtris, nec ex alio iecore ſapiunt, et, quod mordeant, inueſtigant vbique tranſuerſa mente, nihil tamen, quod imitentur bene. Ac ſane ea* μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται. Quod aenigma interpretaturus EM. MERILLIVS (*b*) *viuo adhuc* CVIACIO, *ſtudioſos quoſdam, qui ſub eo profecerint, ſcriptis praeceptoris ſui aduerſatos eſſe*, ait, *vt* HENR. A SVERIN, ANTONIVM FABRVM *et* MARCARDVM FREKERVM (vel MARQV. FREHERVM potius,) *et alios.* Sed neuter, id iuſtis ſcriptis factum eſſe, adfirmat. Eſt ea ſtudioſorum in academiis indoles, vt facile diſcedant in partes, et alii hunc, alii illum, factionis ſuae ducem, laudibus in coelum ferant, de aliorum laudibus quauis occaſione detrahant, eorumque ſtudioſos ad deſerendas praeceptorum ſcholas ſollicitent: nec vllam temere academiam reperias, in qua non idem contingat, quod olim Romae eueniſſe nouimus, vt mira ſint Proculianorum et Sabinianorum, Pegaſianorum et Caſſianorum, Cuiacianorum et Duarenianorum et neſcio quorum et quorum diuortia. Vt quiſque enim eſt indoctior, ita ſe ſolum de docentium doctrina, fide et diligentia optime iudicare poſſe, exiſtimat, ſibique laudi ducit, ſi plures eo eant, quo ire ſolet

dux

(*a*) CVIAC. *Obſ. Lib. XVI. cap. 29.*
(*b*) MERILL. *Diſſert. de variant. Cuiacii interpr. cap. III. p. 8.*

dux gregis ipſe, caper. Tales tum fuiſſe exiſtimamus illos Cviacii altellos, qui adeo quotidianis magis ſermonibus praeceptoris famam laceraſſe, quam ſcriptis libris eum viuum adgreſſi eſſe videntur. Henrici ſane de Sverin iuuenis eruditiſſimi, et illuſtris gentis, quae in Marchia et Pomerania viros toga belloque eximios quam plurimos ſemper protulit, inſignis ornamenti, libelli quidem aliqui exſtant, quibus et quaſdam Cviacii interpretationes oppugnat, veluti eius *Repetitae lectiones iuris ciuilis*, (*a*) et *de vſufructu accreſcendo liber* ſingularis (*b*): ſed prior *Baſileae MDLXXXVI.* poſterior *ibidem MDLXXXV.* ac adeo vterque quidem, viuo adhuc Cviacio, ſed multo tamen poſt, quam de altellis ſuis conqueſtus fuerat, in lucem prodiit. Specimina aliquot controuerſiarum, quae viro doctiſſimo cum Cviacio, interceſſerunt, iam v. c. Ev. Otto (*c*) dedit. Nos iam id addimus, quantacumque modeſtia vteretur Sverinivs in impugnando Cviacio, illud tamen partium ſtudium magnopere diſplicuiſſe illuſtri eius patri, Ioachimo a Sverin, domino feudatorio in Hagen, qui quum filium in maſcula illa atque elegantiore iurisprudentia proficere vellet, non ſine indignatione quadam, eum a recentioribus iureconſultis alieniorem factum, gloſſatorum operibus impalleſcere, et fruge reperta glandibus veſci malle intellexit. Id enim nec ipſe filius diſſimulare potuit, dum in epiſtola, praemiſſa libello de vſufructu accreſcendo (*d*): *Intelligo*, inquit, *me iam a quibusdam noſtris hominibus apud te delatum eſſe, quaſi iuris fundamentis, et vt loquuntur, textu ipſo poſthabito, (quia ſcilicet in veterum lectione aliquando occupatus ſum, et de quorumdam recentiorum ſcriptis, aliter, atque ipſi, ſentio,) in veterum gloſſariorum commentaria legenda nimium ſtudii impendam.* Ex quibus verbis non obſcurum eſt, quanto odio aduerſus Cviacivm alioſque elegantioris ingenii iureconſultos eum imbuerint acriores, in quos optimus adoleſcens inciderat, veteris barbariei vindices. Quod ſane obtinuerunt facile, quando iuueni equeſtris nobilitatis, illum non ſcholae, ſed vitae diſcere, illasque barbaromaſtigum nugas nihil πρὸς τὰ ἄλφιτα facere, ſuo more perſuaſerunt. Eo enim argumento tanto vtuntur lubentius, quanto altiores radices in hominum animis egit ſtolidiſſima opinio, vt quisque minus imbutus ſit elegantioribus litteris, ita eum ad vitam ciuilem, ad trituram forenſem, denique ad aurum argentumque non modiis, ſed trimodiis colligendum, aptiſſimum eſſe ſolere.

(*a*) *Theſaur. iur. ciu. Tom. IIII. p.* 1. *ſequ.*
(*b*) *Ibid. p.* 97. *ſequ.*
(*c*) Ev. Otto *praef. Tom. IIII. Theſaur. iur. ciu. p.* 1.
(*d*) *Theſaur. iur. p.* 99. *Tom. IIII.*

Neſcio an idem tam facile perſuaderi potuerit MARQVARDO FREHERO, viro ſane recti ac probi ingenii: quem tamen ipſum etiam CVIACII aduerſariis adnumerat MERILLIVS. Neque enim quidquam video, quod eum a CVIACIO auertere potuerit. Non ſane litterarum elegantiorum odium, quippe quas ipſe CVIACII exemplo cum ſeueriore iuriſprudentia tam feliciter coniunxit, vt ei nemo aequalium hac quidem in re ſit comparandus. Non emendandi ſtudium, quod tam multis in CVIACIO diſplicuit, quum ipſe illud magni fecerit, eiuſque εὐστοχίας criticae ſpecimina complura, cum in aliis operibus ſuis, tum *in Parergis vel veroſimilibus*, in Theſauro iuris ciuilis recuſis (*a*), dederit. Non denique priuata aliqua ſimultas, quum potius conſtet, eum apud Biturigas et CVIACIO formandum ſe permiſiſſe totum, et anno Chriſtiano MDLXXXV. aetatis ſuae duodeuiceſimo, rariſſimo iis temporibus exemplo, laurea doctorali ab eodem cinctum fuiſſe (*b*). Praeterea nec libellum vllum ſcio, quem CVIACIO oppoſuerit, nec mihi in eius operibus, quorum plura euolui, quidquam occurrere memini, quod animum, CVIACII laudibus obtrectantem, prodat. Immo ſaepe illius cum laude meminit, aliquando et *virum magnum* vocat (*c*), et numquam ſimilem ſe praeſtat SVERINIO et ANT. FABRO, qui nullam CVIACIVM ſaltim clam reprehendendi occaſionem ſibi praetermittendam exiſtimant. Quare nihil videtur certius, quam vel deceptum ab aliis MERILLIVM haec ſcripſiſſe, vel eum in perſona et nomine erraſſe, adeoque perperam FREHERVM noſtrum referre inter CVIACII, quem maximi ſemper fecit totaque vita imitatus eſt, aduerſarios, niſi forte eo nomine illico notandum exiſtimes diſcipulum, qui a ſententiis quibuſdam praeceptoris modeſte et non ſine ratione diſſentit.

Certius eſt, ANT. FABRVM in illorum diſcipulorum numero fuiſſe, qui malam optimo CVIACIO gratiam retulerunt. Singulare plane erat huius viri ingenium, et ita comparatum, vt paene nihil, niſi quod nemini probaretur, probaret. Tametſi vero non temere quiſquam eo plus ſibi indulſerit in veterem iuriſprudentiam, quam ſuo arbitratu fingebat refingebatque: ferre tamen non potuit praeceptorem, qui modeſtius, et maiore adhibita iudicii lima, id fecerat, IAC. CVIACIVM, in quem quauis occaſione ſtringebat calamum, perinde ac ſi mi-

(*a*) *Theſ. Iur. Tomo I. p.* 853.

(*b*) PAVLL. FREHER. *Theatr. vir. erud.* p. 1002.

(*c*) MARQV. FREHER. *Veroſim. Lib. II cap.* 29.

minus idoneus illi videretur repurgandae iurisprudentiae, eamque gloriam ſibi ſoli fata deſtinaſſent. Vere non admodum magnifice ſentiendum eſſe de CVIACII ingenio, quod ipſi eius obtrectatores paullo modeſtiores admirabantur, ipſius CVIACII, quod mireris, teſtimonio probare non dubitat. Maximi vir hic doctiſſimus faciebat ANT. GOVEANVM, iuuenem Luſitanum acerrimi ingenii, adeo, vt non modo palmam ei vni ex omnibus iuris interpretibus deferendam cenſeret (a), ſed et, PAPIRIO MASSONO (b) teſte, *deterritum ſe iri a iure tractando diceret, ſi homo Luſitanus tanto ingenio tamque ſubtili, labores ciuilium ſtudiorum ſerio ſuſcipere voluiſſet.* At ANT. FABER (c) hoc GOVEANI elogium in ipſius CVIACII ignominiam vertere, et hunc omni ingenii laude priuare non dubitat: *Tulit*, inquit, *aetas noſtra maximos in iuris prudentia viros non paucos, ſed praecipuos, ſi quid mei ingenii eſt, ceterorum pace dixerim*, ANT. GOVEANVM *et* IAC. CVIACIVM. *Illum, vt mihi quidem videtur, multo feliciore ingenio ad iuris prudentiam natum: ſed qui naturae viribus tam confideret, vt diligentiae laudem ſibi non neceſſariam, minus etiam fortaſſe honorificam putare videretur. Hunc contra*, MINVS LVCIDO PRAESTANTIQVE INGENII *acumine, ſed qui adſiduo labore ea ſe quoque adſequi poſſe crederet, quae ſolis ingenii neruis parari queunt.* Quo ſane iudicio de viro doctiſſimo nihil poſſet excogitari frigidius, nihil impudentius, maxime quum illi epiſtolae praefixerit nomen PETRI FABRI, qui nullum omnino iuris interpretem, cuius quidem ſcripta ſupereſſent, CVIACIO ſuo praeferebat. Et talia ſunt pleraque, quae Faber iſte edolauit, vt et, quum laudare cogitur CVIACIVM, eum deprimat, malignitatemque atque inuidiam ne tegere quidem vmquam poſſit.

Ita erat in fatis, vt omnis generis homines, docti indoctique, in CVIACIVM viuum ac mortuum facerent impetum: attamen aduerſarium ſtolidiorem, quam CLAVDIVM GENDRAEVM, ei obiectum eſſe arbitror neminem. Lepidi libelli, quem homo iſte a ſchola adhuc recens, *Pariſiis anno MDCXLIV.* in forma minima, quam ſedecimam vocare ſolent typographi, edidit, notitiam debemus HADR. BAILLETO (d), et quamuis nobis non licuerit eſſe tam felicibus, vt nanum iſtum inter libros iuridicos perueſtigaremus: ſpecimina tamen, quae laudatus BAIL-

(a) CVIAC. *Comm. ad Vlpiani Tit. VI.* §. 6. p. 313. *Tom. I. Op.*

(b) PAPIR. MASSON. *Elog. Cuiacii apud Leikherum p.* 199.

(c) ANT. FABER *Coniect. Lib. VII. praefat.*

(d) BAILLET *dans les Jugemens des Sçavans Tom. VI. Part. II. p.* 22.

LETVS dedit, ita ſunt comparata, vt vel ex vngue hanc felem facile aeſtimare liceat. En titulum libelli: *Ars Digeſtorum Tribonianica et anticuiaciana, ſeu, in heptateucho Iuſtinianeo germanus Triboniani genius, Cuiaciano contrarius, auctore* CLAVDIO GENDRAEO, *Ferto Frenaeo, Iurisconſulto.* Quemadmodum vero ipſa libelli inſcriptio etiam ſatis lepida eſt: ita multo magis lepidam dixeris dedicationem, more ſaeculi ſubiunctam. Primum enim hunc ingenii abortum conſecrauit IESV CHRISTO, *aeterno ſapientiae ſubſtantialis legiſlatori, et Veritati originali, quae incarnata ſeſe in templo reuelauit Doctoribus iuris, ſub forma pueri duodecim annorum.* In ipſa epiſtola dedicatoria Digeſta comparare non dubitat veritati aeternae, conſiliumque Triboniani iurisprudentiam in artis formam redigendi non diſcrepare profitetur a ſapientia illa, quae huc vſque occulta fuerit poſtea primum reuelata infantibus per hunc libellum, quem ſtudiorum ſuorum primitias adpellitat. Ex hoc vnico ſpecimine ſatis intelligas vix centum hellebori iugera ſuffeciſſe ſanando huic cerebro. Ne tamen, quis qualisue fuerit ille Pigmaeorum Hercules, plane ignores, ſubiicere iuuabit ipſum BAILLETI (*a*) elogium: *C'étoit un jeune Juriſte, qui étoit ſorti des écoles avec les préjugés de ſes maîtres, et cet air de préſomtion, que forme l'ignorance de tout ce qui n'eſt point dans les cahiers d'un Profeſſeur, dont on a pris les leçons. Il ſe croyoit incomparablement plus habile que Cujas, et tous les autres modernes, et il prétendoit auſſi tomber ſur tous ceux qui s'étoient écartés de la méthode de Tribonien. Je ne puis vous apprendre autre choſe de ce Claude le Gendre, ſinon, que c'étoit un Normand, qui s'étoit venu établir à Paris, et qui s'étoit fait paſſer Avocat au grand Conſeil. J'ai ouï dire à des perſonnes de ſa connoiſſance, qu'il ſe rendit Huguenot quelque tems après la publication de ſon livre. Mais je ne ſai ce qu'il eſt devenu depuis ce tems-là.* Plura nec me ſcire, nec ſcire velle, fateor; ne te, LECTOR, ſcire cupere, credo. Deleuit hoc illuſtre nomen obliuio: nec mirum, quia latere ſolent magna ingenia.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrumabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro (*b*).

Clauderet hic morio fabulam, niſi duo ſupereſſent Cuiacii aduerſarii

(*a*) BAILLET. *ibid. p.* 24.
(*b*) HORAT. *Lib. IV. Carm. Od. IX. v.* 25.

ſarii, quorum alter ipſe fortaſſis neſciuit, cur CVIACII iam pridem mortui Manes quieſcere non pateretur, alter, quum iis inſtructus eſſet praeſidiis, vt ſua doctrina, ſuisque meritis ad ſummam ingenii laudem peruenire potuiſſet, tantum ſibi famae atque exiſtimationis quantum CVIACIO detraxiſſet, acceſſurum eſſe exiſtimauit. Prior eſt IO. STECKIVS, generalis illuſtris reip. Bernenſis commiſſarius, qui editis anno MDCXXVII. *obſeruationibus antecriticis* (*a*), omni omnino criticae indixit bellum, vel, vt v. c. EV. OTTONIS (*b*) verbis vtar, *quidquid medicae manus et opis per emendationes ab Alciato, Cuiacio, Hotomano, Donello et Fabro legibus noſtris admotum eſt, vno elogio, et horrendo prope carmine proſcripſit.* Poſterior EM. MERILLIVS, Anteceſſor Bituricenſium eruditiſſimus, alia progreſſus via, *variantes* CVIACII *interpretationes* magna induſtria collegit, et quae illarum veroſimillimae videantur, ſubiuncta vbique ἐπικρίσει oſtendere conatus eſt. (*c*) Prior, nec aduerſariorum, quos adgreſſus eſt, nec ſuarum virium vllam habuit rationem, nec vmquam fere, obſeruante IAC. GOTHOFREDO (*d*), rem acu tetigit. Poſterior, multo modeſtior, in CVIACII laudes excurrit latius (*e*), eumque *non modo ceteros iuris interpretes ſuperaſſe, ſed etiam ipſos primos auctores ſi non ſuperaſſe, at aequaſſe tamen*, ait, quin ſe de CVIACIO dicere ſolere adfirmat, quod PLAVTINVS Periphanes (*f*):

Me minoris facio prae illo, qui omnium
Legum atque iurium fictor, conditor cluet.

nec non quod de Ser. Sulpicio MANILIVS (*g*):

Qui leges potius poſuit, quam iura retexit.

at varias tamen comminiſcitur cauſſas, cur ſibi has variantes illius interpretationes, colligendi neceſſitatem quamdam impoſitam eſſe exiſtimarit, primum, quod homo fuerit CVIACIVS, et nihil ille humani a ſe alienum ducere potuerit (*h*): deinde ne ſtudioſi tanti viri ſententias pro-

(*a*) *Theſaur. Iur. Tom. I. p.* 501.

(*b*) EV. OTTO *praef. Tom.* III. *Theſaur. Iur. p.* 33.

(*c*) MERILLII *ex Cuiacio libri tres Pariſ.* 1638. 4.

(*d*) IAC. GOTHOFRED. *praefat. animadu. iur. ciuil.*

(*e*) MERILL. *Diſſert. de variant. Cuiacii interpr. cap.* IIII. *p.* 9. *ſeq.*

(*f*) PLAVT. *Epidic. Act.* III. *ſcen.* IIII. *v.* 84.

(*g*) MANIL. *Lib.* IIII. *Aſtronom.* 214.

(*h*) MERILL. *Diſſert. de variant. Cuiacii interpret. cap.* 4. *pag.* 10.

promiſcue et ſine delectu arriperent: tum porro vt occurreret Cviacii aduerſariis, qui quando eius ſententiam minus fortaſſis probabilem repererint, eam dicendo ſcribendoque inſectati ſint, diſſimulantes, quod alibi meliorem protuliſſet (*a*), et quae ſunt huius generis alia. Steckivm igitur apertum dixeris Cviacii omnisque elegantioris iurisprudentiae hoſtem, hunc male amicum Cviacio, cui in cathedra ſucceſſerat. Vti Themiſtoclem Miltiadis trophaea, ita Merillivm Cviacii monimenta ſomnum capere non patiebantur, eo tamen diſcrimine, quo ille Miltiadis trophaeis ad eamdem laudem conſequendam excitaretur, hic de Cviacianae gloriae monimentis euertendis conſilium non adeo laudabile caperet. Sed non defuere, qui Cviacivm ab vtriusque impetu, quamuis non iisdem viribus, defenderent. Steckivm enim Iac. Gothofredvs (*b*) ita repreſſit, vt ne hiſcere quidem auſus ſit, Merillio *Diſpunctorem* ſuum oppoſuit Avrel. Osivs (*c*), vel vero nomine Franciscvs Ory, Doctor regens Aurelianenſis, quem Hadr. Valesivs (*d*) *doctum, ſed minimi moduli, fuiſſe*, refert, ceu haec aliaque, ad libellum hunc, olim paullo rariorem, pertinentia, collegit v. c. et numquam nobis ſine honoris praefatione nominandus, Ev. Otto (*e*).

Exſtat inter Cviacii opera (*f*) eiuſdem *pro Ioanne Monlucio, Epiſcopo, et Comite Valentino Dienſi praeſcriptio, aduerſus libellum quemdam, nuper editum*, Zachariae Fvrnesteri *ſubdititio nomine.* Sed Zacharias ille Fvrnestervs nullo ſuo merito inter Cviacii aduerſarios refertur. Non enim ille aduerſus Cviacivm ſtrinxerat calamum, ſed aduerſus Io. Monlucium, Epiſcopum, cuius *defenſioni lanienae Pariſienſis*, editae anno mdlxxii. et Polonis diſtributae, inſequente anno aliam defenſionem ſatis virulentam oppoſuerat, anno mdlxxviii. recuſam. Ea quum Monlucii nomen et pudorem admodum ſugillaret: Iac. Cviacivs anno poſt Lugduni publicauit praeſcriptionem illam pro Monlucio, ſuppreſſo tamen nomine (*g*), vtpote quem Monlucio magis, quam cauſſae ab eo defenſae, fauiſſe nouimus. Auctorem libri iſtius aduerſus Monlucium editi, eſſe Gallum quemdam, religionis cauſſa profugum, recte ſcripſit Thvanvs: at verus auctor illi non magis compertus fuiſſe videtur, quam ipſi Cviacio, quem tamen

(*a*) Idem *ibid. cap.* 15. *p.* 35.

(*b*) Iac. Gothofr. *in Animadu. iur. ciuilis Geneu.* 1623, 4. *recuſis in Theſauro iur. Tom.* III. *p.* 264.

(*c*) *Editum anno* 1642. *recuſum in Theſauro iur. Tom.* III. *p.* 685.

(*d*) *Valeſiana p.* 122.

(*e*) *Praefat. Tom.* III. *Theſ. iur. p.* 33. 34.

(*f*) Cviac. *Operum Tom.* VIII. *p.* 1143.

(*g*) Thvan. *Hiſt. Lib.* LIII. *ad anno* MDCLXXII.

tamen poſtea detexerunt alii, et Hvg. Donellvm ſub iſto Zach. Fvrnesterii ſubditítio nomine latitare, perſpicue oſtenderunt (*a*). Sed quum haec controuerſia, vti iam diximus, ad Cviacivm, eiusque doctrinas non pertineat: non ſane eſt, quod illi iam diutius immoremur.

Sed defeſſus iam calamus ad id properat, cuius cauſſa hanc ſcriptionem ſuſcepi. Nouo ac multo elegantiore, quam vmquam, habitu denuo in lucem prodeunt incomparabiles illae Iac. Cviacii *obſeruationes et emendationes*, quae, a tot aduerſariis variis libellis impugnatae, eruditis tamen numquam in deliciis eſſe deſierunt, et toties licet typis exſcriptae, rarius tamen in tabernis librariis reperiuntur. Et ſane nullum eſt huius operis caput, quod non aliquid praeclarum et minus vulgare nos doceat: nullum, quod non igniculos quoſdam ſubiiciat erudito lectori, vt tanti viri diligentiam imitari velit: nullum denique, in quo non ſtatim agnoſcas auctorem Cviacivm, id eſt, virum, cui nec ingenii acumine, nec incredibili doctrinae copia, vllus noſtri ordinis hominum vlla ex parte eſt aequiparandus. De Basilio olim dixit Gregorivs Nazianzenvs (*b*): ἤρκεσε εἷς ἀντὶ πάντων τοῖς σπουδαιοτέροις εἰς παίδευσιν. *Sufficit vnus loco omnium ad eruditionem.* Idem de Cviacio, et maxime de hoc eximio opere dici poſſe, ne Merillivs (*c*) quidem, Cviacio alioquin parum aequus, negat. Quin nos adfirmare non dubitamus, eum eruditiſſimum merito haberi, qui Cviacivm intelligat, non minimam vero eruditionis viam confeciſſe, cui placeat Cviacivs. Itaque quum ſemper optauerim, vt liber tam praeclarus diurna nocturnaque ſtudioſorum manu teratur: non potui non magnam inde capere voluptatem, quod doctiſſimus iuuenis, Io. Lvdov. Vhlivs nouam hanc editionem curare conſtituit. In ea quidem nullae meae partes fuerunt, nec mihi tantum fuit ocii vt ipſe, quid fieri oporteret, curare poſſem. Attamen hanc editionem id habere prae aliis eximium animaduerti, quod pleraque auctorum veterum teſtimonia quibus Cviacivs vſus eſt, adſcriptis libris eorumque capitibus, indicantur, quod Graeca, quibus frequentiſſime vſus eſt Cviacivs, Latine ſimul legantur, quod plura ſphalmata, quae in

(*a*) Io. Deckervs *de ſcript. adeſp. p.* 263. Placc. *pſeudonym. n.* 1132. *p.* 296. et V.C. Christ. Gottl. Bvder *Vit. clariſſ. iure conſ. p.* 129. *ſeq.*

(*b*) Greg. Nazianz. *orat.* 10.

(*c*) Merill. *Diſſert. de variant. Cuiac. interpretation. cap.* 4. *p.* 10.

alias editiones irrepſerant; ſublata, denique ab alio quodam viro clariſſimo nouus rerum verborumque index adiectus ſit. Omnia haec debes curae viri mihi amiciſſimi, qui bibliopolio Orphanotrophei praeſt, HENR. ZOPFII, qui, quo flagrare ſolet quaeuis honeſta ſtudia iuuandi deſiderio, nullis pepercit ſumtibus, vt tam pulcrum tanti viri opus quam pulcherrimum praelo exiret. Tu vero, ERVDITE LECTOR, vtere fruere hiſce deliciis, et ex animi tui ſententia vale. Halae A. D. III. Kal. Mai. MDCCXXXVII.

XV.

DE CONTEMTV GRAECAE LATINAEQVE ELOQVENTIAE.

QVamuis aetas noſtra in ea inciderit tempora, quibus omnes paene artes ac ſcientias non modo diligentius excultas, ſed et ad ſummam, quae ab ingenio humano ſperari potuit, perfectionem felici induſtria prouectas, vidimus: tamen neſcio quo fato, contigit, vt Graeca illa Latinaque eloquentia, cui maiores noſtri tantum pretii ſtatuerant, paullatim obmuteſceret, et vix tralatitio ſtudio, nedum vigiliis quibuſdam digna iudicaretur. Memini ſane, hanc rerum conuerſionem grauiter tuliſſe viros doctiſſimos, eoſque male ominatos eſſe rei publicae litterariae, quae, hoc inſigni orbata ornamento, in priſtinam illam barbariem certiſſime eſſet paullatim recaſura: ſed et ſurdis narrari hanc fabulam, nec ex querelis illis iuſtiſſimis fructum vllum cultiores litteras cepiſſe, memini. Prodibant enim quotidie libri, tam inficeto atque incomto ſtilo ſcripti, vt veteris alicuius gloſſatoris aut ſcholaſtici opuſculum cum illis comparatum, terſum atque elegantiſſimum videretur: et, ſi quando Latine loquendi neceſſitatem viris doctiſſimis imponeret officii ratio, res eo redierat, vt te non viros doctrina ornatiſſimos, ſed Iros, Perlinos, Ortuinos Gratios, Eitelnarrabianos Peſſeneckios, Herbordos Miſtladerios, et ſimiles Heroas, diſferen-

ſerentes audire credidiſſes. Quid, quod ad eas ſordes iam venerat ſaeculum, vt frons periret de rebus, iique, qui tam horrido dicendi genere vtebantur, adeo non erubeſcerent, vt potius de illo vel maxime gloriarentur, miſeramque illam ac ſuperſtitioſam in loquendo ſcribendoque diligentiam paedotribis et ludimagiſtris relinquendam, non a viris doctis, quorum omne ſtudium in rebus poſitum ſit, requirendam eſſe cenſerent. Quo argumento ad perſuadendum quam maxime idoneo id efficiebant, vt non modo iuuenes iis purioris dicendi generis gratiam facile facerent, ſed et ipſi ſe ad praeceptorum ſuorum exemplum totos componerent, quin et operam darent, vt illos longo poſt ſe interuallo relinquere viderentur. Quumque ea ſit ſtudioſae iuuentutis indoles, vt apud eam plus, quam ratio, valeat praeiudicata opinio: fieri non poteſt, quin et ii, quos minus crudos atque impolitos ſchola dimiſerat, tam magnis exemplis a cultiorum litterarum ſtudio auerterentur, nec impetrare a ſe poſſent, vt ſe perpoliendos darent viris doctiſſimis, Graecas Latinaſque litteras cum laude profeſſis, veriti nimium, ne a commilitonibus tamquam pedantae, quos vocabant, traducerentur. Soli ergo in ſcholis relinquebantur eloquentiae magiſtri, et tamquam piſcatores eſcam piſciculis ingratam hamis imponentes, ſine ſpe praedae in ſcopulo morabantur.

Ego vero, quamuis eo tempore adhuc paene adoleſcens, facile animaduertebam, non modo ignominioſam ſaeculo noſtro, ſed et cum ſummo rei publicae litterariae detrimento coniunctam eſſe illam ſocordiam, maxime quum vltro ea abiici ac contemni intelligerem, quae maiores nobis non ſine innumeris vigiliis peperiſſent. Hinc non modo me ipſum, quantum per ingenii imbecillitatem poſſem ab illis ſordibus vindicare, ſed et alios ad eloquentiae ſtudia excolenda, ſi non viam oſtendere, at excitare ſaltim atque inflammare pro virili conatus ſum, quin quum prima veluti ſtipendia in illuſtri hac academia facere decreuiſſem, nulla in re me iuueniles vires honeſtius vtiliuſque periclitari poſſe exiſtimaui, quam ſi ex diuturno veluti ſopore excitarem adoleſcentes, iiſque ſtudium aliquod elegantioris litteraturae, ſi qua fieri poſſet, iniicerem. Quo conſilio non modo eloquentiae praecepta quotannis tradere ſelectioribus ingeniis, verum etiam illa *cultioris ſtili fundamenta*, quae ex eo tempore ſaepius praela exercuerunt, commoda auditoribus methodo adornare coepi, vt ea ad manum ſemper haberent auditores, tempuſque, quod deſcribendis praeceptis impendendum eſſet, ipſi exercendo ſtilo tanto vtilius inſumerent. Quo quidem conſilio atque inſtituto meo me

adhuc magnopere delectari fateor. Quamuis enim initio paucis, vt fit, perſuaderem, vt bellum hoc pulcherrimum mecum militarent, nec deeſſent, qui hoc elegantiorum litterarum ſtudium gliſcere aegre ferrent; paullo poſt tamen non ſine voluptate animaduerti, laudabilia paucorum, ſed erectiorum ingeniorum, exempla reliquis veluti igniculos quoſdam ſubiicere, vt ad eamdem laudem incredibili animi contentione conniterentur. Sunt ſane et hodie viri docti, quos ego tum honeſtiſſimi laboris, induſtriaeque meae ſocios habui, quique qualicumque inſtitutioni meae non parum ſe debere grato animo profitentur, et maius omnino hoc ſtadium non ſine quadam animi alacritate decurrentem facturum me operae pretium ſperabam, niſi me rerum omnium arbiter, Deus, ſignum receptui dare, aliique ſtudiorum generi totum me conſecrare iuſſiſſet.

Interim aliis diſtentum laboribus, et maxime iuris docendi dicundique Spartam ornare pro virili conatum duae potiſſimum res me mirifice recrearunt, puta vtilitas non mediocris, quam plures ex libello meo *de ſtili cultioris fundamentis* capere ſe poſſe profeſſi ſunt, et ſtudium incitatiſſimum quo iuuenes in academiis ad comparandam ſibi maiorem vtriuſque linguae facultatem ferri, animaduerti. Quod enim ad prius attinet, non potui non voluptatem incredibilem capere, dum libellum iſtum ſoli olim auditorio deſtinatum in pleriſque academiis non modo probari, ſed et docentibus alicui vſui eſſe intellexi: non quod eximiam aliquam huius libri praeſtantiam eſſe, exiſtimem, ſed quod me, cuius nullum eſt acumen ingenii, tamen, tamquam cotem, alios exacuiſſe gaudeam. Quod quidem ego non alii cauſſae tribuendum eſſe vmquam arbitratus ſum, quam inſigni benignitati diuinae, quae libellum hunc non infauſtis plane auſpiciis in lucem prodire voluit. At multo effuſior fuit, qua exſultaui, laetitia, dum elegantioris litteraturae ſtudia magis magiſque indies in academiis pleriſque eſſloreſcere intellexi. Qua in re, neſcio, an palmam reliquis omnibus ab aliquot annis praeripuerit Ienenſis, in qua viri docti complures, qui eo conſilio in ſocietatem coaluerunt, ſtatis diebus non modo ſua exercent ingenia, ſed et in medium conſulunt, quid ad prouehendas has litteras factu opus eſſe videatur. Et ſane quam permultas communes, tum et proprias quaſdam habere mihi videor rationes, cur hoc inſtitutum vehementer probem, illudque collegium huic illuſtri academiae ex animo gratuler: primum, quod illa patria eſt academia, in qua olim pater fraterque νῦν ἐν ἁγίοις omnis generis doctrinae cultum acceperunt: deinde quod qui id ibi agunt, vt elegantioris Lati-

tini-

tinitatis ſtudia exornent, me quoque nuper in honeſtiſſimum collegium ſuum verbis honorificentiſſimis cooptarunt: quo nomine iis hic publice gratias, quas concipere poſſum, ago maximas, ſimulque nihil me, quod ad prouehendum laudabile eorum inſtitutum pertinere videatur, praetermiſſurum polliceor: quamuis, aliis diſtrictus laboribus, vix mediocria promittere poſſim, et potius ſocietatem iſtam adloqui cogar verbis auctoris, cuius *de oratoribus dialogus* inter Cornelii Taciti opera legitur: *vos vero, diſertiſſimi, vt poteſtis, vt facitis, illuſtrate ſaeculum noſtrum pulcherrimo genere dicendi:* Me enim et decliuior aetas, et alieniora a manſuetioribus Muſis ſtudia ſpes vetant inchoare longas. Denique vel maxime animum meum percellit ſpes pulcherrima, quam ex tam praeclaro inſtituto concepi, quum praeſagiat animus, fore, vt neglecta adhuc ac paene in exſilium acta elegantiorum litterarum ſtudia priſtinum florem paullatim recipiant, ac Germaniae noſtrae veluti poſtliminio reſtituantur. Et video ſane iam alios tam illuſtri exemplo excitari ad viam eamdem ingrediendam, idque inſtitutum laudibus, quas meretur, dignum iudicarem, ſi illae rei litterariae partes ab iis, qui pares illis eſſent, vbique occuparentur. At ſaepe euenit, vt omnis litteraturae elegantioris expertes magna tamen maximo promittant hiatu, et temerario conatu non eloquentiae, ſed infantiae, ſpecimina in lucem protrudant, ludibriumque hac obſcura diligentia debeant aliis, aliis bilem moueant ac faſtidium. Quid non ſibi adrogat ingenium audax, ſuique plenum? Quid non iactat Syron Graeculus apud IVVENALEM:

Ede, quid illum
Eſſe putes? quemuis hominem ſecum attulit ad nos.
Grammaticus, rhetor, geometer, pictor, aliptes,
Augur, ſchoenobates, medicus magnus: omnia nouit.
Graeculus eſuriens in caelum, iuſſeris, ibit.

Enimuero quemadmodum qui primus ad ardua viam munit, non ideo minore laude dignus habetur, quod alii eum paſſibus non aequis ſequuti praecipites per decliuia ruunt: ita quamuis alii maiora, quam in iis eſt, de ſe ſperantes, male conſulunt litteris elegantioribus, ſemper tamen gratiam ſolidam a poſteris inibunt viri docti, qui primi Ienae haec ſacra caſtis tractare manibus, rectamque viam, qua ad eloquentiam itur, et ipſi inſiſtere, et aliis monſtrare conati ſunt.

Huius inſignis inſtituti fructus aliquos iam cum re publica litteraria communicat vir clariſſimus, Io. Christian. Fischervs, editis his *politioris humanitatis miſcellaneis*, ſeu ſtili Romani ſpeciminibus, partim a ſe conſcriptis, partim aliunde collectis et in lucem reuocatis. Nihil ergo vmquam feci lubentius, quam vt hanc illis praefatiunculam praemitterem, quum omnia, quae hic legimus, ſint terſa, elegantia, et talia, quae naturali ſua pulchritudine lectorem ſua ſponte adliciant, et voluptate incredibili perfundant. Id vnum ſubuereor, ne veluti erubeſcere cogatur hoc exordium cum opuſculis ipſis comparatum. Sed ſicuti naeuus aliquis vel macula tanto magis formoſam faciem commendat, et tanto facilius candor ex vicino atrore perſpicitur: ego ſaltim id mea praefatione lucrabor, vt lector, comparata illius ſiccitate, ipſorum opuſculorum elegantiam tanto facilius perſpiciat, mecumque, prout decet, admiretur. Praeterea ex mea quidem ſententia hedera hac non indiguiſſet vinum vendibile, quum ipſa illa ſpecimina ſine vllius commendatione lectorum non modo ſuffragia, ſed et adplauſum procul dubio ſint latura. Quandoquidem tamen placuit clariſſimo auctori, vt hac promulſide lectorem ſuum exciperet: malui rem mei periculi ſuſcipere, et in hominis ſi non infantis, ſaltim parum facundi opinionem venire, quam quidquam amico, quod in mea poteſtate eſſet, denegare. Ceterum Deum O. M. precor, vt et magis magiſque indies cum alias artes, tum et has, quibus ad humanitatem formamur, litteras effloreſcere iubeat, et clariſſimo auctori eas ſufficiat animi corporiſque vires, vt et in poſterum praeclare de his litteris, omnique re publica litteraria mereatur. Vale, lector, et his deliciis feliciter fruere. *Halae VII. id. Maii 1737.*

XVI.

XVI.

DE LEGE SALICA, EIVSQVE ORIGINE, AVCTORITATE, ET VSV.

PRoditum memoriae eſt (*a*), Romanos, vrbe ſua ex Gallicanis ruinis feliciter reſtituta, nihil prius, nihilque antiquius habuiſſe, quam vt leges et foedera, et duodecim in primis tabulae, vbicumque comparerent, diligenter conquirerentur. Neque enim ignorare poterat populus ille ſapientiſſimus, ſe tecta et vrbem e cineribus necquidquam ſuſcitaſſe, niſi ſimul reſtitutas videret patrias leges, ac praeclara iſta maiorum inſtituta, de quibus multo poſt gloriabatur ENNIVS (*b*):

Moribus antiquis ſtat res Romana, viriſque.

Vtinam vero et Germani noſtri in legibus, quas a maioribus veluti per manus traditas acceperant, non dicam inſtaurandis, ſed conſeruandis tantum, et ab interitu vindicandis, eamdem adhibuiſſent diligentiam! Vtinam maturius et maiore cum cura id egiſſent, ne tot praeſtantiſſima veterum Germanorum prudentiae monimenta interirent! Quam multa haberent hodie, quae omnium reliquarum gentium, ipſorumque Romanorum laudibus iure opponerent? Enimuero gentem noſtram, ceteroquin prudentiſſimam, aliquot abhinc ſaeculis neſcio quis morbus inuaſit, vt abiurata illa morum ſimplicitate, qua maiores noſtri incredibilem ſibi gloriam pepererunt, totam ſeſe ad exterorum exemplum componere, ſuique adeo diſſimilis eſſe coeperit, vt quidam antiqui moris priſcaeque integritatis viri iam pridem conqueſti ſint, maiores noſtros, ſi in vitam redirent, Germanos in ipſa Ger-

(*a*) LIV. *Lib. VI. cap.* 1.
(*b*) HENR. STEPHAN. *Fragm. vet. poëtar. pag.* 98.

Germania quaeſituros. Sordet enim pleriſque, quidquid eſt Germanicum. Non veſtes, non cibi, non ſuppellex placent, ſi eamdem cum ipſis patriam agnoſcant, vt mirum ſit, hos homines non et linguae ſuae, ipſiuſque Germanici nominis pudere dudum coépiſſe. Eamdem inſaniam olim in Romanis riſit IVVENALIS (*a*): ſed in feminis tantum, quibus corruptiſſimo illo ſaeculo nihil ſatis elegans ac vrbanum videbatur, niſi quod Graecum quid redoleret. In quarum κακοζηλίαν inuectus poeta:

> *Nam quid*, (inquit) *rancidius, quam quod ſe non putat vlla*
> *Formoſam, niſi quae de Tuſca Graecula facta eſt?*
> *De Sulmonenſi mera Cecropis? Omnia Graece,*
> *Quum ſit turpe magis noſtris, neſcire Latine.*
> *Hoc ſermone pauent, hoc iram, gaudia, curas,*
> *Hoc cuncta effundunt animi ſecreta. Quid vltra?*
> *Concumbunt Graece.*

Apud nos vero non ſolae mulierculae, ſed ipſi viri, ita deſipiunt: nec iſtud moris patrii faſtidium tantum ad externa inſtituta, verum etiam ad ipſas virtutes, quibus maiores noſtri excelluerunt, veluti ad frugalitatem, fidem, et candorem, pertingit, quippe quae hodie a multis ſtupiditatis atque inſipientiae nomine traducuntur, ex quo ſibi improbitas et aſtutia prudentiae laudem mira impudentia adrogare coepit. Quo minus mirandum, ipſas etiam leges Germanicas, quas olim, teſte GROTIO (*b*), vniuerſa fere Europa adoptauerat, apud poſteros, recepto ſemel iure peregrino, ita euiluiſſe, vt eas facerent nihili, et in angulos ſordidiſſimos, vbi conquiniſcerent, proiicere non dubitarent. Tantum ſane abeſt, vt ab eo tempore vmquam publicis auſpiciis, quod Romae factum eſſe diximus, conquiſitae ſint, vt ne priuati quidem illi, qui patriae amore inflammati illas in lucem protraxerunt, gratiam a ciuibus ſuis iniiſſe videantur. Immo potius AMERBACHIVS, HEROLDVS, SICHARDVS, LINDENBROGIVS, quibus Romani, ſi ſibi hanc nauaſſent operam, ſtatuas perinde ac olim Hermodoro exſuli (*c*), procul dubio decreuiſſent, Germanis magno conatu maximas nugas agere viſi ſunt, vt parum abfuerit, quin praeclara eorum

(*a*) *Satyra VI. v.* 185.

(*b*) *De iure belli et pac. Lib. II. cap.* 8. §. 1. n. 2.

(*c*) PLIN. *Hiſt. nat. Lib. XXXIIII. cap.* 5.

eorum opera ad piper et tus, et quidquid chartis amicitur ineptis, damnarentur. Quum BASILIVS IOANNES HEROLDVS anno ſaeculi decimi ſexti quinquageſimo ſeptimo leges veterum Germanorum ex codice Fuldenſi, cui parem hodie non habet Europa, edidiſſet: hunc theſaurum Germaniae mirifice gratulabatur HERM. PINCIERVS, nec dubitabat, quin ille Germanos ad iuris prudentiam patriam in poſterum diligentius excolendam ſit excitaturus. Hinc elegans eius carmen, operi pulcherrimo praefixum, et haec habet:

I nunc, et noſtrae ſpernas primordia gentis,
Quod teneat laudis non monimenta ſuae.
Roma, tuae laudes pereunt: Germania ſurgit,
Vaneſcit fucus: gloria preſſa viget.
Macte igitur virtute tua, Germanica pubes,
Eſto, nec a patribus degenerato tuis.

At et fefellit bonum virum augurium, et ipſe ſurdis, quod in prouerbio eſt, fabulam narrauit. Adeo enim nullius pretii Germanis viſus eſt hic HEROLDI liber, vt, qui tum ex inſtituto profitebantur bonorum librorum notitiam, eius ne verbo quidem meminerint. Sane annis iam ſeptemdecim in tabernis librariis venum proſtiterant HEROLDI origines, quum WOLFG. FREYMONII *Elenchus* auctorum ad ius pertinentium et IOSIAE SIMLERI *Bibliotheca vniuerſalis* vno eodemque anno in lucem prodirent: et tamen vterque id HEROLDI opus ſicco pede praeterit, quum tamen poſterior aliarum eius lucubrationum, quae cum illo nulla ex parte ſunt comparandae, longum ſatis inſtituerit recenſum (*a*). Vnde vero hoc ſilentium, niſi quod hic liber eius ſaeculi hominibus, et iureconſultis maxime, qui tum ſolis Accurſii deliciis paſcebantur, non publici ſaporis eſſe videretur? Quid? quod cenſores Romani (*b*) omnes in vniuerſum libros auctoris iſtius, quem ipſi ridiculo errore HEROLEL vocant, in prohibitorum numerum referre non dubitarint. Quam ſane notam innoxium ſaltim illud *Originum et antiquitatum Germanicarum* opus nullo alio crimine mereri potuit, quam quod Romanae iuris prudentiae luminibus officere videretur. Quum ergo HEROLDVS reſtituendo leges Germanicas tam parum gratiae a Germanis iniiſſet: non benigniora pro-

(*a*) SIMLER. *Biblioth. pag.* 382.
(*b*) *Index libr. prohib. Madrit. pag.* 12.

tecto fata ſibi polliceri poterat vir eximius, et ad ornandam rem litterariam natus, FRIDR. LINDENBROGIVS, dum nactus veterum legum Germanicarum codicem multo locupletiorem, et hodie in bibliotheca Hamburgenſium Ioannea obuium (*a*) nouam iurium veterum Germanicorum collectionem vna cum formularum veterum faſciculo, lectionibus variantibus, et eruditiſſimo gloſſario, anno ſuperioris ſaeculi decimo tertio typis ſplendidiſſimis in lucem edidit. Quamuis enim optimae mentis conſcientia ſe conſolaretur vir optimus: ipſe tamen, morum ſui ſaeculi haud ignarus, non maiorem ſibi plauſum, quam quo olim HEROLDI opus exceptum eſt, promiſit, ac proinde praefationem, auguſto illi operi praemiſſam, ita finiuit: *Quam diligentiam olim Q. Antiſtius Labeo legibus decemuiralibus, alii deinceps aliis iuris Romani et feudalis libris explicandis impenderunt, eamdem et nos hiſce legibus adhibere voluimus, non abſque vigiliis et ſudore multo:*

Qui laborem prouocando, perdomando taedium,
Forſitan nec lecta multis e latebris ſculpſimus,
Ardui laudem expetentes, non fauorem ex obuiis.

Id autem praecipue operam dantes, culta et perfecta vt redderemus, quae vetuſta erant, et inſtaurationem requirebant, quaeque ab aliis initiata ob dictionis inſolentiam imperfecta reſederant, et parum intellecta nunc minore cum faſtidio vt legi poſſent. Quamuis haec ipſa, quae diximus, quia protrita non ſunt, vel argutiis contortiplicata, futilis aliquis thematicus vel impudens forenſis Cerberus, obſcura nimis atque inutilia clamabit. Adeo verum eſt, quod TERENTIANVS MAVRVS *ait:*

Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.

Et ſane his verbis LINDENBROGIVS ea, quae deinde acciderunt, cecinit, vt vates. Pauci enim poſtea huic operi iuſtum ſtatuerunt pretium: pauciores eius vſum ac praeſtantiam peruiderunt: pauciſſimi comprehenſas illo leges aliquo ſtudio dignas eſſe exiſtimarunt. Qui de eo volumine modeſtiſſime ſenſerunt, illud ſicuti Hebraeorum Graecorumque leges, ad illuſtrandum tantum ius Romanum, non ad ius patrium inde eruendum,

(*a*) FABRIC. *Biblioth. Lat. Lib.* IIII. *cap.* 10. §. 3. *pag.* 841. *Tom.* I.

dum, aliquem vſum praeſtare poſſe, cenſuerunt, ac proinde SCHILTERVM, qui illi plus tribuerit, ſine nota dimittendum non putarunt (*a*). Alii multo altiore ſupercilio deſpexerunt has iuris veteris Germanici reliquias, et ne nomen quidem iuris alicuius patrii ſine indignatione audiuerunt, quin neſcio quae dira fata cecinerunt rei publicae Germanicae, ſi quem virorum doctorum aliquod iuris iſtius ſtudium prae ſe ferre animaduerterent. Nam quum aureum *de origine iuris Germanici* libellum edidiſſet HERM. CONRINGIVS, quamuis ille ſe continuiſſet intra hiſtoriae limites, et obiter tantum quaedam de iuris patrii vſu forenſi monuiſſet, adeo tamen ille bilem mouit non imi ſubſellii iureconſulto, IO. OTTONI TABORI, vt non modo conuiciis plus quam ſcurrilibus virum ſe multo doctiorem exciperet, ſed et grandem illi hanc dicam ſcriberet impudentiſſime, *id eum potiſſimum dare operam, vt, omiſſa iuris Iuſtinianei et Imperatorii rectitudine, in ſuperiorum ſaeculorum barbariem, ab omnibus damnatam, homines relabantur* (*b*). Hinc nimirum illae lacrymae, hinc diri illi tumultus, hinc irae TABORIS et ſimilium, qui actum eſſe de Accurſianis elegantiis putabant, ſi CONRINGIO, homini ſcilicet valde barbaro, veterem illam barbariem ex orco liceret reuocare. O Germanos, Germanico nomine indigniſſimos! quibus, quidquid a Germanis profectum eſt, barbarum videtur. Eone prolabi quis potuiſſe crederet homines noſtros, vt ne hiſtoriam quidem iuris Germanici aequo animo ferrent? Sed talia tum erant ſaecula, vt qui leges Germanicas vel ſemel attigerat, veluti bidental aliquod mouiſſe videretur. Eruditiſſimus tum credebatur, quiſquis Accurſii, Bartoli, et Baldi elegantias in ſuccum et ſanguinem vertiſſet: nec quemquam fere iſtius illuuiei pudebat. Et tamen delicatulae illae ac politulae aures veterem aliquam Germanorum legem audire non poterant, vt non ſtatim nauſea illis excitaretur, quippe ſolis mellitis verborum globulis Accurſianis, et interpretationibus Bartoli et Baldi, ſeſamo ac papauere ſparſis, adſuetis.

Enimuero vti aliarum rerum, ita et crudi iſtius iudicii quo ius Germanicum e Germania proſcribendum eſſe videbatur, maximam mutationem hoc ſaeculum noſtrum aduexit. Opera enim illa HEROLDI, LINDENBROGII, aliorumque doctiſſimorum virorum, quae patrum memoria nullius bonae frugis eſſe credebantur, hodie a iureconſultis ma-

 gno

(*a*) LINKER. *Inſtructor. forenſ. Lib. I. cap.* 2. §. 7.
(*b*) TABOR. *Racemat. criminal. pag.* 442.

gno ſatis aere redimuntur, vt de eorum auctoribus iure dicere poſſis, quod de agricolis dixerat CAECILIVS STATIVS in *Synephebis* (*a*), *ſeuiſſe eos arbores, alteri demum ac tertio ſaeculo profuturas.* Ipſum quoque iuris Germanici ſtudium, a quo magnopere olim homines noſtri abhorrebant, iam vbique paene feruet, et cum iuris prudentia Romana feliciter coniungitur, ex quo ciuibus ſuis priſtinum illum veternum excuſſerunt HERM. CONRINGIVS, IO. SCHILTERVS, IO. GEORGIVS CVLPISIVS, IO. NIC. HERTIVS, CHRIST. GODOFREDVS HOFFMANNVS, et in academia hac illuſtri CHRIST. THOMASIVS, IO. PETRVS A LVDEWIG, IVSTVS HENN. BOEHMERVS, NIC. HIERONYMVS GVNDLINGIVS, aliique viri doctiſſimi, quibus

De meliore luto finxit praecordia Titan.

Et quamuis nec hodie deſint, qui hanc rerum conuerſionem aegre ferunt: non reprehendendam tamen eſſe hanc virorum doctorum induſtriam, illoſque, qui totum hoc ſtudium inutile ac infructuoſum eſſe arbitrantur, opinione illa ſua magnopere falli iam alibi tam luculenter demonſtraſſe mihi videor (*b*), vt actum agere nolim. Ne tamen ſterilis ſit haec praefatio, quam nouae legum Germanicarum collectioni praemittere iuſſus ſum, de ipſis, quae hoc opere continentur, legibus quaedam non vulgaria ac protrita in medium proferre decreueram. Quum vero intercederet valetudo, et difficilis morbus, quocum vernis his menſibus miſere conflictatus ſum, faciem intentionis abrumperet: de ſola *lege Salica*, qua antiquiorem non habuit Germania, *eiuſque origine, auctoritate et vſu*, quaedam prout calamum ſua ſponte ſubierint, in chartam coniicere conſtitui. Quod meditationum mearum ἀποσπασμάτιον vt aequi bonique conſulas, non quod de animi tui aequitate dubitem, ſed, quia mos eſt ita rogandi, rogo.

Eſt profecto *lex Salica*, quod ad eius originem attinet, et vere Germanica, et omnium, quas Germania vidit, antiquiſſima. Quod vt rectius intelligatur, praemittendum eſt, varias fuiſſe gentis Francorum tribus, quae initio non in vnam ac communem rem publicam coa-

(*a*) CICERO *Caton. mai. cap.* 7.
(*b*) *Praefat. Tomo I. Elementor. iur. Germ. praemiſſa.*

coaluerant, ſed ſua quaeque gaudebat libertate, ſuoque arbitrio regebatur, niſi quod aduerſus communes hoſtes arma vireſque, ictis foederibus, iungere ſolerent. Hinc aliquando ducem, qui omnium tribuum exercitui praeeſſet, bellumque vniuerſae gentis auſpiciis adminiſtraret, ex virtute ſumebant, quem ignaros iſtius moris ſcriptores Romanos plerumque regem perperam vocare animaduertimus. Tales fere fuerunt GENOBAVDES et ATECH, quorum circa annum erae Chriſtianae 288. meminit CLAVDIVS MAMERTINVS (*a*): tales ASARICVS et REGAISVS, a quibus Conſtantinum M. circa annum 306. ſupplicium ſumſiſſe, refert EVMENIVS (*b*): NEBOGASTES, quocum Iulianus, ὁ παραβάτης anno 358. foedus, teſte EVNAPIO (*c*), percuſſit: talis MELLOBAVDVS, qui anno 373. Macrianum, Alamannorum regem, praelio vicit (*d*): tales denique PRIAMVS, quem anno 382. in Francia regnaſſe, ſcribit PROSPER AQVITANICVS (*e*), nec non SVNNO, MARCOMIRVS, et THEODOMERES, Richimeris filius, quorum illos circa annum 392. hunc anno 416. Francis praefuiſſe, referunt SVLPITIVS ALEXANDER et FRIGERIDVS apud GREGORIVM TVRONENSEM (*f*). Hos enim omnes, non reges, ſed duces Francorum fuiſſe, vel inde patet, quod et plures reges eodem tempore memorantur, et Francos primum omnium FARAMVNDVM *regem crinitum* habuiſſe, teſtatur AVCTOR *de geſtis Francorum* (*g*). Itaque plures, vti dicere coeperam, erant Francorum tribus, plures ſingularum principes, et nulla communis res publica, quum ſingulae gentes, veluti Bructeri, Chamaui, Sicambri, Attuarii, Catti, Chauci, res ſuas ſibi haberent, nullaque alterius agnoſceret imperium, vel illud ſaltim comiter veneraretur. At, interiecto tamen tempore, tot diuerſae tribus paullatim in duos populos maiores abierant. Nam qui ſuperiori Rheno et Thuringiae erant propiores, ſiue a Sala Franconica, ſiue aliunde, SALII; qui partim, inferiorem adcolebant Rhenum, partim, perruptis his limitibus, Rhenum inter et Moſam conſederant, a ripa Rheni RIPVARII adpellabantur. Vnde et tractus terrae cis Rhenum ad Sigam et Ruram, et trans illum inter Moſam, Moſellam, et Rhenum nomen *pagi Ripuariorum* diutiſſime tulit (*h*). Vtrumque populum ſeparatas ab altero ratio-

(*a*) *Panegyr.* II. *Maximiano Herculio dict. cap.* 10.

(*b*) *Paneg. Conſtant. M. dict. cap.* 10. et 11. NAZAR. *Panegyr. eidem dict. cap.* 16.

(*c*) *Excerpt. legat. pag.* 163. *edit. Comelin.*

(*d*) AMMIAN. MARCELLIN. *Lib. XXX. cap.* 3.

(*e*) *Chronic. ad ann.* 382.

(*f*) *Lib. II. cap.* 9.

(*g*) *Geſt. Francorum epitom. cap.* 4.

(*h*) BROWER *Annal. Treuir. Lib. VII.*

tiones habuiſſe comperio, ſaltim vſque ad Chlodouaei M. aetatem. Quum enim Salii poſt Pharamundum Chlodioni, Merouaeo, Childerico, et Chlodouaeo regibus parerent: Ripuarii ſuos ſibi vel reges, vel duces, habebant, Sigebertum et Rachnagarium, quorum alter Coloniae Agrippinae, alter Cameraci ſedem imperii conſtituerat, donec vterque a Chlodouaeo cognato vi et dolo opprimeretur (*a*). Ex quo facile patet, cur EGINARDVS (*b*) obſeruarit duas iam olim fuiſſe leges Francorum, plurimis in rebus valde diuerſas. Illum enim locum, quidquid alii de eius ſenſu diſputent, de Salica et Ripuariorum legibus eſſe intelligendum, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. De Ripuaria nunc nihil dicere animus eſt. *Salica* vero quando primum lata ſit, ex ipſo, quod in *Heroldina* editione occurrit, prooemio diſcimus, quod vt genuinum eſſe exiſtimemus, tum codicis Fuldenſis mouet antiquitas, tum locus AVCTORIS *de geſtis Francorum*, qui circa annum 720. huius legis origines ex eo ipſo prooemio depromſit. Ex eo vero prooemio primum patet, gentem Francorum hanc legem condidiſſe, *dum adhuc teneretur barbarie*, vel, vt in aliis codicibus legitur, *dum adhuc ritu detineretur barbaro*. Qua phraſi eorum temporum ſcriptores nihil aliud, quam religionem paganam, denotabant (*c*). Immo ne dubitare quiſquam ea de notione poſſit: hanc legem eo tempore, quo adhuc a Chriſtiana pietate alieni fuerint Franci, conditam eſſe, perſpicuis verbis circa annum 595. teſtatur CHILDEBERTVS, rex Francorum (*d*), dum ſcribit: *de chrenecruda lex*, *quam* PAGANORVM TEMPORE *obſeruabant*, (vid. Lex Salica, tit. LXI. edit. Herold.) *deinceps numquam valeat*: *quia per ipſam cecidit multorum poteſtas*. Quum ergo CHLODOVAEVS, (quem initio ſolis imperaſſe Saliis, abbas doctiſſimus, DVBOS (*e*), oſtendit,) anno ſaeculi quinti nonageſimo ſexto, die Chriſti natali ſacro baptiſmi lauacro fuerit initiatus (*f*): conſequens eſt, vt lex Salica ſaltim ante annum illum quadringenteſimum nonageſimum ſextum exſtiterit, et iam ante iſtam epocham hac lege vixerint Salii. Et ſane quum eodem prooemio referatur, *Chlodouaeum*, *poſtquam catholicum* bap-

pag. 362. PAVLLINI *Geograph. pag.* 188. *Prodrom. Chron. Gottvvicenſ. Lib.* IIII. *pag.* 749.

(*a*) GREGOR. TVRON. *Hiſt. Lib.* II. *cap.* 40. *et* 42.

(*b*) EGINARD. *Vit. Caroli M. cap.* 29.

(*c*) CHIFLET. *Anaſtaſ. Childer. cap.* 5. *p.* 82.

(*d*) *Decret. Childeb. cap.* 15. apud BALVZ. *Capitular. Tom. II. p.* 20.

(*e*) *Hiſtoire Critique de la monarchie Françoiſe, Livr. V. chap.* 3. *Tom. III. pag.* 20.

(*f*) COINTE et ANT. PAGI *ad hunc annum.*

baptiſmum receperit, quidquid minus in pacto habitum ſit idoneum, lucidius emendaſſe: quomodo emendare poſt ſuſceptum baptiſmum potuiſſet Chlodouaeus, quod ante baptiſmum nondum exſtitiſſet? Deinde ex eodem prooemio diſcimus, Francos Salios eo tempore, quo de condenda hac lege cogitauerint, nondum vlli paruiſſe regi, ſed imperium optimatium reliquis reipublicae formis praetuliſſe. Hinc nullius regis, cuius auſpiciis lex illa condita ſit, ibi ſit mentio, ſed *procerum ipſius gentis, qui tunc apud eamdem fuerint* RECTORES: vt adeo tum adhuc illis priſco Germanorum ritu praefuerint principes, *qui ius per pagos et vicos dicerent* (*a*), idemque paene apud eos obtinuerit, quod de vicina Saxonum gente multo poſt cecinit POETA (*b*):

Nec rege fuit ſaltim ſociata ſub vno,
Vt ſe militiae pariter defenderet vſu:
Sed variis diuiſa modis plebs omnis habebat
Quot pagos, tot ferme duces, velut vnius artus
Corporis in diuerſa forent hinc inde reuulſi.

Iam, quum incorruptis veterum teſtimoniis conſtet, primum apud Francos Salios Pharamundum regiam dignitatem familiae ſuae intuliſſe, idque factum eſſe anno Chriſtianae erae 421. (*c*) non poſſumus non colligere, non modo Chlodouaeo, ſed et ipſo Pharamundo antiquiorem eſſe legem Salicam, quippe ante illum annum ſeculi quinti viceſimum primum compilatam. Cui epochae inde etiam haud parum accedit roboris, quod initio ſaeculi octaui, quo adhuc recens fuit rei iſtius memoria, AVCTOR *de geſtis Francorum* (*d*) diſerte ſcripſit: *tunc defuncto SVNONE, et accepto conſilio, in vnum primatum eorum, vnum habere principem, petierunt conſilium MARCHOMIRI, vt regem vnicum haberent, ſicut et ceterae gentes. Tunc et* LEGEM *habere coeperunt.* Cui loco vt lucis quid adfundamus, ſciendum eſt, anno erae Chriſtianae 395. Honorium Imp. quum Theodoſio patri in occidente ſucceſſiſſet, pacem cum Francis per Stilichonem, feciſſe, cuius merita ideo celebrat CLAVDIANVS (*e*):

Ante

(*a*) TACIT. *de morib. Germ. cap.* 12.
(*b*) Poëta Saxo *Annal. Lib. I. v.*40.*ſequ.*
(*c*) PROSPER AQVITAN. *Chronic. ad ann.* 421. *edit. Pith.*
(*d*) *Geſt. Franc. epitom. cap.* 4.
(*e*) *De conſulatu IIII. Honorii, v.* 446. *ſequ.*

Ante ducem noſtrum flauam ſparſere Sicambri
Caeſariem, pauidoque orantes murmure Franci
Procubuere ſolo: iuratur Honorius abſens.

Potuiſſet haec pax vel ideo ſempiterna videri, quod inſequente anno 396. Arcadius Honorii frater, Eudoxiam, gente Francam, Baudonis filiam, ſed a Promoti filio ritu Chriſtiano educatam, vxorem duceret domum, (*a*) amicitiamque cum fratre contractam adfinitate firmaret: ſed proximo ſtatim anno gentem ferocem, ſuaeque libertatis tenaciſſimam, pacis tam ignominioſae poenituit. Hinc fraena mordere, et, ducibus Sunone et Marcomiro fratribus, bellum inferre Romanis coepit, ſed auſpiciis tam infauſtis, vt capti duces, tamquam perduelles, capitis cauſſam dicere cogerentur, alterque, Marcomirus, in Hetruriam exſulatum abiret, alter Sunno, vlturus fratrem, a contribulibus obtruncaretur. Qua de re denuo CLAVDIANVS (*b*):

Regia Romanus diſquirit crimina carcer.
MARCOMERES SVNNO*que docent, quorum alter Hetruſcum*
Pertulit exſilium: quum ſe promitteret alter
Exſulis vltorem, iacuit mucrone ſuorum:
Res auidi concire nouas, odioque furentes
Pacis, et ingenio ſcelerumque cupidine fratres.

Hic ergo Marcomirus, occiſo a ſuis fratre, quum animaduerteret, Francos, ſua in viſcera ſaeuientes, ob procerum diſcordiam, diuerſaque ſtudia numquam pares Romanis futuros niſi in vnam coaleſcerent rem publicam, et ab vno omnes regerentur: auctor fuit genti ſuae, vt regem communibus ſuffragiis crearent. Franci vero, conſilio tam ſalutari obtemperantes, regem ſibi elegerunt Marcomiri filium, Pharamundum, quia ipſe Marcomirus adhuc procul dubio in Hetruria exſul haerebat. Quum ergo Sunnonis et Marcomiri poſt annum ſaeculi quarti nonageſimum ſeptimum, quo hoſtium potiti fuerant, non amplius fiat mentio (*c*): certiſſimum eſt intra hunc annum et ſequentis ſaeculi viceſimum primum legem Salicam latam conſcriptam-

(*a*) PHILOSTORG. *Hiſt. eccl. Lib. XI. cap.* 3. ZOSIM. *Hiſt. Lib. V. cap.* 3. *p.* 504. *ſequ.*

(*b*) *De laudib. Stilichon. Lib. I. v.* 240. *ſequ.*

(*c*) THEODORIC. RVINART. *Annal. regni Francici ad ann.* 347.

ptamque eſſe oportere. Id quod et hoc argumento probare licet, quod ex eodem prooemio, legem illam eo tempore, quum Franci Salii adhuc cis Rhenum in Franconia haererent, nec adhuc Rhenum transmiſiſſent, conditam eſſe, adparet. Ita enim in illo legimus: *ſunt autem electi de pluribus viri quatuor, his nominibus*, WISOGAST, BODAGAST, SALOGAST, *et* WINDOGAST, *in locis*, *quibus nomen* SALAGHEVE, BODOGHEVE, *et* WINDHOGHEVE, *qui per tres mallos conuenientes, omnes cauſſarum origines diſcurrendo tractantes de ſingulis, iudicium decreuerunt hoc modo.* Cuius loci genuinus hic ſenſus eſt, electos ab vniuerſa gente eſſe legum ferundarum cauſſa quatuor viros, ex totidem pagis accitos, qui eas pro ſapientia ſua conſcriberent, non prius tamen legum vim habituras, quam in trium pagorum dicaſteriis ter adcurate expenſae, communique ſuffragio eſſent probatae. Quae quum ita ſint, eo res redit omnis, vt in pagorum iſtorum ſitum paullo diligentius inquiramus, maxime quum hic magna ſint ſententiarum diuortia, et plerique ſuauia, quaedam ſomnia pro veris hiſtoriis obtrudere videantur. GODOFREDVS WENDELINVS, (*a*) canonicus eccleſiae Tornacenſis non indoctus, quum quaedam oppidorum vocabula his non admodum diſſimilia in Taxandria ſua reperiſſet, puta *Zelhem*, *Wintershoven*, et *Bogenhoven*, non alibi, quam in Gallia Belgica, legem hanc prima veluti incunabula vidiſſe, contendit. Eodemque modo ingenium ſuum, et eximiam quamdam εὐστοχίαν, oſtendere voluerunt HERM. CONRINGIVS, (*b*) et NIC. HIER. GVNDLINGIVS (*c*), quorum ille, ſua ipſius vineta caedens, oppida quaedam vel villas eiuſdem ſoni trans Rhenum circa Moguntiam et Oppenhemium; hic vero prope Wormatiam, inueniſſe ſibi viſus eſt. Soli viri eruditiſſimi, GODOFR. GVIL. LEIBNITIVS (*d*) et IO. GE. ECCARDVS (*e*) non oppida vel villas, ſed integros terrarum tractus, quos tum *goas* vel *pagos* vocabant, intellexerunt, eoſque ille ad *Salam* Franconicum, *Bodam* Hercynicum, et *Wiſurgim*; hic ad *Salam*, *Bodam*, *Werram*, et *Vnſtrutum* quaeſiuit. Sic ergo non minus acriter de natali ſolo celeberrimae huius legis, quam olim de Homeri patria, integrae prouinciae contendunt. Quemadmodum enim hunc ob inſignem nominis

(*a*) *De natali ſolo legum Salicar. Antuerp.* 1649.

(*b*) *Epiſt. ad Ferdinandum, Epiſc. Paderb. et Steph. Baluzium.*

(*c*) GVNDLINGIAN. *Part. III. obſ.* 2. *et Part. VIIII. obſ.* 1.

(*d*) *De orig. Franc.* §. 24. *ſequ.*

(*e*) *Ad Leg. Sal. pag.* 5. *ſequ.*

celebritatem etiam poſt mortem ciuem expetebant Colophonii, Chii, Salamii, et Smyrnaei (*a*): ita legem Salicam. Belgae apud ſe natam dicunt, Francones tamquam ſuam ſibi vindicant, Alamanni et Rhenani repetunt, Galli vero ſuam eſſe confirmant, et in ipſa lege (*b*) terram Salicam inter Ligerim et ſiluam Carbonariam deſignari, vrgent. At ſecundum WENDELINVM nemo, opinor, hodie litem dabit. Praeterquam enim quod *goa*, *gau*, *gewe*, non villam aliquam vel oppidum, ſed totum terrae tractum, quales hodie ſunt *Sundgouia*, *Briſgouia*, *Algouia*, *Wetterauia*, *Hannonia*, *Rhingouia*, et ſimiles, denotat; (*c*) (quod argumentum etiam CONRINGIO et GVNDLINGIO, immo et MARQV. FREHERO (*d*), qui Weinhemiam pro legis noſtrae ſolo natali habuit, iure obuertitur,) ex vetuſtis annalibus liquido probari poteſt, Salios tum nondum in Gallia Belgica, egiſſe, quum lex Salica in lucem primum prodiret, quippe qui demum anno erae Chriſtianae 437. duce Chlodione Rege, Cameracum vicinaſque regiones ad Suminam vſque fluuium, teſte GREGORIO TVRONENSE (*e*), occuparunt. Nec magis rem acu tetigerunt FREHERVS, CONRINGIVS et GVNDLINGIVS. Omnes enim illas regiones, quas illi pro ſolo natali legis Salicae venditant, eo tempore non Francis, ſed Alemannis, paruiſſe, tam luculenter probauit PHIL. CLVVERIVS (*f*), vt cauſſam plane peroraſſe videatur. Niſi ergo credere velimus, Francos legem ſuam in alieno territorio tuliſſe, pagi iſti iis locis erunt quaerendi, in quibus tunc temporis haeſiſſe Salios, incorruptis teſtimoniis poteſt probari. Quum vero eos ante Chlodouaei tempora Thuringis vicinos fuiſſe, notent GREG. TVRONENSIS (*g*), et AIMONIVS (*h*), quin iidem Chlodionem, antequam in Galliam Belgicam irrumperet, *Diſpargum, caſtrum, quod eſt in terminis Thuringiae, habitaſſe*, referant: ſatis profecto manifeſtum eſt, in Franconia, et aliqua fortaſſis Haſſiae et Wetterauiae parte, genuinam Francorum ſedem eſſe quaerendam. Qui enim *Diſpargum* caſtrum cum CHIFLETIO (*i*), WENDELINO (*k*), HENSCHENIO (*l*) Diſthemii, vel cum eodem CHIFLE-

TIO

(*a*) CICERO *pro Archia poëta, cap.* 8.

(*b*) *Lex Sal. tit. L. edit.* HEROLDI.

(*c*) CHR. FRANC. PAVLLINI *Geogr. praefat.*

(*d*) *Orig. Palatin. Part. II. cap. 5. pag. 16. ſequ.*

(*e*) *Lib. II. cap. 9.*

(*f*) *Germ. antiq. Lib. III. cap. 4. p. 519.*

(*g*) *Ibid.*

(*h*) *Lib. II. cap. 4.*

(*i*) *Lum. Salic. I.*

(*k*) *De natali ſolo leg. Sal. cap. 14.*

(*l*) *De tribus Dagobertis, Lib. IIII. cap. 8.*

TIO (*a*) Duisborgi ad Euram, vel cum aliis Heinsbergae in agro Iuliacenſi (*b*), vel Dietesburgi in Buchonia (*c*), vel Deſenbergae in Epiſcopatu Paderbornenſi (*d*), vel Duisburgi in Cliuia (*e*) quaerunt, non alium habent ſententiae ſuae fundamentum, quam corruptas GREGORII TVRONENSIS editiones, in quibus pro *Thuringia*, quod, teſte RVINARTO, omnes codices MSS. habent, perperam *Tongria* legitur, nec probari poteſt, Thuringorum regnum eo vſque vmquam pertigiſſe. Contra ea vetus illud *Diſpargum* in comitatu Hennebergico, adeoque in ipſis Thuringiae finibus, feliciter oſtendit IO. GVIL. DIETHMARVS, cuius poſtea ſententiam etiam ECCARDVS (*f*) ſuam fecit. Quum ergo dubitari nequeat, Francos Salios ſaeculo quinto eam potiſſimum Germaniae partem, quae in hodiernum diem inde *Franconiae*, vel *Franciae orientalis* nomen retinet, coluiſſe: in ea etiam prouincia quaerendi erunt celeberrimi iſti pagi; qui in Salicae legis prooemio memorantur.

Et de pago quidem SALAGHEVE, quem et LEIBNITIVS et ECCARDVS in Franconia ad Salam fluuium repererunt, omnia liquida ſunt. Eum enim luculenter deſcripſerunt PAVLLINI (*g*), IVNCKERVS (*h*), SCHANNATVS (*i*), et reuerendiſſimus ABBAS GOTTWICENSIS (*k*), oſtenderuntque, eum ad occidentem Sinna, fluuio, ad orientem riuulo Esbach, ad meridiem fere Sala flumine et Moeno, ad Septentrionem perpetuis montium iugis vaſtiſque ſiluis claudi, et ex villis eius regionis, quarum quinquaginta enumerat laudatiſſimus ABBAS, pleraſque vetera illa nomina, quae in *traditionibus Fuldenſibus* occurrunt, et hodie retinere. Et quamuis obſeruare ſibi viſus ſit SCHANNATVS, pagi iſtius nomen in vetuſtis monimentis ante annum 777. nuſquam occurrere: illius tamen memoriam procul dubio tunc fugit locus AVCTORIS *de geſtis* Francorum (*l*), in quo hic pagus SOLECHAGIN vocatur, ſcriptura quidem corruptiore, ſed quae genuini nominis manifeſta ſeruat veſtigia.

(*a*) *Anaſtaſ. Childerici*, *cap.* 1.
(*b*) BVCHER. *Belg. Rom. Lib. XV. cap.* 10.
(*c*) BROWER. *Antiqu. Fuld. Lib. I. cap.* 2.
(*d*) GELEN. *in Hieroth. Engelbertina*, *pag.* 119.
(*e*) SAGITTAR. *de regno Thuring. Lib. II. cap.* 2. *pag.* 144.
(*f*) *Ad leg. Salic. pag.* 5.
(*g*) *Geograph. pag.* 193.
(*h*) *Geograph. med. aeui*, *pag.* 276.
(*i*) *Buchon. vet. cap.* 12.
(*k*) *Prodrom. Chron. Gottvvic. Lib. IIII. pag.* 755.
(*l*) *Epit. cap.* 4.

Alter, cuius in Salicae legis prooemio mentio ſit, pagus eſt Bodagheve, quem Leibnitivs et Eccardvs ad Bodam, Hercyniae flumen, reperiſſe ſibi videntur. Enimuero quum tot aliorum Saxoniae pagorum nomina nobis ſeruarint diplomata: nemo adhuc vllum adferre potuit, in quo pagi Bodagheve vocabulum occurrat. Immo potius ampliſſimus ille terrarum tractus cis Hercyniam et ad Bodam fluuium conſtanter in diplomatibus vocatur *Hartingow*, ad eumque etiam villae et vrbes, quas Boda adluit, referuntur, veluti Bodfeldum palatium regium (*a*), Dietfurtum (*b*), Eluingeroda (*c*), Oſcherſleue (*d*), Quedlinburgum (*e*), Winethuſa (*f*) et aliae. Quod quum animaduerteret Eccardvs (*g*), nec ignoraret, in quibuſdam Salicae legis codicibus MSSC. pro *Bodaghaſt*, legi *Arogaſti*, illud in *Hartogaſt* transformat, et pagum illum *Bodaghewe* poſtea *Hartingau* dici coepiſſe, exiſtimat. Ita nimirum coniecturis nouis tegenda fuit coniectura, ne perplueret. Enimuero quum nec Leibnitivs, nec Eccardvs, vllius veteris ſcriptoris idonei auctoritate probarit, Francos eo tempore iuxta Bodam, vel ad Hercynica iuga, conſediſſe: eos contra tum ibi non conſediſſe, certiſſimum eſt. Quidquid enim terrarum trans Vnſtrutum et Salam ad Bodam, Ouacrum, et Albim vſque porrigitur, id iuris Thuringici; reliqua trans Bodam et Ouacrum Saxonici erant. Et Thuringi ſane illum terrarum tractum, qui multis poſt ſaeculis *Nordthuringiae* nomen retinuit, (*h*), vſque ad regni ſui excidium, id eſt, ad annum 529. poſſederunt: poſt hunc annum vero illa prouincia non Francis, ſed Saxonibus; ex pacto ceſſit (*i*), nec prius, quam perdomitis a Carolo M. Saxonibus, ad Francos peruenit. Quid ergo pagi iſtius Hercynici incolis cum Francis negotii fuit? et quid hos mouere potuit, vt Thuringum aliquem, vel Saxonem, ex pago *Hartingau* deligerent, ſibi leges ſcripturum? Quum itaque hic pagus iuxta Bodam Hercynicam vel ſit fictitius, vel nihil certe faciat ad legem Salicam: non alibi profecto, quam in ipſa Francia orientali, erit quaerendus. Nec diu ibi nobis in quaeſtione erit. In TRADITIONIBVS enim FVLDENSIBVS me-

(*a*) Levkfeld. *Antiqu. Gandersheim. cap.* 14. §. 9. *pag.* 113.

(*b*) Mader. *Antiqu. Brunſu. pag.* 113.

(*c*) Levkfeld. *Antiqu. Ilfeld. cap.* 17. *pag.* 215.

(*d*) Pavllini *Geograph. pag.* 82.

(*e*) *Prodr. Chron. Gottvvic. Lib. IIII. pag.* 622.

(*f*) *Vita S. Liutburg. cap.* 1.

(*g*) *Ad leg. Sal. pag.* 6.

(*h*) Pavllini *Geogr. pag.* 155. Levkfeld. *Antiqu. Halberſt. pag.* 10. *ſequ.*

(*i*) Witichind. *Annal. Lib.* I. *pag.* 633. *ſequ.*

(*a*) memoratur *locus Inglenhuſen*, (pro quo ECCARDVS (*b*) rectius legit *Teglenhuſen*) *in pago* BADENEGEWE *in comitatu Eginonis*. TEGLENHVSEN vero ipſa eſt villa *Tucklenhauſen*, quae prope Ochſenfurtum meridiem verſus conſpicitur. Quare LAVR. FRISIVS (*c*); qui eum pagum paullo adcuratius deſcripſit, huc refert villas Butrich, Gibelſtadt, Villachbaum, Aifeld, Sondernhouen, Konigshouen, Buttelbrunn, Rudelſee, quae pleraeque hodie in ipſis tabulis geographicis inter Ochſenfurtum Moenanam et Tubarim, fluuium, ſignantur. Quid opus ergo eſt pago illo Hercynico, quum in ipſa Franconia ſeſe nobis offerat pagus BADENEGHEWE? Nec quemquam, opinor, turbabit diſſimilitudo vocabulorum *Bodagevve* et *Badenegevve*, quum in vetere lingua Francica vocalium A et O facilem et frequentem eſſe permutationem, nemo ignoret (*d*), et in his ipſis pagis eas permutarit AVCTOR *de geſtis Francorum*, dum pro *Saleghevve Solichagin* ſcripſit.

Pagum tertium WINDOGHEVE me adhuc non magis reperiſſe fateor, quam quartum WISOGHEVE, a quo *Wiſigaſtus* nomen tulit. Id tamen tam certum eſt, quam quod certiſſimum, eos nec cum LEIBNITIO ad Viſurgim, nec cum ECCARDO ad Vnſtrutum et Werram, quaerendos eſſe, quia vtramque Viſurgis ripam tunc temporis, non Franci, ſed Saxones, Werram vero et Vnſtrutum Thuringi accoluerunt. Si et mihi in re tam antiqua et perplexa diuinare licet: pagos iſtos *Windoghevve* et *Wiſoghevve* pagi maioris *Nordgauienſis* partes fuiſſe crediderim. Ibi enim vrbes imperiales *Weiſenburgum* et *Winshemium* pagorum, in quibus ſitae olim fuerunt, nomina videntur ſeruare, et aliunde conſtat, maiorem illum pagum plures alios minores, quorum non omnium memoria ſupereſt, ſuo ambitu eſſe complexum (*e*). Sed et talem ibi traditionem per ora hominum volitare, vel ex eo patet, quod et ABR. SAVRIVS (*f*), Windshemium pro pago illo *Windoghevve*, a quo *Windogaſt* nomen tulerit, diſerte venditat, ſolam procul dubio famam ſequutus. Equidem non dubito, fore pleroſque, qui illam hodiernae Franconiae

(*a*) SCHANNAT. *Corp. Tradit. Fuld. pag.* 212.*

(*b*) *Hiſt. geneal. Sax. ſuper. pag.* 261.

(*c*) *Chronic. Herbip.* apud LVDEWIG. *Script. rer. Wurzburg. pag.* 423.

(*d*) WACHTER. *Gloſſar. Prooem. Sect. III.*

(*e*) FALCKENSTEIN. *Dipl. Antiqu. Nordgau. pag.* 15. *Prodrom. Chron. Gottvvic. Lib. IIII. pag.* 715.

(*f*) *Staedte-Buch, pag. m.* 167.

partem non Francicae, ſed Boiicae iuriſdictionis fuiſſe contendent, cui genti Nordgauiam cum alii ſcriptores (*a*), tum reuerendiſſimus Abbas Gottwicensis (*b*), argumentis haud poenitendis vindicant. Sed iampridem Marc. Velservs (*c*), vir recti iudicii, et rerum Boiicarum ſcientiſſimus, ingenue faſſus eſt, id non de toto illo ampliſſimo tractu, qui olim Nordgauiae nomine venit, ſed de ea iſtius parte, quae hodie Palatinatus ſuperior vocatur, et de terra Nariſcorum verſus Boemiam, cuius maximam partem hodie ſereniſſimi Marchiones Brandenburgici Baruthini poſſident, eſſe intelligendum. *Conſentaneum itaque*, inquit, *Boios ſiue Hercyniae ſiluae campos, a Marcomannis inſeſſos, iam olim cognomines, tum adhuc coluiſſe, ſiue, quod vero opinor propius, illis paullo ante eiectis, Danubium, qua inferiorem Rhaetiae partem et Noricum praeterfluit, praetexiſſe, quae hodieque item* Transdanvbiana Boica *eſt. Atque hic exin maxime gradus fuit ad Romanas prouincias, traiecto flumine, occupandas.*

Haec de celeberrimae legis origine dicta ſufficiant. Nam quod a quibuſdam hic diſputatum memini, qua lingua, Germanicane, an Latina, in ea ſcribenda vſi ſint Salii, illud ita comparatum eſt, vt et ad liquidum perduci non poſſit, et, ſi poſſet, ad rem parum facere videatur, quum nullos hodie alios codices, quam Latinos, exſtare, in vulgus notum ſit. Latina tamen eos vſos eſſe exiſtimauerim, quia Germanica tum inter Francos nondum ita fuerat exculta, vt ſcribi poſſet (*d*): et Latinae linguae ignaros haud fuiſſe Salios, iam ab aliis eſt obſeruatum (*e*). Et, quid opus fuiſſet gloſſis malbergicis Germanicis, ſi praeter Latinum authenticus exſtitiſſet textus Germanicus? Gloſſas ſaltim has eſſe textus Germanici authentici reliquias, vti exiſtimauit Wachtervs (*f*), non facile ſibi quiſquam perſuaderi patietur. Sed his, vti dixi, non immorabor, id tantum adhuc moniturus, legem Salicam, qualem illi quatuoruiri confecerunt circa ſaeculi quinti initium, hodie non ſinceram, ſed paſſim interpolatam, variiſque laciniis a Francorum regibus auctam, ſupereſſe. In eodem enim prooemio porro legimus: *at vbi, Deo fauente*, Chlodovaevs, *comatus et pulcher, et inclytus, rex Francorum primus, recepit catholicum baptiſmum, quidquid minus*

(*a*) Clvver. *in Vindelic. et Norico*, *cap.* 3.

(*b*) *Prodr. Chron. Gottvvic. Lib. IIII. pag.* 714. *ſequ.*

(*c*) *Rer. Boic. Lib. II. pag.* 73.

(*d*) Odfred. *Euangel. praefat. pag.* 11. *edit.* Schilter.

(*e*) Venant. Fortvn. *Lib. VI. carm.*

(*f*) *Gloſſar. Tom. II. pag.* 348.

minus in pacto habebatur idoneum, per praecelſos reges, CHLODOVAEVM, et CHILDEBERTVM, et CHLOTHARIVM, *fuit lucidius emendatum, et procuratum decretum hoc.* Itaque haec lex primum ab ipſo *Chlodouaeo*, ac deinde a duobus eius filiis, *Childeberto* et *Chlothario*, quorum ille Pariſiis, hic Sueſſione regnabat, emendata eſt. Maioris enim natu, *Theodorici*, ideo nullas hac in re partes fuiſſe videntur, quod, fratribus hereditatem paternam cernentibus, ipſe ſortitus fuerat Auſtraſiam, eiusque prouinciae non Salica, ſed partim Ripuariorum, partim Alamannica, et Boica „ legibus vterentur. Quid ſinguli praeſtiterint reges, ſtilo quidem barbaro, at adcurate, memoriae prodidit *auctor epilogi*, qui in codice legis Salicae Guelpherbytano reperitur. Ait enim ſcriptor ille, quisquis fuerit, certe vetuſtiſſimus (*a*) : *primus rex Francorum ſtatuit a primo vſque LXII. diſpoſuit iudicare : poſtmodo autem tempus cum obtimatis ſuis a LXIII. titulum vſque ad LXXVIII. addedit. Sic vero* CHILDEBRANDVS, (id eſt, Childebertus) *rex, poſt multum autem tempus pertractauit, quid addere dibirit. ita a LXXVIII. vſque ad LXXVIIII. peruenit, quod ibidim digne impoſuiſſe noſcuntur, et ſic fratri ſuo Chlotario haec ſcripta tranſmiſit. Poſt haec vero* CHLOTHARIVS *cum hos titulos a germano ſuo ſeniore gratanter accepit, ſic poſtea cum rignum ſuum pertractauit, vt, quid addere debirit ibidem, quid amplius dibiat conſtruhere, ab LXXXVIII. titulos ad LXLIII. ſtatuit permanere, et ſic poſtea fratre ſuo reſcripta direxit, et ita inter eis conuenit, vt iſta omnia, ſicut anteriore conſtructa ſtarent.* Et exſtant ſane in illa editione (*b*) capita quatuor, quae Childebertus addidit, ſub rubrica : *pactus Childeberti R.* et paucis interiectis (*c*) ſequitur : *incipit Liber III. Deinde Chlotharius rex poſuit decreta*, quorum numerus vltimus eſt LXLIII. id eſt LXXXXIII. Sed et Carolum M. emendaſſe, et additionibus quibusdam locupletaſſe legem Salicam, ſatis conſtat. Praeterquam enim, quod hodie exſtant codices legis Salicae, a Merouingicis illis diuerſi, quorum in vno STEPH. BALVZIVS (*d*) hanc inſcriptionem reperit : *anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCXCVIII. Indictione VI. Domnus Karolus rex Francorum inclitus hunc libellum tractati legis Salicae ſcribere iuſſit* : etiam EGINARDVS (*e*) diſerte ſcribit : *poſt ſuſceptum imperiale nomen, quum animaduerteret, multa legibus populi ſui deeſſe, (nam Franci duas habent*

(*a*) *Apud* ECCARDVM *pag.* 139.
(*b*) ECCARD. *ibid. pag.* 37.
(*c*) *Ibid. pag.* 138.
(*d*) *Capitular. Tom.* I. *pag.* 280.
(*e*) *Vit. Caroli M. cap.* 29.

bent leges, plurimis in locis valde diuerſas,) cogitauit, quae deerant, addere, et diſcrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in his nihil aliud ab eo factum eſt, quam quod paucula capitula, et ea imperfecta, legibus addidit. De pauculis illis capitulis, quae Balvzivs (*a*) cum aliis edidit, res certa eſt: at in hoc non ſubſtitit Caroli M. induſtria, ſed ipſam legem Salicam in aliam paene formam, qualem hodie Pithoei, Lindenbrogii et Balvzii editiones prae ſe ferunt, redegit: vt mirum non ſit, in ipſa Heroldi editione, quamuis antiquiſſima, permulta, quae iſtorum temporum Francis non quadrant, occurrere, quandoquidem et regum aliquoties fit mentio, et ſemel etiam *terrae Saliorum inter Ligerim et ſiluam Carbonariam,* (*b*) quae et ſimilia poſtea demum acceſſiſſe, ipſi Francorum annales dubitare nos haud patiuntur.

Sed vt promiſſi memores de *vſu* etiam atque *auctoritate* legis noſtrae aliquid adiiciamus, eam non modo in Francia et Italia, verum etiam in ipſa Germania, diutiſſime legis vigorem ſeruaſſe, omnium inſequentium temporum annales teſtantur. Anno ſaeculi quinti octuageſimo primo rerum potitus eſt Chlodovaevs, cui anno erae Chriſtianae 511. ſucceſſerunt filii, et in his Childedertvs et Chlotharivs, quorum ille anno 558. hic anno 561. ad plures abiit. Toto vero illo tempore Francos Salios non alia norma in finiendis litibus, quam *lege Salica*, vſos eſſe, ex iis, quae paullo ante diximus, ſatis conſtat. Nec iis mortuis exſoleuiſſe hanc legem, vel id argumento eſt, quod Chlotharii nepotes, Chlotharivs et Childebertvs II. quorum ille anno 628. hic anno 596. diem obiit ſupremum, anno 593. inter ſe pacti ſunt, vt furta ſeruorum ſecundum legem Salicam expiarentur (*c*). Saeculo ſeptimo ex doctiſſimorum virorum ſententia floruit Marcvlfvs, neque vmquam mihi veroſimilis viſa eſt Lavnoii (*d*) ſententia, qui eum ſequenti demum ſaeculo vindicare voluit. Hic vero ſcriptor vetutiſſimus formulas ſuas non raro ad legis Salicae normam componit, argumento luculentiſſimo, eam tunc praecipue in foro viguiſſe. Saeculis octauo et nono Carolus M. hanc legem non modo emendauit, ſed et quaedam noua capita, quae et Ludouicus Pius anno 826. laudat (*e*), illi adiecit, et aliquoties meminit eorum, qui ſecundum legem Salicam viuunt. Multo plura ei legi

(*a*) *Capitul. Tom. I. pag.* 387.

(*b*) Lex Salica *tit.* L. §. 1. *edit.* Herold.

(*c*) Balvz. *Capitular. Tom. I. pag.* 15.

(*d*) *Adſert. inquiſit. in chart. immunitatis, pag.* 616. *ſequ. et ipſ. inquiſit. pag.* 25.

(*e*) *Capitul. Ludou. Pii anni* 826. §. 1. *et Capitul. Lib. VI.* §. 98.

gi eodem ſaeculo nono adſtruxerunt Ludouicus Pius *(a)*, et Carolus Caluus *(b)*. Immo in ipſa Germania et Lotharingia, ſub finem iſtius, manumiſſiones, per iactum denarii ſecundum legem Salicam factas, diplomatibus ſuis firmant Carolus Craſſus (*c*), et Zuenteboldus (*d*). Saeculo decimo Vbertus, Tuſciae Marchio, *ſe viuere* profitetur *lege Saliga*, itemque eius filius, Hugo, anno 983. ſe vocat *Hugonem Marchionem, ſecundum legem viuentem Saligam* (*e*). De ſaeculo vndecimo teſtatur CAROLVS SIGONIVS (*f*), *eorum temporum conſuetudinem tuliſſe, vt omnes ederent, qua lege viuere vellent, Romana, Langobardica, an Salica: Bonifacium ergo Langobardicam eſſe profeſſum, Mathildam vero Salicam, quod ex eorum tabulis, quae plurimae in eccleſiis Mutinae adſeruentur, cognoſcatur*. Cui SIGONII obſeruationi non parum roboris accedit ex diplomate Othonis, Comitis, apud GVICHENONIVM (*g*), qui anno 1009. *ſe Salica lege viuere*, profitetur. Quod ad ſaeculum duodecimum attinet, de eo OTTO FRISINGENSIS (*h*), ſcriptor σύγχρονος, teſtatur, *lege, quae Salica vſque ad ſua tempora vocetur, nobiliſſimos Francorum, qui Salici dicantur, ADHVC vti:* idque firmari poteſt auctoritate diplomatis, anno iſtius ſaeculi quinquageſimo ſexto ſcripti, in quo Guilielmus, Marchio, *ſe viuere lege Salica*, proteſtatur *(i)*. Quin non modo exeunte hoc ſaeculo duodecimo anno 1185. ſed et decimi tertii anno nonageſimo, hanc legem Lugduni et Friburgi in foro viguiſſe, ex eorum temporum monimentis ſolide probauit STEPH. BALVZIVS (*k*). Quum ergo tanta ſuppetat nubes teſtium, qui legis Salicae vſum aliquem ad ea vſque tempora, quibus noua illa iuris Germanici corpora, quae ſpeculorum Saxonici et Sueuici nomine veniunt, compilata ſunt, immo et multo diutius, in foro ſuperfuiſſe, adfirmant: quis ſibi, quaeſo, perſuadeat, adeo repente euanuiſſe ius iſtud Germanorum vetuſtiſſimum, nullum vt ſui veſtigium in hominum memoria ipſoque foro reliquerit? Et ſane exemplis oſtendere liceret, aliquas huius Salicae legis ſanctiones, tamquam conſuetudines, hodienum vigere in ipſis Germaniae foris, ſi vel valetudo, vel ipſa temporis et

(*a*) *Capitul. Ludou. Pii* 819. *apud* BALVZ. *Tom. I. pag.* 597. *ſequ.*

(*b*) BALVZ. *Capitular. Tom. II. p.* 191.

(*c*) *Formul. Alſat. IIII. pag.* 235. *edit.* ECCARDI.

(*d*) HEDA *de epiſc. Vitraiect. pag.* 24.

(*e*) ECCARD. *orig. Habſp. Auſtr. pag.* 56.

(*f*) CAR. SIGON. *de regno Ital. Lib. VII. pag.* 188.

(*g*) *Biblioth. Sebuſ. Cent. II. n.* 3. *pag.* 188.

(*h*) *Chron. Lib. IIII. cap.* 32.

(*i*) GVICHENON. *ibid. Cent. I. nu.* 99. *pag.* 170.

(*k*) *Probat. hiſt. Breſſ. pag.* 5. *et* 215.

chartae ratio, nos prolixiores eſſe paterentur. Quamobrem te, *erudite lector*, ad *Elementa iuris Germanici*, in quibus hoc ex inſtituto egi, remitto, et ad id venio, cuius potiſſimum cauſſa me haec in chartam coniecturum, praemonui.

Nimirum quum, gliſcente vbique iuris Germanici ſtudio, Heroldi et Lindenbrogii collectiones veterum legum Germanicarum ſaepenumero requiri, et eas tamen, exemplaribus iam pridem diſtractis, in tabernis librariis vix amplius venum proſtare, in auctionibus vero obuias maiore plerumque pretio comparari, animaduerteret vir conſultiſſimus ac doctiſſimus, Petrvs Georgisch, I. V. D. conſilium ille cepit laudabile, nouam iſtarum legum συλλογὴν ita adornandi, vt et ob minorem formam eſſet vendibilior, et ob comparatas inter ſe Heroldi, Lindenbrogii, aliaſque editiones, additas porro formulas Langobardicas, a viro celeb. Lvd. Ant. Mvratorio editas, et indices denique, quos ipſe magno et aerumnabili labore confecit, locupletiſſimos, maximam ſtudioſis aeque, ac prouectioribus, vtilitatem adferret. Et poſſum ſane ego, cuius potiſſimum ea in re vſus eſt conſilio, ſancte teſtari, virum optimum et diligentiſſimum hanc Spartam ita ornaſſe, vt nihil eorum, quae ad perpoliendum tam inſigne opus pertinere videbantur, praetermiſerit. Quin tanto maiore cum fiducia id mihi adfirmare poſſe videor, quanto magis tum ipſe pulcherrimi operis conſpectus, tum viri laudatiſſimi praefatio, qua operae illi impenſae ipſe rationes reddit, hoc teſtimonium meum firmabunt. Quamobrem facere non poſſum, quin praeclarum hoc opus et reipublicae litterariae, et auctori conſultiſſimo, etiam atque etiam gratuler, et cum ei, tum amiciſſimo, Henr. Zopffio, qui prolixam illam bene de omni re litteraria merendi voluntatem hoc nouo, eoque luculentiſſimo, argumento teſtatam fecit, publice eo nomine gratias agam, Devmque O. M. vt hunc laborem rei publicae litterariae felicem ac ſalutarem eſſe iubeat, indefeſſis precibus implorem. Tu vero, erudite lector, fruere hoc opere, bonae frugis pleniſſimo, et vale. *Scrib. Halae e muſeo, ipſis nonis April. anni* 1738.

XVII.

XVII.

DE VITA, FATIS, AC SCRIPTIS, FRANCISCI BALDVINI, IC. QVONDAM CELEBERRIMI.

IVre meritoque hanc felicitatem ſaeculo noſtro gratulamur, quod Iuriſconſulti elegantiſſimi, FRANCISCI BALDVINI, opera, poſt tot irritos aliorum conatus, iam demum iunctim in lucem prodire, et fauente propitiaque Lucina renaſci videmus. Ceperat id conſilium colligendi haec opuſcula MAXIMILIANVS VIGNACVRTIVS, quem vehementer cohortatur LIPSIVS (*a*), *vt rem publicam et poſteritatem hoc munere quam primum augeret.* Sed nihil praeſtitit homo, aulae diſtractus negotiis; neque illiteratiſſimae illae, quas quotidie ſcribebat, litterae eum de ornandis litteris elegantioribus cogitare patiebantur. Etiam poſt illum annum MDCII. quo haec ſcripſit Lipſius, numquam Iuriſconſulti illius doctiſſimi opera praela exercuiſſe, comperio. Quamuis enim MARTINVS LIPENIVS (*b*) ea Francofurti iuxta Moenum in forma, quam quartam vulgo adpellitant, prodiiſſe, referat: vereor tamen, vt ea in re magis catalogorum, ex quibus pleraque, nullo adhibito delectu, corraſit, quam oculorum ſuorum, fidem ſit ſequutus. Sub finem ſaeculi ſuperioris vir eximius, CHRISTIANVS THOMASIVS, de colligendis edendiſque Balduini Operibus ſe ſerio cogitare, rei publicae litterariae, publicato ſingulari programmate, ſignificabat, idque inſtitutum ſuum multis commendabat verbis. Sed tantum abeſt, vt bibliopolam, qui ſumtus facere vellet, reperiret, vt ipſe potius Vir Doctiſſimus, praeuiſa emtorum paucitate, conſilium abiicere, quam vllum bibliopolam in tanti diſpendii periculum adducere mallet. Nimirum erant tum tempora, quibus Germanis paene ſordebat elegantior, quam Balduinus excoluerat, iuris prudentia, iique demum Iuris conſultorum nomen dignitatemque ſuſtinere videbantur, qui, abiecta omni poliendae orationis imbibendarumque meliorum litterarum cura, ſolis

(*a*) *Cent. IIII. miſc. epiſt.* 33.

(*b*) *Biblioth. iurid. p.* 392.

ſolis Gloſſarum, Conſiliorum, Deciſionum, Reſponſorumque voluminibus per omnem vitam impalluiſſent, eaque, quae ad variarum quaeſtionum deciſionem pertinere viderentur, retuliſſent in aduerſaria. Quotus quiſque vero horum tam prodigus aeris tum fuiſſet futurus, vt coëmere vellet opera Balduini, non ad trituram forenſem, ſed ad inanem, quam vocabant, theoriam vnice comparata? Sed bene eſt, quod iam permultos eorum, qui iuriſprudentiae adiiciunt animum, rectius ſapere animaduertimus. Quum enim triginta abhinc annis ocio turpiter abuti crederentur illi omnes, qui CVIACII, DVARENI, HOTOMANI, BALDVINI ſcripta euoluebant, et viri etiam Doctiſſimi, quamuis faterentur, Interpretes illos ad veterum imitationem propria atque elegante oratione ius ciuile illuſtraſſe, multa a ſuperioribus dicta emendaſſe, plurima, antea non animaduerſa, in lucem protraxiſſe, quin et melioribus inſtructos diſciplinis, leges ipſas priſtinae ſuae puritati et natiuo veluti candori reſtituiſſe, eos tamen ad maſculam illam, quae in foro regnet, iuriſprudentiam, id eſt, πρὸς τὰ ἄλφιτα, quidquam facere, omnino negarent: hodie tanta rerum conuerſio facta eſt, vt tantum non vbique in Academiis ferueat elegantioris iuriſprudentiae ſtudium, illudque cum illa ſeueriore ac forenſi tam feliciter coniungatur, vt ſi in vitam redirent ii, quorum humeris patrum noſtrorum memoria iuriſprudentia, tamquam Atlante coelum, ſuſtineri videbatur, ii hodie vix intra numerum eſſent futuri. Mutata vero ſtudiorum ratione, fieri non potuit, quin, vti aliorum humaniorum iuris interpretum, ita et BALDVINI libri, deſiderarentur, iique, quouis aere redemti, ex bibliothecarum puluere extraherentur. Porro nouum iſtud noſtrorum hominum ſtudium mox incitamento fuit bibliopolis, vt aliquot tanti Iuriſconſulti opuſcula ſibi a viris doctis oblata, non ſine inſigni compendio ſuo recudenda curarent. Exemplo aliis praeibat perilluſtris Academiae noſtrae Cancellarius IO. PETRVS A LVDEWIG, qui Balduini *Catecheſin iuris* anno MDCCXXIII. typis iterum exſcriptam, praelectionibus ſuis illuſtrabat, eo ipſo tempore, quo ego, ab illius amplexibus diuulſus, in Belgium migrabam. Triennio poſt cura NIC. HIERONYMI GVNDLINGII lucem vidit liber *de inſtitutione hiſtoriae vniuerſae, eiuſque cum iuriſprudentia coniunctione.* Anno MDCCXXVII. *Edicta veterum Principum de Chriſtianis*, itemque *Conſtantinus M.* anno inſequente, *Iuſtinianus*, anno MDCCXXVIIII. *Scaeuola, ſeu iuriſprudentia Muciana:* denique anno MDCCXXX. *Diſputationes duae de iure ciuili ex Papiniano* prodierunt, quorum librorum pleriſque praefationes quaſdam praemiſit Gundlingius, perſequuturus procul dubio

hec

hoc inſtitutum, et reliqua etiam Balduini opuſcula paullatim editurus, niſi illum vitae breuitas vetuiſſet ſpes inchoare longas. Quum ergo pauci hi libelli, ſimul ac in Academia noſtra praelis exirent, quamuis nec nitidis admodum typis, nec magna ſatis cura exſcripti, adeo ſaliuam mouerint pleriſque, vt hac mirifica guſtatione initiati, reliquias etiam auidiſſime adpeterent: quantam gratiam ab Eruditis omnibus initurum credibile eſt Virum integerrimum, Muſiſque meis Amiciſſimum, cuius conſilio atque auſpiciis nunc non quaedam Balduini Opuſcula, ſed opera eius omnia, non perfunctoria, ſed accuratiſſima cura, typiſque ſplendidiſſimis, exſcripta, et praeſtantiſſimis Bartholomaei Chesii, Gvidonis Panciroli & Petri Petiti, Interpretum legum Romanarum et Atticarum, operibus comitata, in lucem prodeunt? Huic vero pulcherrimo Operi ego praefari aliquid iuſſus, nihil, quod Lectoribus magis profuturum exiſtimem, habere me fateor, quam ipſam Iuriſconſulti huius Celeberrimi vitam, ſine qua opera illius vix ſatis ab vllo intellectum iri, arbitror. Dabo itaque operam, vt non elogium tantum Baldvini, ſed ipſam viri celeberrimi vitam, ex eorum temporum nonimentis, libriſque, qui non in omnium manibus verſantur, erutam, tecum, Lector hvmanissime, communicem, eademque opera et tibi conſulam, et viri eximii fata ab obliuione, quantum fieri poterit, vindicem.

Natus eſt Franciscvs Baldvinvs ipſis Kalendis Ianuariis, anni Erae Dionyſiacae MDXX. Hunc enim annum ſignari animaduertimus in epigrammate quod mortui loculo inſcribendum curauerat Papyrivs Massonvs (*a*), in quo *obiiſſe* dicitur *anno aetatis* LIII. XI. *Nou. a partu virginis* MDLXXIII. quae, ſi vera ſunt, eum annum MDXX. natalem habuiſſe, ſubductis rationibus facile vnuſquiſque intelligit. Nec moueor rationibus Val. Andreae (*b*), eum annum biennio anteuertentis. Cui enim magis ea in re credendum exiſtimem, quam Maſſono, qui et eodem tempore floruit et morienti videtur adfuiſſe, eiuſque Sarcophagum, ceu ipſe refert, elegante inſcriptione condecorauit? Vt iam non dicam, etiam Thvanvm (*c*), in his rebus accuratiſſimum, eumdem diem, annumque emortualem notaſſe, annoſque aetatis LIII. itidem tribuiſſe Balduino noſtro, quem virum nihil, quod non ſatis compertum haberet, in annales ſuos retuliſſe, nemo ignorat. Patriam habuit Atrebatum, vrbem Galliae Belgicae non incele-

 brem,

(*a*) *Elog. Tom. I. part. 2. p. 258.*
(*b*) *Biblioth. Belg. p. 222.*
(*c*) *Hiſt. Lib. LVII. ad ann. 1573. p. 145.*

brem, a qua et *Atrebatii* nomen aliquando adſumſit, ſimul ad Trebatium Iuriſconſultum, ſimul ad patriam adludens, ſi fides eſt CATHERINOTO (*a*). Patri nomen fuit ANTONIO, eumque *togatum et fiſci patronum* SCAEVOLA SAMMARTHANVS (*b*), *fiſci regii apud ſuos procuratorem* MELCHIOR ADAMI (*c*) vocat. Vti vero haec eodem redeunt: ita nos hic obſeruamus, fuiſſe noſtro fratrem eiuſdem nominis patruelem, qui et ipſe litteris operam dederat iuuenis, nec tamen vnquam celebritatem aliquam videtur conſequutus. Saltim IO. CALVINVS, concepto in FRANCISCVM odio, nec ANTONIO illi, eius patrueli, parcit, de quo in epiſtola, BEZAE Tractationibus Theologicis (*d*) inſerta: *Antequam*, inquit, *reſpondeo, monendi ſunt lectores, nihil hac monedula eſſe furacius, vt hac in parte fratrem ſuum patruelem*, ANT. BALDVINVM, *ſuperet, cui ob furandi ſollertiam cognomen* ABLATIVI *a condiſcipulis inditum eſt.* Non dubito, quin Iuriſconſulto genitus noſter, domeſtico incitatus exemplo, amorem conceperit ciuilis iſtius ſapientiae, qua poſtea pleroſque, non modo ſuae aetatis, ſed et, qui ante ſe docuerant, iuriſconſultos longe poſt ſe interuallo reliquit. Vix ſedecim annorum adoleſcens Louanium ad capiendum maiorem ingenii cultum conceſſit, ibique cum alios viros doctos, quibus illa Academia ſemper floruit, tum GABRIELEM MVDAEVM, Brechtanum, adſectatus eſt (*e*), virum non tantum iuris, verum etiam litterarum elegantiorum, tam peritum, vt, apertis publice priuatimque cultioris doctrinae ſcholis, ſtudioſorum admirationem in ſe maxime conuerteret, nec quiſquam eorum, qui tum eadem factitabant, pari in pretio ibi haberetur, vti teſtatur, qui inter γνησίως eius diſcipulos fuit, MATTH. WESENBECIVS (*f*). Hoc ergo duce ingreſſus ſtudiorum viam Balduinus non ſolum Graecas Latinaſque litteras cum iuriſprudentia coniunxit, ſed et per vniuerſam hiſtoriam, tum ciuilem, tum eccleſiaſticam, ipſaque veteris Eccleſiae Patrum et recentioris aeui Theologorum opera, viuidam circumtulit indolem, nihilque ſe earum rerum, quae ad ſacras profanaſque litteras pertinent, ignorare paſſus eſt. Iiſdem enim ſtudiis et MVDAEVS, teſte WESENBECIO (*g*), adeo ſe totum dabat, vt aliquando ex eo quaereret Maria, Regina Hungariae, *vbinam Theologiam didiciſſet?* quod negotiis non ſuae profeſſionis miſceretur, oblique, vti conſueue-

rat,

(*a*) *Dans le Calviniſme de Berry*, apud BAYLE *Dict. hiſt. crit. Tom. I. p.* 483.
(*b*) *Elog. Lib. II. cap.* 24. *p.* 107.
(*c*) *Vit. Iuriſconſult. p.* 200.
(*d*) *Tom. II. p.* 200.
(*e*) ADAMI *ibid. p.* 200.
(*f*) *Exempl. iuriſprud. pag.* 86.
(*g*) *Ibidem p.* 101.

rat, vellicans. Adeo multum intereſt, quos et quales quiſque nanciſcatur praeceptores, et quale iſti exemplum diligentiae, virtutis ac probitatis diſcipulis ſuis praebeant. Quod enim de Principum vita olim dixit PLINIVS (*a*), idem multo rectius licet de Doctorum exemplo et vniuerſa, quam tenent, ſtudiorum ratione adfirmare: *Vita eorum cenſura eſt, eaque perpetua ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. Quippe infidelis recti magiſter eſt metus. Melius homines exemplis docentur, quae in primis hoc in ſe boni habent, quod adprobant; quae praecipiunt, fieri poſſe.* Et ſane, quam mature in Iuriſprudentia aeque, ac omni litterarum genere, MVDAEO duce, profecerit Balduinus, vel inde patet, quod iam anno MDXXXXII. non Pariſiis, vti eſt apud FABRICIVM (*b*), ſed Louanii Graece et Latine ediderit et notis doctiſſimis illuſtrarit IVSTINIANI *leges de re ruſtica, et Nouellam conſtitutionem I. de heredibus et lege Falcidia*, quibus praemiſſa epiſtola nuncupatoria ad Guil. Hangoart, Senatus Arteſienſis Praeſidem, ſe, confectis primis Iuris tirociniis, domum a parentibus ad edenda forenſis facundiae ſpecimina reuocatum eſſe, teſtatur. Quod primum Balduini noſtri opuſculum adeo placuit Eruditis, vt mox cum ANTONII GARRONIS *Commentario in Pomponii Enchiridion* recuſum ſit Baſileae non anno MDXXXIIII. (quem perperam notarunt SIMLERVS (*c*) et HENDRICHIVS (*d*), ſed MDXXXXIII. vt adeo iure meritoque FRIDR. IAC. LEICKHERVS (*e*) Balduinum noſtrum accenſeat iis, qui cum ANT. AVGVSTINO, BONEFIDIO, VIGLIO ZVICHEMO et HALOANDRO Graecos Iuris libros Iuriſconſultorum ſcholis intulerint. Aiunt vulgo (*f*) BALDVINVM aliquamdiu in Caroli V. Imp. aula vixiſſe in familia Ioannis Marchionis Bergenſis, ibique contigiſſe id quod poſtea in augurium trahi caepit, vt vinum Imperatori ante ſomnum offerri ſolitum, vrgente ſiti intrepidus biberet, eoque audaci facto magis innoteſceret Caeſari miranti quidem, at non improbanti adoleſcentis confidentiam. Sed id quidem vel aperte falſum, vel multo ante id tempus factum eſſe dixerim. Praeterquam enim, quod ipſum facinus in adoleſcente magis excuſationem merebatur, quam in iuuene, in quo iam virilis prudentia elucebat Carolus V. Imp. circa id tempus procul a Belgio aberat, in ipſa Africa cum Algirienſibus bellum gerens, nec ante annum XXXXIII. in

(*a*) *Panegyric. cap.* 45.
(*b*) *Biblioth. Graec. Vol. XII. p.* 403.
(*c*) *Biblioth. p.* 100.
(*d*) *Pandect. Brandenb. p.* 194.
(*e*) *Vit. Iuriſconſult. p.* 167.
(*f*) MASSON. *ibid. et* ADAM. *in vita. p.* 200.

in Belgium reuerſus. Quare, ſi quid veri ineſt illi fabulae, dicendum videtur, Balduinum anno MDXXXVIII. quo Carolus Gandauenſes in ordinem cogebat, aulae Caeſaris ſpectatorem fuiſſe, et, vt ſolent iuuenes, qui in Academias non multo ante venerunt, ſibi omnia licere exiſtimaſſe. Saltim eum relicta Academia, vmquam in Bergenſi familia vixiſſe, non reperio, neque vt id credam, ea, quae paullo poſt conſequuta ſunt, permittere videntur. Pergit MASSONVS (*a*): *Lutetiam poſtea ſe contulit ad exploranda clarorum virorum ingenia, moxque* GVIL. BVDAEO, LAZARO BAYFIO, *aliiſque magnis viris innotuit.* Quae quidem vera ſunt quod ad iter Gallicanum attinet reliqua niſi recte explicentur, falſa dixerim. Quum enim anno demum MDXXXXII. Louanio domum redierit: quomodo innoteſcere potuit GVIL. BVDAEO, qui bienno ante, puta X. Kal. Sept. MDXXXX. deceſſerat (*b*)? Itaque probabile eſt eum bis in Galliam iuiſſe, ſemel anno MDXXXVIIII. vel XXXX. quo in itinere et GVIL. BVDAEVM Lutetiae ſalutaſſe, ac vidiſſe videtur (*c*): et iterum anno MDXXXXIII. quo tempore ibi aliquamdiu videtur in CAR. MOLINAEI contubernio vixiſſe (*c*) ſalutaſſe etiam alios viros doctos, et in his LAZARVM BAYFIVM, nihilque eorum, quae ad maiores variae doctrinae opes adquirendas pertinent, praetermiſiſſe. Erat CAROLVS MOLINAEVS *Iureconſultorum ſua aetate doctiſſimus, et qui omnes ſupremae curiae patronos, ſi non dicendo (nam lingua nonnumquam haeſitabat,) certe ſcribendo reſpondendoque facile ſuperabat* (*d*). Praeter ſummam vero variamque doctrinam etiam eccleſiae Romanae naeuos ita perſpectos habebat, vt iam illo tempore in Proteſtantium partes, quas deinceps aperte defendit, procliuior videretur. Quare non eſt profecto mirandum, Balduinum talia ab eo magiſtro edoctum, cupiditate quadam flagraſſe, viros earum partium doctiſſimos coram inſpiciendi, cum iiſque colloquendi de cauſſis, quibus illi inducti eccleſiam Romanam res ſuas ſibi habere iuſſerint. Hoc conſilio anno ſiue MDXXXXIII. ſiue inſequente iter ſuſcepit in Germaniam, quod MASSONVS ita deſcribit. *Hinc in Germaniam ad Melanchthonem et Bucerum, dein Geneuam ad Caluinum et Bezam profectus, ab his nouarum ſectarum auctoribus et defenſoribus intelligere voluit, quas ob cauſſas a Romanae veteriſque Eccleſiae caſtris diſceſſiſſent? Quorum impia commenta deprauataſque opinio-* nes

(*a*) *Ibidem.*

(*b*) LVDOV. REGIVS *vit.* GVIL. BVD. p. 100. et 102.

(*c*) VALER. ANDR. *Bibl. Belg.* p. 221.

(*d*) SAMMARTHAN. *Elog. Lib. II. cap.* 12.

nes improbans, *Bucerum tamen et Melanchthonem aiebat ſibi ob modeſtiam placuiſſe, Caluinum diſplicuiſſe, propter nimiam vindictae et ſanguinis ſitim, quam in eo deprehendiſſet.* Sed et his plura inſunt, quae Papyrio illi Maſſono leges hiſtoriae praecipuas in ſcribendo hoc elogio parum curae fuiſſe, demonſtrant. Nam primo THEOD. BEZAM ſalutare Geneuae non potuit, quem tum adhuc Romanae Eccleſiae addictum, anno demum MDXXXXVIII. Geneuam cum vxore migraſſe, inter omnes conſtat, idque ipſe Beza in elegante Epiſtola ad Melchiorem Volmarium Rufum (*a*) ingenue fatetur: PHILIPPVM vero MELANCHTHONEM multo poſt anno MDLVII. quum iam Heidelbergae doceret, et quidem non Wittenbergae, ſed Wormatiae, ſemel iterumque vidit, teſte THEOD. BEZA (*b*). Deinde dum Balduinum eo in itinere omnium iſtorum, quos viderat, impia commenta deprauataſque opiniones improbaſſe, ſcribit, et falſa narrat, et, quod verum eſt, turpiter diſſimulat. Quis enim ignorat, eum Geneuae Reformatis vere nomen dediſſe, et ipſi ſacrae ſynaxi interfuiſſe aliquoties? Refert id ſcriptor σύγχρονος, ANTONIVS GVAERINIVS (*c*) in Epiſtola ad Balduinum, additque, *eum mox Pariſiis Papiſticum habitum recepiſſe*, idque adeo in hoc ipſo itinere contigiſſe, perſpicue oſtendit. Oporteret vero hominem illum gnauiter fuiſſe impudentem, ſi viuo Balduino id exprobrare auſus eſſet, in quo ab omnibus, nedum a viro illo, mendacii quam facillime coargui potuiſſet. Ceterum tunc contigiſſe videtur quod ſcribit NIC. BVRGVNDVS (*d*), vt nimirum *adoleſcens haereſis crimine in patria poſtulatus, et poſt fugam proſcriptus, ad Caluinum decucurrerit, eodem vſurus doctore, quem auctorem nouitatis habuerit.* Explicato iſto itinere Lutetiam Pariſiorum rediit. Ibi enim anno MDXXXXV. publici iuris fecit *Prolegomena iuris ciuilis*, vel vti ipſe vocauit, *Praefata de iure ciuili*, quae quidem nihil aliud eſſe videntur, quam programma, quo more in Academiis antiquitus recepto praelectionibus iuridicis praeludere ſolemus. Id enim indicare videntur verba, quibus ſub finem illius Schediaſmatis vſus eſt: *Non dicam plura de noſtro ſtudio: nam et multa leuant promiſſa fidem; et nos alio loco fortaſſis nimis multa diximus. Ceterum ſtipulabor a ſtudioſa iuuentute, cui qualiacumque noſtra munera offerimus, aliquid ſaltim liberalis et ingenui fauoris, quem et ipſa fortaſſis exigit gratitudinis formula*,

(*a*) *Praemiſſa Tomo I. Tractat. Theologic.*
(*b*) *Tractat. Theol. Tom. II. p. 230.*
(*c*) *Apud* RIVET. *Tom. III. p. 1127.*
(*d*) *Hiſt. Belg. Lib. II. p. 37.*

mula, *et huius aetatis ratio promeretur*. Eam promulſidem ſequente anno excepit coena paullo latior, *Commentarius*, puta, *in Inſtitutiones*, de quo, quum in omnium manibus verſetur, nihil eſt, quod moneam, quam ipſum Balduinum, ſe in interpretandis Inſtitutionibus optimi Praeceptoris, GABRIELIS MVDAEI methodum eſſe ſequutum fateri: id vero THEOD. BEZAM (*a*) in Reſponſione ad Franc. Balduini conuicia ita eſſe interpretatum, ac ſi commentarios illos praeceptori Brechtano turpiſſimo atque illiberali plagio ſurripuiſſet. Ceterum Pariſiis ita vixiſſe Balduinum arbitror ad annum vſque MDXXXXVII. quo iterum Geneuam excucurrit, et teſte GVAERINIO (*b*) *in Caluini contubernio, menſa, ac familiaritate multos menſes commoratus, iterum euangelici nominis factus eſt*, et quidem antequam in Academiam Biturigum euocaretur. Et tum quidem contigit, quod in epiſtola ſupra memorata refert CALVINVS (*c*), *tantam ſuam fuiſſe erga ipſum facilitatem*; *vt, quidquid eſſet in bibliotheca ſua chartarum, libere, ſe abſente excuſſerit*: *ſurripuiſſe vero eum, quae in rem ſuam fore putarit, non aliunde petendam eſſe luculentiorem probationem, quam ex eius ſcripto, in quo ſe belle prodiderit, certe fidem eius et hoſpitalitatem hic deprehendi*. Nimirum multo poſt, quum iam a proteſtantium partibus ad pontificios prorſus defeciſſet, publicauit Balduinus litteras Buceri, ad Caluinum ſcriptas, in quibus hic illi faſſus eſſe dicebatur, *ſe eſſe natura iracundum et adſidue luctari cum hoc vitio*, *neque tamen proficere*, *quantum vellet*, itemque, *iudicare homines*, *prout ament*, *vel oderint*. Has ſibi litteras tum a Balduino ſurreptas eſſe, ait Caluinus, iure conqueſtus de ingrato hoſpite, *qui*, *quum ex Caluini prope viſceribus proferre potuiſſet*, *ſi quid deprehendiſſet in illo vitii*, *nil repererit atrocius*, *quam quod haec Bucero fuerit confeſſus*. Interea fama Balduini impulſi Gratianopolitani eum ad ſe euocare conſtituerant, at ipſe fatetur (*d*), eos ob contractam illam cum Caluino familiaritatem id conſilium ſuum damnaſſe. Ideoque Lutetiam rediit, ibique edito elegantiſſimo *ad Edictum Aedilitium commentario*, quem Aemilio Ferreto, Iuriſconſulto Auenionenſium celeberrimo, nuncupauit, ſe ad priſtinam docendi ſcribendique conſuetudinem retulit, donec ei anno MDXXXXVIII. noua ſpes fortunae ſerenioris adfulgeret.

Eo

(*a*) *Tractat. Theol. Tomo II. p.* 203.
(*b*) RIVET. *Tom. III. Op. p.* 1127.
(*c*) *Apud* BEZAM *Tract. Theol. Tom.* II. *p.* 100.
(*d*) *Reſponſ. ad* CALVIN. *et* BEZAM, *p.* 83.

Eo nimirum anno docendi munere, quo in Biturícenſium Academia adhuc cum laude functus fuerat, ſeſe abdicarat FRANC. DVARENVS, Iuriſconſultus ſine exemplo maximus, et vere ſaeculi ſui decus, ſed ea praeditus indole, vt nec parem vllum nec ſuperiorem e collegis ferre poſſet. Cupiebat ergo Balduinus in eius locum ſurrogari, ſeque tunc habiturum ſperabat campum latiſſimum, in quo virtus et eruditio ſua excurreret, ſi illam Spartam in celeberrima Biturigum ſchola, quae tum vulgo Berytenſi ſolebat aequiparari, obtinuiſſet. Quum ergo Lutetiam Pariſiorum veniſſet Duarenus, in foro ibi daturus eloquentiae prudentiaeque conſultatricis ſpecimina, neque Balduinus ignoraret, eius commendationem cum apud Bituricenſium magiſtratus, tum apud HOSPITALIVM maxime, non parum ponderis habituram, hunc potiſſimum adgreſſus, nuncupato illi libello quodam, aditum ſibi fecit ad eius amicitiam, eaque adſidua obſeruantia, vti ipſe DVARENVS (*a*) refert, id conſequutus eſt, vt Bituricenſibus commendatus, primum annuum ſtipendium, ac paullo poſt publicam Iuris profeſſionem ab iis impetraret, et EGVINARIO BARONI collega adiungeretur. Eſt ille libellus, Duareno tum conſecratus, *Commentarius in praecipuas Nouellas*, editus Lugduni MDXXXXVIII. cui et epiſtola ad Duarenum praefixa eſt, in qua tamen ſe nihil aliud intendiſſe fingit, quam *vt conciliandae inter ſe et Duarenum amicitiae, vel eius, quam ſtudiorum ſimilitudo fortaſſis vltro conciliarit, confirmandae animorum coniunctionis occaſionem et cauſſam daret.* Ad Biturigas ergo profectus, hoc anno priuatas habuit praelectiones in difficiliores iuris textus, inter quos et *l. lecta* XXXX. *D. de rebus creditis* fuiſſe, ipſe paucis ante mortem menſibus retulit Publica enim cathedra ei ideo nondum patuit, quod nondum Doctoris inſignia more maiorum capeſſiuiſſet, quibus inſequentis demum anni MDXXXXVIIII. IIII. Id. Mart. ab EGVIN. BARONE eſt condecoratus (*b*). Recitauit tunc BARO orationem, qua mirifice laudauit Balduini ingenium et doctrinam inuſitatam, quam deinde ipſe Balduinus, tamquam omni exceptione maius iudicii, quod de ſe ſuiſque ſtudiis Baro tulerit, teſtimonium laudat in *Reſponſione Chriſtianorum Iuriſconſultorum ad Franc. Duareni Commentarios de miniſteriis eccleſiae atque beneficiis*, his inter alia verbis vſus (*c*): *Et tu*, (Duarene) *parricidium aliis lugentibus laetus exprobrabis? Illine etiam* (Balduino),

(*a*) *Epiſtola de Balduino p.* 58.

(*b*) MASSON. *p.* 257. CATEARINOT. *ibid. p.* 4.

(*c*) *Pag.* 145.

duino), *de cuius virtute, ſi neſcis, exſtat adhuc a Barone ſcripta oratio, ſexcentis iſtic teſtibus nuncupata? Non enim omnia huius viri ſcripta ſupprimere adhuc potuiſti.* Ab eo tempore publicae profeſſionis dignitate ornatus, collegam ibi Baronem habuit, *quocum ſe coniunctiſſimum fuiſſe*, ait BALDVINVS (a), quum contra DVARENVS (b) illi publice exprobret, *nullam fuiſſe ex eo tempore, quo in collegium receptus fuerit, ſimultatis inter eum et Baronem intermiſſionem, quin Balduinum aduerſus iſtum vindictae cupiditate flagrantem, tantas excitaſſe tragoedias, vt a pleriſque credatur Baro ob moerorem, ex ea re conceptum, deceſſiſſe.* Vter mentitus ſit, neſcio. Nam et DVARENVS rem magis attingit, quam narrat: et BALDVINVS (c) tam frigide id crimen diluit, vt, praeter conuicia, vix habeat, quod reponat. At id mihi liquido ſcire videor, minime omnium Duarenum Balduino haec potuiſſe ſine ſumma impudentia exprobrare, qui adeo omnibus iniuriis Baronem collegam exagitauerat, numquam vt cum eo, niſi iam mortuo, in gratiam redierit. Exſtant et hodie virulentae eius chartae, quibus tum ſuo, tum fictitio LAETI nomine vſus, virum optimum inſectatus eſt: exſtant tot virorum doctorum teſtimonia, ex quibus patet, Duarenum viuum Baronem perpetuo habuiſſe ludibrio, mortuo vero monimentum ſuis impenſis ſtatuiſſe, quin cauiſſe teſtamento, vt iuxta illum terrae mandaretur. Teſtem habeo SCAEVOLAM SAMMARTHANVM (d), qui collegas illos vno elogio ornans de hac eorum coniunctione ita differit: *Florebat in eadem Biturigum Schola Eguinarius Baro, in iis quoque numerandus, qui primi bonarum artium lumine ſuas praelectiones illuſtrare, veteremque Iuriſprudentiam inſtaurare ſunt adgreſſi: non obſcura Duareni ipſius aemulatione, qui quum omnem huius praeclari inſtituti gloriam ardentiſſime adfectaret, hominum opinioni, de Baronis doctrina conceptae, non nihil detrahere conatus eſt, edita in eum de iuriſdictione et imperio apologia, maleuoli ſane animi teſte in poſterum futura, niſi humanarum rerum memor exſtincti poſt aliquot annos collegae, et quidem popularis ſui, pios manes, poſito in eius honorem ad Hippolyti fanum inſigni monimento placauiſſet, ibidemque poſtea iuxta illum ſepeliri ſupremis tabulis mandauiſſet.* Videtur SAMMARTHANVS admiratus eſſe hanc Duareni humanitatem: ſed profecto mihi non placent homines, quibus non placent collegae, niſi mortui. Praeterea cauſſas proprias habuiſſe videtur Duarenus, cur monimento honorandos exiſtimaret Baronis

(a) *Reſponſ. ad Caluin. et Bez.* p. 83.
(b) *Epiſtol. de Balduino* p. 61.
(c) *Reſponſ. Chriſtian. Iureconſult.* p. 145.
(d) *Elog. Lib.* I. *cap.* 31.

Baronis cineres, quippe quem neſcio quibus artibus eius hereditatem ſibi adrogaſſe, ſcribit BALDVINVS, cuius verba, quantumuis prolixiora hic adſcribere ob libelli raritatem non dubito (*a*): *Interea quod de Baronis Iuriſconſulti clariſſimi morientis dolore fingis ridendo: nobis profecto dolet. Si viueret, iſtas tibi delicias excuteret. Sed tu ſane nimium libenter mortis illius meminiſti, quae te beauit. iſtic tamen eius mentionem te facere, miramur, inter eos praeſertim parietes, qui, ſi loqui poſſent, o bone hoſpes, ecquid putas nunc audires? Verum ſane, ſi fieri poteſt, nemo iſtic quidem ſciat, (per nos enim nemo ſciet), ecquem ille viuens eiecerit, ingratum contubernalem clamans. nemo ſciat, quis tamen eo vixdum elato, repente ſuus atque domeſticus heres illi factus ſit. iacenti hereditati quis adhuc incubet, ſciat nemo: et alia, quae ſcis, myſteria multo magis taceantur, quae profecto abs verecundo aduerſario numquam audies. Sed nemo interea neſcire poteſt, (quod omnes ſcire voluiſti), qualem tu in Baronem confiſto* LAETI, *qui nullus erat, falſi nomine declamationem ipſe edideris: quam quidem mortis illius cauſſam fuiſſe non dicimus, ſed acerbiſſimi profecto doloris illi eſſe, vt fuit, voluiſti: neque fieri poſtea potuit, quin multis in funere occurreret vetus illud:* OLLVS LETO DATVS EST. Haec Balduinus, cuius verbis, vti facile patet legentibus, *μυσηελώδής τι* ineſt, ſed quod, ſi expenderint, Baroni fuiſſe vxorem, et Duarenum caelibem (*b*) in eadem domo aliquamdiu cum Barone habitaſſe, facile diuinando poſſe adſequi videntur. Quum ergo eo animo erga Baronem adhuc viuum et ſpirantem fuerit Duarenus, merito mireris, cum ita perfricuiſſe frontem, vt Balduino ob eam cauſſam, quod eum Barone non ſatis amice vixerit, iraſceretur. Atqui, vti recte dixit poeta (*c*),

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis caelum terris non miſceat, et mare caelo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuſet moechos, Catilina Cethegum?

Enimuero qui viui Baronis perpetuus obtrectator fuerat, is mortui fatis tamquam Caeſar Pompeii illacrymans, Balduino exemplum ſuum ſequuto iraſcitur, quaſi ſibi ſoli licuiſſe putarit, virum optimum ludi-

(*a*) *Reſponſ. Chriſt. Iureconſ. p.* 145.
(*b*) SAMMARTHAN. *ibid. p.* 62.
(*c*) IVVENAL. *Satyr. II. v.* 23. *ſequ.*

brio habere, et ne eius quidem laudis, quam opprimendo collega adſectabat, vllum alium conſortem habere voluerit.

Ceterum Baronem, ſiue amicum, ſiue inimicum, certe collegam, Balduinus habuit ad annum MDL. quo ille X. Kal. Septembres quinquagenario maior deceſſit, locumque fecit Duareno, triturae quippe forenſis, cui ſe Lutetiae dare coeperat, iam pridem pertaeſo. Refert BALDVINVS (*a*) ipſum ſe auctorem fuiſſe magiſtratibus Bituricenſibus, vt Duarenum in ſcholam ſuam reuocarent, quin et redeunti ſe locum priorem, quem retinere potuiſſet, cedere non dubitaſſe, atque ita toto quadriennio ſine vllius ſimultatis ſignificatione habuiſſe bonum collegam. At DVARENVS (*b*) negat, Balduino ſe quidquam debere, immo potius eum manibus pedibuſque obnixe omnia feciſſe, ne reuocaretur, conqueritur, faſſus tamen, illum, quum ſe rem impedire non poſſe intelligeret, ſe quolibet obſeruantiae genere eſſe proſequutum. Neque tamen diuturna fuit illa collegarum amicitia: quamuis in ediſſerenda irarum cauſſa quam maxime diſſentiant. DVARENVS enim nihil habuiſſe videtur, quod odio ſuo praetexeret, quia fatua cauſſa contentus, *ſe*, inquit, *a multis monitum de Balduini inſidiis, nihil amplius diſſimulandum putaſſe, ac proinde de iure amicitiae neceſſitudiniſque violato conqueſtum eſſe paullo liberius ac ſtomachoſius.* At BALDVINVS (*c*), cui ſollemne erat, omnia ad religionis cauſſam referre, illos quoque acerrimos Duareni inſultus ſe pietatis, aut certae ſectae cauſſa, ſuſtinuiſſe, ait, neque aliam Duareno cauſſam fuiſſe exiſtimat odii, quam diuturnam illam, quae ſibi cum Caluino Coloniae Allobrogum interceſſerit, conſuetudinem. At niſi me omnia fallunt, nec Balduini tantus fuit candor, vt eum dignum habuerit Duarenus, quocum in tenebris micaret: nec Duareni tantum ſectae ſtudium, vt ſuſpectus eſſe debuerit Balduino. Non magis enim ille Pontificis, quam hic Caluini cauſſa omnia volebat. Immo, ſi dicendum quod res eſt, ille tam malus pontificius, hic non melior reformatus, vterque hypocrita peſſimus fuiſſe videtur. Quod ne temere ſcribere videar, quis illorum Ecebolio-rum de religione ſenſus fuerit, paucis oſtendere, operae pretium fuerit. Balduinum toties adhuc mutaſſe ſacra, quoties ei locum mutare placeret, iam vidimus. Et ab illo inſtituto eum ne diuturna quidem iſta cum Caluino conſuetudo ac familiaritas abduxerat, adeo, vt ſaepius laudatus GVAERINIVS (*d*) eum apud Bituricenſes *ad Papiſticam idolo-*

(*a*) *Reſponſ. ad Caluin. et Bezam. p.* 83.

(*b*) *Epiſtola de Balduino p.* 65.

(*c*) *Reſp. ad Caluin. et Bezam, p.* 84.

(*d*) RIVET. *Oper. Tom. III. p.* 1127.

idololatriam, *et tamquam canem ad vomitum*, *rediiſſe*, teſtetur. Quanta animi leuitate poſtea modo ad Reformatos, modo ad Lutheranos, modo ad Romanenſes, transfugerit, mox referemus. Et tamen Duarenum ob contractam cum Caluino familiaritatem a ſe alienatum eſſe, clamat. Quem vero DVARENVM? An genuinum Romanae Eccleſiae filium, qui diſſentientem a Pontificis maximi decretis ſtatim ad leones poſtularet? An iuratum Caluini hoſtem, cui ſuſpecti eſſent, quicumque ad nomen illud non exſpuerent? Immo Caluinianum, Pontifici blandientem, id eſt BALDVINO tam per omnia ſimilem, vt fratres germanos credidiſſes, eoſque amiciſſimos inter ſe eſſe oportere iuraſſes, niſi

fratrum quoque gratia rara

eſſet inter huius ſaeculi homines. CATHARINOTVS (*a*) ſane Duarenum clam fauiſſe Proteſtantibus, diſerte oſtendit. Et ipſe BALDVINVS (*b*) eum non minus olim, ac ſe, Caluino notum ac familiarem fuiſſe refert, his verbis: *Audiebant*, homines, *eum ante annos prope viginti*, (adeoque circa annum MDXXXVI.) *euangelio nomen dediſſe*, *purioris religionis elementa alios docuiſſe*, *eius miniſtros ſaepe laudaſſe*, *regni Pontificii tyrannidem*, *impoſturas*, *et idola*, *frequenter damnaſſe*, *nec ſolum in Gallia florentem Molinaeum coluiſſe*; *ſed et Geneuae exſulantem inuiſiſſe*, *ibique etiam magna obſeruantiae et amicitiae ſimulatione Caluinum ſalutaſſe*, *eique religionis et conſenſionis ſignificationem magnam dediſſe*, *denique Geneuae feſtum diem Paſchatos celebraſſe*: *deinde Lauſannae cum Vireto*, *et Bernae cum Muſculo*, *et Baſileae cum Eccleſiae Miniſtris familiariter conueniſſe*. Quis ergo Duareno crederet ob religionem exoſum fuiſſe Balduinum, quum ambo, aeque religioſi, totos ſe ad Romanenſium imitationem, illo tempore, quo apud Biturigas vna eſſent, componerent. Sola ergo aemulatio fuit, quae illorum collegarum animos miſere diſtraxit, nihil reliqui faciente Duareno, vt in ſchola illa ſolus dominaretur, Balduino autem, quoad eius fieri poterat, obnitente; vtroque vero ſtudioſorum, qui tum eo confluebant, ſollicitante animos, eoſque contra collegam irritante. Quod quum diutius vterque faceret, res demum in neruum erupit, grauiſſimuſque tumultus, qui prope euertiſſet Academiam, obortus eſt. Rem paucis complexus DVARENVS (*c*), culpam omnem, vti ſolet, in Balduinum confert. Ait enim,

(*a*) *Du Calviniſme de Berri* p. 4.
(*b*) *Reſponſ. Chriſt. Iureconſ.* p. 10.
(*c*) *Epiſt. de Balduino ad Caluin.* p. 63.

enim, illum ſubito intermiſiſſe lectiones publicas, interſerentem cauſſam, poſſe ſe Academiae lucubrationibus ſuis plus famae ac celebritatis, quam publicis illis praelectionibus, quaerere. Reprehenſum eo nomine Balduinum a magiſtratibus, ad quos Balduinus rem detulerit, intermiſſas quidem lectiones de nouo eſſe auſpicatum, ſed horam ſibi ſuo arbitratu ad eam rem ſepoſuiſſe, alii Doctori iam deſtinatam, quin et eam horam ſubinde mutaſſe pro lubitu, aliorumque poſſeſſionem non minus ſuperbe, quam turbulente et ſeditioſe, inuaſiſſe. Ea re tantos demum excitatos eſſe tumultus, vt rem magiſtratus ad curam ſuam putauerit reuocandam, et Balduinum, earum turbarum auctorem et flabellum, cauſſa cognita, damnarit. Ex ea vero damnatione dolorem tam acerbum ſenſiſſe Balduinum, vt nulla vſus excuſatione a lectionibus plane ceſſarit, et paullo poſt, nullo collegarum ſalutato, non ſolum Vrbe et Academia, ſed et vniuerſa Gallia, exceſſerit. Huic Dvareni accuſationi quod opponeret, praeter mala verba, nihil habuit Baldvinvs (*a*). *Qui illud eſt*, inquit, *quod nunc ſcribis, ſeditionis damnatum illum eſſe, quem inſequeris? Cuius, o bone vir? qua ſententia? quo iudicio? quo die, aut Conſule? Tu qui ſcholaſticas ſeditiones, artes tuas et ludos, regnumque prudentiae tuum iam pridem eſſe, profiteris, ſeptus cauſſidicis et diuiſoribus, audes homini, tam ab iis Hyperboricis moribus abhorrenti, vt nulla iactura, quin te propterea fugeret, retardari potuerit, obiicere, quod committis?* Iam quidem huic liti me non interpoſuerim, quamuis Duareni defenſionem difficiliorem reddere videatur id, quod poſtea molitus eſt aduerſus Balduini ſucceſſorem, Cuiacium, quocum ille, teſte Thvano (*b*), *aeque magnas et acres contentiones habuit, ex quo non obſcurae ſimultates inter auditores exortae ſunt, ita, vt ſchola Bituricenſis in partes ſcinderetur, ob idque maius periculum immineret, niſi ceſſiſſet Cuiacius, et Valentiam Cauarum migraſſet.* At operae tamen pretium fuerit ipſum illud bellum ſcholaſticum, quoad fieri poteſt, accuratius deſcribere, vt quanto furore tum illud geſtum ſit, eo rectius intelligatur. Viuebat tum apud Bituricenſes Nicolavs Cisnervs, iam tum quidem Profeſſor Heidelbergenſis, ſed qui anno MDLIII. diſſipata peſte Academica, magno iuuenum nobilium agmine ſtipatus, in Galliam ſeceſſerat (*c*). Inter eius clariſſimi Iuriſconſulti opuſcula, cura Qvirini Revteri Francofurti MDCXI. edita (*d*), exſtat etiam *oratio, ſtudioſorum nationis Germanicae* in

(*a*) *Reſponſ. Chriſt. Iuriſc. p.* 146.
(*b*) *Hiſt. Lib. XXIII. ad ann.* 1559. *p.* 646.
(*c*) Bvdervs *Vit. clar. ICtor. p.* 316.
(*d*) *Lib. III. p.* 648.

in Schola Biturigum nomine, habita ad Ampliſſimum Senatum Pariſienſem, in qua iſte tumultus viuis coloribus depingitur. Inter Germanos, qui tum ibi iuri operam dabant, erat etiam Daniel Schleicherus, Vlmenſis, quem Cisnervs (*a*) *excitatum nomine et fama celeberrimi iuris interpretis*, Franc. Dvareni, *Bituriges ſe contuliſſe, eoque, tamquam architecto, praeeunte, non infeliciter fundamenta in arte illa ieciſſe* ait, *reliquam etiam exaedificationem abſoluturum, niſi quae tempeſtas illam ſcholam inuaſerit, in illius praecipue caput redundaſſet.* Is VIII. Eid. Maii, quum a coena, quodam e popularibus ſalutato, praeeunte ciuis cuiuſdam famulo cum funali ardente, domum redire vellet, in itinere illo a collecta et armata aduerſae factionis manu ex inſidiis circumuentus, quinque inflictis vulneribus, corde perfoſſo, trucidabatur (*b*). Inſequente die magiſtratus, ſcholae deminutionem veritus, caedis iſtius auctores vndique conquirebat, at, quum iam pleroſque illa nocte fuga abſtuliſſet, non niſi duos, neſcio quo fato in vrbe detentos, in carcerem abripi iuſſerat, et vrgente vindictam Duareno, ipſiſque Germanis ſtudioſis de hac iniuria apud Margaretham, Principem Bituricenſium, conquerentibus, cauſſa omni perſpecta capitalem hanc ferebat ſententiam (*c*), *vt duo illi, data mulcta fiſco quingentorum francorum, et centum collatis ad faciendum monimentum, in facinoris teſtimonium, iuxta tumulum occiſi Schleicheri, in foro Gordiano laqueo ſtrangularentur, ii vero, qui aufugiſſent, praeſtitis ex bonis eorum Principi mille libris Francicis, ducentis item ad erigendam ſtatuam in loco admiſſae caedis, cum inſculpto cauſſae programmate, eodem ſupplicio, quandocumque adprehenſi fuerint, adficerentur, et in condemnationis indicium imaginaria in eos interim conſtituti ſupplicii exſequutio exerceretur.* Ea lata ſententia, fremebant homines quidam, et ne tale exemplum fieret, omnem mouebant lapidem, quin auctores erant ſententiam paſſis, vt ad ſupremum Senatum Pariſienſem prouocarent: eaque ipſa cauſſa mouerat Ciſnerum, Duareni admiratorem, vt totius Germanicae nationis nomine orationem illam conſcriberet. Interim in furorem acta altera factio, peroſa Duarenum, a quo commilitones ſuos ad ſupplicium poſtulari, non ignorabant, *eius imaginem, in tabula depictam, eodem in loco, quo ſupplicium de ſceleratis hominibus ſumi ſolebat, ſuſpendebant*, et quidem, Cisnero (*d*) indice, non ob aliam cauſſam, *quam quod omnibus ius reddi, iudicia fieri, ſcholae ſuae, ſcelere il-*

(*a*) *Lib. III. p.* 651.
(*b*) *Ibid. p.* 652.
(*c*) *Ibid. p.* 653.
(*d*) *Ibid. p.* 654.

lorum vexatae, mederi, reique publicae perturbatae pristinam quietem et pacem restituere, exteros insontes tueri, noxios ciues coërcere vellet. Conqueritur porro Cisnervs (*a*), tam miseram tunc fuiſſe Germanorum, ibi ſtudiorum cauſſa commorantium, conditionem, vt alterius factionis homines in obuium quemque, tamquam in feram quamdam belluam, irruerint, eoſque, non in ſiluis aut ſaltibus, ſed in media vrbe, gladiis, telis, ſecuribuſque conficere conati ſint: eaque omnia ſe ideo attigiſſe ait, *vt, quid rationi, quid honeſtati, quid modeſtiae in* illis *loci ſit, qui* cvm reis vitae societate conivncti fverint, patres *conſcripti intelligerent* (*b*). Quis cauſſae exitus, quae reorum fata fuerint, ex ea oratione non diſcimus: at qui totam perlegerit, illico animaduertet, in Baldvinvm hanc fabam cudi. Adſentabatur ſtudioſis peregrinis, et Germanis maxime, Duarenus, iiſque perſuadebat, ſe eorum cauſſa nullas inimicitias, nullamque collegarum inuidiam pertimeſcere: quibus blanditiis eos ſibi, vt fit in Academiis, facile reddebat obnoxios, vt ſolum ſapere Duarenum, reliquos volitare velut vmbras exiſtimarent. Inde fremere eius collega, ſuos quoque auditores alteri factioni opponere, eorum inſolentiam, quoad eius fieri poterat, tueri, donec res, vti Cisnervs refert, in apertum bellum, vel latrocinium potius, erumperet. Quare fortaſſis et Duareni et Balduini querelae fuerunt iuſtiſſimae, nec magis quiſquam diſcernet hodie, vtrius fuerit cauſſa iuſtior, quam olim certo conſtitit, Caeſarine, an Pompeio, tot malorum Iliadem deberet res publica.

Victrix cauſſa diis placuit: ſed victa Catoni.

Interim illud ipſum iudicium, quo Balduini factio ob caedem iſtam damnata eſt, occaſionem dare potuit magiſtratui, vt in turbarum auctores inquireret, et Balduinum ſi non damnaret, at reprehenderet ſaltim paullo ſeuerius, et officii ſui admoneret. Nec incredibile eſt, Virum Doctiſſimum, et iniuriarum impatientem, pertaeſum iſtius laniemae, accedentibus nouis de hora lectionum litibus, demum ſignum receptui dare, et, relicta celeberrima Biturigum ſchola, ſpontaneum exſilium vitae turbarum pleniſſimae praeferre ſecum conſtituiſſe, id quod adulto iam anno mdlv. contigiſſe, ſatis conſtat.

Antequam in Germaniam comitemur Balduinum, paucis monemus, eum apud Biturigas non admodum multa edidiſſe in lucem, ſiue

(*a*) *Lib. III. p. 657.* (*b*) *Ibid. p. 655.*

ue perpetuis diſtractum laboribus Academicis; (quae enim de intermiſſis ab eo lectionibus publicis ſcripſerat Duarenus, ea ita diluit, vt illas ſe non niſi a Nonis Ianuariis ad Kal. Februarias, et quidem a Duareno impeditum, intermiſiſſe, dicat (*a*),) ſiue litibus iſtis cum BARONE et DVARENO ita implicitum, vt de vtilioribus cogitare non vacaret. Recudi tamen anno MDLIIII. paſſus eſt ſuum *in Inſtitutiones Commentarium*; ipſo vero anno MDL. edidit libellum *ad leges Romuli et XII. Tabularum*, qui poſtea Heidelbergae auctior atque emendatior exiit, atque ita placuit Eruditis omnibus, vt, ſi vllus alius, is certe typothetarum praela ſaepiſſime ex eo tempore fatigarit. In Biturigum vrbe ad nuptias etiam animum adiecit BALDVINVS, ducta CATHARINA BITONIA, Philippi Labbei vidua, et aliquot liberorum ex priore marito matre, ex quorum vno et celeberrimum illum PHIL. LABBEVM, deſcendere, MENAGIVS (*b*) obſeruauit. Hos priuignos ſuos, vna cum eorum auia, Balduinum miſere ſpoliaſſe, refert CALVINVS (*c*). Sed ea in re viro, iuſto ſuſpicaciori, fama fortaſſis non minus impoſuit, quam THEODORO BEZAE, qui talia illi permulta non parce obiicit, quae non modo incerta, ſed et manifeſto falſa eſſe, conſtat. Erant enim tum tempora, quibus, qui inter ſe libellis eriſticis pugnabant, omnes etiam anicularum fabulas, quae de aduerſariorum vita et vitiis iactabantur, auidis hauriebant auribus, illaque intexebant chartis ſuis, et tunc ſibi ſatis cauiſſe videbantur, ſi fidem penes auctorem eſſe iuberent.

Sed vt ad Balduini iter Germanicum, veluti e diuerticulo in viam reuertamur: illud clam, et nemine collegarum ſalutato ſuſceperat. Neque id negat BALDVINVS (*d*), at id tamen conſilium ſuum his verbis defendit: *Indignaris, atque etiam palam conquereris, te inſalutato diſceſſiſſe. Age vero, concede illi tantillum Iuriſprudentiae, vt aliquid cautionis tam apertis periculis adhibeat, et inſidiatore inſalutato effugere fas eſſe putet. Atqui veterem amicum et collegam metuere non debebat. Sic aliquando exiſtimauit. Sed feciſti, vt intelligeret, ſeſe nimis ſecurum eſſe et credulum. Verum ſi iuſtus metus non fuit, qui caderet in conſtantem virum, rurſus vt illi ignoſcas, petimus. Eſt enim meticuloſus: neque adhuc audiuerat, quod iam ſcribis, te hominem non ſolum liberalem et beneficiarium, ſed etiam miſericordem, ſaepe tuis eos facultatibus etiam* adiu-

(*a*) *Reſponſ. Chriſt. Iuriſc. p.* 139.
(*b*) *Remarques ſur la vie d'Ayrault, p.* 158.
(*c*) *Opuſc. Theol. p.* 370.
(*d*) *Reſp. Chriſt. Iuriſconſ. p.* 243.

adiuuiſſe, qui pro Chriſti nomine laborarent. E Gallia ſtatim iter Geneuam ſuſcepit, et quamuis ea, quae adhuc diximus, ſatis oſtendere videantur, cauſſas iſtius clandeſtini diſceſſus non admodum fuiſſe honeſtas, religionem tamen fugae praetexere non dubitauit, adeoque merito miratur DVARENVS (*a*), eum perſuadere potuiſſe Reformatis, ſe religionis cauſſa profugum ad illos conceſſiſſe, neque alia cauſſa, quam vt conſcientiam ſuam in libertatem vindicaret, ad Spartam deſerendam eſſe adductum. Aſt perſuaſerit id fortaſſis quibuſdam: ſaltim id numquam crediderunt acutiores, nec inter hos Io. Caluinus, ad quem iam in illa peregrinatione ſua denuo diuerterat. Tantum enim abeſt, vt Geneuenſes eum, toties ad Pontificios relapſum, admodum amanter exciperent, vt, teſte CALVINO (*b*), *eum liberis conviciis vndique exagitarent etiam ii, qui prius amici fuiſſent, donec ſeuera obiurgatione correctus à Caluino, lapſus ſui foeditatem agnouerit, et ſeruiliter adſenſus, adulatorie ſe eius conſiliis regendum permiſerit.* Ita hoc anno MDLVI tertium publice ac ſollemniter Proteſtantibus dedit nomen, toties mutans religionem, vt non ſaepius pellem ſerpentes mutare videantur: vnde et poſtea ECEBOLIVS dici coepit a Proteſtantibus, quem Sophiſtam ad Imperatorum mores ac voluntatem ſeſe componentem, Conſtantio imperante, Chriſtianam religionem ardentiſſime coluiſſe, Iuliani temporibus gentilium ſuperſtitioni ſupra modum addictum adparuiſſe, poſt eius exceſſum Chriſtianis rurſus acceſſiſſe, et prae foribus eccleſiarum clamaſſe: *Calcate me, vt ſal inſipidum*, refert SOCRATES (*c*). Itaque Ecebolii nomen poſtea BALDVINO tam conſtanter haeſit, vt, paene illo, quam Balduini, notior vbique eſſet, miro ſane iudicio Dei, vt quo ipſe vocabulo antea Duarenum infamarat, eo ipſe poſtea, Duareni veſtigia toties premens, perpetuo notaretur.

Geneua digreſſus, et de noua fortunarum ſede ſollicitus, Tubingam potiſſimum ire conſtituerat, teſte VALERIO ANDREAE (*d*). Nam vt ipſe BALDVINVS refert in Epiſtola ad Chriſtophorum, Wurtembergiae Ducem, *Iuſtiniano* ſuo praemiſſa, *ab eo Duce primum ſibi et fauoris praeſidium oblatum fuerat, et conditio doctiſſimae eius Academiae occurrebat.* Sed certior factus, Tubingenſem profeſſionem ſortitum eſſe CAROLVM MOLINAEVM, mutato conſilio, Argentoratum diſceſſit, ibique Iura docendi prouinciam, honeſtiſſimis inuitatus conditionibus,

(*a*) *Epiſt. de Balduino p.* 64.
(*b*) *Opuſc. Theolog. p.* 368.
(*c*) *Hiſt. eccleſ. Lib. III. cap.* 13.
(*d*) *Biblioth. Belg. p.* 222.

bus, ſuſcepit. Quamuis enim ſchola iſta tum nondum Academiae priuilegia impetraſſet: tanta tamen erat Virorum Doctorum, qui ibi publice docebant, et maxime Bvceri et Stvrmii celebritas, vt confluentibus eo certatim adoleſcentibus multas Academias virorum doctorum copia et frequentia ſtudioſorum ſuperaret. Huc ergo, vbi primum aduenit, nihil prius, nihilque habuit antiquius, quam vt datae a ſe coetui proteſtantium fidei publicum exſtaret teſtimonium. Quo consilio, ſi Hotomano (a) fides eſt, *verboſiſſimam fidei ſuae confeſſionem in templo, non infrequenti hominum conuentu, magna et confidente voce pronunciauit, vt ad ſacrae coenae et corporis Chriſti communionem reciperetur.* Hinc poſtea menſe Martio anni MDLV. munus docendi auſpicatus eſt oratione ſollemni, quam *Iuris Ciuilis Scholam Argentoratenſem* inſcripſit, poſteaque typis exſcriptam iuris publici fecit. Et eſt ſane, quod conſeruatum illum rariſſimum libellum non modo nobis, ſed et reipublicae litterariae, gratulemur. In ea enim non ſolum de Iuriſprudentia recte docenda permulta ſapienter excogitata dictaque, ſed et de rebus, ad iſtorum temporum et ipſius Balduini hiſtoriam pertinentibus, haud pauca occurrunt, quae hodie alioquin ignoraremus. Et videtur ſane Balduinus, recente adhuc iniuriarum, quas a Duareno paſſus fuerat, memoria, et dolore, quem inde ſenſerat, nec dum lenito, id praecipue egiſſe illa oratione, vt Duareni Scholam, ad quam eo tempore magnus iuuenum Germanorum concurſus fiebat, ſuſpectam redderet, eademque opera dolori ſuo deminuta, Duareni exiſtimatione, parentaret. Occaſionem vero adripuit ab eius libris *de ſacris eccleſiae miniſteriis et beneficiis*, qui primum anno MDL. in lucem prodierant. Tametſi enim vere his libris nihil ſit doctius, in iiſque Eccleſiae Romanae naeui haud pauci, ipſo fatente Baldvino (*b*), paſſim mira παῤῥησία notentur: pleriſque tamen paullo acutioribus iam illo tempore ſuboluit, id potiſſimum egiſſe Duarenum, vt regnum illud pontificium, quod Carolus Molinaeus inter primos, medio in foro Senatuque Pariſienſi concutere coeperat, ſaluum praeſtaret, quippe quo conſilio illum non modo eius fulcra inconcuſſa reliquiſſe, ſed et ruinam minantia nouis veluti adminiculis pedare conatum eſſe, obſeruant (*c*). Verba ergo de Chriſtiana Iuriſprudentia faciens Baldvinvs, grauiter conqueritur de Epicureis quibuſdam le-

(*a*) *Epiſtola de officio tum in religione tum in ſcriptionibus retinendo.*

(*b*) *Reſponſ. Chriſt. Iuriſc. p.* 11.

(*c*) *Ibid. p.* 17. *ſeq.* Thomas. *praefat. ad Lancellot. Inſt. iur. can.* §. 2.

guleiis, ad quos iuuenes Argentoratenſes, aliique Germani, tamquam ad oracula confluant, vt noua illa Iuriſprudentia fermentoque pontificio imbuerentur: ac demum haec, quae ſequuntur, ſubiicit: *Alii vero auctoritate et gloria elati, quos, vt ille olim dixit poëta, ducit hiantes cretata ambitio, quid non contra faciunt? Quid? Purpuram induet, mulam conſcendet, ſedebit in auditorio togatus aliquis Epicurus, fermento inflatus et faſtu, vt noua neſcio quae et barbara decreta, iuris prope diuini titulo atque auctoritate donet: conceptiſque etiam verbis, in eorum verba liberos veſtros iurare iubebit, atque ita inauguratos, extorta etiam prius talis inaugurationis mercede, ad vos remittet. Vtinamque etiam diſceſſuris non inſuſurret arcanae illius et reconditioris ſuae prudentiae nouas leges, magnae nunc ſcilicet ſapientiae eſſe, animo contemnere omne Numen, corpore coram omnibus idolis, dicis cauſſa, procumbere, ſi qua de religione controuerſia ſit; ſpectatorem eſſe fabulae, et vtramque partem ſuauiter ridere, ſi quod ius ſit, regnandi cauſſa ius violandum eſſe. Haec portenta aliquando audiri in hominum togatorum conuentu, aliquis fortaſſe rerum imperitus non crederet. Vtinam vero nihil eſſet cauſſae, cur, quod natura prope incredibile eſt, inauditum non eſſe, dici aliquando poſſit. Sed quod dicitur, quod audiui, quod fit, quod vidi, diſſimulare non eſt integrum.* Et paucis interiectis: *Neque mihi, opinor, reddenda nunc alia ratio eſt, cur in hac ſchola verſari, quam in alia malim. Multis iam annis ius ciuile docui liberali conditione in illuſtri Galliae Collegio. Multi, cur nunc ex eo diſcedere non nolim, fortaſſe mirantur. Ego vero me in eo tamdiu manere potuiſſe, miror. Praeterea nihil dicam.* Vt paucis rem complectar, eo redeunt omnia, vt dehortetur parentes, ne filios mittant in Galliam, neque eos a Duareno corrumpi patiantur, ſed domi ſcholam ita inſtituant, vt inde, tamquam ex equo Troiano, plures non modo iuris periti, ſed et Chriſtiana pietate imbuti, quotannis prodeant. Videri volebat Balduinus, non hominibus, ſed vitiis, iraſci, miraturque Duarenum ea omnia ad ſe rapiendo, quae communia ſint plurium, tam ſtolide denudaſſe animi conſcientiam: immo illum ſimilem eſſe ait Baſſo parricidae, qui hirundines domeſticas lapidibus impetierit, quod miſeras auiculas diceret ſua garrulitate parricidium hoſpiti exprobrare (*a*). Sed lapis fuiſſet Duarenus, niſi hanc fabam in ſe cudi ſenſiſſet. Immo ſenſit id illico homo non obeſae naris, et iniuriam ſibi illatam vltus eſt illa maledicentiſſima *Epiſtola de Balduino*, cuius

(*a*) *Reſponſ. Chriſt. Iuriſc. p.* 5. *et* 131.

ius iam aliquoties mentionem fecimus, quamque poſtea IO. CALVINVS adpendicem eſſe voluit alterius Reſponſionis ſuae ad Balduini conuicia: quin, vt erat ſtomachoſus, paucis menſibus poſt publici iuris fecit alteram *Epiſtolam ad Franciſcum Hotomanum*, qui et ipſe paullo poſt ſcholam Lauſannenſem cum Argentoratenſi commutarat. Vtraque, atrociore ſtilo ſcripta, a nullo abſtinet conuicio, at priore tamen multo virulentior eſt poſterior, quam ideo BALDVINVS (*a*) vocat *chaos quoddam non ſolum terribilium conuiciorum, ſed etiam horribilium dirarum, et quidquid maleuolentia potuerit animo concipere, vel ore exprimere petulantia.* Quin addit, *ſi Latine non ſcripſiſſet Duarenus, ſe non putaturum fuiſſe, aut illum, aut hominem litteratum, ſcripſiſſe, ſed nautam, cauponem, ſtabularium, vel ſcurram aliquem temulentum.* Et ſane vbi molliſſime aduerſarium tangit DVARENVS, eum *Sycophantae* vel *Balbini* exornatum elogio dimittit: at ſi quando incaleſcit, tota conuiciorum plauſtra in eum euertit, eique *apoſtaſiam, Nouatianiſmum, peccatum in ſpiritum ſanctum*, quin nullum non delictum, digniſſimum ſupplicio exprobrat, et ne Collegis quidem Balduini, quos declamationem illam audientes, elegante Simonidis vſus paroemia, *auribus calumniatos eſſe*, conqueritur, parcit. Credo ego, vere de illa Epiſtola ſcripſiſſe BALDVINVM (*b*): *Sed nobiſcum profecto quicumque legent, obſtupeſcent, ecquid tandem ſit, quod tu, eius* (orationis) *lectione, tamquam oeſtro, percitus, tam miſere inſanias, cum ululatu Corybantico, et quaſi hippomanes aliquid hauſiſſes, caput iactando in obuium quemque cornibus incurras.* Credo, eumdem, viſa illa epiſtola, recte de ſe vſurpaſſe illa veteris poetae (*c*):

Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit,
Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit, humi nitens, trepiduſque repente refugit
Attollentem iras, et caerula colla tumentem.

At non minus credo, Balduinum non habere, quod Duareno vertat vitio. Par illud erat bene compoſitum. Congrediebantur inter ſe gladiatores, in eo ludo exercitatiſſimi, homines irati, dicaces, facundi,

Et

(*a*) Reſponſ. Chriſt. Iuriſc. p. 123.
(*b*) Ibid.
(*c*) Ibid. p. 124.

Et adnuare pares, et reſpondere parati.

Mox enim inſequente anno MDLVI. Argentorati apud Chriſtianum Mylium in lucem exiit *Reſponſio illa Chriſtianorum Iuriſconſultorum ad Franc. Duareni Commentarios de miniſteriis eccleſiae atque beneficiis, et alias eius declamationes*, in cuius titulo neſcio cur auctor legi voluerit illud PAPINIANI (*a*): *Hominis eſt, hominem beneficio adficere*, niſi forte conuicia beneficiorum loco eſſe exiſtimarit. Adeo enim in Duarenum vbique debacchatur ille Chriſtianorum Iuriſconſultorum interpres, vt dubios reddat lectores, Duareni et Balduini ſcripta inter ſe contendentes, vtri palma in illo conuiciandi certamine debeatur. Nihil profecto magis verum eſt, quam quod initio iſtius libelli ſcripſit BALDVINVS (*b*): *Turpis et miſera res eſt, famoſos nunc libellos circumuolitare, et litterariis rixis omnia perſtrepere, et vero talibus contentionibus repleri ſimul et obtundi orbem terrarum. Rident haec fortaſſe certamina multi, qui et ludos gladiatorios magna cum voluptate ſpectarent. Sed nullis certe lacrymis ſatis deplorari tam barbara et infelix ingeniorum laniena poteſt.* Itemque ſub finem (*c*): *Dixit olim nobilis poëta: Natis in vſum laetitiae ſcyphis pugnare, Thracum eſt: tollite barbarum morem. Sed litteris et libellis ſine re, ſine cauſſa, tamquam ſtilis ferreis pugnare, qualem barbariem eſſe dicemus?* Quamuis enim vbique Iuriſconſulti Chriſtiani perſonam decore agere videri velit BALDVINVS fingatque, ſe religionis iniurias publicas vindicare; re ipſa etiam quaedam haud proletaria et notatu indigna aduerſus Duareni errores et inſidioſas doctrinas proferat: maledictis tamen tantum non ſuperat ipſum Duarenum, eumque, tamquam hominem bipedum omnium nequiſſimum ac ſceleratiſſimum, et omnis non modo Chriſtianae pietatis, ſed et virtutis honeſtatiſque, hoſtem acerrimum traducit. Modo eum *leguleium*, modo *rabulam*, modo *Epicurum*, modo *hominem Lucianicum* adpellitat. Eſt, vbi illi audit *malus coquus, qui multa iura miſceat: Pſeudolus: geminus Ecebolii fraterculus: togatus et purpuratus mulio: phreneticus: bonus iurium doctor et recoctor; dignus, qui ad agnatos et gentiles deducatur.* Praeterea eum vbique reum peragit *idololatriae*, artiſque paraſiticae, eumque, *quod, quae mundo et Pontifici gratioſa ſint, ſuauiter tractare inſtituerit, quodque Eccleſiam Chriſti iure Verrino, quod ſemper nequam dictum ſit, immo multo nequiore contumelia adficiat*, coarguit. Procul dubio etiam eius

(*a*) *l. 7. D. de ſeru. export.*
(*b*) *Ibid. p.* [illegible]
(*c*) *l. 7. D. de ſeru. export. p. 156.*

eius bibacitatem et ſomnolentiam perſtringit, dum eum his verbis adloquitur: *Interea in nidulo tuo beatus, ſi vis, viuito, bibito, ſtertito: quid ad nos?* Nec obſcurum eſt, quid velit, dum tumulentas Duareni actiones pueris ſpectandas proponi iubet, vti ſuis Lacedaemonii ebrios Helotas vomentes (*a*): nec non, dum ſe ait mirari, *cur Duarenus caelebs, viduis tam iniquius nunc ſit, quum profecto* DOMI *cauſſam habeat, cur iis aliquando faueat* (*b*). Schola porro Duareni BALDVINO (*c*) *eſt aula Aeolia, nimborum patria, loca foeta furentibus auſtris*, vt iam alia omittam, quibus nec finem ille nec modum ſtatuit, conuicia. Tam ſcilicet amice his in libellis inter ſe colloquuntur DVARENVS et BALDVINVS, quos ſimilitudo ſtudiorum, collegiique neceſſitudo arctiſſimo amicitiae vinculo colligare debuiſſet. Hic ſtilus eſt Chriſtianorum Iuriſconſultorum, quos neſcio an in ruborem dare poſſint non dicam veteres illi iuris auctores, quorum in fragmentis, etiam vbi aliorum ſententias refellunt, ſumma vbique modeſtia elucet, ſed et infima faex hominum,

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne (*d*).

Quare profecto non mirum eſt, huius libelli adeo demum ipſum puduiſſe BALDVINVM, vt partum hunc agnoſcere nollet, eumque ab alio, neſcio quo, ſcriptum eſſe contenderet (*e*), quum vbique prodat parentem, illoque tempore praeter Balduinum vix fuerit alius, qui illo conuiciandi munere tanta cum facundiae laude fungi potuiſſet.

An huic libello aliquid repoſuerit Duarenus, ſcire me fateor iuxta cum ignariſſimis: credo tamen illum ex eo tempore, quo CVIACIVM collegam habere coepit, (is enim Balduino in cathedra ſucceſſerat,) domi habuiſſe, in quem atram bilem effunderet. Fortaſſis ne auſus quidem eſt, Camarinam illam vlterius mouere, vel pertinacius tueri librum *de miniſteriis eccleſiae et beneficiis*, Pontificiis ac Proteſtantibus perinde exoſum. Ei tamen aduerſus Balduinum ſubſidio veniſſe comperio ANT. CONTIVM, alterum Duareni collegam, qui, quamuis et ipſe olim Proteſtantium partibus acceſſiſſet, iam tamen Duareni collegae premebat veſtigia, eamdemque interpretandi rationem in tradendo

(*a*) *l.* 7. *D. de ſeru. export. p.* 149.
(*b*) *Ibid. p.* 102.
(*c*) *Ibid. p.* 150.
(*d*) HORAT. *Lib.* I. *Serm. Sat.* 2. *princ.*
(*e*) VALER. ANDR. *Bibl. Belg. p.* 225.

Iure Canonico ſequebatur. Id ſane colligere mihi videor ex *eadem Chriſtianorum Iuriſconſultorum reſponſione*, vbi BALDVINVS *Audiuimus, quo nunc reciderit miſellus* CONTIVS. *Spem aliquam de eo conceperamus bonam, quia et Geneuae aliquando apud Caluinum educatus fuerat, et, quamdiu iſtic haberet pium doctorem, non pietati minus, quam litteris legibuſque, operam dare viſus eſt. Nunc eo abſente, repente immutatus, ſtatim atque tibi paullo familiarior factus, quaſi collega, eſt, libellos edit, quibus in pſeudoëpiſcoporum clientelam dare ſe profitetur, et in praeceptorem illum ſuum abſentem, cui non minus multa debet, quam patri, contumelioſe declamat diſcipulus, vel tuo iudicio nimium impudens nimiumque ingratus. Nolumus, quod iniquum eſſet, alieno tibi ſcelere inuidiam conflare, et tu fortaſſis proditionem magis amas, quam proditorem. Sed nimis es profecto miſer, qui tali tamen emiſſario nunc vteris, cuius teſtimonio ſi ſtandum ſit, periiſti.* Nimirum quum eodem anno MDLVI. Balduinus Baſileae edidiſſet *Conſtantinum*, librum egregium profecto, ſuoque auctore digniſſimum: ſtatim in lucem exiit ANT. CONTII *Admonitio de falſis Conſtantini legibus ad quemdam, qui ſe hoc tempore Iuriſconſultum Chriſtianum profitetur*. Ex qua quidem inſcriptione, eum Balduino parum fauiſſe, ſatis intelligimus. Quamuis vero et ab homine, qui iam manifeſto Pontifici blandiebatur, hic libellus proficiſceretur, et pleraque, quae in illo impugnantur, ad communem Proteſtantium cauſſam pertinere videantur: ille tamen adeo placuit, non modo Io. CALVINO, vt et hunc comitem daret *Reſponſioni ſuae ſecundae ad Balduini conuicia*; ſed et THEOD. BEZAE, vt *Contium turpiſſimorum errorum centurias in Balduini Conſtantino, quamuis exiguo libello, adnotaſſe* ſcribere non dubitet (*a*). Vbi merito mireris illorum temporum homines, qui quoſuis milites, Troes Rutuliue eſſent, nullo adhibito delectu, aduerſus eos, quos hoſtes iudicaſſent, ad ſigna vocabant. Iraſcebatur aliquanto poſt Balduino Caluinus, tamquam cauſſae ſuae proditori, transfugae, Ecebolio, hoſpitique eorum omnium, quos habuerat, ingratiſſimo, et iure fortaſſis illi iraſcebatur. At ne pilo quidem meliores erant Franc. Duarenus et Ant. Contius, quorum vtrumque a Caluino formatum, doctori ſuo malam gratiam retuliſſe, et ad Romanenſes vere defeciſſe vidimus. Quis ergo horum hominum auxiliis vti voluiſſe crederet Caluinum et Bezam? Et iis tamen libentiſſime vſi ſunt, quum omnes fere illi libelli, quos Caluinus anno MDLXII. vno faſciculo complexus eſt, editi eſſent aduerſus Balduinum

(*a*) *Tractat. Theol. Tom.* II. *p.* 203. *et* 204.

duinum, Caluini partes tunc acerrime defendentem. Simile quid de Duareno et Contio obſeruamus. Ἐγένοντο φίλοι ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ μετ' ἀλλήλων· προϋπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες πρὸς ἑαυτοὺς (*a*). Maxima erat inter hos collegas aemulatio, nec minus Duarenus Contium collegam, quam antea Baronem et Balduinum indigniſſimis modis vexabat, donec tres illos aemulos, vti eleganter obſeruauit Scaevola Sammarthanvs (*b*), vnum prope ſepulcrum reciperet, *vt, qui ſe perpetuo, dum viuerent, inuicem agitauerant, nunc tandem vna mortui conquieſcerent.* Et tamen contra Balduinum, quem neuter amabat, inter illos inimiciſſimos homines foedus συμμαχικὸν tam facile coaluit, vt, qui eorum ſcripta, communi hoſti oppoſita, legit, illos perpetuam inter ſe amicitiam coluiſſe, ſit exiſtimaturus.

Argentorati toto illo anno mdlvi. haeſit Baldvinvs, ibique, teſte Gvaeimeo, cui aliquoties denunciauimus teſtimonium (*c*), *euangelium profeſſus, cum Petro Martyre vixit, coenamque Dominicam in Gallorum eccleſia amplius decies participauit.* Cur vero ſchola illa tam cito exceſſerit, non adeo obſcurum eſt. Qualem apud Bituriges collegam habuerat Duarenum: talem Argentorati in Franc. Hotomano vidit, quaſi ita in fatis eſſet, vt incomparabiles illi tres Francisci, ſibi inuicem eſſent exitio, nec unum ſaeculum tantorum hominum trigam ferre potuiſſet. Quum Argentorati docere coepiſſet Balduinus, Hotomanus, qui adhuc Lauſannae elegantiores litteras docuerat, eodem venit, et a Balduino, cui iam Pariſiis innotuerat, comiter domi receptus eſt. Refert Baldvinvs (*d*) eum, *Lauſannae et in caedendis pueris, quos Grammaticam docuerit, defatigatum, et ex eo carcere liberari miſere cupientem*, locum in ſchola, ſua potiſſimum commendatione, obtinuiſſe: mox vero ſe reipſa expertum, viperam a ſe in ſinu nutritam eſſe, eumque, vt ſe collegam perderet, nihil feciſſe reliqui. Iam eo tempore quo lis illa inter Dvarenvm et Baldvinvm gliſcebat, non poterat non Hotomanum ſuſpectum reddere epiſtola Duareni, quippe ad Hotomanum, tamquam Duareno ὁμόψηφον, exarata: ſed Balduinum multo magis vſſit epiſtola, quam ab Hotomano ad ſe de Balduino miſſam eſſe, ſcribebat Duarenus: denique, ſe ab Hotomano proditum eſſe, manifeſtis indiciis deprehendit Balduinus, quum ille bonus collega virulentiſſimam illam epiſtolam Duareni, ad ſe miſ-

 ſam,

(*a*) *Luc.* XXIII. 12.

(*b*) *Elog. Lib.I. cap.31. et Lib.II. cap.25.*

(*c*) *Vid. ſupra vbi Riuetus hunc* Antonivm Gvaerinivm *appellat.*

(*d*) *Reſponſ. pro Balduino ad Caluin. et Bezam p. 86.*

ſam, vbique per vrbem ſpargeret, et probe tamen caueret, ne exemplar in Balduini incideret manus. Equidem initio eas delicias Duareno excutere volens Balduinus, negabat ſe Hotomani fidem ſuſpectam habere, ſed iis tamen uſus verbis, ex quibus non adeo magna, quam in Hotomano collocarit, fiducia elucet. Ait enim (*a*) *neminem vmquam putaſſe, Duarenum ſibi Hotomanum aduocaturum, & hunc habiturum idoneum patronum ſuae actionis. Si religionis vel eccleſiae cauſſam, a Duareno oppugnatam, et a ſe defenſam, conſideret, Hotomanum ſibi plane ſubſcribere videri, et illi aduerſari, neque id non videre poſſe Duarenum, qui, quae in Ruſſum ſcripta ſint, legerit. Si ſcholam, cui Duarenus maledixerit, cuique ipſe patrocinetur, ſpectet, Hotomanum, quum ad eam adſpiret, ſe non putare, tanto eius faſtidio teneri. Si denique ſe ipſum, cui Duarenus tam ſit infeſtus: non ſe intelligere, tam inimicum ſibi eſſe poſſe Hotomanum, cum quo tot iam annis coniunctus arctiſſimo amicitiae vinculo fuiſſe videatur.* Sed mox ſubiicit: *Non potuit Hotomanus, ad quem ſcribis, quin, quod velles, ad eum ſcriberes, efficere: ſed facile poteſt, ſi velit, quod illi adſpergis, diluere, et tuas, quas illi placere publice ſignificas, actiones, ſi ex animo hic reſpondit, ſibi minime placere, id etiam publice teſtari. Intelligit, quam tu illi colluſionis atque conſpirationis ſuſpicionem notamque inuras. Eam vt aliquo reſponſo deleat, ſua quoque intereſſe intelligit, et, id ſe facturum, promiſit. Nos illud ei relinquimus integrum, et, quid facturus ſit, exſpectabimus. Optabimus vero interea, vt aliquando, quod quiſque de religione vel eccleſia ſentit, in fronte praeſcriptum prae ſe ferat.* Haec ſunt litium earum, quae poſtea inter hos Iuriſconſultos pullularunt, ſemina: haec illa cauſſa, qua effectum eſt, vt illum Argentoratenſis ſcholae poeniteret.

Habebat ille in aula Palatina patronos, MINCKWIZIVM, Cancellarium, cui poſtea legum XII. Tabularum libellum nuncupauit, CHRISTOPHORVM item PROBVM, et ARNOLDVM OPSOPOEVM, Conſiliarios, qui Domini iuſſu, vt ex epiſtola dedicatoria, ad Fridericum Electorem ſcripta, colligimus, cum Balduino de ſuſcipiendo in Heidelbergenſi Academia docendi munere egerant, et quidem ante Kal. Febr. MDLVI., adeoque et antequam illam Chriſtianorum Iuriſconſultorum reſponſionem, IIII. Id. Martii eius anni ſcriptam, praelo commiſiſſet. Quamuis vero, antequam res illa conficeretur, Elector ille

(*a*) *Reſponſ. Chriſt. Iuriſconſ. p.* 152.

ille laudatiſſimus diem obiret ſupremum, ea tamen mors non obſtitit, quo minus Argentinenſi ſcholae eriperetur illud Iuriſprudentiae decus, et Balduinus inſequente anno MDLVII. Heidelbergam migraret. Ibi veluti ſibi redditus, dici non poteſt, quantam in docendo ſcribendoque induſtriam oſtenderit. Primo ſtatim anno, quo ibi docuit, ipſis Kalendis Iuniis edidit *Catecheſin Iuris*, Kal. Iuliis *Notas ad Libb. I. et II. Digeſtorum*, itemque libros *de pignoribus et hypothecis*, *de conditionibus*, *de euictionibus*, *de diuiſionibus ſtipulationum*, *de cautione lecta in auditorio Papiniani et de regula Catoniana*, Chriſtophoro Probo dicatos: Kal. Sextilibus *Commentarium ad Edicta veterum Principum Romanorum de Chriſtianis*, qui libelli omnes Baſileae elegantiſſimis Oporini typis exſcripti ſunt. Ex epiſtola dedicatoria, *Notis ad libros I. et II. Digeſtorum* praemiſſa patet, Balduinum eo anno interfuiſſe conuentui Francofurtano, ad quem, finiendae controuerſiae Cattimelibocenſis cauſſa, plurium Electorum ac Principum legati confluxerant (*a*), ibique amicitiam contraxiſſe cum IAC. OMPHALIO, Iuriſconſulto et Conſiliario Cliuenſi. Id vero ideo monere viſum eſt, quod ex eo tempore aulam illam ſemper coluit Balduinus, in eaque arctiſſimam illam cum GEORGIO CASSANDRO contraxit amicitiam, quae illum poſtea a Proteſtantium eccleſia plane abſtraxit. Antequam vero id fieret, eum Heidelbergae ſuam de religione ſententiam denuo mutaſſe, ſeque inuariatae confeſſionis Auguſtanae adſeclis, quos Lutheranos vocant, adiunxiſſe, tam certum omnino eſt, quam quod certiſſimum. ANT. GVAIMEVS (*b*) illi publice exprobrat, *quod confeſſioni eccleſiarum Gallicarum, ſub qua paullo ante coenam Dominicam duodecies ſumſerit, hoſtis factus, Heshuſianis ſe partibus dederit.* Et THEOD. BEZA (*c*) illi eo nomine vel maxime indignatur, *quod, vt illuſtriſſimo Electori Palatino et illuſtriſſimo Wurtembergiae Duci gratioſus fieret, conſubſtantiationem contra ſuam ipſius conſcientiam, defenderit.* Nimirum tum in eadem Academia Heidelbergenſi ſacras litteras docebat feruidiſſimi viri ingenii, TILEMANNVS HESHVSIVS (*d*), Electori a Philippo Melanchthone commendatus, cui primus inter Theologos locus cum elogio Superintendentis Generalis et Senatoris Eccleſiaſtici fuerat decretus. Quum vero ille Minckwizii et Mich. Dilleri conſiliis collegas earum

 partium,

(*a*) THVAN. *Hiſt. Lib.* XVIIII. *ad an.* 1557. *p.* 526.

(*b*) *Epiſt. de Balduino p.* 56. *apud* RIVET. *Tom. III. Op. p.* 1127.

(*c*) *Reſponſ. ad Balduini conuicia pag.* 204.

(*d*) ALTING. *Hiſt. eccl. Palat. p.* 164.

partium, a quibus ipſe erat alieniſſimus, acciperet, puta PETRVM BOQVINVM, PAVLLVM VNICORNIVM, et GVIL. CLEBITIVM: fieri ſane non poterat, quin inter eos lites quotidianae oborirentur, quas fuſius perſequitur ALTINGIVS (*a*), quamuis virum illum doctiſſimum plus iuſto partibus ſuis fauiſſe, ii, qui aduerſae parti fauent, conquerantur. Sed haec quidem nihil ad nos. Id tantum miramur, Balduinum, quem aduerſarii religionem fortunae condonaſſe aiunt, Heidelbergae tamen ab excitata fortuna ad inclinatiorem deſciuiſſe, ſeque adiunxiſſe Heſhuſio, ab aduerſariis iam pridem poene oppreſſo, et cui Minckwizius, Probus, Opſopaeus, Dillerus, erant infenſiſſimi, quorum ſane ſententiis caeco obſequio debebat ſuffragari, ſi ſcenae ſeruire voluiſſet. Sed nolumus his immorari diutius, ad libros potius reliquos, quos Heidelbergae edidit, progreſſuri.

Nullum fere, dum ibi vixit, annum elabi paſſus eſt, quo non aliquem laborum vigiliarumque ſuarum fructum capere vellet rempublicam litterariam, vt vere dici poſſe videatur, nuſquam fertilius fuiſſe illius ingenium, quam in illo Germaniae ſemine, quod Liberi Cereriſque certamen iure dixeris. Anno enim MDLVIII. Baſileae edidit *Scaeuolam, ſeu Iuriſprudentiam Mucianam*, eumque libellum Kal. Aug. Guillielmo, Cliuiae Duci conſecrauit. Quum enim magnus ille princeps *in ſuam veterum Germanorum metropolin*, (ita Duisburgum vocat Balduinus) *aliquam Iuriſprudentiae Romanae veluti coloniam deducere inſtituiſſet, in eaque ſtatuere vellet bonorum liberaliumque ſtudiorum ſedem ac domicilium*: eam felicitatem illis prouinciis vel eo nomine magnopere gratulatur, quod ita Iuriſprudentia ad Belgicae ſuae fines propius aliquando acceſſura videatur. Id vero nouum eſt nexus illius cum aula Cliuenſi, de quo ſupra diximus, argumentum. Eſt enim omnino veriſſimum (*b*), Guillielmum Ducem iam illo tempore de Academia Duisburgi inſtituenda cepiſſe conſilia, et paullo poſt non modo a Pio Papa IV. ſed et a Maximiliano II. Imp. priuilegia impetraſſe, quin et Georgium Caſſandrum, qui tum in aula regnabat, primum eius Lycei Rectorem deſignaſſe. Ei ſe collegam datum iri ſperaſſe Balduinum, paullo poſt ipſe ſatis perſpicue prodidit, quum inſequente anno MDLVIIII. editos a ſe *commentarios elegantiſſimos ad Leges Voconiam, Falcidiam, Iuliam, Papiam Poppaeam, Rhodiam et Aquilliam* Senatui populoque Duisburgenſi nuncuparet, ſibique a ſereniſſimo

(*a*) *Hiſt. eccl. Palat. p.* 173.

(*b*) DITHMAR. *ad Teſchenmach. annal. Cliu. p.* 115.

reniſſimo Duce litteris ſignificatum eſſe ſcriberet, quae eius ſint de inſtituenda noua Academia conſilia. Ex eo ergo tempore magnam acceſſionem factam eſſe amoris, quo Caſſandrum proſequebatur Balduinus, facile eſt ad exiſtimandum. Anni porro MDLX. non minor fuit prouentus, quippe cui et *Iuſtinianum ſeu de iure nouo commentarium* eruditiſſimum, verum etiam inſignem MINVCII FELICIS editionem debemus. Quum enim ad id vſque tempus Chriſtiani iſtius Iuriſconſulti *Octauius* pro octauo Arnobii libro perperam eſſet habitus: eum auctori ſuo reſtituit, eruditiſſimaque praemiſſa diſſertatione, cum de Minucio, inſtitutaque inter Caecilium Natalem et Octauium Ianuarium diſputatione, tum de ipſa religione Chriſtiana ad antiquitatis normam exigenda, ſententiam ita dicit, vt quidam iam in illo libello alienati a Proteſtantibus animi veſtigia quaedam ſatis expreſſa deprehendiſſe ſibi videantur (*a*). Sunt, qui laudem eius obſeruationis de Octauii auctore dubiam reddunt Balduino. Nam FVLV. VRSINVS (*b*) illam Guillelmo Sirleto Cardinali, HADR. IVNIVS (*c*) Morillonio tribuit. Immo et PAVLLVM LEOPARDVM iam anno MDLVII. Minucium pro Octauii auctore habuiſſe, ex eius Emendationibus (*d*) colligitur. Sed viderint id etiam ante Balduinum alii: primus tamen hic de eo errore eruditos publice monuit, idque quum ignorare non potuerit FVLV. VRSINVS, parum candide is hoc videtur diſſimulaſſe, tantum ne ſibi Sirleti laudandi periret occaſio. Ineunte anno MDLXI. qui Heidelbergeſins illius receſſus poſtremus fuit, BALDVINVS collegae ſuo, NIC. CISNERO, *Commentarium ad l. ſi priuſquam 5. D. de noui op. nunc.* edenti, epiſtola adplauſit, quae in Ciſnerianorum Opuſculorum, a Quirino Reutero editorum, adpendice legitur. Paullo poſt Martio menſe Heidelbergae prodierunt *Diſputationes II. de iure ciuili ex Papiniano, cum eiuſdem vita*, ſtilo elegantiſſimo concinnata. Inſcripſit illud opuſculum Franciſco Laubiſpinio ICto, magni conſilii Regii Praeſidi, et libellorum Magiſtro, *vt ei, quid tandem in hoc ciſrhenano receſſu ageret, ſignificaret.* At huius ipſius anni verno tempore eum, deſerta hac ſtatione, rediiſſe in Galliam, religionemque cum aere, non admodum felicibus auſpiciis, denuo mutaſſe, mox ex iis, quae ſequentur, intelligemus.

Non dubito, quin quinquennium iſtud Heidelbergenſe pars vitae Balduini

(*a*) BEZA *Tractat. Theol. Tom. II. p.* 214.

(*b*) *Epiſt. dedicat. ad Gregorium Papam* XIII.

(*c*) *Lib.* III. *Animadu. c.* 2.

(*d*) *Lib.* VI. *Emendat. cap.* 14.

Balduini fuerit omnium ſuauiſſima, quandoquidem nec Duareni alicuius rabies illius quietem turbabat, nec vllae erant, quas ibi pertimeſceret, inſidiae, immo potius tum in aula Electorali, tum in vniuerſa Germania, habuiſſe videtur et amicos, qui eius cauſſa omnia vellent, et Principes, qui eum certatim ornarent beneficiis, et a quibus, ſi locum voluiſſet mutare, non temere vllius rei repulſam tuliſſet. Sed et ea illi Heidelberga reſtituerat, quae illi eſſe oportebat multo iucundiſſima. Nam et bibliothecam, quam in Gallia relinquere fuerat coactus, Electoris procul dubio commendatione, receperat, et ibi demum vitae fortunaeque ſociam, ad ſe e Gallia reuerſam, viderat. Quin et pater ibi ex ea factus fuerat filiae, Catharinae, quam poſtea, tamquam Tulliolam ſuam, vnice dilexit, quamque ſe, ſi optio daretur, cum filio non eſſe commutaturum, Massono (*a*) faſſus eſt. Enimuero

Quî ſit, Mecaenas, vt nemo, quam ſibi ſortem
Seu natura dedit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus viuat?

Balduinus enim, varius in omni genere vitae, quum, ſi bona ſua noſſet, ſuauiter viuere potuiſſet Heidelbergae, hoc anno repente ad ingenium rediit, certamque ac perhonorificam ſtationem cum ſpe maioris fortunae incertiſſima, otiumque honeſtiſſimum cum turbulento et vago vitae genere, prope dixerim cum perpetuo exſilio, imprudentiſſime commutauit. Adeo *ſecundae res acrioribus, quam aduerſae, ſtimulis explorant animum, quia miſeriae tolerantur, felicitate plerumque corrumpimur* (*b*).

Vt rem paullo altius repetamus, Antonius, Borbonius, regni Nauarrae poſſeſſione per Ioannam vxorem iure dotali auctus, in aula Francica tum agebat, ob diuerſa factionum ſtudia rerum ſuarum valde incertus, et maiora captans, quam capere poſſe videbatur. Quamuis enim dote tam luculenta locupletatus domi quietus viuere potuiſſet, neque aduerſus vim externam defutura illi fuiſſent Hugonotarum arma: maiora tamen concipiens animo, perſuaderi ſibi paſſus fuerat a Gnathonibus ſuis, fieri poſſe, vt aut regnum Nauarrae Hiſpanicae ditionis, aut pro eo Sardinicum, recipiat, ſi reformatae religioni mitteret nuncium, et in Romanae Eccleſiae caſtra tranſiret. Iam facile intelli-

(*a*) Masson. *Elog. Part.* II. *p.* 261. (*b*) Tacit. *Hiſtor. Lib.* I. *cap.* 15. *ſequ.*

intelligebant conſiliorum iſtorum auctores, abhorrere Principis animum ab eccleſiae Romanae dogmatibus et cultibus, quos iam inde a prima adoleſcentia, tamquam ſuperſtitionis, ipſiuſque idololatriae vitio infectos, damnari a ſuis, meminiſſet. Quare nihil prius, nihilque antiquius habebant, quam vt nanciſcerentur idoneum hominem, qui doctrinas illas emollire, nouumque illis veluti colorem inducere noſſet, eamdemque adeo calleret artem, qua Epiſcopus Meldenſis patrum noſtrorum memoria excelluit. Talis vero tunc erat GEORGIVS CASSANDER, Theologus Belga, ſed qui iam pridem in aula Cliuenſi, itemque Duisburgi, et Coloniae vixerat, magnumque pacis eccleſiaſticae ſtudium prae ſe ſemper tulerat. Vnde ei hoc elogium tribuit THVANVS, quod *vir fuerit vtriuſque linguae peritia, et antiquitatis cognitione, ac rerum poſtremo ſacrarum diligenti ſcrutatione praecellens, raro eo aeuo modeſtia et iis, qui ingenium contentionibus exercent, ad vitandam acerbitatem, in exemplum proponendus. Tot enim dotibus inſtructum illum numquam faſtu intumuiſſe, contumeliis petitum, numquam paria reddidiſſe, nullumque arrogantiae vllius veſtigium, vel in moribus, vel in ſcriptis eius, eſſe deprehenſum.* Quo perpetuo pacis, concordiaeque ſtudio non multorum tantum Principum, ſed et ipſorum Imperatorum, Ferdinandi I. et Maximiliani II. gratiam ſibi ita conciliarat, vt eius potiſſimum conſiliis in conſtituenda eccleſia vterentur (*a*). Eum ergo illi euocare in Antonii aulam conſtituerant, ſi vir quietis, quam aulicae vanitatis, amantior loco dimoueri poſſet. Quod quum fieri non poſſe animaduerterent, occurrebat illis FRANC. BALDVINVS, quem et amiciſſimum eſſe Caſſandro, et iampridem, ſe medias quaſdam rationes inter Pontificios et Proteſtantes tenere, apud multos profeſſum eſſe, non ignorabant. Hunc ergo in primis ſollicitabant per RASCALONVM quemdam, (quem ideo eos Heidelbergae fouiſſe, refert THEOD. BEZA (*b*),) eumque maxime idoneum eſſe exiſtimabant, fluctuanti inter diuerſas ſectas Regis Nauarreni animo peruertendo. Nec fefellit eos concepta de BALDVINO opinio. Hic enim nec religionis, quam toties publice fuerat profeſſus, nec beneficiorum, quibus ab incomparabili Principe, Ottone Henrico, fuerat cumulatus, memor, *ſimulabat apud Illuſtriſſimum, et vere Chriſtianum Principem, ſibi ſerium aliquod negotium eſſe in Gallia, eoque praetextu ad locum praeſcriptum adcurrebat. Audiebatur: non diſplicebat eius conſilium. Huc et illuc* diſcur-

(*a*) THVANVS *Lib. XXXV. p.* 213.

(*b*) *Reſponſ. ad Balduini conuicia. p.* 201.

diſcurrebat, atque adeo tandem in ipſius Nauarreni conſpectum veniebat (*a*). Simul ac in Galliam rediiſſet, praelo Wecheliano ſubiecit ſuos *de inſtitutione hiſtoriae vniuerſae, et eius cum Iuriſprudentia coniunctione, προλεγομένων libros II.* eleganter et erudite ſcriptos, quos et Antonio, Nauarrae Regi, et Michaeli Hospitalio, Galliae Cancellario, Idibus Iuliis nuncupauit. In priore epiſtola *ſe, quum Pariſios veniſſet, de propius ſalutanda Regia Maieſtate cogitaſſe*, negat, *neque tantum audaciae ſibi vel naturam, vel conſuetudinem, vel conditionem dediſſe*, ait, *tamen incredibilem occurriſſe Regis humanitatem, eumque praeter exſpectationem ſe adpellantem voluiſſe, vt ſe ſaepius ſalutaret.* Quae quidem omnia ficta ſimulataque eſſe, neque alio conſilio Pariſios veniſſe Balduinum, quam vt Regem a Proteſtantibus alienaret, vix quemquam dubitaturum arbitramur. Contra poſteriore, Hospitalio id conſilium ſuum verbis, tectis quidem illis, nec tamen plane obſcuris, ita inſinuat: *Denique vides, quid* (ciuilis illa diſciplina) *a te poſtulet, vt ex eius ſchola deinceps non prodeant oratores noui, ſtulti adoleſcentuli, qui rempublicam cito perdant, vt eſt in vetere carmine, immo vero, vt illa det Senatores, quales nunc rei publicae ſtatus et deliberationum, conſiliorum iudiciorumque difficilis hoc tempore conditio requirit: quales, inquam, multos hiſce diebus in ampliſſimo et nobiliſſimo Senatu, cui praeeras, quum de re omnium rerum maxima quaereretur, ſententiam abs te rogatos, ſapientiſſime ex antiquitatis memoria dixiſſe, accepimus.* Et paucis interiectis: *Itaque quam tu hac ratione iniiſti viam moderationis, omnes ſapientes, qui tuis veſtigiis libenter inſiſtunt, ingredientur, vt pedibus eant in tuam ſententiam: .... neque bonos vmquam poenitebit, (fremat licet quorumdam intemperies,) eodem exemplo recta dediſſe conſilia* PACIS *et* CONSENSIONIS. Denique ſub finem ſubiicit: *Scio numquam maiori de re in hoc maximo regno inſtitutam eſſe deliberationem. Sed tanto magis gaudeo, nunc oblatam eſſe occaſionem explicandae vtilitatis earum litterarum, quarum ſtudia commendo. Scio etiam, quod quidem ſaepe alias, ſed hoc tempore maxime expertus ſum, fieri vix poſſe, quin, qui* ABS FACTIONIBVS *partium* ALIENVS, *ex conſilio antiquitatis temperanter ſentiet, et loquetur, ea de re, de qua nunc quaeritur, ſentiat, in tuenda recta ſententia plurimum eſſe negotii, et multis vtrimque calumniis, (quando enim his obnoxii*

(*a*) Beza, *Reſponſ. ad Balduini conuic. p.* 201.

noxii non fuerunt recte ſentientes ?) varie vexetur. Sed ea demum vera virtus eſt, quam vel ingratorum hominum malitia, vel perfidioſorum fraus atque iniuria debilitare non poteſt. Non dubitaui haec, quantumuis prolixa, tota exſcribere, quod inde maxime intelligitur, quae fuerint Balduini, in Galliam redeuntis, conſilia. Quum enim omnia Hospitalii ipſius conſilia non belli et armorum, ſed pacis et togae ſocia eſſe, non ignoraret, et ille non modo hoc ipſo anno Reformatis celeberrimum illud Edictum, quod a menſe, quo propoſitum eſt, Ianvarii nomen inuenit, impetraſſet (*a*), (quae ipſa eſt *res illa rerum omnium maxima*, quam in Senatu Pariſienſi moderatis Hoſpitalii conſiliis confectam eſſe praedicat,) ſed et de conciliandis, ſi qua fieri poſſet, diſſidentium animis ſerio laboraret (*b*) : non obſcure ſua moderatiora conſilia obtulit, quae tamen quam ab Hospitalii intentione diuerſa fuerint, nemo non intelligit. Hic enim vere fauebat Proteſtantium partibus, nec in eorum perniciem quidquam, niſi quod rei publicae conditio exigere videbatur, indulgebat. Baldvinvs id agebat vnice, vt Reformatos, et Antonivm in primis Nauarrenum, eccleſiae Romanae, commendato Caſſandri συγκρητισμῷ, reſtitueret. Quare an magnam ab Hoſpitalio gratiam, oblata hac opera, inierit, merito dubito. Id certum eſt, eum Nauarrenum moderatis illis conſiliis mox ad Romanenſium ſacra traduxiſſe (*c*), quamuis, vt patriam religionem publice ac ſollemniter abiuraret, adduci ille numquam potuerit, et iam morti proximus, omnibuſque eccleſiae Romanae ſacramentis munitus, adhuc procliuiorem in partes Proteſtantium animum teſtatus eſſe feratur (*d*). Sed haec poſtea acciderunt. Interim Cardinalis Lotharingus de cogendo Poſſiacenſi conuentu cogitauerat, ad quem praeter Clerum Pontificium etiam Proteſtantium Theologi fide publica euocabantur. Ad illum ergo et Theodorvs Beza, Petrvs Martyr, Viretvs, Marloratvs & alii confluxerant, et de quibuſdam fidei articulis, praeſente Rege cum familia, ſuam expoſuerant ſententiam (*e*) : quum Balduinus nihil faceret reliqui, vt conuentum illum turbaret, vel efficeret ſaltim, ne quid inde Reformati caperent vtilitatis. Antequam id inſtitueretur colloquium,

 Baldvi-

(*a*) Thvan. *Lib.* XXVIII. *ad ann.* 1562. *p. 60.*

(*b*) Bayl. *Dict. hiſt. crit. Tom.* II. *p.* 807. *ſequ.*

(*c*) Serran. *de ſtatu relig. et reip. Part.* I. *p.* 323. *et* 345.

(*d*) Pavll. Sarp. *Hiſt. Concil. Trid. Lib.* VII. *p.* 1104.

(*e*) Bvlenger. *Hiſt. ſui temp. Lib.* I. *p.* 16. *et* Hottinger. *Hiſt. eccl. Saec.* XVI. *Parte* III. *cap.* 3. *p.* 768. *ſequ.*

BALDVINVS noſter, acceptis coronatis aureis centum, a Nauarro miſſus fuerat in Germaniam, cum mandatis, vt a CASSANDRO eliceret, ſi quid boni conſilii haberet ad dirimendas diſſenſiones, quibus eccleſia tam miſere diſtrahatur. Ex eo itinere redux, quum iam bis auditi fuiſſent Proteſtantes, ſecum attulit libellum ἀνώνυμον, Baſileae excuſum, *de officio pii ac publicae tranquillitatis vere amantis viri in hoc religionis diſſidio*, nec non *Conſultationem a Theologis Wittenbergenſibus de coena Domini* ante triennium ſcriptam, quos libellos Lotharingus cum Proteſtantibus illico communicauit (*a*), vt proiecto hoc pomo Eridos, ipſos inter ſe committeret, maxime quum Balduini inſtigatu factum eſſet, vt Franciſcus Vetuſuilla, qui Diuioduro Mediomatricum Regis nomine praeerat, etiam Heidelberga et Tubinga Theologos quoſdam arceſſeret, qui tamen ſerius, quum iam conuentus iſte, vti fieri ſolet, ſine fructu vllo diffluxiſſet, aduenerunt.

Sic apertum Geneuenſium et Heluetiorum hoſtem ſeſe profeſſus Balduinus, magnum procul dubio nauatae Pontificiis operae praemium ſperabat. At eueniebat, quod ſolet illis accidere, qui neutrarum ſunt partium, vt, dum omnibus placere cupiebat, placeret nemini, et re ipſa experiretur, proditionem magis, quam proditorem, amari ſolere. Rem omnem ita narrat THEOD. BEZA (*b*): *Iam igitur, Pontificiis fruſtra obnitentibus, et totum negotium, quantum fieri poterat, retardantibus, bis in illo concilio fueramus auditi, quum iſte praeclaro illo libro et aliis neſcio quibus oraculis onuſtus reuertit. Obiurgatur, quod ſerius rediiſſet, et, quamuis libellum iſtum obtruderet, et, quibuſcumque poſſet, commendaret, tamen exſpectationi, quam de ſe concitarat, non ſatisfacit. Epiſcopum etiam Valentinum, cum quo ante diſceſſum, veritus, ne aulicis artibus deciperetur, pactus erat de quadam iuris profeſſione, mutatum inuenit. Quid faceret miſer? Precibus tandem a Nauarreno per eoſdem illos proditores impetrat, vt cuidam ex nothis ipſius filiis inſtituendo praeficiatur: atque ita repente ex Iuriſconſulto ſit paedagogus. Poſtea Lutetiam redit, ibique mox nactus, quibus ſeſe venditaret, nouam quamdam iuris ciuilis cum hiſtoria vniuerſa coniungendi profeſſionem, quam erat iam olim meditatus, adgreditur, et iam ſibi quaſi Deus videbatur, quum repente adlatus eſt libellus illi pacificatorio oppoſitus.* Tantum ergo abeſt, vt, re tam praeclare geſta, in Regis Nauarreni aula aliquo loco eſſet, vt operas

(*a*) THVAN. *Lib.* XXVIII. *p.* 38. (*b*) *Reſponſ. ad Balduini conuicia*, *p.* 202.

operas ſuas inſtituendo Carolo, Notho Borbonio, mediocri ſtipendio locare cogeretur. Quin miſera procul dubio fuiſſet eius conditio futura, niſi Lutetiae Pariſiorum, apertis ſcholis priuatis, iuriſprudentiam et hiſtoriam docendo aliquid rĕi feciſſet. *Homo enim facundiſſimus*, inquit SAMMARTHANVS (*a*), *ipſiuſque oris ac totius corporis habitu non iniucundus, ex hiſtoriarum et ciuilis diſciplinae coniunctione ſingularem ſuis praelectionibus gratiam et Venerem adferebat. Ac eum quidem ſaepe vidimus, hoc ſplendido ſummae doctrinae adparatu Lutetiae profitentem, quum ad eius auditorium permulti primae notae homines, Epiſcopi, Senatores, Equites, libenter et maxima frequentia confluerent.* Et ita Lutetiae totum illum annum haeſit, quum iam acerrimum in iſtum impetum facerent omnes, qui horrendam illam BALDVINI non modo defectionem, ſed et malitiam, qua Eccleſiae Reformatae Theologis inſultauerat, vti par erat, exſecrabantur.

Claſſicum ceciniſſe videtur IO. CALVINVS, qui quum libellum illum *de officio pii viri*, cuius paullo ante meminimus, quemque BEZA (*b*) impiae iſti farragini, INTERIM adpellatae, ſimillimum eſſe cenſebat, a Balduino ipſo ſcriptum eſſe, coniiceret, hoc ipſo anno ſcripſit *Reſponſionem ad verſipellem quemdam mediatorem, qui pacificandi ſpecie rectum euangelii curſum in Gallia abrumpere molitus eſt* (*c*), poſtea inter ipſa CALVINI opuſcula recuſam (*d*). Sed fatendum profecto eſt, et opinione ſua falſum eſſe hunc virum bonum, dum Balduino eum libellum, quem ſemper ſibi vindicauit Caſſander, tribuit, et pluſculum indulſiſſe calamo in eo obiurgando viro, qui, ſi non integritate vitae probitateque, at doctrina ſaltim ſcribendique facultate, pleriſque eo tempore antecellebat. Tales vero calamo, etiam in iuſta cauſſa, irritare, quam periculoſum ſit, neminem ignorare arbitror. Paullo poſt in Balduinum irruit IO. CRISPINVS, Balduini non modo popularis, ſed et huc vſque amicus, qui tum *Commentarium ad Legem III. C. de apoſtatis ad Iureconſultos* edidit, in quo Balduino apoſtaſia turpiſſima ex ſola impotentiſſima ambitione atque habendi cupiditate profecta, triſti et acerba oratione exprobratur. Caluino et Criſpino *Commentarium ad leges de famoſis libellis* opponebat BALDVINVS, et huic *alteram reſponſionem* CALVINVS, qui libellus eo ipſo tempore perlatus erat Lutetiam, quum occupata a Pontificiorum factione vrbe, vbique eſſet

(*a*) *Elog. Lib.* II. *cap.* 24.
(*b*) *Reſponſ. ad Balduini conuicia p.* 209.
(*c*) BEZA *vit. Caluini p.* 381.
(*d*) CALVINI *Opuſc. p.* 351.

Luctus, vbique pauor, et plurima mortis imago.

Hinc Balduinus, Beza (*a*) teſte, quieuit tantiſper, dum non ancipiti amplius belli euentu, caedes Proteſtantium per totam vrbem fieri, fortunas omnium a plebe promiſcue diripi, honeſtiſſimos viros ſpectatiſſimaſque matronas media luce lacerari, mortuorum cadauera e ſepulcris extrahi, laetus ſpectaret. Tum vero commodiſſimum ad reſpondendum tempus veniſſe ratus, *adripit calamum, et quidquid virulentiſſima bilis ſuggerebat, in aliquot infelices chartas euomit.* Sed de ſingulis iſtis libellis eriſticis paullo diſtinctius erit agendum. Primus, quem Caluino et Criſpino Balduinus oppoſuit, libellus eſt *ad leges de famoſis libellis et calumniatoribus commentarius*, *non* profecto *ex omnium ſcriptorum indicibus velut ex verſicoloribus centonibus conſutus*, vti de illo iudicat Theod. Beza, ſed eruditus, et lectu digniſſimus, niſi ſubiunctus illi epilogus efficeret, vt

Turpiter atrum
Deſinat in piſcem virgo, formoſa ſuperne (*b*).

Refert ibi (*d*), meminiſſe ſe, quum olim puero ſibi praelegeretur Luciani libellus περὶ τῆς διαβολῆς, ſe prope attonitum inhorruiſſe, tam alienos abs virtute olim fuiſſe hominum mores; poſtea vero virum factum ſe ſatis deprehendiſſe, laruatam illam Furiam, non ſolum in aulis Principum, ſed et in ſcholis litteratorum, atque adeo in ipſis eccleſiis eorum, qui veritatis titulum venditent, regnare. In innumeros enim ſe διαβόλους incidiſſe, *quum iam annis prope XX. relicta patria quaerere coepiſſet viros bonos, ingenuos, rectos et religioſos.* Iam fruſtra ſe ſperare ait aduerſus calumniatores legum praeſidium, quum *homines illi ſcilicet religioſi, nouo quodam ſuo iure freti, eas confidenter irrideant, et tamquam telas aranearum ſuauiter perfringant:* nec magis eos reuereri veteres canones, quum *quid libet, ſibi licere exiſtiment, hancque Donatiſtarum regulam vnam teneant:* QVOD VOLVMVS, SANCTVM EST. Quin iis viuitur temporibus, quibus ipſa rerum omnium perturbatio cuilibet praebeat calumniandi licentiam, et de quibus vere repeti poſſit illud, quod apud Aristophanem (*c*) reſponſum ſit cuidam, iactanti, ſe

(*a*) *Reſponſ. ad Balduini conuicia*, *p.* 220.

(*b*) Horat. *de arte poet. v.* 3.

(*c*) *Plut. Act.* IIII. *Scen.* III. *v.* 36.

ſe habere annulum, in quo remedium aduerſus omne malorum genus ineſſet: ἀλλ᾽ οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος. *Sed contra ſycophantae morſum nullum ineſt remedium.* Poſtquam ergo plures, quibus impetitus a Caluino ſit, calumnias verbis admodum ſpecioſis diluit, ad coniecturam eius, qua eum libelli de officio viri pii auctorem eſſe, finxerit, progreditur, et libellum iſtum, quantumuis praeclare ac prudenter ſcriptum, a ſe tamen ſcriptum eſſe, negat, auctoremque apud Vbios quaerendum monet, quin illum mox in arenam deſcenſurum eſſe minatur. Denique et reliqua crimina ſibi exprobrata refellit, ſeque apoſtatam eſſe negat, faſſus tamen, ſe ſemper eumdem et ſui ſimilem fuiſſe, quippe cui *in formulis et caerimoniis eccleſiaſticis ſemper viſum ſit habendam eſſe aliquam rationem religioſae antiquitatis, vbi per diuinam legem liceat, quique in ordine conſtituendo ſemper oderit intemperiem, quae caelum terrae miſcere velle videatur, et ſuperbe proculcet, vel contumelioſe faſtidiat omnem eccleſiae veteris memoriam.* Quamuis vero aliquando blandiatur Caluino, eumque fateatur eſſe *virum magnum*, a quo ne quidem, vt labem ſibi adſperſam lambendo reſorbendoque detergat, depoſcere velit: eſt tamen, vbi conuicia reddit conuiciis, eumque *magiſtrum magnae auctoritatis, verum maioris intemperantiae atque impotentiae dictatorem, moroſum magiſtrum, qui nullum collegam ferat, nouum doctorem, item ſaeuum terribilemque magiſtrum*, adpellitat. Denique in Ioannem Criſpinum, quem auctorem et choragum huius fabulae fuiſſe, ſuſpicatur, ita inuehitur: *Oportet vero iſtum irenarcham habere mirabiles nunciatores, ſiue* ἀγγελιαφόρους, *qui tam falſa ad eum, notoria vndique, referunt: et ipſummirifice facilem et credulum eſſe, vbi ad maledicendum incitatur. Sed vos, vos, qui illum miris flabellis incitatis, delatores, coërcendi eſtis. Vos virum vehementem inflammatis: vos harum turbarum auctores eſtis. Saltim tu, qui nunc illi nimis obſequens librarius fuiſti*, (typographiam enim Criſpinus tum Geneuae inſtruxerat) *qui mecum a puero es educatus, qui vtriuſque fortunae ſocius, tot laborum propter bonam cauſſam particeps mihi tot neceſſitudinis vinculis ſanctiſſimis coniunctus antea eras, et totius in hac cauſſa veritatis conſcius, herum monere et reprimere debueras potius, quam huius eſſe iniuriae adminiſter contra tuam conſcientiam. Saltim licet nunc Iuriſconſultus eſſe deſieris, meminiſſe debueras legis Theodoſianae, quam Ambroſius expreſſit abs Principe* ὀξυχόλῳ, *ne ſtatim pareatur mandato crudeli*, *l.* 20. *C. de poen. Tu mihi condiſcipulus tot annis in eadem pietatis ſchola fuiſti. Et audes Lucianicae diſciplinae*

ciplinae conuicio tuos typos commaculare? ... Sed tu, o Deus, iudex et vindex eſto. Ceterum in huius commentarii editione id ridiculum viſum eſt BEZAE, quod BALDVINVS illum a ſe multis moleſtiis ac laboribus paene obruto, omnibuſque libris deſtituto, ſcriptum eſſe dicat, quum iam ab aliquot annis priuilegium illum imprimendi bibliopola impetraſſet. Enimuero ſi vel maxime eum libellum iampridem paratum habuerit: ſolent tamen auctores ſchedas huiuſmodi, antequam praelo ſubiiciuntur, limae de nouo ſubiicere, quae deeſſe credunt, ſupplere, quaedam etiam reſecare, denique permulta poſterioribus illis curis ita emendare, refingere, perpolire, vt plane nouae videri poſſint: ad quae omnia otio et libris non minus aliquando indigent, ac ſi noui quid adornarent. Quamobrem, BEZAM nullam Balduinum traducendi occaſionem neglexiſſe, facile vel hoc ipſo argumento intelligimus. Poſteaquam vero ſemel inſonuerat claſſicum, diu non deſiit vtraque pars aperto Marte, et paribus fere vtrimque cladibus, concurrere, tantuſque fuit belli iſtius litterarii furor, vt nos taedeat omnino foeda illa, quibus ſe inuicem lacerarunt, vulnera referre, maxime cum viri probi etiam meliorum partium illam belli gerendi rationem ſerio damnarent et deteſtarentur (*a*). Hinc libellos tantum, qui tum hinc inde prodierunt, paucis recenſere iuuabit. Anno MDLXII. lucem vidit *Defenſio inſontis libelli de officio pii viri aduerſus iniquum et perpetuum caſtigatorem, auctore Veranio Modeſto Pacimontano*, quippe ſub quo nomine tunc adhuc veluti pone tabulam, latitare voluit GEORGIVS CASSANDER. Eodem anno Balduino IO. CALVINVS alteram oppoſuit *Reſponſionem ad Balduini conuicia*, quibus dentatis chartis comites dedit varios libellos, partim iam olim, partim tunc aduerſus Balduinum, a FRANC. DVARENO, ANT. CONTIO, IO. CRISPINO, et quibuſdam anonymis, inter quos etiam FRANC. HOTOMANVS erat, ſcriptos. Quibus, nondum circumacto illo anno, *Reſponſionem ſecundam* obuertit BALDVINVS, Coloniae et Pariſiis impreſſam, tamque atroci ſtilo ſcriptam, vt antea alios, iam ſeipſum, vincere conuiciando voluiſſe videatur. Quare illum mordaciſſimum libellum tam indigne tulit CALVINVS, vt breui *Epiſtola*, quae et inter THEOD. BEZAE *Tractationes Theologicas* (*b*) occurrit, ſibi cum cane illo nihil amplius negotii in poſterum futurum eſſe, ſignificaret. *Hecubam*, inquit, *fingunt poetae, quum Troia euerſa, paſſim maledicta in hoſtes ingerendo intemperanter dolori*

(*a*) MARNIX *Epiſt. ad Bezam*, *Tomo* III. *Tractat. Theol. p.* 207.

(*b*) *Tomo* II. *p.* 200.

dolori indulgeret, tandem fuiſſe in canem conuerſam; nempe quod immodicus ille conuiciandi impetus nihilo pluris, quam canis rictus fieret. Si hoc de nobiliſſima Regina dictum ſit, quam ſi tot tamque acerbae clades in rabiem adegerint, aliqua tamen excuſatione dignus videri potuerit muliebris luctus: quid de homine nihili dicendum, qui caeco magis furore, quam iracundia, percitus, non tantum in obuios quosque probra temere conficta euomat, ſed et optimos cupide adpetat, quibus maledicat? Ergo quum ſe hactenus hortati ſint multi, vt Franc. Balduini petulantiam compeſceret, tamen, ne cum canis latratu confligere videretur, beſtiam contemnere viſum eſſe, nec dum ſe eius conſilii poenitere. His praemiſſis, vbi quaedam ſibi à Balduino iterum exprobrata breuiter diluit, et hunc furti non obſcuris, ſed apertiſſimis verbis, coarguit, lampada demum tradit *fratri optimo atque integerrimo*, THEODORO BEZAE, ſeque eius *concinna et ſimul omni fuco pura reſponſione*, non parum oblectari fatetur. Et ex hac ipſa quidem epiſtola occaſionem adripuiſſe arbitramur PAPYRIVM MASSONVM (*a*), vt ſcriberet, *Caluinum nullius linguam, ſtilum et eruditionem magis horruiſſe, quam huius Atrebatis, familiaris quondam ſui.* Iam ergo in arenam deſcendit nouus Balduini aduerſarius, THEODORVS BEZA, cuius *Reſponſio ad Franciſci Balduini, Ecebolii, conuicia* inſequente anno MDLXIII. euulgata, poſtea eius *Tractationibus Theologicis* inſerta eſt (*b*). Quamuis autem non negem, ita de Caluino vniuerſaque Proteſtantium Eccleſia meritum eſſe Balduinum, vt probe vapularet: neſcio tamen, an BEZAE perſona digna ſit illa ſtili, qua vſus eſt, acrimonia, et an non potius Balduinus, legens illam reſponſionem, iure vti potuerit verbis Thaidis apud TERENTIVM (*c*):

Non te dignum, Chaerea,
Feciſti; nam ſi ego digna hac contumelia,
Sum maxime: at tu indignus, qui faceres, tamen.

Nam vt mittamus duriuſcula illa: *perditiſſimus apoſtata, Ecebolius, tranſfuga, impoſtor, homo turbulentus, canis, beſtia, bellua*, (iis enim elogiis Balduinum vbique exornari animaduertimus:) quis in Theologo tantum ferat ſupercilium, vt et de Iuridica hominis eruditione ſibi cenſuram adroget, et virum, cui tum in eo doctrinae genere pares quam pauciſſimi erant, modo tamquam *rabulam*, modo tamquam *cauſſidicum indoctiſſimum* et *leguleium famelicum*, *qui rancida quaedam iura reco-*

(*a*) *In Elogiis ibid.*
(*b*) *Tomo II. p. 201. ſequ.*
(*c*) *Eunuch. Act. V. Scen. II. v. 25.*

quat, *libellos ex omnium ſcriptorum indicibus peculiari quodam more*, *veluti ex verſicoloribus centonibus conſuat*, *recoctaque ſua ipſa*, *inſipidi palati hominibus proponat*, modo tamquam hominem tam obſcurae famae, *vt Nauarrenus*, *an prius natus ſit*, *reſciſcere non potuerit*, modo denique tamquam plagiarium, *qui commentarios ſuos in Inſtitutiones Brechtano, praeceptori ſuo, illiberali plagio ſurripuerit*, ſatis impudenter traducat? Quis vero haec, ſimiliaque quam plurima, legens, non exiſtimet, Bezae litem intercesſiſſe cum homine omnium, qui tunc vixerunt, indoctiſſimo? Quis non doleat magni Theologi vicem, cui ſe indigniſſimus nec vlla doctrinae laude inſignis contigerit aduerſarius? Et tamen qui hodie, deferueſcente illo odio, vtriuſque doctiſſimi viri ſcripta euoluerint, vno omnes ore fatebuntur, non Balduinum minus, quam Bezam, in arte ſua Roſcium, et, ſi Bezam cauſſa, quam defendit, ſuperiorem reddiderit, ſaltim armis vtrumque et viribus parem fuiſſe. Quid ergo in mentem veniſſe dixeris Bezae, vt aduerſarium ſuum tam alto ſupercilio contemneret? Memoriae proditum eſt, congreſſos inter ſe non modo ſuae aetatis, ſed omnis ante ſe memoriae, duces, Scipionem et Hannibalem, alterum paulliſper alterius conſpectu admiratione mutua attonitos, conticuiſſe, poſteaque, confecto praelio, alterum alterius prudentiam in inſtruenda acie oſtenſam, aliaſque artes imperatorias, maximis incorruptiſque laudibus eſſe proſequutum (*a*). Quis vero non miretur, tantam animi magnitudinem non cadere in Chriſtianos, quippe qui omnes, quibuſcum ſibi male conuenit, tanquam indoctiſſimos ſtupidiſſimoſque mortalium, traducunt, quaſi ſibi glorioſius ducant, aſinos, quam leones, confeciſſe.

Et ſane res ipſa magiſtraque rerum omnium experientia docuit, eo belli genere vtrumque virum doctum nihil, quod eſſet operae pretium, egiſſe. Tantum enim abeſt, vt Balduinus, his non caſtigatus verbis, ſed veluti lapidibus percuſſus, reſipuerit, vt odium aduerſus Proteſtantes conceperit multo vehementius, et inſequente anno MDLXIIII. nouam in lucem protruſerit *Reſponſionem ad Caluinum et Bezam cum refutatione Caluini de ſcriptura et traditione* (*b*), adeoque vere contigerit, quod in vita Caluini ſcripſit Beza (*c*), Balduinum *ab illo tempore Caluinum et Bezam meretriciis conuiciis impetere non deſtitiſſe*, *donec Deo hominibuſque alterutrius religionis*, *quos toties feſellerit*, *inuiſus*, *Lutetiae viuere ſimul ac maledicere deſierit*. In eo libello cum in

(*a*) Liv. *Lib.* XXX. *cap.* 30. *ſequ.*

(*b*) Valer. Andr. *Biblioth. Belg. p.* 224.

(*c*) *Tractat. Theol. Tomo III. p.* 381.

in reliquos aduerſarios ſuos; tum maxime in Franc. Hotomanvm, qui libellum *de officio pii Iuriſconſulti*, ſuppreſſo auctoris nomine, cum altera Caluini reſponſione edendum, ſubmiſerat, acriter inuectus, ill non modo periurium, illo ipſo die, quo coenam Dominicam Argentorati ſumſerit, admiſſum, ſed et adulterium, ob quod excommunicatus ſit a Gallicana eccleſia, aliaque flagitia exprobrauit (*a*). Quae quum ita comparata ſint, vt non potuerint non Hotomani pudorem ſugillare, adeoque illius vel maxime interfuiſſet, adſperſam ſibi hanc maculam elui: tamen his conuiciis, quod merito miratur Petr. Bailivs (*b*), nec Hotomanus, nec Beza, quidquam repoſuit. Rationem eius ſilentii redditurus Petrvs Neveletvs Doscivs (*c*), elogii potius, quam vitae Hotomani ſcriptor, indignum Hotomano viſum eſſe ait Balduinum, quocum contenderet. *Nam Balduinum quidem*, inquit, *olim amicum, poſtea famae nominiſque hoſtem, expertus eſt, quod hominem, quem nonnulli deſultorem eccleſiaſticorum certaminum vocitabant, amice monuiſſet, vt conſtanter famam tueretur: eiuſque libellis oppoſui vnicum illum de officio pii Iuriſconſulti, deinceps iniurias illius atque offenſiones ſuperne deſpiciens, cum eo certandum ſibi non iudicauit.* Sed permulta hic ſunt, quae nemini temere perſuaſerit Neveletvs. Primo enim libellum illum *de officio pii Iuriſconſulti*, qui inter eius Opera non eſt relatus, non Balduini libellis, aduerſus ſe ſcriptis, quales nulli erant, oppoſuerat Hotomanus, ſed in certamine illo Balduini cum Caluino veluti ex inſidiis in hunc irruerat. Deinde id tam callide et aſtute fecerat, vt nomen ſuum non ſolum apud lectores, ſed et apud ipſum Caluinum diſſimularet. Id quod ipſe Beza (*d*) refert in Reſponſione ad Fr. Balduini, Ecebolii, conuicia: *Quod*, inquit, *eos auctores, Balduine, a nobis accitos putas, vana ſuſpicio eſt, quum ne nomen quidem Contium, niſi de nomine nouerimus*, (quod quam verum ſit, ea, quae ſupra diximus, oſtendunt), *alter autem quis ſit, ex tuo potius reſponſo, quam ex ἀνωνύμῳ epiſtola coeperimus ſuſpicari. Nam hoc teſtari ſancte poſſumus, non ex Germania, vbi tum ille erat, ſed ex ipſa Lutetia, illam epiſtolam miſſam fuiſſe, et quidem ignota manu ſcriptam. Sed placuit librario tuo* (Ioanni Criſpino), *vno volumine qualemcumque tuarum virtutum deſcriptionem oculis hominum ſubiicere.* Atqui poſt principia latitare, atque inde furtim aduerſarii cum alio digladiantis latus inuadere, non eſt hominis, hoſtem ſuum ſuperne deſpicientis, ſed

 Thraſo-

(*a*) *Reſp. pro Balduino p.* 86.
(*b*) *Diction. hiſt. crit. Tomo* II. *p.* 817.
(*c*) Leickher. *vit. Iuriſconſ. p.* 242.
(*d*) *Tractat. Theol. Tomo* II. *p.* 232.

Thraſonis, imbellis atque inertiſſimi. Neque video profecto, qui tum ſuperne Hotomanus deſpicere potuerit Balduinum, cui ille nec ingenio, nec iuris et hiſtoriarum ſcientia, vlla ex parte erat comparandus. Quare ſola fuit criminum, a Balduino exprobratorum, veritas, quae Hotomani calamum cohibuit. Quod enim de adulterio Hotomani retulerat Balduinus, id et HVBERTVS LANGVETVS (a), non ſine ſignificatione iuſtiſſimi doloris teſtimonio ſuo confirmat. Nolebant ergo hanc Camarinam mouere HOTOMANVS et BEZA, alter ne ſua, alter ne ſocii flagitia magis magiſque diuulgarentur. Tacuit igitur vterque, et HOTOMANVS maxime, concoquens tantam iniuriam, grande dedit patientiae exemplum, quoad Balduinus vixit. At mortuo demum illo, eius conuitia probe vltus eſt. Quum enim anno MDLXXIII. *Franco-galliam* ſuam, mali exempli librum, edidiſſet, eique ANTONIVS MATHARELLVS quidam oppoſuiſſet *Reſponſionem ad Fr. Hotomani Franco-galliam*, praemiſſo PAPYRII MASSONI iudicio, Pariſiis MDLXXV. editam: his aduerſariis ſuis illuſit libello ludicra dictione ſcripto, cuius titulus eſt: *Matagonis de Matagonibus, Decretorum Baccalaurei, Monitoriale aduerſus Italo-Galliam, ſeu Anti-Franco-Galliam Antonii Matharelli.* Pariſ. MDLXXVII. ſequuti poſtea ſunt, vti fieri ſolet, alii libelli, veluti PAPYRII MASSONI *Reſponſum ad maledicta Hotomani, cognomento Matagonis*, et MATAGONIS *Strigilis Maſſoni*, tam maledici, vt eos a ſcurris potius, quam a viris doctiſſimis, profectos deierares. In his vero libellis dici non poteſt, quam petulanter mortuo leoni inſultet Hotomanus. Eum enim non modo *hermaphroditum* fuiſſe clamat, ſed et a CVIACIO, qui nuſquam Balduini vel verbo meminerat, *non maioris factum eſſe ſcribit, quam veteres ocreas* (b). Tanta eo ſaeculo fuit virorum doctorum proteruia, tanta praeſtantiſſimorum ingeniorum intemperies, quam quotieſcumque ego mecum paullo expendo accuratius, toties dubium me haerere fateor, magiſne illi ſaeculo tantum virorum doctiſſimorum prouentum gratulari, an ob foedam illam lanienam iſti condoleſcere debeam. Ea enim re factum arbitror, vt quum tot eximiorum hominum opera ad ſummam perfectionem peruenire Iuriſprudentia potuiſſet, ea paullatim adducta ſit in odium hominum, vehementer mirantium, tot iniuriarum cauſſam eſſe diſciplinam, ex qua, tamquam limpidiſſimo fonte, omnem aequitatem ac iuſtitiam promanare oporteret.

Vt

(a) *Lib.* II. *Epiſt.* LXIIII. *p.* 186. *ſequ.*

(b) BAYL. *Diction. hiſt. et critic. Tom.* I. *p.* 485.

Vt ad Balduini noſtri fata redeamus, is, quo in Nauarreni aula loco fuerit, et quid Lutetiae, ne nihil agere videretur, eo tempore egerit, iam antea diximus. Paullo poſt anno MDLXII. cum altello ſuo, Carolo Notho Borbonio in Italiam ſuſcepit iter, concilio Tridentino, tamquam ſpectator, interfuturus, et fortaſſis etiam in ſplendidiſſima illa hominum panegyri vires ingenii explicaturus. Sed haec quoque qualiacumque eius conſilia illico turbauit adlatus de morte Nauarreni nuncius. Is enim Princeps accepto in Rothomagenſium oppugnatione vulnere, eoque deinde male curato, decimo die Nouembris MDLXII. deceſſerat (*a*). Hoc fulmine perculſus Balduinus, reditum in Galliam maturauit, et iam demum, omni praeſidio deſtitutus, niſi me omnia fallunt, re ipſa expertus eſt, vanam fuiſſe, quam in tanto Rege collocauerat, fiduciam. Auctorem enim habeo VALERIVM ANDREAM (*b*), illum, ex Italia factum reducem, bibliothecam ſuam et facultates omnes direptas reperiſſe, argumento profecto luculentiſſimo, eum tum pauciſſimos habuiſſe amicos, a quibus aduerſus hominum iniurias defenderetur.

Itaque aliam, quam excuteret, quercum quaerere conſtituit, quumque et in Gallia et in Germania, parum ſibi ſpei reliquum eſſe exiſtimaret, de reditu in patriam cogitauit Vlyſſes noſter.

Ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω (*c*)

Quum vero id bis eum feciſſe conſtet, primum anno MDLXIII. ac deinde anno MDLXVII. neutrum tamen iter illi admodum auſpicatum fuiſſe, arbitramur. Prioris itineris notitiam debemus NIC. BVRGVNDO (*d*), qui hanc illius occaſionem fuiſſe, perhibet. Quum in Belgio eo iam res rediiſſet, vt Hiſpani nouas, quas vocabant, haereſes ferro flammiſque extinguendas exiſtimarent, iſtaque edicta mira ſeueritate exſequi coepiſſet Margaretha Parmenſis: ſedandis tumultibus quotidie gliſcentibus vix aliud ſupereſſe remedium videbatur Proceribus, quam ſi leges iſtae atrociores, et ſanguine potius, quam attramento, ſcriptae, paullulum mitigarentur. Ad id vtiliſſimam ſibi futuram:

(*a*) SARP. *hiſt. concil. Trident. Lib.* VII. *p.* 1104.

(*b*) *Biblioth. Belg. p.* 221.

(*c*) HOMER. *Odyſſ. Lib. I. v.* 1. *ſeq.*

(*d*) *Hiſtor. Belgic. Lib. II. p.* 37.

turam ſperabant operam GEORGII CASSANDRI et FRANC. BALDVINI, qui tum magna ſtudiorum ac moderationis fama celebrabantur. Priorem enim Hornanus, poſteriorem Ludouicus Naſſouius, tamquam religionis arbitros, commendabant. Naſſouius enim Balduinum, ceu ipſe teſtatur (*a*), Argentorati iura docentem, audiuerat, poſtea et Heidelbergae propius noſcere coeperat. Vterque ergo, ſuis excitus ſedibus in Belgium venit. *Sed Caſſandrum*, inquit BVRGVNDVS (*b*), *vmbratica vanitas et rudes aulae mores ſtatim, vnde venerat, in Germaniam reiecere. Balduinus illuſtribus Galliae familiis eruditionis geniique beneficio immerſus vt in Belgium venit, magnam ſui exſpectationem omnibus fecit, ſollers animo, obſequendi gratia et ciuili congreſſu, non minus officii comitate ad ingenia Principum vitam inſtruxerat. Nec enim nouorum hominum deliramenta ſectabatur, et rurſus in religione ſcrupulum oderat, humaniusque credebat, iniquitati temporum cedere, pietatiſque integritatem in paucis violare, quam vim adferre turbatis conſcientiis quas in contaminatis hominibus nulla vmquam ſupplicia eluant.* Maximi ergo fiebat BALDVINVS, non modo a Ludouico Naſſouio, verum etiam a Guillelmo Auriaco, aliiſque Proceribus (*c*). Auriacus enim primum ab Atrebatenſium curia, vt ſeuera proſcriptionis ſententia, qua olim Balduinum ob haereſin damnauerat, reſcinderetur, impetrauit (*d*): deinde ipſum Balduinum onerauit promiſſis, ſpemque illi fecit, profeſſionis in Academia vel Louanienſi, vel Duacenſi, obtinendae, mox futurum ſpondens, vt fauore proprii nominis, ſuoque et Magnatum ſuffragio in ſecretius concilium adoptetur. Rebus ergo ſic compoſitis, tamquam breui rediturum a ſe dimittens, muneribus honorauit, in ſpem adductus, religionis arbitria ſuſcipi poſſe, ſi vir tantus cum Viglio, Maſioque et Hoppero, aequata dignitate componeretur. Sed et illa concepta de Balduino ſpes mox euanuit. Ipſe enim quum ſe, quae Proceribus eſſet pollicitus, praeſtare poſſe deſperaret, in Galliam, vnde venerat, praepropere ſe recepit, *ſtultum ratus, pro ſecuris et praeſentibus incerta et praecipitia eligere. Et vt quiſque ei amicus, ita et reditum diſſuadebat, dedecus atque diſcrimen oſtentans, ſi non reſolueret leges, in quarum contumaciam duraret Rex Philippus. Non omiſit Ludouicus Naſſouius, crebris eum nunciis admonere promiſſi, et imminentium honorum blanditiis adlicere: ſed ille in Gallia Borboniis Guiſiiſque iuxta acceptus, et inde maiora ſibi praemia*

(*a*) *Reſponſ. pro Balduino p.* 88.
(*b*) *Ibid. p.* 37.
(*c*) GROT. *Diſcuſſ. apol. Riueti p.* 23.
(*d*) BAYL. *ibid. Tomo I. p.* 489.

mia ſpondens laborabat inter diſſidentes finire diſcordiam, grauem paci, grauiorem dominantibus, in quorum perniciem haud dubie eruperat. Ergo Auriacus, ſpe ſua fruſtratus, conſilium mutauit (a). Manſit ergo BALDVINVS tum adhuc in Gallia, et ad priſtinam iura ac hiſtoriam docendi, pacificiſque conſiliis oleum et operam perdendi, conſuetudinem rediit, nullum fere abire paſſus annum, quo non vel praeclari quid, vel libellum eriſticum ſaltim parturiret ingenium. Anno enim MDLXIII. lucem viderunt eius *ad leges Maieſtatis ſiue perduellionis libri II.* ex quorum praefatione, nomine Caroli Nothi Borbonii ad Carolum Cardinalem Borbonium ſcripta (*b*), intelligimus, Balduinum tum adhuc iuſſu Cardinalis praefuiſſe educationi Caroli illius, eumque priuatim domi ſuae inſtituiſſe. Inſequente anno MDLXIIII. praeter *Reſponſionem III. ad Caluinum et Bezam*, de qua iam ſupra diximus, prodiit *Reſponſio* neſcio quae *ad Ge. Caſſandrum*, impreſſa Pariſiis in 8°. Hanc anno MDLXV. excepit *Diſputatio aduerſus impias*, quas vocat *theſes de maieſtate hominis Chriſti*, Iac. Andreae, Theologo eorum temporum non incelebri, oppoſita. Annus vero MDLXVI. eius vidit *Hiſtoriam collationis Carthaginienſis*, Pariſiis editam, et poſtea aliquoties recuſam. Quamuis enim libellus iſte non ipſa iſtius celeberrimae collationis acta, poſtea demum anno MDLXXXVIIII. a PAPYRIO MASSONO, PETRO PITHOEO (*c*), et nouiſſime a STEPH. BALVZIO (*d*) edita, ſed eius tantum hiſtoriam, complectatur: ſtatim tamen mirifice placuit iis omnibus, qui eius libelli vſum haud exiguum aduerſus eos, qui ab eccleſia Romana ſeceſſionem feciſſent, futurum eſſe cenſebant. Permulta tamen et huic libello admiſcuerat Balduinus, quae aduerſus Ioannem Caluinum et Theod. Bezam ſuggeſſerat atra bilis, ſuperioribus illis ſcriptis nondum plane egeſta. Quum vero illa, aliaque quaedam, ἀπρεπῆ ipſi auctori viderentur: illis poſtea expunctis, aliiſque, quae omiſſa eſſe animaduertebat, ſuppletis, totam iſtam hiſtoriam recognitam emendatamque anno MDLXVIIII. adiecit OPTATO MILEVITANO, a ſe edito, vt veluti introductionis loco eſſet Optati lectoribus. Quare MERICO CASAVBONO eumdem Optatum edenti Londini MDCXXXI. et THOMAE ITTIGIO (*e*) merito vapulat CAR. PAVLLINVS, qui vtramque eius hiſtoriae editionem, quaſi diuerſa eſſent opuſcula, bis editioni Optati, a ſe curatae, et primo quidem p. 199. ſub titulo *delibationis hiſtoriae*

(*a*) BVRGVND. *ibid. p.* 38.
(*b*) *Concil. Tomo II. p.* 1335.
(*c*) *Nou. Collect. Concil. p.* 117.
(*d*) *Hiſtor. Donatiſt. vſ.* CXXXIIII. *p.* 543.

ſtoriae Africanae; ac deinde iterum p. 599. ſub titulo *Hiſtoriae Carthaginienſis collationis* inſeruit.

Quae ſequutae in Gallia paullo poſt ſunt turbae triſtiſſimae, Balduino parum ſpei reliquerant conſequendi demum illa mutatae religionis praemia, quae ille ſibi certiſſima animi praeſenſione ſpoponderat. Itaque anno MDLXVII. de Belgica conditione iterum ſerio cogitauit. Marchio enim Bergenſis, cuius tum non infimae in aula partes erant, auctor fuerat Maximiliano Bergenſi, Cameracenſium archiepiſcopo, vt Balduinum ad docendi munus publicum in Academia Duacenſi ſuſcipiendum inuitaret, ſperans, eius conſiliis ſe in negotiis, ad ſtatum religionis et reip. pertinentibus, non inutiliter eſſe vſurum (*a*). Voti huius facile damnatus eſt Marchio, nec Balduinus, acciperetne oblatam hanc conditionem, an iterum adſpernaretur, diu multumque fluctuauit, ſed Bruxellam aduolauit pridie eius diei, quo Hornanus et Egmundanus in vincula rapti ſunt, id eſt, die VIII. Nou. anni MDLXVII. Quamuis vero ab Albano comiter humaneque, teſte PAPYRIO MASSONO (*b*), eſſet exceptus: non tamen diu etiam illo tempore in Belgio durauit homo, in omni vitae genere varius. *Belgicis* enim *tumultibus*, inquit MASSONVS, *magis magiſque ingraueſcentibus, miſſione aliquot dierum impetrata, ſpecie adducendae vxoris et bibliothecae, Lutetiam ad priſtinum docendi munus reuertit.* Sic Balduinus, omnium ſe hominum hominem eſſe, nouo eoque valde notabili, exemplo oſtendit. Qui enim aliquot abhinc annis Auriaco et Ludouico Naſſouio operam ſuam addixerat: is ſeſe nunc Albano venditare non dubitabat, eique ſe totum procul dubio mancipaſſet, ſi, rigidum illud ac pertinax ingenium mitiora conſilia admiſſurum, crediſiſſet. Sed veritus inuidiam, ſi iudiciis publicis, quae tum boni omnes deteſtabantur, intereſſe cogeretur: ſignum dare receptui, et in Galliam reuerti, quam illud exiſtimationis ſuae adire periculum maluit.

Paullo poſt, quod idem memoriae prodidit PAPYRIVS (*c*), id eſt, anno MDLXVIII. eum ad ſe per nuncios euocabant Veſontionenſes, qui, quod ius inſtituendae Academiae ſeſe impetraſſe dicerent, pacti de ſtipendio, eum facile adducebant. Enimuero, *e fluctibus Galliae, iterum aeſtuantis, in eum velut portum ſecedens, (belli enim ciuilis rapinas, furta, caedes, deteſtabatur,) intellexit, Maximiliani II. Caeſaris mandato Veſontionenſes prohibitos iuris ſcholam inſtituere. Hortantibus nihilominus amicis, vt ius ciuile interpretaretur, nefas eſſe, reſpondit, iuris* aucto-

(*a*) VALER. ANDR. *Biblioth. Belg. p.* 222. (*c*) MASSON. *ibid.*
(*b*) *Elog. ibid.*

auctorem ab interprete iuris contemni. Ita denuo excidit auſibus, omniaque ſibi male procedere intelligens, Lutetiam rediit, nec admodum bene procul dubio numatus, et vitae iſtius vagae iam pridem pertaeſus, adeo denique in ipſo ſtudiorum ſuorum curſu turbatus, vt per biennium hoc, praeter conſuetudinem, nihil eum, quod alicuius momenti eſſet, edidiſſe, comperiam. Inſequente tamen anno MDLXVIIII. ſpes noua homini adhuc miſere erranti adfulſit, quando Philippus Huraldus, Henrici Andegauenſis Cancellarius, dabat operam, vt in Andegauenſem Academiam euocaretur. De qua noua ſtatione idem MASSONVS (*a*): *Itaque*, inquit, *digreſſus inde, rogatu multorum Andegauum ad Scholam reuocandam ſe contulit, vbi, quum annos ferme quatuor florem Gallicae iuuentutis iuris ciuilis cognitione imbuiſſet, Henrico, tum Andium Duce in Regem Poloniae electo, Lutetiam ab eo venire iuſſus eſt, menſe Auguſto.* Aduenit ſplendida iſta Polonorum legatio anno MDLXXIII. quumque ante id tempus quadriennium ferme Andegaui docuiſſe dicatur: eum anno MDLXVIII. ibi docere coepiſſe, palam eſt. Et ſane eo ipſo anno edidit OPTATVM MILEVITANVM et VICTOREM VITENSEM, de qua editione iam antea quaedam praelibauimus. Deinde inſequente anno non modo *Explicationem legis ſi pacto* 10. *C. de pactis*, Chriſtophoro Thuano nuncupatam, ſed et maxime *Relationem ad Henricum Andium Ducem*, ſcripſit, eique LATINI PACATI *orationem panegyricam ad Theodoſium Auguſtum*, et EVMENII *orationem de Scholis*, ſuis adnotationibus illuſtratas, ſubiunxit. In ea relatione, ſane eleganter ſcripta, permulta ſunt, quae ad Andium Ducum hiſtoriam pertinent, de qua tamen ſe aliquando pluribus acturum, ſub finem iſtius libelli minatur. Ex ipſo vero relationis iſtius exordio, eum ab Hero ſuo inter libellorum in praetorio ſuo Magiſtros relatum eſſe, intelligimus. Anno, qui ſequutus eſt MDLXXI. Carolus, Rex Galliae, Eliſabetham Auſtriacam, Maximiliani II. Imp. filiam, quam iam ſuperiore anno ſibi vxorem legerat, magno cum adparatu domum ducebat, ſimulque Lutetiam Pariſiorum tum primum ſollemniter intrabat, quam pompam fuſius deſcribunt THVANVS (*b*), BVSSIERIVS (*c*) et alii. Eam quoque ſollemnitatem Andegauis inſigni et facunda oratione celebrauit BALDVINVS, quae Gallice prodiit ſub titulo: *Panegyrique ſur le mariage du Roy, Angers* 1571. 4°.

(*a*) MASSON. *ibid.*
(*b*) *Hiſt. Lib.* XXXXVIII. *p.* 630.
(*c*) *Hiſt. Franc. Lib.* XVIIII. *p.* 371.

Sed ſupereſt fabulae, quam Balduinus in hac mundi ſcena egit, actus vltimus. Iam ſupra me obſeruare memini, eum Andegauis haeſiſſe ad annum vſque MDLXXIII., eoque ab Hero, Rege a Polonis poſt multa molimina electo, Lutetiam eſſe euocatum, vt pompae aulicae, qua Polonorum legatio excipiebatur, intereſſet. Balduinus vero illi fabulae non modo tamquam ſpectator, ſed et tamquam actor, videtur intereſſe voluiſſe. Quum enim tum edita, incertum, an habita etiam eſſet, oratio luculenta a IOANNE SARIO ZAMOSCIO, cuius nomen libris duobus de Senatu Romano praeſcriptum legitur: ad hunc aliam orationem eleganter ſcriptam, teſte THVANO (*a*), euulgauit FRANC. BALDVINVS, qua et eum, vt librorum iſtorum de Senatu Romano auctorem laudat, (quum SIGONIVS, illos a ſe ſcriptos eſſe, THVANO faſſus ſit,) et legationem Polonicam, vt maxime omnium illuſtrem aliarum, ab omni antiquitate repetitarum, comparatione, multis verbis extollit. Ceterum Polonis, quibuſcum ea occaſione amicitiam contraxerat, adeo probauerat ingenium, iiſque Iuriſprudentiae elegantioris ſtudium tanta facundia commendauerat, vt abs eo ſpecimen aliquod exigerent, cum eoque agerent, vt in Poloniam ſecum proficiſceretur. Paruit libens, et in aulico iſto ſtrepitu recognouit publicauitque *explicationem l. Lecta XXXX. D. de rebus creditis*, qua ſe ante annos XXVI., adhuc minorem annis, munus docendi ius ciuile in Schola et auditorio Bituricenſium auſpicatum eſſe, ait. In epiſtola vero nuncupatoria ad Philippum Huraldum Cheuernium, occaſionem edendae huius praelectionis ita deſcribit: *Quae mihi interceſſit conſuetudo cum Legatis Polonis, fecit, vt non modo de nobiliſſima eorum legatione agerem, ſed et de noſtris ſtudiis, (non enim nulli inter eos oratores Iuriſconſulti fuere, in quorum etiam comitatu familiares habui doctiſſimos duos viros, quamuis, vt leges noſtrae loquuntur, Agentes in rebus, Iacobum Panetouium, et Franc. Maſſouium,) quidpiam reſponderem: dico de Iuriſprudentia, quam tuis auſpiciis doceo in eius Principis, quem illi Regem elegerunt, atque requirunt, Andica Academia. Quum autem et illi de ſua Cracouienſi magis atque magis excitanda conferrent, dixi, quod ſentiebam, nihil agi, niſi ſi illic quoque perſonet vox purioris Iuriſprudentiae Romanae, et cur id dicerem, itaque ſentirem, non diſſimulaui.... Denique eo delapſus hic ſermo eſt, vt quum proferendum eſſet aliquod eius generis ſpecimen ſubtilium de iuris, vt vocantur, apicibus diſputationum,* quibus

(*a*) *Hiſt. Lib.* LVII. *p.* 144.

quibus aliquando Auditorum noſtrorum ingenia exercemus, et de Papiniani, omnium Iuriſconſultorum facile principis, auditorio quaereretur: ex eo repetita ſit nobiliſſima illa quaeſtio, de qua noſter Paullus illic actum eſſe, narrat.... Ergo vt potui, in hoſpitio conſignaui meam ſententiam et interpretationem obſcuriſſimae legis; ne non hoſpitibus Polonis, quibus maiora vos lautia datis, hac quoque in parte, ſi poſſem ſatisfacerem, domumque redeuntibus exemplum aliquod et argumentum vel pertenue darem ciuilium, quibus operam damus, litterarum, non dicam veluti deportandum in extremas terras, ſed in eorum auditorio Cracouienſi vel relegendum, vel recognoſcendum, vt quum eo ipſe excurrere, ſicuti fortaſſe vellent, (ſed longa eſt via,) tam cito non poſſim, ſaltim, praemittam non dico metatorem, ſed veluti laciniam aliquam noſtrarum in ſchola traditionum. Quae verba adſcripſi eo lubentius, quo clarius ex illis intelligimus, Polonos de abducendo illo cogitaſſe, neque adſpernatum illum conditionem oblatam, in illa profectione omnes cogitationes ſuas defixiſſe. Quin ex eadem fortaſſis ratione, ne hiſtoriam gentis, ad quam profecturus erat, ignoraret, IOANNIS HERBVRTI DE FVLSTEIN *Hiſtoriam Regum et Principum Poloniae* in linguam Gallicam videtur tranſtuliſſe, eodem anno Pariſiis, incertum, viuone illo, an iam mortuo, typis exſcriptam.

Sed haec cogitantem agentemque, BALDVINVM mors repente, et praeter omnem exſpectationem, oppreſſit. Qua de re MASSONVS: *Colloquutus*, inquit, *Balduinus cum omnibus legatis Polonis magnum ſui in exterorum animis amorem excitauit, putabaturque ineunte vere, in Poloniam profecturus, niſi conditionis humanae neceſſitas Iuriſconſultum totius Europae ſummum ardore continuae febris vexatum diu, ante ſuſtuliſſet. Vita ergo deceſſit Lutetiae in collegio ſuae gentis Atrebatium, praeſentibus vxore et filiola, annos natus tres et quinquaginta, ſacris ritu catholico pie ſumtis, teſtatus ſe mori in caſtris eccleſiae Romanae. Adſuit morienti, quo etiam vſus fuerat familiariter, Ioannes Maldonatus, ſocietatis Ieſu Theologus.* Haec MASSONVS, qui et ipſe Balduino fuerat familiariſſimus, eumdemque adoleſcens praeceptorem habuerat. Vnde neſcio, an mortis cauſſam vel ſatis perſpectam habuerit, vel eo, quo par eſt, candore deſcripſerit THEOD. BEZA (*a*), dum *eum Lutetiae, litem neſcio quam perſequentem, ſiue liuore tabeſcentem, quod alium ſibi praelatum videret, qui Henricum in Poloniae regnum proficiſcentem, comitaretur, viuere ſimul, et maledicere deſiiſſe*, ſcripſit. Intererat Romanen-

(*a*) *Vit. Io. Caluini p.* 381.

neſſium, iſtius proſelyti ſui εὐθανασίαν celebrare. At non minus intererat BEZAE, perſuaderi hominibus, non potuiſſe eum bene mori, qui tam male meritus eſſet de puriore eccleſia. Non moritur ergo, ſed liuore contabeſcit,

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

Id certum eſt, eum deceſſiſſe III. Eid. Nouembres, quem diem et inſcriptio ſepulcralis et THVANVS *(a)* ſignant, conditumque eſſe in Maturinorum periſtylio, quo et Ioannes a Sacro Boſco, Celebris Mathematicus, ſitus iacet. Loculo eius haec inſcribenda curauerat MASSONVS:

CVIACI.
BALDVINVS. HIC. IACET.
HOC. TECVM. REPVTA. ET. VALE.
MORTVIS. VOBIS. IVRISPRVDENTIAM.
GRAVIS. CORRIPIET. SOPOR.
FRANCISCVS. BALDVINVS. ICTVS.
OBIIT. ANNO. AET. LIII. XI. NOV.
A. PARTV. VIRGINIS. M. D. LXXIII.
PAPIRIVS. MASSONVS. BALDVINI.
AVDITOR. POSVIT.

Talis fuit, cuius nunc opera feliciſſimis auſpiciis prodeunt, Franc. BALDVINVS. Qui diverſarum partium ſcriptores de eo legit, is eum tam immodice laudari ab aliis, ab aliis culpari, animaduertet, vt facile ſibi ſit perſuaſurus, nihil eo fuiſſe excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus. Et paſſus profecto Manes ſuos videtur Balduinus, nactus quippe à natura ingenium acre, feruidum, et honorum opumque cupidiſſimum: quali indole praeditus animus, niſi rationis fraeno cohibeatur, facile in quaeuis praecipitia ruit. At non minus eiuſdem aduerſarii ſuos paſſi ſunt manes, dum eum vbique iuſto acrius inſectati ſunt, neque a ſe potuerunt impetrare, vt virtutem in hoſte laudarent. Inter omnes profecto conſtat, fuiſſe eum ſtatura iuſta, forma eximia, et per omnes gradus aetatis venuſta, oculis acribus ac nitidis, voce canora, lateribus firmiſſimis, vt docens Periclis inſtar tonare ac fulgurare

(a) THVAN. *Hiſt.* *Lib.* LVII. *p.* 145.

gurare videretur (*a*). Sobrietatis ac diligentiae incredibilis argumentum certiſſimum ſunt tot elucubrata ab eo opera exaſciatiſſima, quorum ille plura ferme ſcripſit, quam alii legere velint, eaque non rebus vulgaribus et protritis, ſed exquiſitiſſima doctrina referta. Quantis porro laudibus eius mores, ad decus aulicum et ciuilitatem compoſitos, proſequutus ſit Nic. Bvrgvndvs, iam ſupra vidimus, eiuſque rei non certius argumentum requiſiveris, quam tot Principum, Procerum, doctorumque virorum amicitiam, quam ſibi illa incredibili morum ſuauitate conciliauerat: quamuis cur illos, quam hos amiciores habuerit, nemini, cui perſpectum eſt innatum eruditis paene omnibus vitium, obſcurum eſſe poſſe videatur. Figulum figulo, fabrum fabro, mendicum mendico inuidere, obſeruauerat olim Hesiodvs (*b*), at multo maior profecto eſt ſemperque fuit virorum doctorum, maxime in Scholis docentium, aemulatio, qui ſe in illo regno ſuo vmbratili non ſatis tutos eſſe exiſtimant, niſi ſoli regnent, ſuaque hinc faciunt illa Vlyſſis (*c*):

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

Nemo praeterea eſt, qui facinoris cuiuſdam atrocioris reum peragere Baldvinvm potuerit, quod ſane non fugiſſet emiſſitios aduerſariorum oculos, ſi quid huius generis in eo deprehendi ab vllo potuiſſet. Sola eſt, quae eius exiſtimationem minuit, inconſtantia, frequentiſſimaque religionis mutatio: quam vt non excuſem, fluctuanti tamen potius in veritate inquirenda animo, quam impietati, adſcripſerim. Religionem ſane illi curae cordique fuiſſe, argumento ſunt proſcriptio, quam illius cauſſa iuuenis paſſus eſt, voluntarium, quod ſibi ideo indixit, exſilium, tot moleſtiſſima, quae ad Melanchthonem, Bvcervm, Calvinvm, Cassandrvm, ſuſcepit, itinera, denique indefeſſum illud, quo ſcripturam ſacram, vetereſque doctores, eccleſiaſticos diurna nocturnaque manu verſauit, ſtudium. Sed haec ipſa Patrum lectio effeciſſe videtur, vt nuſquam haberet, vbi figeret pedem, et nec in Proteſtantium cœtibus, nec in Romana eccleſia, veterem illam, cuius effigiem pulcherrimam animo circumtuliſſe videtur, Chriſtianorum eccleſiam reperire ſibi videretur. Quod ipſum metuiſſe crediderim

(*a*) Masson. *ibid.*
(*b*) *Op. et dier. v.* 25.
(*c*) *Apud* Homer. *Iliad. Lib. II. v.* 205.

Io. Calvinvm, ſi vera ſunt, quae ſcripſit Nic. Bvrgvndvs (*a*); Balduinum *Sanctorum Patrum lectioni crebro otium inſumentem*, *et exinde magiſtro ſuo diſcordem*, *reconciliatum eſſe Romanae Eccleſiae.* Hinc quum praeterea eo viueret ſaeculo, quo et meliorum partium Theologi inter ſe conuiciis, inſidiiſque potius, quam pietate certarent; nemo ſane mirabitur, aegrum animum eo demum abreptum eſſe, vt medium quoddam inter partes vitae inſtitutum, quod tum Caſſander commendare ſolebat, ſequeretur, moderatior procul dubio, et minus infeſtus futurus Proteſtantibus, niſi hi eum ſuis immanibus conuiciis in furorem egiſſent. Iam quod ad eius doctrinam attinet, omnia eius opera oſtendunt, eum non omne otium in euoluendis Iuſtiniani collectaneis contriuiſſe, ſed cum ſolida Iuriſprudentia coniunxiſſe Graecas Latinaſque litteras, miram orationis Latinae elegantiam, Patrum Graecorum Latinorumque adſiduam lectionem, et accuratam inprimis omnis aeui hiſtoriae, tum ſacrae, tum profanae cognitionem, quae ipſi tam neceſſarium viſum eſt verae ac ſolidae Iuriſprudentiae praeſidium, vt *ſine ea*, teſte Massono (*b*), *coecam ſibi videri Iuriſprudentiam*, dicere ſaepenumero ſoleret. Vtinam vero in hac vna re Balдvinvm, tamquam abſolutiſſimum aliquod Iuriſconſulti exemplum, ſibi ob oculos ponerent erectioris indolis iuuenes! Vtinam idemtidem cogitarent, ſiue ius Romanum, ſiue Patrium, ſiue Publicum, ſiue Priuatum, ſiue Ciuile, ſiue Eccleſiaſticum, ſiue Clientelare, quod vulgo Feudalis nomine venit, accurate addiſcere cupiant, *coecam eſſe ſine hiſtoria Iuriſprudentiam*! Vtinam denique, qui ſua aetate ſurdis cecinit fabulam, noſtro ſaltim ſaeculo illa incredibili ſua facundia vel aliquibus ſaltim illum ſoporem excuteret, vt cum Iuriſprudentia hiſtoriam coniungendam eſſe exiſtiment! Et certe eo ſaeculo viuimus, vt liceat nobis bene de poſteritate ſperare. Plus hodie exigitur a Iuriſconſulto, quam vt ius Iuſtinianeum, tamquam neceſſarium carmen, edidicerit. Vt enim ſuperficiaria illa iuris peritia ſufficiat homini, qui tenui mercede iras ſuas litigantibus locare, cauſſidicumque ſtrenuum in praefecti alicuius auditorio praeſtare velit: *coecam* tamen *hanc Iuriſprudentiam ſuam eſſe*, ſatis animaduertet, ſi quando magnorum Principum Rerumque publicarum iura defendere, eorum veras origines in lucem protrahere, eaque, quae aduerſarii ex antiquis pactis, monimentiſque pro ſe adferunt, excutere iubebitur. Tunc vero, omnibus peruolutis ſummarum, gloſſarum, commentariorum, deciſio-

(*a*) *Hiſt. Belg. Lib.* II. *p.* 37. (*b*) *Elog. ibid.*

ciſionum, conſiliorum, opinionumque communiorum voluminibus, videbitur ſibi in alio terrarum orbe poſuiſſe pedem, omnemque *Iuriſprudentiam*, quam memoriae miſer tot vigiliis infixerit, *coecam eſſe* cogetur fateri. Id vero quum hodie quotidie contingat: non dubitamus, quin opera haec Iuriſconſulti ſine exemplo Maximi; quam plurimis gratiſſima futura, omneſque, verae ac maſculae Iuriſprudentiae amantes, eo nomine amaturi ſint viros doctiſſimos integerrimoſque, quorum ope, conſilio, opera, atque impenſis, reſpublica litteraria hoc incomparabili theſauro nunc locupletatur. Quod ſane ad me attinet, fateor, me hoc in magna felicitatis meae parte ponere, quod ad eum aduixerim diem, quo tam ſplendide editis Iuriſconſulti eximii, FRANC. BALDVINI, operibus aliquid praefari licuit. Tu vero, LECTOR, vale. Halae e muſeo Kal. Sept. MDCCXXXVIII.

* * * * * * * * * * *

XVIII.

DEFENSIO CORNELII van BYNKERSHOEK.

QVum ante multos annos in illuſtri hac Academia iuriſprudentiam publice priuatimque docere coepiſſem, neque in ea eſſem haereſi, vt omnem ſapientiae ciuilis laudem in vulgari earum rerum, quae περὶ τὰ ἄλφιτα, notitia poſitam eſſe, arbitrarer: fieri non potuit, quin ſaepe numero auditoribus meis commendarem libros, in quibus multa vulgo parum cognita, aut perperam a pleriſque tradita, multo rectius ac dilucidius, explicarentur. In eorum numero erant viri ampliſſimi, et de republica litteraria non minus, quam patria, optime meriti, CORNELII VAN BYNKERSHOEK *Obſeruationes iuris ciuilis*, quae eodem fere tempore, nitidiſſimis typis exſcriptae, lucem primum viderant (*a*): ex quibus quum ſubinde ſpecimina quaedam darem auditoribus meis: hi mirifica illa guſtatione initiati, ipſum elegantiſſimum opus tam cupide in tabernis librariis requirere coeperunt, vt religioni mihi

(*a*) *Lugd. Batau.* MDCCXX.

mihi ducerem, excitatum in optimorum adoleſcentium animis deſiderium vel reſtingui, vel exſatiari, a me non poſſe. Nam et perpauca earum obſeruationum exempla apud nos reperiebantur, et ea maiore pretio, quam tenuioris peculii ſtudioſi expendere poſſent, venibant. Quare auctor fui bibliopolae noſtrati, ERNESTO GOTTL. KRVGIO, vt quamuis pretii librum typis iterum in hac vrbe noſtra deſcribendum curaret, quumque is ſibi praefationem aliquam a me ſtipularetur, id me non ſolum facturum ſpopondi, verum etiam reipſa praeſtiti, atque ita tum meo conſilio obſeruationes illae in Germania primum prodierunt anno MDCCXXXIII. Quam proſpere vero ea res ceſſerit bibliopolae, vel ipſe euentus docuit. Intra annos enim non adeo multos exempla paene omnia diuendita, quaedam etiam in ditiſſimas Europae prouincias auecta ſunt, veluti ad Hiſpanos, inter quos huius editionis noſtrae non ſine laude meminit vir celeberrimus, GREGORIVS MAIANSIVS, Generoſus et Anteceſſor Valentinus, in *Epiſtolarum* libris ſex, anno MDCCXXXII. Valentiae Edetanorum editis. Quum enim eum rogaſſet DIONYSIVS CAMVSATVS, vt librorum ſuorum accuratum indicem ad ſe mitteret: paruit amico, et eorum, quos optimos eſſe putabat, recenſum ſatis longum inſtituit (*a*). In illorum vero numero etiam ſunt CORNELII VAN BYNKERSHOEK, IC. *et Senatoris Obſeruationum iuris Romani libri quatuor, cum praefatione* IO. GOTTL. HEINECCII, (ita enim ſcribere ſolet vir doctiſſimus,) *Francof. et Lipſiae, apud Erneſt. Gottl. Krugium* 1723. *in* 4°. Cui titulo politiſſimus MAIANSIVS hoc ſiue iudicium, ſiue elogium, ſubiecit: HEINECCII *praefatio elegantiſſima eſt.* BYNKERSHOEKII *Obſeruationes ſagaciſſimae, eruditio non vulgaris, minimeque adfectata, iudicium acerrimum. Auctor ipſe vtique* IACOBO CVIACIO *et* GOTHOFREDO, *plerumque infenſus, et falcem criticam, quam illis iure merito adimit, quum ea vtuntur non exigente neceſſitate, ipſe denuo acuit, vt in venerandam vetuſtatem eam inclementer immittat.* Haec laudatiſſimus MAIANSIVS, qui dum ampliſſimo Obſeruationum auctori ſagacitatem, doctrinam non vulgarem, ac minime adfectatam, iudiciumque acerrimum tribuit, et ſapit profecto, et mecum facit, et Ioue iudicat aequo: nec quidquam ſcribere, quod ad rem magis faceret, potuiſſet, quam dum eum CVIACIO et GOTHOFREDO falcem criticam fere vbique iure meritoque adimere cenſuit. Iam pridem enim animaduertere ſibi viſi ſunt viri eruditiſſimi, CVIACIVM, luxurianti ingenio, et maximis variae doctrinae praeſidiis praemunito, vbique plus iuſto indulgentem, plures probas

(*a*) *Lib. V. Epiſt. V. p.* 290.

probas lectiones loco mouiſſe, alias refinxiſſe pro lubitu, nihilque fere intactum atque integrum reliquiſſe in vniuerſo iuris ciuilis corpore. Nec minus de Iac. Gothofredo conſtat, eum fere vbique, fretum ingenio, coniecturas parturire ſatis violentas, aliquando et leges ſuo arbitrio mutare, nihilque agere libentius, quam vt critici non timidi laudem ſibi his vigiliis pariat. At inter vtrumque Iacobvm id intereſt diſcrimen, quod Cviacii coniecturis, etiam falſis, nihil eſt elegantius, adeo vt et eius errores ob inſigne viri docti ingenium non errores, ſed ſingularem doctrinam redolere videantur: Gothofredvs vero, infeliciſſimus criticorum, tantum vbique oſtendit, ſe iſtius *εὐστοχίας*, quae in emendandi arte primum, ſecundum, vltimum eſt, vix minimam partem eſſe a natura conſequutum. Vnde et coniecturae eius iuridicae pleriſque eruditis non minus ſordent, ac miſera illa *κρίσις*, qua *τὴν ἐξουσίαν* apud Pavllvm (*a*) in *ἐξουβίαν*, vocabulum nihili, transformauit (*b*). Si ergo vtrique Iacobo falcem criticam aliquando manibus extorſit auctor noſter, id iure merito factum eſſe, ea, qua ingenuitate eſt, ipſe fatetur Maiansivs. Quemadmodum etiam iſta aliquando abuſus eſt Cviacivs, dum ad viuum omnia, quae, leniore adhibito remedio, ſanari faciliime potuiſſent, reſecauit, ita Gothofredvs ea plane vti neſciuit, medico ſimilis, qui periculoſiſſimas *ἐγχειρήσεις*, manibus tremulis, et huiuſmodi ſectionibus atque vſtulationibus plane non adſuetis, mira audacia ſuſcipit. Neque tamen ideo vtrique Iacobo, et vbique quidem, *infenſum* fuiſſe, dixerim Bynkershoekivm, qui, ſi quiſquam alius, magnorum virorum meritis iuſtum ſtatuere ſolet pretium, et in erudita, quam his obſeruationibus praemiſit, praefatione profitetur, *ſe aliorum ſententias, quum a ſua diſſideant, excuſſiſſe, ſed cum delectu, et ſine ſupercilio, niſi forte in portenta inciderit. Multa, teſte Seneca, ingeniis donanda eſſe, ſed vitia, non portenta. Qui nihil habeant, quod ipſi proferant ex ſuo penu, ſolere eos fere aliorum culpis notandis ſe totos dare, viris quibuſque doctiſſimis illiberali facinore inſultantes, non alia cauſſa, quam vt his videantur doctiores et meliores.* Multoque minus videre nos fatemur, qui dici poſſit, virum eximium, cui vetuſtas ſemper religioſa ac veneranda eſt, falcem criticam vtrique Iacobo ademtam *ipſum acuiſſe, vt in venerandam vetuſtatem eam inclementer immitteret.* Quomodo enim planius, vetuſtatem, ſibi

 curae

(*a*) 1. *Cor. XI.* 10.

(*b*) Diſſert. *de velandis mulieribus et exuuia capitis, ad* D. Carolum Labbaeum IC. *Geneu.* 1654. Add. Claud. Salmaſ. *de Coma p.* 694. *ſequ.*

curae cordique eſſe, teſtatum facere potuiſſet, quam dum omnem vim iniuſtam ac maiorem a veterum iuriſconſultorum fragmentis abeſſe oportere, ſtatuit, ac plerumque ſequitur vetus illud: τὸ ἀκίνητον ἄμεινον; An eum, qui id ſuum inſtitutum perpetuo ſeruat, falcem criticam acuere, eamque in venerandam vetuſtatem inclementius immittere, quiſquam dixerit? Eſt, vbi Fauorini et Caecilii, Fabii, et Tertulliani ſententiam deſerit: non tamen vt falcem criticam eorum ſcriptis immittat inclementius, vel eorum textum ſollicitet, ſed, vt eos verba quaedam legis XII. Tabularum non ſatis intellexiſſe, oſtendat. An vero veteres illi, quorum tempore lingua Latina aliam plane formam induerat, in interpretando iſto legis antiquiſſimae fragmento minus errare potuerunt, quam recentioris aeui interpretes? Eadem libertate et de aliis veterum interpretationibus dicit ſententiam, ſed ita, vt numquam rationes, quibus moueatur, grauiſſimas omittat. Aliquando et quaedam eorum loca, librariorum incuria deprauata, ita emendat, vt magis crediderim illum iis beneficium praeſtitiſſe, quam feciſſe iniuriam. Quare nuſquam eum in venerandam vetuſtatem falcem criticam inclementius acuiſſe video, niſi forte illa, vetuſtatis cauſſa, veneranda exiſtimet elegantiſſimus MAIANSIVS, quae ACCVRSIVS, aliique gloſſatores, ſummularii, et commentatores poſteris, tamquam folia Sibyllae reliquerunt. Eos enim non numquam notari ab auctore obſeruationum eruditiſſimo, animaduerto. Sed in hos homines, ab omni litterarum praeſidio deſtitutos, et tamen iura interpretari auſos, difficile eſt ſatyram non ſcribere. Aſt, vt vera fatear, vix exiſtimo, illuſtrem MAIANSIVM haec ex animi ſententia ſcripſiſſe, multoque minus eum id vitio vertiſſe incomparabili obſeruationum auctori, quod aliquando illa veterum vineta ceciderit, neque ipſi perſuaderi paſſus ſit, vaſtis illis barbarorum iſtorum hominum voluminibus omnem ſapientiam ciuilem, tamquam terram caelo, comprehendi. Magis enim ſapit MAIANSIVS, quam vt, eum in hac haereſi eſſe, exiſtimemus: quin ipſe potius indignatur illi hominum generi, quod poſt ACCVRSII et reliquorum gloſſatorum labores omnem inſequentium iuriſconſultorum induſtriam infructuoſam, ac paene ſuperuacuam eſſe, arbitratur. Quid enim elegantius, quidque MAIANSIO dignius ſcribi potuiſſet, quam quod ipſe ſcribit in praefatione, diſputationum iuris Libro I. praemiſſa (a)? *Feſtiuiſſime*, inquit, *dixit*, *more ſuo*, *comicorum princeps*

Nego-

(a) *Lib. III. Epiſt. II. p.* 112.

Negotii ſibi qui volet vim parare,
Nauem et mulierem, haec duo, comparato.
Nam nullae magis res duae plus negoti
Habent, forte ſi coeperis exornare:
Neque vmquam ſatis hae duae res ornantur:
Neque eius olla ornandi ſatietas eſt.

Idem ego quotidie praedicare ſoleo de iuriſprudentia Romanorum, aduerſus leguleios ignauiſſimos, qui, quoniam nihil operae collocant in exornanda ea, fruſtra etiam ab aliis collocandam putant. Fucos dixeris, non homines. Nonne poſt Boſſianos, Azones, Accurſios, Bartolos, Baldos, et Caſtrenſes plurima Alciatus docuit, quae illi omnes ignorarunt? Nonne quam plurima poſtea Goueanus, Auguſtinus et Duarenus eruerunt, quae latuere Alciatum? Num Donellus, Hotomanus et Cuiacius iuriſprudentiae promouendae deſeruere viam, quia prius illi adripuiſſent? An autoritate horum ſubſtiterunt Petrus et Antonius Fabri? Numquid ſuperiores omnes, ſcientia iuris clariſſimi, a ſcribendo potuerunt deterrere Iacobum Gothofredum, qui omnium ante ſe interpretum gloriam iudicio et induſtria ſuperauit? Omitto plures alios, egregios viros. Etiam hoc, hoc, inquam, ſaeculo, quo viuimus, iuriſprudentiam Romanorum mirum in modum illuſtrant duo acutiſſimi viri, Henricus Brenckmannus et Ioſephus Aueranius. Ego hoc qui ſciam videamque, in vtramque dormiam? Cur ſomno inerti deſeram patriae decus? Deus aliam mentem. Qui vero, tali praeditus ingenio, ad iuriſprudentiam excolendam adpulit animum, eum ſane ne credibile quidem eſt indoleſcere poſſe Accurſio, et reliquis infelicioris iſtius aeui interpretibus, ſi quando ex merito vapulent.

Sed quam plane abhorreat ampliſſimus Bynkershoekivs ab eorum ſententia, qui falcem criticam in venerandam vetuſtatem paullo immittunt inclementius: ipſe generoſus Maiansivs, niſi fallor, animaduertet, ſi hunc poſteriorem obſeruationum iuris Romani faſciculum, qui nuper Lugduni Batauorum editus, nunc ex academiae noſtrae praelis iterum prodit, euoluerit. Eius enim meliore parte id eſt inſtituto agit vir eruditiſſimus, vt ſalua ſit veneranda vetuſtas, eoſque demum grauiter peccaſſe intelligatur, a quibus in perſtringendo Triboniano, et collectione iuris ciuilis, ab eo potiſſimum adornata, reprehendenda omnis collocata eſt induſtria. Sane in ipſa praefatione eius cauſſam agit doctiſſime, eumque non modo nihil, niſi ex principis ſui iuſſu ac

voluntate, feciſſe, oſtendit, ſed et acriter diſputat aduerſus ANTONIVM FABRVM et IO. IAC. WISSEMBACHIVM, qui Tribonianum non hic illic, adiectis emblematibus interpolaſſe; veterum iuriſconſultorum fragmenta, ſed, mentito alicuius iuriſconſulti nomine, integra capita ſuppoſuiſſe, integros commentarios ſcripſiſſe, atque ita fines mandati, codicillis expreſſi, longe lateque turpiter exceſſiſſe, contendunt. Luculenter vero demonſtrat vir eximius, ne fieri id quidem potuiſſe a Triboniano, nec impune id illum fuiſſe laturum, ſi tam male functus fuiſſet officio. Talia porro Triboniani emblemata nulla deprehendiſſe obſeruat interpretes Graecos antiquiſſimos, quum tamen quaedam in ipſis Baſilicorum libris deprehenderint, ſed et ſcholam veterem ACCVRSII haec ſcilicet ſacra plane ignoraſſe: adeoque illam notam primos Triboniano inuſſiſſe eos, quorum opera iuriſprudentia refloruerit, puta ALCIATVM, BALDVINVM, CVIACIVM et HOTOMANVM, quorum exemplo poſtea et PETR. FABRVM, OB. GIPHANIVM, EM. MERILLIVM, MARCVM, VERTRANIVM MAVRVM in hoc ipſo ſtudio ceruiculas iactaſſe: poſtremo rem non ad triarios, ſed ad velites, id eſt, ANT. MATTHAEVM, et IO. IAC. WISSEMBACHIVM, rediiſſe. Quamuis ergo vir doctiſſimus non neget in pandectis vel codice vllam omnino eſſe legem; quae Triboniani manum redoleat: pleraſque tamen interpolationes in emblematum numero eſſe iure negat, multoque minus liquere, concedit, vllam in pandectis et codice legem exſtare, quae integra debeatur TRIBONIANO. Id ipſum vero non ſolum in praefatione pluribus inculcari, ſed et in ipſo opere quamplurimis argumentis atque exemplis praeſtari, animaduertimus, vt ſpes ſit, fore aliquando, vt viri docti plus olei in interpretandis legibus, quam inueſtigandis Triboniani emblematibus, conſumant. Et ita fortaſſis ipſe elegantiſſimus MAIANSIVS ſibi non ſatis perſpectum fuiſſe fatebitur ampliſſimi viri ingenium, dum eum falcem criticam, vtrique IACOBO CVIACIO et GOTHOFREDO, ademtam, denuo acuiſſe ait, vt eam in venerandam vetuſtatem inclementer immitteret. Imo iam fortaſſis ipſi in alteram potius partem peccaſſe videbitur, quod tam maſcule defenderit Tribonianum, in quem ipſe, tamquam in hominem impium, non ob aliam cauſſam, quam quod leges quaſdam, ſuperſtitionem paganam redolentes non interpolarit, falcem criticam loco non vno acuit: (*a*) iure, an iniuria, ipſe viderit vir doctiſſimus. Si enim vapulat Tribonianus ab aliis, quod non interpolarit: actum eſſe video de Triboniani corio, niſi hominem viri ſolide docti, id eſt ſimiles BYNKERSHOEKIO verberantium manibus eripiant.

Adde-

(*a*) *Lib.* I. *Epiſt.* XXVIII. *p.* 64. *et Lib.* IIII. *Ep.* XI. *p.* 209.

Addere poſſumus et aliud argumentum, quo virum eximium ab omni inclementiori κρίσει alieniſſimum eſſe, luculenter probatur. Nimirum in vniuerſis, quae edidit, operibus fertiliſſimum ingenium illi ſuggeſſiſſe animaduertimus coniecturas quaſdam et emendationes tam elegantes, tamque probabiles, vt ſi alii cuidam veniſſent in mentem, in eas, tamquam filiolas, fuiſſet exoſculaturus. Saltim numquam vel CVIACIVS, vel GOTHOFREDVS, a ſe impetrare potuiſſent, vt tam ingenioſas diuinationes ipſi damnarent, vel, ſe male hariolatos eſſe, faterentur. Etenim CVIACIVS parum penſi habuiſſe videtur, ſibi conſtaret, nec ne, dum huius modi coniecturarum atque obſeruationum numerum quotidie augeret. Qua in re in primis latus nudum praebuit aemulis, e quorum numero EM. MERILLIVM totos *libros III. Variantium ex Cuiacio*, nec non ſingularem libellum *Variantium quarumdam Cuiacii interpretationum ex libris inſtitutionum imperialium, et ex Theophilo paraphraſte*, adornaſſe nouimus (*a*). Et quamuis CVIACII patrocinium aduerſus MERILLIVM ſuſceperit OSIVS AVRELIVS (*b*): neſcio tamen, an cauſſam perorarit. Negare enim nemo auſit, virum illum doctum ſaepe non varia, ſed contraria, ſcripſiſſe, non aliam ob cauſſam, quam ne bellae coniecturae, quas quotidie eius parturiebat ingenium, ſibi perirent. Nihil horum in obſeruationum harum auctore celeberrimo deprehendes. Saepe ille ſuas emendationes ipſe damnat, nec ſe illis vſurum eſſe, profitetur, quantumuis maxime probabilibus, ſi minus neceſſariae videantur, et textus commodiore interpretatione poſſit iuuari. Cuius candoris ſui tot ſpecimina dedit, non modo in his *obſeruationibus*, verum etiam in reliquis operibus, et maxime in *Praetermiſſis ad Pomponium*, quae in MAIANSII manus non perueniſſe, dolemus, vt qui illa legerit, is non profecto inclementioris κρίσεως vllum veſtigium ſe reperiſſe, ſed, auctorem ampliſſimum libros ſuos illi reliquorum criticorum ſaeuitiae ex inſtituto oppoſuiſſe, ingenue ſit profeſſurus.

Sed plura iam praefari nihil attinet, dum priores viri incomparabilis Obſeruationes apud nos iterum, poſteriores primum prodeunt. Ipſe enim, qua eſt facundia, inſtituti ſui rationem in praemiſſis vtrique faſciculo praefationibus tam luculenter expoſuit, ut iniuriam tibi, ERVDITE LECTOR, facere viderer, ſi ad ipſius pulcherrimi operis lectionem properanti, in mora eſſe vellem. Vino vendibili non opus eſſe

 hedera;

(*a*) *Pariſ.* MDCXXXVIII. *in* 4.

(*b*) Oſii Aurelii Diſpunctor ad Merillium *Theſaur. iur. ciuil. Tomo* III. *p.* 685.

hedera, vetus ac veriſſimum prouerbium eſt. Quare ergo auſus numquam fuiſſem veſtibulum libri eximii inani hac praefatione occupare, niſi bibliopola me diu reluctantem precibus perpuliſſet, vt poſterioribus obſeruationibus nunc eamdem, quam olim prioribus, operam nauarem. Immo ne ſic quidem manum dediſſem bibliopolae, niſi contracta cum magno viro amicitia, cuius ipſe in praefatione verbis humaniſſimis meminit, mihi ſpem feciſſet, eum id conſilium meum, vel bibliopolae potius, non aegre laturum. Ceterum Deum O. M. precor, vt virum ampliſſimum patriae, rei publicae litterariae, familiae, denique amicis, quorum me in numero eſſe, mirifice gaudeo, quam diutiſſime ſeruare velit! Halae e muſeo. Kal. Octobr. MDCCXXXVIII.

XVIIII.

SER. SVLPICIVS RVFVS CVM IO. GEORGIO CVLPISIO COMPARATVS.

SI omnes illi ſingulari quadam ac praecipua laude digni videntur, qui, moleſtiſſimo defuncti itinere, aliis, idem poſt ſe ſuſcepturis, viam, qua eundum ſit, et diuerticula, quae vitanda videantur, ſollicite praemonſtrant: non poſſunt non multo maiorem gratiam a ſtudioſa iuuentute inire viri docti, qui confecta feliciter illa via, qua ad veram ac ſolidam doctrinam peruenitur, aliis, ad eamdem laudem enitentibus, pro ſtatuis Mercurialibus ſunt, in quas oculos coniiciant, qui aſperum illud ac ſalebroſum iter feliciter ingredi cupiant. Quum enim ipſi ſibi quam maxime conſcii ſint, quae res progreſſus ſuos retardarint, ſeque aliquando, decurſo iam ſpatio, veluti a calce ad carceres reuocauerint, quae contra illis viam aut breuiorem, aut planiorem amoenioremque reddiderint: quos, quaeſo, magis idoneos exiſtimamus aliorum ſtudiis regendis, quam eos, qui ipſi itinere ſtudiorum moleſtiſ-

moleſtiſſimo tam felicibus auſpiciis defuncti ſunt, vt nullis erroribus a via regia in tranſuerſum acti, demum eo, quo contendebant, laeti peruenerint? Ludibrium profecto debent mortalibus, qui, quum ipſi ſibi ſemitam non ſapiant, aliis commonſtrant viam: multoque magis ſuo merito vapulant, qui, quum ipſi oculis orbi ſint, aliis, per ſqualidam ſiluam ituris, facem praeferre audent. Μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν, inquit Seruator (*a*), οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται; *poteſtne caecus caecum ducere? an non vterque incidet in foueam?* Contra ea magni omnino fieri debent virorum doctorum monita, qui, quae ipſi ſibi ſalubria experti ſunt, commendant, quae morae ſibi fuiſſe meminerunt, indicant, veri ὁδηγοὶ, dignique, quos iuuenes, quibus eadem eruditio curae cordique eſt, aequis, quantum fieri poteſt, paſſibus ſequantur. Quae quum ita ſint, fieri non poteſt, quin iuris publici ſtudioſis auro contra carus eſſe debeat aureus IO. GE. SVLPICII *de ſtudio iuris publici recte inſtituendo*, *et de ſcriptoribus eo pertinentibus* libellus, qui primum anno 1688. in forma octaua, et vicennio poſt Wittebergae in quarta lucem vidit. Siue enim auctorem, ſiue eam, quam tractauit, materiam, ſiue ipſam ſcribendi rationem paullo adcuratius expenderint: nihil eorum, quae pretium conciliare poſſint, opuſculo elegantiſſimo deeſſe animaduertent. Auctor, cui nomen ſuum, qua erat modeſtia, diſſimulare placuit, eſt IO. GE. CVLPISIVS, vere ſuae aetatis Sulpicius, vt vix elegantius illi elogium a quoquam tribui potuiſſet, quam quod ipſum viri doctiſſimi nomen, litteris paullulum traiectis, ſufficit. Quantus fuerit Ser. Sulpicius Rufus, ex inſtituto oſtendit EV. OTTO, edito *de vita*, *ſtudiis*, *et ſcriptis Ser. Sulpicii*, *Lemonia*, *Rufi*, libello ſingulari (*b*). Sane quum ille duobus peritiſſimis ICtis, C. Aquillio Gallo et L. Lucilio Balbo, diſcendi cauſſa dediſſet operam (*c*): non multo poſt vtriuſque doctoris ſui eruditionem famamque non modo adſequutus, ſed et longe eſt antegreſſus. Nam *et Galli*, *hominis acuti et exercitati*, *promtam et paratam in agendo et in reſpondendo celeritatem ſubtilitate diligentiaque*, teſte CICERONE (*d*), *ſuperauit*, *et Balbi docti et eruditi hominis*, *in vtraque re conſideratam tarditatem vicit expediendis conficiendiſque rebus*, *atque ita et habuit*, *quod vterque eorum habuit*, *et expleuit*, *quod vtrique defuit.* Id quibus ille rebus conſequutus

(*a*) *Luc.* VI. 39.

(*b*) Edito primum per modum orationis academicae *Traiecti* 1724. 4. poſtea auctiore, et in forma libelli doctiſſimi recuſo in *Theſaur. iur. ciuil. Tom. V. p.* 1549 *ſeqq.*

(*c*) L. 2. §. 41. *D. de orig. iur.*

(*d*) *Brut. cap.* 42.

tus ſit, non adeo obſcurum eſt. Quum enim alioquin, qui inter ſeueriora, ac quodammodo tetrica iuris prudentiae ſtudia conſeneſcunt, raro ad amoeniores litteras, multoque rarius ad adcuratiores vniuerſae philoſophiae diſciplinas diuertere ſoleant: nihil eorum praeſidiorum praetermiſit Ser. Sulpicius, quod non ingenii bonitate, vigiliiſque perpetuis ſibi compararit. Nam et Tullii condiſcipulus, in iiſdem cum illo exercitationibus ab ineunte aetate fuit (*a*), et per Graecas Romanaſque litteras, omniſque aeui hiſtoriam ita circumtulerat viuidam indolem, vt GELLIVS (*b*), eum *virum aetatis ſuae doctiſſimum* vocet, CICERO (*c*) vero eumdem *vnum optime noſſe non Romana ſolum, ſed etiam Graeciae monimenta omnia*, quin ipſum *nec clariſſimorum virorum exempla, nec doctiſſimorum praecepta fugiſſe (d)*, teſtetur. Quid dicam de philoſophiae vniuerſae praeceptis, quorum, eodem teſte TVLLIO (*e*), ab initio aetatis adeo ſtudioſus fuit, vt, *quae a ſapientiſſimis tradita eſſent, ea omnia ſummo ſtudio curaque diſceret*? Quid de negotioſo illo vitae genere, quod in adminiſtranda re publica conſiſtit, cui ille ab ineunte adoleſcentia adſuetus, incredibilem ſibi prudentiam ipſo rerum vſu comparauit? Quid denique de regno forenſi, quod ea aetate cum Cicerone, Hortenſio, pauciſſimiſque aliis ita tenuit, vt ſi vtrique forte eloquentiae palmam conceſſerit, ſaltim hoc ipſo vtroque maior atque excellentior fuiſſe videatur, quod, memor obiurgationis Mucii Scaeuolae (*f*), non ſola dicendi facultate polluit, ſed cum illa ſolidiorem coniunxit iuris peritiam, *turpe eſſe* exiſtimans *patricio, et nobili, et cauſſas oranti, ius, in quo verſetur, ignorare.* Iam ergo tantis doctrinae opibus inſtructum, ingenioque vaſtiſſimo praeditum Ser. Sulpicium, non mirum profecto eſt, demum id, quod in iuris prudentia ſummum eſt, fuiſſe conſequutum, tantamque ſibi famam peperiſſe, vt CICERO (*g*), cenſor ingeniorum acutiſſimus, *iuris ciuilis magnum vſum et apud Scaeuolam, et apud multos, artem in hoc vno Sulpicio fuiſſe*, fateatur, eiuſque rei non aliam cauſſam reddat, quam quod artem, omnium artium maximam, quaſi lucem, ad ea, quae confuſe ab aliis aut reſponderentur, aut agerentur, attulerit, artem puta, quae docet rem vniuerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere

(*a*) *Brut. cap.* 41.
(*b*) *Noct. Attic. Lib.* VI. *cap.* 12.
(*c*) *Ad diuerſ. Lib.* XIII. *epiſt.* 28.
(*d*) Ib. *Lib.* IIII. *epiſt.* 1.
(*e*) Ib. *Lib.* IIII. *epiſt.* 3.
(*f*) *L.* 2. §. 43. *D. de orig. iur.*
(*g*) *Brut. cap.* 31.

habere regulam, qua vera et falſa iudicarentur, et quae quibus poſitis eſſent, quaeque non eſſent conſequutura. Quamuis vero non ſuſpicandum ſit, Culpiſium noſtrum, dum Sulpicii nomen huic libello praeſcripſit, tam fuiſſe Suffenum, vt ſe ipſe illi omnium, qui vmquam floruerunt, ICtorum principi aequiparare voluerit: certiſſimum tamen eſſe contendo, id anagramma, ex eius nomine depromtum, non minus elegans, nec minus verum eſſe, quam quod neſcio quis ex Alſtedii nomine eruit, cui ille Aiſtedius, traiectis litteris, ipſa *ſedulitas* eſſe videbatur (*a*). Culpiſii enim *illuſtre nomen*, (vt verba Io. Schilteri (*b*) mea faciam), *immortalitati inſertum non per fortunam aulicam, quam vere vbertim adeptus, nec per libertatem academicam, qua fruitus feliciter, ſed perſequutione et occupatione ſolidioris eruditionis ac doctrinae radicari, orbi litterato compertum eſt.* Inciderat Culpiſii actus in ea tempora, quibus plerique in Germania omnis iuris prudentiae laudem in ſola legum Romanarum notitia poſitam eſſe exiſtimabant, et, quum vel ipſa legum iſtarum origo eos commonefacere debuiſſet, fruſtra in iis interpretandis operam induſtriamque collocare illos, qui non vetus illud Latium, id eſt, omnes ad vnum veteres linguae Latinae ſcriptores diligenter et adcurate peruolutaſſent, nihilo minus tamen ea omnia vulgo negligebant, ſola vulgarium interpretum lectione contenti. At Culpiſius noſter, erectiore praeditus ingenio, non modo elegantiores litteras, et omnium gentium hiſtoriam, ſed et philoſophiam, et maxime ciuilem illam, quae in regenda re publica verſatur, ita percoluit, vt paucos in condiſcipulis pares, neminem ſuperiorem haberet. Hinc ad iuris prudentiam conuerſus non modo Romanam ita imbibit, vt praeſidia, quibus illa inſtructior atque ornatior fieri poſſet, omnia vndecumque conquireret, ſed et exemplo tum fere nouo atque inaudito ipſum etiam ius Germanicum, quod alii, tamquam obſoletum, adſpernabantur, mira induſtria addiſceret, idque litterario orbi erudita, quam ſub Conradi Sinceri nomine edidit, epiſtola (*c*) commendaret, oſtenderetque inter primos, non ita in exſilium actam eſſe iuris prudentiam patriam, vt non inſignis eius vſus in ipſis foris Germanorum, ſuperſit, adeoque *turpe eſſe Germanis, et ICtis, et cauſſas orantı-*

(*a*) Bael. *in Dictionar. hiſtor. et critic.* Tom. II. *pag.* 365.

(*b*) *Praefat.* Io. Ge. de Kvlpis *Diſſertationum academicarum volumini praemiſſa.*

(*c*) Conradi Sinceri, *ciuis Germani, de Germanicarum legum veterum ac Romani iuris in re publica noſtra origine auctoritateque praeſenti Diſſertatio epiſtolica*; edita anno 1682. recuſa *cum notis* Chriſtiani Thomaſii anno 1713.

orantibus, ius, in quo verſentur, ignorare. Qua in re, quamuis θέσιν φυλάττων paene in contrarium currat, iurique Romano minorem, quam decebat; Germanico iuſto maiorem vſum tribuiſſe pleriſque videatur: iſta tamen epiſtola alios paullatim excitatos eſſe nouimus, vt, maiore, quam antea, ſtudio iuris prudentiam patriam perpolire conarentur. Praeterea iuri publico, maxime imperii Germanici, ita inter primos adplicuit animum, vt illud non cum vulgo ex Codice Iuſtinianeo, vulgaribuſque, qui tum magni fiebant, libellis, ſed ex ipſis imperii legibus, et patria, quae illis lucem accendit, hiſtoria, tamquam ex limpidiſſimo fonte, hauriendum putaret. Quumque exemplo Sulpicii cum illis lucubrationibus ſuis ipſum rerum vſum coniungeret, et non modo in academia Argentoratenſi magni doctoris, verum etiam in aula Wurtenbergica prudentiſſimi conſiliarii et adminiſtri exemplum abſolutiſſimum praeberet: ea re idem, quod Ser. Sulpicius, conſequutus eſt, vt et haberet, quod omnes eius praeceptores habuerant, et, quod omnibus defuerat, ſubtilitate diligentiaque expleret. Vnum ad perfectionem defuit viro eximio, extentum vitae ſpatium. Rerum enim praeſtantiſſimarum meditatione occupato manum iniecerunt fata, multorumque vtiliſſimorum operum ſpem non ſine bonorum omnium dolore interceperunt. Attamen, quod de Ser. Sulpicio exſtincto ait Cicero (*a*), idem de Culpiſio noſtro iure repetimus: *ipſa* Culpiſii *vita multis erit praeclariſque monimentis ad omnem memoriam commendata. Semper iſtius grauitatem, conſtantiam, fidem, praeſtantem in re publica tuenda curam atque prudentiam omnium mortalium fama celebrabit. Nec vero ſilebitur admirabilis et paene diuina eius in legibus interpretandis, aequitate explicanda, ſcientia. Omnes, qui tum Argentorati intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Culpiſio Sulpicioque noſtro non ſunt comparandi. Neque enim ille magis ICtus, quam iuſtitiae, fuit.* Tantum ergo virum, quem vere aeui noſtri Sulpicium veneramur, quis negauerit, expeditiſſimam, qua ad iuris publici ſcientiam peruenitur, viam omnium optime ac rectiſſime commonſtrare potuiſſe? Quis non praeclara quaeuis ineſſe credat libello, quo methodum iuris prudentiam addiſcendi tradit is, qui omnes procul dubio tentauit viarum anfractus, ſalebras, diuerticula, antequam breuiſſimam plenamque viam reperiret? Ego ſane dignum tanto auctore libellum reperi, nec dubitaui vmquam, quin magnam ex eo vtilitatem capere poſſint iuris ſtudioſi, ſi eum diurna

(*a*) *Philippic.* VIIII. *cap.* 5.

na nocturnaque verſent manu, et eorum, qui poſt Culpiſii tempora ius publicum illuſtrarunt, lucubrationes in ſuis exemplaribus addant, at eumdem tamen delectum habeant, quo in iis recenſendis vſus eſt Culpiſius. Mirifice itaque placuit typographi, viri optimi, conſilium, recudendi ſuis litteris libellum vtiliſſimum, et iuuentuti in noſtra praecipue academia, in qua iam inde ab eius natalibus ſtudium illud maxime floruit, valde profuturum. Et hi ipſi ſunt, quibus ego has Culpiſii ſchedas, mole exiguas, at rerum, quae in iis traduntur, praeſtantia ac pondere multis ſatis magnis maiores, vehementer etiam atque etiam commendo. *Halae* e muſeo V. Kal. Nou. 1738.

XX.

DE VITA, FATIS, AC SCRIPTIS BARTHOLOMAEI CHESII, ET GVIDONIS PANCIROLI, DEQVE EORVM INTERPRETANDI GENERE.

QVod cum vniuerſae reipublicae litterariae, tum iuriſprudentiae in primis, felix fauſtumque ſit, praelo iam exire videmus nouum IVRISPRVDENTIAE ROMANAE et ATTICAE volumen, idque alterum potius, quam ſecundum. Quae enim in illo locum inuenerunt BARTHOLOMAEI CHESII et GVIDONIS PANCIROLI opera, ea omnino ita comparata ſunt, vt, ſi a Balduinianis Latini ſermonis elegantia et antiquitatum lumine ſuperantur, rerum tamen vbertate ac varietate illis vix cedant, ac proinde digna omnino viſa ſint, quae ſplendidiore habitu induta in lucem denuo prodirent. His quum ego aliquid praefari iuſſus ſim: praemiſſis quibuſdam, quae ad auctorum iſtorum vitam pertinent, (pauca vero illa omnino ſunt, quae de CHESIO

dicere licebit) de ipſo eorum inſtituto ac interpretandi ratione paullo copioſius diſſerere conſtitui. Quod ſi forte minus erudite, minúſque, quam res exigere videatur, diligenter a me praeſtitum eſſe, iudicaueris: non magnopere quidem te falli dicam iudicio tuo, quum haec ipſa ſcriptio me tot grauioribus negotiis occupatum deprehenderit, vt vix fuerit ocium ad ea, quae lectu digna viderentur, colligenda, nedum vt eà ſatis elimata perpolitaque in chartam coniicere potuerim: at ſpero tamen me hac feſtinatione mea id conſequuturum, vt, ſi te non longa praefatione detineam, tanto citius ad ipſorum horum operum lectionem prouoles, vberrimaque illa doctrina, quam hoc volumen tibi offert, tanto auidius fruaris.

De Bartholomaeo Cheso, qui omnium paene biographorum notitiam fugit, nihil aliud compertum habeo, quam illum circa medium ſaeculum ſuperius Piſis iura docuiſſe, vitamque ad annum MDCLXX. produxiſſe, quippe qui quinquennio ante doctiſſimum illud *Differentiarum* opus in lucem edidit. Piſas illum patriam habuiſſe, vel id argumento eſt, quod ſe ipſe ſemper *Piſanum* vocat in libellorum ſuorum titulis, glorioſum procul dubio ac honorificum ducens, Piſis natum eſſe. Quamuis enim parum referre videatur, quo quiſque loco primum ſpiritum trahat, poſſintque magna ingenia et craſſo ſub aere in lucem prodire, felices tamen iure meritoque dixeris, quibus in vrbe, litterarum cultu, virorumque eruditiſſimorum frequentia florente, vel quod Phaedrus (*a*) de ſe gloriatur, *in ipſa paene ſchola, naſci* educarique contigit. Atqui Piſarum ſingularis haec ac paene praecipua laus eſt, quam Iannicius Erythraeus (*b*), eorumdem paene temporum ſcriptor, *prae ceteris Italiae ciuitatibus bonarum artium ſtudiis atque optimorum magiſtrorum copia florere*, teſtatur, addito hoc praeclaro elogio: *Quum Piſa et Patauium aliis tum imperii maieſtatem, tum diuitiarum opumque ſplendorem, tum bellicae virtutis laudem conceſſerint; et in eiuſmodi rebus ab iis animo aequo ſe vinci patiantur, attamen diſciplinarum omnium quaſi poſſeſſionem retinent, neque alio nomine magnificentius elatiuſque ſe iactant, quam quod Muſarum aedes, doctrinarum ſedem, et ſapientiae domicilium ab omnibus adpellari ſe audiant.* Piſis itaque natus Barthol. Chesivs vere, in ipſa paene ſchola, vel, quod de Epaminonda ſcribit Ivstinvs, (*c*) *inter litteras* natus eſt, tantoque facilius proculdubio

(*a*) *Praefat. Libri* III. *Fabul. v.* 20.
(*b*) *Pinacoth.* I. *pag.* 4.
(*c*) *Lib.* VI. *Hiſtor. cap.* 8.

dubio litterarum illud iter, poſtquam illud ſemel ingreſſus eſt, confecit. An multum operae impenderit Graecis Latiniſque litteris, non facile dixerim. Neque enim in eius libris ea elucet ſermonis Latini elegantia, vel deprompta ex veterum ſcriptorum operibus eruditio, quam in eorum omnium, qui eruditum illum puluerem attigerunt, libris pellucere animaduertimus, neque iis temporibus ad iuriſconſulti laudem magnopere pertinere credebatur operoſior ille Graecarum Latinarumque litterarum cultus. Minime omnium haec diuerticula CHESIO placuiſſe, crediderim, qui, ex quo animum ad ſtudium iuris adpulerat, non ſcholae, ſed foro ſeſe mancipare decreuerat, quod vitae genus, niſi prius cum amoenioribus Muſis diuortium feceris, eligi vix poſſe exiſtimant. Humanioris tamen iuriſprudentiae guſtum aliquem acceperat a praeceptore NICOLAO BONAPARTE, Miniatenſi, quem ipſe (*a*) *ſingularis doctrinae virum, et iuriſconſultum ſubtiliſſimum, a viris doctiſſimis laudatiſſimum* adpellat, eaque occaſione obſeruat, *primum illum in vniuerſitate Piſana*, IAC. CVIACII, *viri doctiſſimi commentaria admiratum, his vti praecipue coepiſſe, vidiſſe enim et ante eum alios, ſed longe diuerſis regulis et documentis inſtitutos, doctrinae puritatem non guſtaſſe. Illum, quum adhuc in ſcholis addiſceret, legiſſe in quibuſdam iuris noſtri codicibus gloſſulas quaſdam, deſumtas ex obſeruationibus* CVIACII: *in his (vt maximi fuerit ingenii,) aliquid elegantioris eum animaduertiſſe, maximoque flagraſſe deſiderio has obſeruationes habendi, quumque poſtea ad lecturam Inſtitutionum, incertum, quo fato, libros quoſdam ſupra aliorum ordinem in taberna quadam libraria, multo confectos puluere, intuitus, reperiſſet, opera eſſe Cuiacii, maxima commotum laetitia, ſtatim conueniſſe de pretio, inde veluti diuinum ſuſcipientem opus, ſemper prae manibus habuiſſe, Cuiacium amicis iuris ſtudioſis propoſuiſſe legendum, et commendare ac celebrare non deſtitiſſe, donec apud omnes maxima eſſe in veneratione obtinuerit. Difficile quidem, id ei fuiſſe perſuadere, quum multos habuerit contradictores, qui eum auctorem, eique ſimiles*, DVARENVM, ANT. FABRVM, DONELLIVM, *improbarent, et deſpicerent: ſed quum audiuerint omnes, quotidie nouos, ſingulares, peregrinos* NICOLAVM *promere intellectus, in eam tandem veniſſe ſententiam, bonos illos eſſe iuris magiſtros, quibus ducibus veras ille iuriſprudentiae ſemitas, adeo ſecure percurrat.* Addit noſter, *eam iuris tractandi rationem normamque ſequutum* NICOLAVM, *multis addictum Doctorum communibus opinionibus, nec in eorum dictis interpre-*

(*a*) *Lib.* I. *Interpr. cap.* 47. §. 11.

tandis vel conciliandis laborantem, veram germanamque iuris ſcientiam anhelantem, diligenti ſtudio, aſſiduo textuum vſu, veterum iuriſconſultorum reſponſis inhaerentem, plura obſeruaſſe. Nihil in iure adeo reconditum dici potuiſſe, quin ipſe ſtatim locum deſignarit: quae apud alios ſingularia habita ſint, huic fuiſſe protrita: in ſumma, viros politae eruditionis illum in ſui admirationem traxiſſe, adeo vt eruditiſſimus ille THOM. DEMSTERVS, *in hoc gymnaſio aliquando interpres laudatiſſimus, Nicolaum audire non ſatiatus ſit, quin immo huius ſe ſcholam frequentare, huius lectionibus addiſcendi cauſſa intereſſe, adſerere non fuerit dedignatus. Incredibile eſſe, quanto ipſius amore capti ſint, qui illum docentem audiuerint, quanto diſcendi deſiderio arſerint: qui illum ſint ſequuti: id vnum ei obiectum, quod nollet omnia docere, ſed parcendum ei fuiſſe, ſi quae ſingularia propriis ſtudiis obſeruarit, promere dubitarit, vt qui et typis aliquando ea mandare cogitarit, et latrunculorum quorumdam inſidias fuerit expertus; qui, quum infructuoſas* NICOLAI *ſubtilitates, vt ipſi vocabant, damnare non ceſſarent, ſi, quae clam inueſtigaſſent, furari potuerint, impudentiſſime ſua facere non dubitarint.* Quamuis vero eodem circiter tempore iura Piſis doceret vir omni noſtra laude maior, MARCVS AVRELIVS GALVANVS, quem non minore fere laude proſequitur CHESIVS *(a)*, eum tamen ille ſectatus non videtur, quia demum illud vtriuſque elogium ita finit: GALVANI *diſceſſum adhuc luget Piſanum gymnaſium:* NICOLAI, *quinque ante annos defuncti, memoriam aeternum debebit recolere, quo auctore primum barbaries depulſa eſt. Ego vero* NICOLAVM *ſemper laudabo, praedicabo, quodcumque in iuriſprudentia profecero, id a* NICOLAO, *vnico praeceptore meo dilectiſſimo, acceptum feram.* Inſtitutus ergo a tam polito viro, fieri vix poteſt, quin aliqua cupiditate inflammatus ſit addiſcendae elegantioris iuriſprudentiae, eaque ſibi comparandi praeſidia, ſine quibus haec ſacra non conſtant. Vtcunque vero ſe res habeat: id certum exploratumque eſt, CHESIVM, emenſum iuriſprudentiae ſtudium, mox in praeclari diſertique aduocati veniſſe opinionem: ac proinde permultos miratos eſſe, hominem, in illo ordine haud poſtremum, regnum iſtud forenſe cum cathedra iuridica Piſana, ad quam paullo ante annum MDCL. euectus erat, permutare non dubitaſſe. Hinc et accidit viro docto, quod et alios, qui ſe iuri ciuili addixerunt, expertos eſſe, nouimus. Quum enim eorum alii in enucleandis explanandiſque legibus, illuſtrandis ex omni antiquitate iurium rationibus, locis, quae pugnare videntur, ingenioſe conciliandis; quin et textibus librariorum oſcitatione atque inſcitia

(a) Ibid. n. 12.

inſcitia corruptis emendandis reſtituendiſque; alii in cauſſis agendis ac tetriore illa militia forenſi plus operae, ſtudiique conſumere ſoleant: has iuriſprudentiae partes plerique adeo non modo diuerſas, ſed et ſibi contrarias eſſe, exiſtimant, vt nulli tam vaſtum atque excellens ingenium natura datum putent, quod vtrique ſtudio ſufficiat, ac proinde eos, qui in theoria, quam vocant nimium olei ac operae perdiderint, in foro; quotquot vero triturae forenſi, quam praxim adpellitant, ſe ſe addixerint, illos in ſchola obmuteſcere oportere, contendant. Ea opinio, quam plerique tum imbiberant, et BARTHOLOMAEO noſtro aliquando fraudi fuit. Quemadmodum enim M. ANT. MVRETO, iuriſprudentiam Romae, non vſitato vulgarium magiſtrorum more, ſed nouo, atque ad eum diem inaudito, docenti CAR. SELVAGHIVM, id eſt, homini ſimiam, ſurrogatum eſſe, accepimus, quod eruditior videretur MVRETVS, *quam iuriſprudentiae Doctorem deceret, periculumque eſſet, ne iuuentus, orationis ſuauitate capta, praeclaram Bartholi, et talium, doctrinam repudiaret* (*a*): ita alia plane fata fuerunt BARTHOL. CHESII, quem ideo indignum profeſſorio nomine iudicabant ciues, quod elegantiorem illam ac ſolidiorem iuriſprudentiam minus, quam Profeſſorem decet, cum diſciplina ac facundia forenſi coniunxiſſet. Haec ne ſine auctore ſcribere videar: teſtem producam ipſum CHESIVM, qui in praefatione Interpretationum iuris, editioni, quam ego poſſideo, (*b*) praemiſſa, ea de re diſertis verbis conqueritur, quae vtut prolixiora, vel ideo hic adſcribenda exiſtimaui, quod praefationem illam in hoc volumine non exſtare viderem: ita ergo ibi diſſerit vir praeſtantiſſimus. *Nihil minus cogitabam*, AMICE LECTOR, *quam promulgare lucubrationes meas, noueram enim ingenii mei tenuitatem ea adſequi non poſſe, quae digne circumferrentur. Sed quum mihi ſaepius renunciatum eſſet ab amicis, eam de me percrebuiſſe famam, vt aliquid forte in forenſibus controuerſiis, ſed in ſcholaſticis diſputationibus theoreticiſque contemplationibus nihil omnino praeſtare poſſem: nihili faciens praeterieram, me tandem ſubito quodam impetu induxerunt, ex aliquot, quae non modico ſtudiorum vſu comparaueram, ederem haec pauca, quae viris doctis indicarent, an in doctorum communibus opinionibus conquaerendis, an potius in veterum iuriſconſultorum dictis examinandis, tempus abſumſerim.* His praemiſſis, ſibi aduocati nomen munuſque, tamquam ignominioſum, et indignum anteceſſoris perſona, exprobratum eſſe, innuit, ſtolidum-

(*a*) MVRET. *Lib.* III. *Epiſt.* 77.

(*b*) *Florent.* 1659. *in* 4. *typis Amatoris Maſſae.*

lidumque iſtud plebis imperitiae iudicium his verbis exagitat: *Non quod grauiter ferrem, aduocatum dici, vtinam bonus eſſem aduocatus! et quis enim credere poterit, legum vim ac poteſtatem noſſe eum, qui in aliqua facti ſpecie interrogatus, quid leges iubeant, neſciat de iure reſpondere? ſed quod vererer, eius opinionis auctores; quum dicendi libertatem ſpecie aliqua laudis prae ſe ferrent, fidem obtinere poſſe apud eos, quibus haec ſuaderi minime voluiſſem.* Hinc porro addit, ſibi hanc ipſam interpretationes ſuas ſcribendi edendique cauſſam fuiſſe, vt opinionem illam peruerſam eximeret hominibus, oſtenderetque re ipſa, ſe non in peruolutandis Bartoli et Baldi operibus conſenuiſſe, ſed multo plus temporis, quam vulgo exiſtiment, dediſſe maſculae illi ac ſolidiori iuriſprudentiae, quae ex ipſis legibus, tamquam ex limpidiſſimo fonte hauriatur. En denuo ipſius CHESII noſtri verba: *Haec, quae edo, a me ipſo fere omnia didici, forte ab aliis prius dicta apud alios, vtpote qui non adeo diligens ſum commentariorum indagator, vt illi dictitant, ſcripta non vidi. An bene maleue ſenſerim, iudicium erit eorum, qui poſſunt de his cenſere. Id mihi eſt ſolatio in his iuris locis difficillimis, in quibus doctiſſimi etiam viri parum feliciter laborarunt, operam impendiſſe, quod non poterit non eſſe glorioſum. Hoc ſaltem apud probos et doctos viros obtinebo, quod volui, quodque ex his paucis, niſi vehementer fallor, coniicere licebit, me vere ſciendi cupidum, mea ſtudia, omneſque conatus meos ad* ROMANAM PVRAM IVRISPRVDENTIAM *intendiſſe.* Poſtrema praefationis parte de mendis quamplurimis, quibus, ſe abſente, id opuſculum conſpurcatum ſit, conqueritur, culpaeque deprecatus ſuſpicionem, ſub finem addit: *Quod ſi te patienter habueris: ſi, quae nunc tibi offero, comiter fueris complexus: plura tibi forte aliquando exhibebo. Interim bene vale.* Elegit ergo CHESIVS generoſiſſimam pariter ac maxime efficacem pudorem ſuum purgandi rationem, vt ipſa exſtare vellet rerum argumenta, editiſque libris docte ac diligenter ſcriptis, ſe non tam indoctum, neque a facultate interpretandi iura tam inopem eſſe, ac quibuſdam videretur, luculenter oſtenderet. Et ſane videtur hoc ipſo, quod voluit, conſequutus. Quas enim anno ſuperioris ſaeculi quinquageſimo Florentiae edidit, INTERPRETATIONES IVRIS, eae adeo placuerunt viris doctis, vt libellus iſte intra nouem annos, inuſitato paene exemplo, quater praelo exiret (*a*), vereque gloriari poſſet auctor, quod olim de ſe gloriabatur MARTIALIS (*b*):

Sunt

(*a*) *Flor.* 1650. *Venet.* 1653. *Liburni* 1657. *et Florent.* 1659.

(*b*) *Libr.* XVIIII. *Epigr.* 194.

Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe poetam,
Sed, qui me vendit, bibliopola putat.

Quindecim annis poſt primam interpretationum ἔκδοσιν (*a*) et DIFFERENTIAS IVRIS edidit, quae, quamuis interpretationibus non videantur deteriores, non tamen toties ſub praelo ſudarunt, ac proinde illis factae ſunt rariores. Prius opus LEOPOLDO Mediceo, poſtea Romanae eccleſiae Cardinali; poſterius COSMO III. tum adhuc iuuentutis principi, nuncupauit, ex eoque, qua potiſſimum aetate in celebritate fuerit, poteſt intelligi. Plura, quae ad CHESII vitam et fata pertineant, me reperire nondum potuiſſe, fateor, neque viri, in Italia ſua fortaſſis celeberrimi, fama cis Alpes videtur adeo magna fuiſſe. Quamobrem ad GVID. PANCIROLVM, cuius variarum lectionum theſaurum hoc volumine recuſum eſſe, animaduertes, ſerenioris famae iuriſconſultum, progredior, ea, quae de illo expiſcari licuit, paucis adlaturus. Expiſcari autem paullo plura contigit, quod eius vitam et fata praeter IAC. PHILIPP. THOMASINVM (*b*) ſcripſit Anonymus, cuius elogium GVIDI PANCIROLI praemiſſum eſt *de claris legum interpretibus*, quemque ego non alium fuiſſe exiſtimo, quam ipſum OCTAVIVM PANCIROLVM, GVIDI ex fratre nepotem, qui primus libros illos in lucem edidit (*c*): vt adeo illi, tamquam rerum domeſticarum non ignaro, plus omnino fidei, quam aliis, habendum videatur.

Inter vtrumque ſcriptorem conuenit, GVIDVM PANCIROLVM patriam habuiſſe Regium Lepidi, celebre Ducatus Mutinenſis oppidum, patrem ALBERTVM, *omnium patriae ſuae celeberrimum atque integerrimum iuriſconſultum*, cuius vitam ipſe filius ſcripſit (*d*), qui ibidem et matrem ſuam, CATHARINAM LOLLIAM, et fratrem germanum ANTONIVM MARIAM, conſanguineum IO. BAPTISTAM, iuriſconſultum, obliuioni ſubduxit. At ſoli anonymo eam debemus notitiam, quod illuſtre hoc ingenium die XVII Aprilis, anno aerae Chriſtianae MDXXIII. primum illuxerit. Albertum patrem libris de iure ſcriptis memoriam ſui propagaſſe, non reperio. SIMLERVS (*e*) tamen meminit ALBERTI REGIENSIS, *Hetruſco epigrammate nomen apud Italos adepti*, quem ego Panciroli patrem eſſe ſuſpicor, quamuis eius mentionem non fecerit,

 qui

(*a*) *Piſis* 1665. 4.
(*b*) *Elog. viror. illuſtr.*
(*c*) *Venet.* 1637. 4.
(*d*) *De clar. legum interpret. Lib.* IIII. *cap.* 171.
(*e*) *In Bibliotheca pag.* 19.

qui Hiſtoriam patriae litterariam ſcripſit IOHANNES GVASCVS (*a*). Gentem PANCIROLAM, ex qua noſter prodiit, illuſtrem vocat THOMASINVS, more, vt videtur, Italorum, quibus, qui non ex vltima, ac proletaria plebe ſunt, non modo illuſtres, ſed et illuſtriſſimi habentur. Illuſtrem ſaltim gentem non arguit profeſſio parentis, et IOHANNEM IACOBVM PANCIROLVM, qui eiuſdem procul dubio gentis fuit, et cui libros de claris legum interpretibus nuncupauit OCTAVIVS PANCIROLVS, ſartorem patrem habuiſſe, conſtat (*b*). At ſi non antiquitate ac opibus, ſaltim ingeniorum eminentium prouentu illuſtriſſima fuit Pancirolorum familia. Praeter Cardinalem enim et GVIDONEM noſtrum non modo OCTAVIVM et HERCVLEM, eius fratris filios, viros doctos, ſed et HIPPOLITVM ſocietatis Ieſu presbiterum, *Theſauro vrbis Romae abſcondito*, ſub Octauii patruelis nomine edito, celebritatem conſequutum protulit (*c*). Quis vero non maiorem eſſe fateatur Pancirolorum laudem, qui genti ſuae doctrina rebuſque praeclare geſtis nobilitatem conciliarunt, quam aliorum, qui non ignoraret, quantam vtilitatem in omni ſtudiorum genere adferant litterae elegantiores, nihil prius, nihilque habuit antiquius, quam vt filius iis bona fide imbueretur, et Graecam doctrinam cum Latina ita coniungeret, vt ex omni veterum ſcriptorum genere, quae praeclara eſſent, et ad illuſtrandam in primis iuriſprudentiam facere viderentur, depromere et in rem vertere poſſet. Quoniam ergo tum magna fama erat duorum virorum doctiſſimorum, SEBASTIANI CORRADI et BASSIANI LANDI, quorum alter poſtea Bononiae Graecas Romanaſque litteras, alter Pataui artem ſalutarem publica auctoritate docuit, vterque tum non modo vtriuſque linguae ſcientiſſimus, ſed et, quod maximi omnino faciendum, incredibili docendi facultate praeditus habebatur (*d*), his potiſſimum duumuiris perpoliendum dabat filii ingenium; quod illi tam praeclare formabant, vt eximia quaeuis de puero augurari parentibus liceret. Poſtquam hos doctores ad annum aetatis quartum decimum audiuerat: ipſum patrem praeceptorem habere coepit in iuriſprudentia, a quo eum diſciplinae huius rudimenta per integrum triennium accepiſſe, teſtatur anonymus vitae auctor. Septemdecim annorum adoleſcens Ferrariam miſſus, iuriſconſultos eius ſcholae audiuit

(*a*) *Regii* 1711. 4. *vid. acta erudit. Lipſ. ſuppl. Tomo* VI. *p.* 529. *ſequ.*

(*b*) PALATIVS *in Faſtis Cardinal.*

(*c*) I TESORI *naſcoſti nell' alma citta di Roma. Rom.* 1600. 8. *et* 1635. 8.

(*d*) TEISSIER *addit.* aux élog. des hommes ſçavans, *Tom.* I. *pag.* 112. 211. *et* 212.

uit celeberrimos, PROSPERVM PASCETVM, cuius conſilia typis exſcripta, exſtant (*a*), et HIPPOLITVM RIMINALDVM, cui ipſe id elogium tribuit GVIDVS noſter (*b*), *quod laudatiſſima profeſſione patruum auumque imitatus, mane diu ius ciuile, deinde pontificium, defuncti Proſperi Paſetti, doctiſſimi viri, loco docuerit, eruditaque in Inſtitutiones et Codicem commentaria ediderit.* Sed quamuis hi doctores et doctrina, et diligentia, praeſtarent: non tamen ſatisfaciebant vaſto illi PANCIROLI ingenio, quod ex elegantioribus litteris maiorem ceperat voluptatem, quam vt adquieſceret, in illa barbarie, qua tum ii, qui iura docebant, lectiones ſuas, tamquam abſinthio, inficiebant. Ad cultiorem ergo iuris prudentiam adſpirantis non exigua haec fuit felicitas, quod eius adoleſcentia incideret in felicius illud tempus, quo iuriſprudentia, barbarie paene deformata, eruditorum cultu ac induſtria exuere rubiginem, et natiuam illam venuſtatem iterum explicare coeperat. Illuxerat enim tum ANDREAE ALCIATI ingenium, ſine exemplo maximum, et expugnandae barbariei natum, quod tamquam Phidiae aliquod ſignum, ſemel adſpectum, adeo omnibus placuit, vt erectioribus ingeniis iam ſordere inciperet gloſſatorum illuuies, eaque, quaſi diuturnam ſitim cuperent explere ad ALCIATI acroaſes, frementibus barbaris certatim confluerent. Horum in numero et PANCIROLVS erat, quem Ferrariae et Ticini Alciatum audiuiſſe, ait anonymus. Et Ferrariae quidem magnus ille iuris conſultus docere coeperat anno MDXXXVIII. unde, circumactis quatuor annis, Ticinum rediit, anno poſt milleſimum quingenteſimum quadrageſimo primo (*c*). Quum ergo PANCIROLVS anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo Muſis Ferrarienſibus nomen primum dederit: non potuit ſane, niſi vno anno, intereſſe, ALCIATI, Ferrariae docentis, acroaſibus, ac proinde probabile eſt, eum illo diſcedente, ſi diutius haeſerit Ferrariae, ſolis PASCETO et RIMINALDO iterum aliquamdiu dediſſe operam, adeoque ruminari coactum eſſe illiteratiſſimas illas gloſſatorum litteras. Earum tamen, vti fieri ſolet, ſtomacho lautioribus cibis adſueto, eum mox taeduit. Memoriae prodidit PORPHIRIVS (*d*), Plotinum, adhuc iuuenem, incredibili diſcendi cupiditate flagrantem, per omnium philoſophorum, qui tum Alexandriae ſapientiſſimi habebantur, auditoria vagatum, ex omnium ſcholis triſtem admodum diſceſſiſſe: adductum vero ab amico ad Ammonium ſaccam, eo vix audito, laetum laetitiis omnibus illico ex-

 cla-

(*a*) *Venet.* 1575. *fol.*

(*b*) *De clar. leg. interpret. Lib.* II. *cap.* 121.

(*c*) PANCIROL. *de clar. leg. interpret. Lib.* II. *cap.* 68.

(*d*) *Vita Plotini cap.* 2.

clamaſſe: τοῦτον ἐζήτουν, ὦ ἑταῖρε. *Hunc ipſum, o amice, quaerebam.* Idem procul dubio accidit PANCIROLO, quum ſemel illam candidam Latini ſermonis eloquentiam, *prae qua* ipſe *omnes ante* ALCIATVM *iuris conſultos blateraſſe tantum, non loquutos fuiſſe*, ſcribit (*a*), iſtamque abſolutiſſimam iurium doctrinam, cuius theſauros hic communis Italiae ac Galliae praeceptor quotidie proferebat, deguſtaſſet. Vt enim ſe hunc ipſum adhuc quaeſiuiſſe, oſtendiſſet, eum paullo poſt Ticinum eſt ſequutus, ab eoque principe ſuae aetatis iuris conſultorum tamdiu didicit, quoad eum, quantum proficeret, non poeniteret. Interim et MARIANI SOCINI, iura Bononiae magno ſtudioſorum concurſu interpretantis, fama ita percellebat PANCIROLI animum, ut et eius audiendi cauſſa Bononiam proficiſceretur. Demum et huius doctrinis imbutus, ſeptimum ſtudii iuridici annum auſpicatus eſt Pataurii, anno aerae Chriſtianae MDXXXXVII. eo conſilio, vt et MARCVM MANTVAM BONAVIDIVM, cuius ipſe elogium ſcripſit (*b*), audiret, et Doctoris inſignia, illo brabeuta, acciperet. Ipſum enim auctorem habemus PANCIROLVM (*c*), *tantum ſibi auctoritatis comparaſſe*, illum Mantuam, *vt nemo, ſine eo auctore, legum tirocinium deponeret.* Enim vero, quum ibi more maiorum aliquando publice diſputaret, adeo omnibus probauit tum ingenium ac eloquentiam, tum doctrinae vbertatem, vt antequam in Doctorum cooptaretur numerum, a ſereniſſimo Venetorum ſenatu eodem anno ad explanandas IVSTINIANI inſtitutiones lauto ſtipendio conduceretur, paullo poſt a MARCO illo MANTVA laurea doctorali in ſollemni panegyri donatus. Iam ergo nactus ſibi videbatur campum, in quo virtus excurreret: ac proinde per viginti quatuor annos, quibus Patauinum gymnaſium doctrinis ſuis illuſtrabat, nihil faciebat reliqui, vt ſibi et eruditi legum interpretis, et viri boni famam non modo adquireret, verum etiam conſeruaret. Amatus eſt a viris doctiſſimis, et in his a PAVLLO MANVTIO (*d*), qui *eum Patauinam vrbem praeter ceteros ſua virtute nobilitare, et ornatorum iuuenum caetu frequentare, a ſe vero eo amore, qui fraternam neceſſitudinem aequet, coli*, ſcribit. Nec minus illuſtriſſimi reipublicae Venetae proceres ſcholaeque curatores eius virtuti ac doctrinae iuſtum ſtatuebant pretium, quippe quorum iudicio ſatis honorifico, MATTHAEO GRIBALDO, circa annum

(*a*) *De clar. leg. interpret. Lib. II. p.* 353.

(*b*) *De clar. leg. interpret. Lib. II. cap.* 168.

(*c*) *Ibid. p.* 351.

(*d*) *Lib. IIII. Epiſt.* 6.

num MDLIII. religionis cauſſa ad Heluetios et Germanos diſcedente (*a*), alteram veſpertini iuris cathedram obtinuit, eamque ſpartam vſque ad annum aerae Chriſtianae MDLXXI. praeclare ornauit. Enimuero quum interea bis patuiſſet primaria cathedra, quam virtuti ſuae ac diuturnis vigiliis deberi, PANCIROLVS iure quodam ſuo exiſtimauerat: aliis ſibi bis praelatis, tantum eius ſtationis taedium concepit, vt ſibi, quam primum fieri poſſet, diſcedendum Patauio exiſtimaret. Quum ergo iam VI. Id. Oct. anni MDLXVIIII. vita Auguſtae Taurinorum functus eſſet AYMO CRAVETTA, iuriſconſultus eximius, et maximum Academiae Taurinenſis ornamentum, neque EMMANVELI PHILIBERTO, Sabaudiae Duci, quiſquam PANCIROLO videretur dignior, qui tanto viro ſurrogaretur: hic, ſplendidiſſimo propoſito ſtipendio, facile a ſe paſſus eſt impetrari, vt ſcholam Patauinam cum Taurinenſi commutaret, *antagoniſtam* vel *concurrentem*, vti tum vocabant (*b*), nactus BERNARDVM TROTTVM, qui anno MDLXXXXV. Senatus Taurinenſis praeſes deceſſit, lucubrationibus quibuidam ad Bartolum et Franc. Ripam, et dialogo de vita viduae relictis. Mille aureorum ſtipendium illi adſignauerat Allobrogum Dux, EMMANVEL PHILIBERTVS: quod adiectis centum aliis auxit filius, CAROLVS EMMANVEL, plus daturus, niſi intercesſiſſent gymnaſii praefecti, qui tam amplum ſtipendium in exemplum trahi nolebant. Vbi merito mireris principum ac rerum publicarum in Italia munificentiam, qui nulli pecuniae parcebant, vt praeſtantiſſimos ac celeberrimos iuriſconſultos in gymnaſia ſua pertraherent, eaſque iis offerebant conditiones, quae hodie tribus quatuorue viris doctiſſimis in academia florentiſſima alendis viderentur ſufficere. Primum iuris interpretum, IASONEM MAYNVM, in ſchola Piſana mille aureorum ſalarium obtinuiſſe, obſeruat PANCIROLVS (*c*). Inde AYMONI CRAVETTAE Auguſtae Taurinorum (*d*), et MARIANO SOCINO Bononiae (*e*) mille et ducenti aurei coronati decreti ſunt. Nemini vero vmquam eius ordinis plus honoris habitum accepimus, quam PHILIPPO DECIO, quem mille et quingentis aureis conductum Piſis docuiſſe ferunt (*f*), quum, ante haec tempora vltra ducentos aut trecentos non ſolerent accipere doctores celeberrimi, hodie vero hanc ſummam raro attingant eorum, qui

(*a*) CALVIN. *Epiſt.* CCXXXVIII. BAYLE *Diction. Hiſt. et crit.* Tom. *II.* p. 611. SAND. *biblioth. antitrinit.* p. 17.

(*b*) PANCIROL. *de clar. leg. interpr.* Lib. *II.* cap. 5. p. 103. et cap. 60. p. 181.

(*c*) *Ibid.* Lib. *II.* cap. 127. p. 282.

(*d*) *Ibid.* cap. 180. p. 375.

(*e*) *Ibid.* cap. 162. p. 340.

(*f*) *Ibid.* cap. 135. p. 299.

qui primum in Academiis locum tenent, ſtipendia. Propria itaque haec laus fuit Italiae principum, et fere ſine exemplo maxima, niſi quod EVMENIVS rhetor (*a*) ſibi, docenti, ſexena ſeſtertia, id eſt, quindecim Philippicorum millia, decreta eſſe gloriatur, quamuis maior haec ſumma videatur CASAVBONO ac FRANC. BALDVINO, quam vt EVMENII textum ſine emendatione tranſmittant. PANCIROLVS, ad quem mea nunc ſe refert oratio, tot ab optimo principe beneficiis ornatus, perpetuum procul dubio in amoeniſſima illa academia, dignaque Muſis ſede, ſibi conſtituiſſet domicilium, niſi eum valetudo mutare conſilium coegiſſet. Quamuis enim, mortuo IOANNE CEFALO, anno MDLXXX. Veneti eum, propoſito mille aureorum ſtipendio, reuocantes repulſam tuliſſent, ſiue quod atrocior PANCIROLO inſediſſet anterioris iniuriae memoria, ſiue quod religioni ſibi duceret, inuito optimo principe, a quo tot beneficiis ornatus fuerat, Auguſta Taurinorum diſcedere: biennio tamen poſt tenue eius corpuſculum adeo adflixit aëris ſubalpini intemperies, vt alterius oculi vſum paene amitteret, altero grauiſſime laboraret. Iterum ergo, promiſſo eodem honorario, inuitatus Patauium, vbi TIBERIVS DECIANVS diem ſupremum obierat, coecitatem veritus, diſcedendum ſibi ſtatuit, ne oblato quidem a Principe mille et quadringentorum, pluriumque, aureorum ſalario a propoſito illo dimotus. Satis intellexit ciuitas Taurinenſis, eum non taedio aut opum cupiditate impulſum locum mutare, ſed ipſa neceſſitate coactum inuitiſſimum diſcedere. Quamobrem illi abeunti adeo non ſuccenſuit, vt eum ob operam academiae nauatam duobus poculis argenteis totidemque vaſis ſalariis donaret, coactaque curia, ciuem honoris cauſſa crearet. Obſeruat THOMASIVS, Lyceum Patauinum, tribus tunc orbatum iuris luminibus, IO. CEFALO, TIB. DECIANO et MARCO MANTVA, PANCIROLI aduentu mirifice coepiſſe recreari, et HENR. SALMVTHVS (*b*) ſe eum anno MDLXXXVIII. et MDLXXXVIIII. Patauii in celeberrima illa Antenoris vrbe FREQVENTISSIMO AVDITORIO *ſumma cum voluptate et vtilitate docentem audiuiſſe* teſtatur. Qua quidem diligentia, teſte anonymo vitae auctore tantam a Venetis gratiam iniit, vt ſeptennio poſt eius ſtipendium centum aureorum acceſſione augeretur, primuſque adeo ille eſſet, qui in iſto gymnaſio mille aureorum honorarium excederet. Miro amore virum doctiſſimum complectebantur GREGORIVS PAPA XIIII. et CLEMENS VIII. a quibus ad aulae Romanae limina

(*a*) *Paneg. pro ſcholis inſtaur. cap.* 11.

(*b*) *Not. ad Pancirol. de reb. mem. deperd. p.* 2.

limina conſultationis ergo perhonorifice inuitabatur. *At ille*, vt ait THOMASINVS, *quietis amans, et bonae valetudini ſtudens, lucubrationibus etiam eruditiſſimis euulgandis intentus, faſtus huiuſcemodi et honores omnes nihili ducens, ciuitatem et academiam Patauinam Romae praeferendam, nec alio procul a gymnaſio, ſuo delicio commigrandum cenſuit.* Quamobrem Patauii vitae curſum peregit anno ſalutis humanae MDLXXXXVIIII. III. Non. Martii, aetatis ſeptuageſimo ſexto, in aede, quae a D. Iuſtina nomen accepit, abbatum ſepulcro illatus, et die XVI. Kal. Iunii celebri exſequiarum pompa ab academia ciuitateque honoratus, pro roſtris in aede D. Antonii eum laudante FRANCISCO VIDVA, Philoſophiae ac Iuris utriuſque Doctore eius gymnaſii eximio. Quae eius extrema et a THOMASINO, et a neſcio quo, poſt vitam libro *de claris legum interpretibus* praemiſſam, notata eſſe animaduerto.

Scripſit PANCIROLVS plurima, quorum pars ad illuſtrandam iuris prudentiam, pars ad Romanorum antiquitates explicandas, pars ad alias ſacras humanaſque diſciplinas pertinet. Ex his porro omnibus, quaedam ab ipſo auctore, quaedam ab eius agnatis, in lucem protruſa ſunt, quaedam MSS. vel ab aliis premuntur, vel iam pridem interciderunt. Quae quum non ſatis plerique ſecernant: non mirum eſt, tam multas paſſim recenſeri PANCIROLI lucubrationes, quum pauciſſimae peruenerint ad hominum notitiam, quaedam etiam in diffuſiſſimis bibliothecis fruſtra quaerantur. Nos hic eas, de quibus nobis certi quid compertum habere videmur, recenſebimus. Inter prima eius opuſcula fuere libri duo *rerum memorabilium, ſiue recens inventarum et veteribus plane incognitarum*, quae ipſe lingua patria ſcripſit in gratiam Principis, a quo ex eo quaeſitum fuerat de iis rebus, quae poſt imperium Romanum primum ſint inuentae. Eam enim percunctationem ſibi incitamento fuiſſe ait, collectionem quamdam faciendi tum eorum, quae natura produxerit, quorum nulla hodie eſt notitia, aedificiorum item, aliorumque veterum habituum et morum, qui in praeſenti plane extincti ſint, tum et illorum omnium, quae aetate iam proxime praeterita nouiter fuerint reperta, vt ad PLVTARCHI exemplum, quaſi parallelos ſibi conſtituere, et haec cum illis comparare inuicem, nec non perpendere poſſet princeps, vtrum plus damni an lucri fecerimus, non ſecus ac mercatoribus vſu venire ſoleat, qui in altero quidem paginae laterculo, quod expenſum, in altero quod acceptum ſit, conſignent, vt ſcilicet vtriuſque ſubducta ratione ſciant tandem, vtrum creditores ſint, an debito-

res.

res. Quamuis vero in exemplari illo Italico, quo Henr. Salmvth (*a*) Ioachimi Camerarii iunioris beneficio vſus eſt, nulla fuerit ἐπιγραφή: ex Ioanne tamen Reiboldo ſe didiciſſe, ait Salmvthvs, libellum a Pancirolo, iuriſconſulto praeſtantiſſimo ſcriptum eſſe in gratiam Ducis Pedemontani, id eſt, Caroli Emmanvelis, Allobrogum Ducis, qui eum, teſte Thomasino, omni amoris ac officii genere fuerat proſequutus. Quod ipſum argumento eſt, opus illud elegantiſſimum inter annum MDLXXX. et MDLXXXII. ſcriptum, at, tranſlata Patauium fortunarum ſede, numquam typis exſcriptam eſſe. Ioach. enim Camerarivs in epiſtola ad Salmvthvm (*b*) diſerte ſcribit, *eum commentarium Italicum, in quo deſcribendo aliquid ſumtuum fecerit, nondum editum eſſe*. Quum ergo hoc Camerarii exemplar anno MDLXXXXVI. vtendum accepiſſet Henr. Salmvthvs, Ambergenſium in ſuperiore Palatinatu Sindicus, libellum elegantem non modo Latine vertit haud ineleganter, ſed et adnotationes ſuas doctiſſimas addidit, ediditque Ambergae anno MDLXXXXVIIII. qui Pancirolo noſtro emortualis fuit. Quanti hunc libellum fecerint viri docti, vel id argumento eſt, quod eum, non modo viuo adhuc ac florente auctore, non mediocribus impenſis deſcribendum ſibi curarint viri docti, tum Itali, tum Germani, et in his Ioachimvs Camerarivs et Ioannes Reiboldvs, ſed et in recudendo illo toties deſudarint typographi (*c*): immo et repertus ſit Michael Watsonvs, *S. S. Theol. Lic. Phil. Mag. et Phyſices, Politices, ac Hiſtoriarum in Academia Haſſiaca et Schaumburgica Profeſſor*, qui, edito *Theatro variarum rerum* in compendium miſit Panciroli opuſculum, illudque aeque, ac ipſas Salmuthi adnotationes, nouis animaduerſionibus locupletauit (*d*), adeo, vt compendium hoc, raro eiuſmodi libellorum fato, *ſupplementum Panciroli et Salmuthi* vocare non dubitat celeberrimus Morhofivs (*e*).

Nec minus praeclare de republica litteraria meritus eſt Pancirolvs, edita cum commentariis ſuis *Notitia dignitatum vtriuſque imperii*, quod anno MDLXXXXIII. primum factum conſtat. Huius quantiuis pretii libelli, circa annum Chriſti quadringenteſimum vigeſimum ſextum ſcripti, excerpta quaedam iam anno MDXXVIII. in lucem protruſerat Panciroli praeceptor, Andreas Alciatvs: poſtea integrum opuſculum typis exſcriptum dederant Beatvs Rhenanvs, Ant. Shonhovivs

(*a*) *Not. ad rer. memorabil. deperdit. Lib. I. prooem. p. 2.*

(*b*) *Praemiſſa Salmuthi verſioni.*

(*c*) *Prodiit Amb.* 1599. 1606. 1612. *in* 8. *Francof.* 1631. 1641. 1610. *in* 4.

(*d*) *Bremae* 1663. 8.

(*e*) *Polyhiſt. litter. Lib. I. cap.* 21. *n.* 32. *pag.* 249.

vivs et Sigismvndvs Gelenivs (*a*). Sed quum omnia in vtraque Notitia ita ieiuna poſita ſint, vt indicis tantum vice fungantur, res vero ipſae vetuſtae altaque caligine conditae obſcurae ſint lectoribus, vt legentes incerti ac perturbati diſcedere cogantur, et vt ait poëta,

Inconſulti abeunt, ſedemque odere Sibyllae.

Carolvs Emmanvel, Allobrogum Dux, exhibito Pancirolo, iſtius Notitiae exemplari, aliquem eius interpretem poſtulauit, ac tandem poſt multos varioſque ſermones ipſi Pancirolo illam explicandi onus impoſuit (*b*). Nactus ergo binos codices MSS. ſpartam hanc ita ornauit, vt et textum paſſim integriorem accuratioremque dederit, et omnia luculentiſſimo commentario, qui poſtea et ſeorſum ſaepius recuſus eſt (*c*), et in ſplendidiſſimo *Theſauri antiquitatum Romanarum* opere, quod magno Graevio acceptum ferimus, locum reperit (*d*), illuſtrarit. Sunt, qui in hoc opere maiorem figurarum elegantiam deſiderant: alii ſibi commentariorum molem parum probari, ac proinde nouam, multoque ſuccinctiorem, et omni commentariorum ſyrmate nudatam Philippi Labbei editionem (*e*) ſibi magis ad palatum eſſe, teſtantur. Sed vti figuras affabre in aes inciſas dedit Graevivs, ita res ipſa docet, bonae frugis pleniſſima eſſe illa Panciroli commentaria, digniſſimumque venia auctorem, ſi quando diligentior, quam res exigat, fuiſſe videatur.

Eodem anno Venetiis prodiit libellus *de magiſtratibus municipalibus et corporibus artificum*, Rainvcio Farnesio, Parmae ac Placentiae Duci nuncupatus, vel eo nomine vtiliſſimus, quod dum Capitibus xxvii. de Decurionibus, Duumuiris, et Alexandriae iuridico, defenſoribus ciuitatum, ſuſceptoribus, vindice, breuibus quadrimeſtribus, curatoribus reipublicae, annonae, Kalendarii, epiſcopis, zygoſtate, procuratoribus metallorum, ſyndicis, irenarchis et limenarchis, aedilibus, archeotis et aedium cuſtodibus, tabulariis, logographis et cenſualibus, gymnaſiarchis, xenoparochis et camelariis, nictoſtrategis, agonothecis et maſtigophoris, legatis et corporibus artificum erudite diſſerit, ea luculenter expoſuit, quae ſine graui incommodo ignorare non

(*a*) Fabric. *Bibl. Lat. Lib.* IIII. *cap.* 5. §. 6.

(*b*) *Epiſt. nuncupator. ad Carolum Emman. Ducem.*

(*c*) *Lugd.* 1608. *Geneu.* 1623. *fol.*

(*d*) *Tomo* VII. *p.* 1309.

(*e*) *Pariſ.* 1651. 12.

non poſſunt iuris ſtudioſi, et quae tamen non niſi magna adhibita induſtria ex cadentis Latinitatis auctoribus addiſcuntur. Ceterum hoc opuſculum, primum ſeorſum editum, poſtea nouis Notitiae dignitatum editionibus, tanquam adpendix, acceſſit, ac demum ob inſignem praeſtantiam Tomo III. Theſauri Graeuiani inſeri meruit.

Porro PANCIROLVS reliquit libellum *de quatuordecim regionibus vrbis Romae, earumdemque aedificiis, tam publicis, quam priuatis*, qui ſi Venetiis anno MDCII. quod vulgo tradunt, primum praelo exiit, inter opera eius poſtuma eſt referendus. Nimirum Notitiae dignitatum in codicibus pleriſque praemittitur *Deſcriptio vrbis, quae aliquando deſolata, nunc glorioſius piiſſimo imperio reſtituta*, vti ſe habet opuſculi iſtius inſcriptio apud LABBEVM. Cuius auctoris ſit haec topographia ignoratur: nec tempus, quo ſcripta ſit, adparet. At PANCIROLVS, qui et in illam notas ſcripſit, eleganter oſtendit (*a*), eam in lucem prodiiſſe poſt Conſtantinum, quippe cuius thermarum in regione ſexta fiat mentio, et ante Theodoſium iuniorem, quin plura Deorum templa, quae hic princeps dirui iuſſerit (*b*), recenſeantur. Et ſane ea in re omnes, qui critices ſunt paullo peritiores, conſentientes habet, quippe qui eam deſcriptionem vel ſub Honorio poſt annum CCCCX. vel ſub Valentiniano III. adornatam exiſtimant (*c*). Ceterum et hic PANCIROLI commentariolus cum eius Notitiae Dignitatum ſubiici ſolet, tum in aeterni operis antiquitatum Romanarum, a GRAEVIO curati, Tomo III. locum reperit, argumento luculentiſſimo, illum a viris doctiſſimis lectu digniſſimum ſemper eſſe habitum, vti omnia, quae eximium hoc ac ſingulare ingenium parturiuit.

Sunt, qui PANCIROLO tribuunt libellum de STIMVLIS VIRTVTVM ADOLESCENTIAE, qui ſub GVIL. BALDESII vel BALDESANI nomine primum Romae Italice, poſtea, interprete NIC. IAVELLO, Gallice (*d*), demum latine ſaepiuſcule prodiit (*e*). Saltim et DRAVDIVS in *bibliotheca*, et IAC. FRID. LEICKHERVS in *vitis clariſſimorum iuriſconſultorum* eius libri mentionem faciunt inter reliquas PANCIROLI lucubrationes. Sed quid ſibi velint hi viri docti, ſcire me fateor iuxta cum ignariſſimis. Libelli enim iſtius auctorem verum eſſe BERN. ROSSIGNOLIVM, ſocietatis Ieſu presbyterum, oſtendit THEOPH. RAYNAV-

DVS

(*a*) *Initio huius comment. p.* 159. *edit. Geneu.* 1623.

(*b*) *l. vlt. C. Theod. de pagan.*

(*c*) FABRIC. *Bibl. Lat. Lib.* IIII. *cap.* 6. *p.* 755. *Tom. I.*

(*d*) *Rhotomag.* 1608.

(*e*) *Antv.* 1594. *Colon.* 1595. 1604. 1614. *et* 1624. 12.

DVS (*a*). Latinam vero verſionem non PANCIROLO, ſed Ieſuitae cuidam, deberi, conſtans eſt virorum doctorum opinio, nec ſuſpicari poſſum, quas partes Panciroli noſtri fuiſſe aliqui exiſtiment in libello iſto, elegante illo quidem atque vtiliſſimo, at ab eius ſcribendi ratione alieno, in lucem edendo. Quare illum, tamquam ὑποβολιμαῖον, merito mittimus.

Auctor vitae, quem ſaepe laudauimus, anonymus inter eius opera primo ſtatim loco memorat volumen *Reſponſorum*, idque LEICKERVS (*b*), ſub titulo *Reſponſionum et Allegationum in Iure* prodiiſſe, refert (*c*): ſed id me non magis vmquam vidiſſe, fateor, quam quae MART. LIPENIVS in *bibliotheca iuridica* recenſet, *Conſilia*, *Paratitla*, *Partitiones iuris*, *Practicam*, et *Practicam ciuilem et criminalem*. Et vereor ſane, vt ipſe LIPENIVS ea oculis vmquam vſurparit, quum in nouis editionibus pleroſque hos libellos omiſſos eſſe animaduertam, ac proinde ii, qui confuſiſſimam illam bibliothecam recognouerunt, proculdubio obſeruarint, eam notitiam ex vulgaribus libellis et catalogis potius, quam ex idoneis auctoribus, hauſiſſe LIPENIVM.

De reliquis operibus, ab eodem PANCIROLO noſtro relictis, idem auctor anonymus ſcribit: *Aliud opus de origine iuriſconſultorum, et de illuſtribus iuris interpretibus compoſuit. Plurium quoque illuſtrium virorum, qui in iure nominantur, vitam et catalogum ſcripſit. Item aliud opus de origine et auctoritate equitum. Item aliud de antiquitate iuris. Item aliud in quo plurimi noui legum intellectus continentur, et de numiſmatibus antiquis. Item commentarium in vniuerſa Tertulliani opera.* Ex his primum non aliud eſt, quam opus exaſciatiſſimum, et quod neſcio, an par vllum habeat in eo genere, *de claris legum interpretibus*, quod, mortuo iam auctore, anno MDCXXXVII. Venetiis in lucem edidit, et IO. IACOBO PANCIROLO tum adhuc Rotae Rom. auditori, poſtea Eccleſiae Rom. Cardinali, inſcripſit OCTAVIVS PANCIROLVS. Quintum ipſe *Theſaurum variarum lectionum*, ab HERCVLE PANCIROLO anno MDCX. in lucem protractum, et cum alias non ſemel, tum in hoc ipſo volumine recuſum, deſignat, quippe in quo vere *plurimi noui legum intellectus* vel interpretationes *continentur*. Reliquae lucubrationes omnes numquam lucem vidiſſe videntur. De *numiſmatibus antiquis* nihil, quod ſciam, editum eſt: neque, ſi quid tale prodiiſſet, id fugiſſet emiſſitios PHILIPPI LABBEI oculos, qui quidem in *Bibliotheca numa-*

(*a*) *De bon. et mal. libr. p. 141.*
(*b*) *Vit. clar. iureconſ. p. 397.*
(*c*) *Venet. 1573. fol.*

ria (*a*) etiam GVIDVM PANCIROLVM, iuriſconſultum, laudat, at nullum tamen ſcriptum ab eo de numiſmatibus opus adducit, ſed lectorem remittit ad *Theſaurum variarum lectionum*. Niſi me omnia fallunt, PANCIROLVS quaedam in chartam coniecerat non de numiſmatibus Romanis ex hiſtoria explicandis, ſed de aureorum, argenteorum, aereorumque ponderibus et aeſtimatione, de monetis argenteis et aureis, earumque partibus et valore, de quibuſdam numis, quorum in Nouellis fit mentio, de quaeſtione illa vexatiſſima, quantum aucta vel diminuta pecunia creditori ſit reſtituendum? Ea vero pleraque poſtea tranſtulit in *Theſaurum variarum lectionum* (*b*), atque ea re effecit, vt ſchedae illae non deſiderarentur ab vllo amplius, nec ipſi fortaſſis auctori editione dignae viderentur. Idem et de *commentariis in Tertulliani Opera* adfirmare mihi poſſe videor. Nemo eorum, qui maxima atque accuratiſſima diligentia in Patrum editiones inquiſiuerunt, vllam ἔκδοσιν Tertulliani, a PANCIROLO curatam, aut ſcriptum ab eo commentarium exſtare, obſeruat. Immo potius diſerte ſcribit vir eruditiſſimus LVD. EL. DVPINVS (*c*): *Pancirole avoit auſſi travaillé ſur Tertullien, mais il ne fit rien paroitre en public.* Idem ergo et de reliquis, qui ab anonymo recenſentur, libellis, veluti, quos de *vitis illuſtrium virorum, qui in iure nominantur, de origine et auctoritate equitum, et de antiquitate iuris* ſcripſiſſe dicitur, ſuſpicamur. Si qua enim eius generis in ſchedis habuit, ea numquam lucem viderunt, nec fieri potuiſſe crediderim, vt tam praeclara tanti ingenii monimenta omnium virorum doctorum notitiam fugerint, vel omnino diſparuerint typis exſcripta exemplaria. Multa vero, quae partim adfecta, partim perfecta ac editioni parata in ſcriniis ſeruauerat PANCIROLVS, et hodie in Italorum bibliothecis latitare inedita, teſtem habeo IO. GVASCVM (*d*), qui inter alia eius opera et *Annales Regienſes*, numquam adhuc editos, recenſet. Sed his ſimilibuſque immorari nos non patitur inſtituti ratio: ac proinde ad ipſum interpretandi genus, quo tum BARTHOL. CHESIVS, tum GVIDVS PANCIROLVS, vſus eſt, progredimur.

Interpretationem legum in eo poſitam eſſe, arbitramur, primum vt, ſi qua in illas vel ob verborum obſcuritatem ac ſtribiliginem, vel ob rerum ipſarum naturam, non facile intelliguntur, ea plana fiant ac perſpicua: deinde vt legum verba vel iuſto anguſtiora ad

(*a*) *Part. II. p. 67. edit. Rechenb.*
(*b*) *Lib. I. cap. 66. ad cap. 74.*
(*c*) *Dans la Bibliotheque des Auteurs Eccleſiaſtiques Tom. I. p. 105.*
(*d*) *Hiſtor. litter. p. 18.*

ad ſimiles caſus, in iis non expreſſos, proferantur, vel, ſi latius pareant, ſuis veluti limitibus circumſcribantur: quorum primum interpretandi genus DECLARATIVAE, reliqua EXTENSIVAE et RESTRICTIVAE vocabulo a doctoribus deſignantur. His ſane officiis qui rite funguntur, iuriſconſulti, ii demum, quod CELSVS (*a*) ab iis iure meritoque exigit, non ſolum *legum verba*, ſed et *earum vim, ac poteſtatem, tenere* mihi videntur, ſi cui enim nec in verbis, quibus lex aliqua concipitur, nec in rebus, quas illa complectitur, nec in ipſo denique legiſlatoris, hanc ſcribentis promulgantiſque, conſilio quidquam obſcurum atque imperuium eſt; quid, quaeſo, erit, quod ille vlterius ad percipiendam legis vim et poteſtatem poſſit deſiderare? Iam quibus ſubſidiis inſtructum eſſe oporteat eum, qui laborem hunc longe difficillimum ſubire conetur, hic ipſe finis quem intendit, et ad quem omnia ſtudia ſua referre debet, ſatis ſuperque docebit. Primum enim, quum aliquando lectori crucem figant, verborum inſolentia, phraſium ac ſtructurae ſtribiligo, interpungendi incuria, et ſi qua alia ſcripturae vitia ex librariorum vel imperitia, vel negligentia, oriuntur: nemo eſt, quin iuris interpreti neceſſariam eſſe artem criticam, eoſque, qui illam ex iuriſconſultorum ſcholis proſcriptam velint, magnopere falli, illico intelligat. Quem enim vſum praeſtarent leges, a librariis turpiter corruptae? Et quis credat, ſolos iuriſconſultorum libros ita integros ac incorruptos ad nos perueniſſe, vt nuſquam in iis toties deſcribendis peccatum ſit a librariis indoctiſſimis? ſane iam ſaeculo quinto, quum adhuc recentiora eſſent PAPINIANI, PAVLLI, CAII, VLPIANI, MODESTINI opera, tum demum petita ex iis teſtimonia in foro pondus habere voluerunt. THEODOSIVS iunior et VALENTINIANVS III. Imperatores, *ſi ii libri, propter antiquitatis incertum, codicum collatione firmarentur.* (*b*) Ad quae verba IAC. GOTHOFREDVS: (*c*) *ſi iam olim*, inquit, *collationis iſtius et emendationis vſus neceſſarius viſus eſt: quid mirum, ſi emendationes iuris hodie quoque poſt tot ſaecula ad antiquiſſimos potiſſimum codices, vel etiam ex ingenio, ſed bona fide, viri docti pollicentur, dummodo docti?* Equidem hac quoque in re a permultis grauiter peccatum eſſe, omnes fatentur. Nam ex quo ANDR. ALCIATVS, GVIL. BVDAEVS, IAC. CVIACIVS, exemplo praeiuerunt, tantum ſubito criticorum prouentum vidit reſpublica litteraria, vt, ſi eorum res

 agere-

(*a*) *l. 17. D. de legib.*
(*b*) *l. vn. C. Theod. de reſp. prud.*
(*c*) *Comm. ad Cod. Theodoſ. Tom. I. pag. 33.*

ageretur arbitrio, verendum eſſet, ne nullum in iure noſtro vocabulum ἀκίνητον maneat, et demum plane aliud ius, quam quod Ivstiniani auſpiciis compoſitum eſt, habeamus. At hoc tamen fraudi eſſe non debet genuinae criticae, quam vel veterum codicum firmat auctoritas, vel ipſa commendat neceſſitas et modeſtia. Deinde quum conſtet inter omnes, qui interpretandi artem tradiderunt, ſaepe ſenſum orationis ex iis, quae vel antecedunt, vel conſequuntur, eſſe eliciendum, Pandectae autem ita compoſitae ſint a Triboniano et ſociis, vt pro oratione continua non niſi orationis fruſtula ac veluti diſperſa Virbii membra, neruis ac ſanguine deſtituta, reperiamus: conſequens eſt, vt ſaepenumero interpreti permagnam vtilitatem adferat textuum, ex eodem libro decerptorum, inſtituta inter ſe comparatio, et coagmentatio fragmentorum diuulſorum a Pandectarum collectoribus. Eleganter Lvdov. Rvssardvs (*a*): *Omnis paene*, inquit, *difficultas et obſcuritas iuris ciuilis ex eo nata eſt, quod nullus iuriſconſultorum liber integer nobis ſuperſit: nulla paene vllius oratio perpetua, ſed fragmenta tantum hinc et inde, et ex huius atque illius auctoris libro, non ſatis apte plerumque coagmentata. Itaque vehementer adiuuantur noſtra ſtudia ab inſcriptionibus, quarum ope locos eorumdem iuriſconſultorum a compoſitoribus diſſipatos, et longiſſime a ſe coniunctos, rurſus coniungere licet, ac veluti perpetuam orationem contexere.* Arcano hoc ac vere incomparabili interpretandi ſtudio deſtituti veteres, tum Graeci, tum Latini, qui poſt Accvrsivm explanando iuri animum adpulerunt, tam abſurdas ſaepe ſpecies finxere, tot non gloſſas, ſed gloſſarum monſtra, inuenerunt, vt, ſi in vitam redirent iuriſconſulti, quorum illi lacinias interpretari conati ſunt, ſua non agnituri, ſed repetituri procul dubio eſſent illa Socratis, dialogum Platonicum in quo ipſius diſputatio referebatur, legentis Ἡράκλεις ὡς πολλά μου καταψεύδεθ' ὁ νεανίσκος, *Proh Dii immortales, quam multa de me mentitur adoleſcens!* (*b*) At tanto maiorem lucem iuri noſtro paſſim adfuderunt Ant. Avgvstinvs, Iac. Cviacivs, Iac. Gothofredvs, Io. Goeddevs, hoc potiſſimum artificio ea, qua par eſt, diligentia, quamuis non omnes eadem felicitate, vſi. Quamuis vero id interpretandi myſterium tantum ad Pandectas pertinere, neque locum habere in interpretando Codice videatur; tamen et in eo eius vſum inſignem eſſe, vel inde patet, quod ſaepe vna conſtitutio, in plures diſcerpta lacinias, in diuerſos titulos reiicitur,

(*a*) *Praefat. ad lector. edit. Corp. Iur. praemiſſ.*

(*b*) Laert. *Lib.* III. *ſegm.* 35.

reiicitur, plures, capite et pedibus mutilae multo integriores in Codice Theodoſiano ſuperſunt, quibus coagmentatis vel inter ſe comparatis veram legum vim ac poteſtatem multo facilius, quam peruolutis omnibus gloſſis ac commentariis, adſequemur. Tum porro neminem arbitramur futurum, qui leges a Romanis ſcriptas ſtatui rei Romanae conuenire debuiſſe, inficietur. Ex eo vero vnuſquiſque intelliget, non magis fieri poſſe, vt quiſquam, notitiae antiquitatum Romanarum expers, in iure Romano exponendo recte ſe gerat, quam vt quis legem Moſaicam forenſem ſine accurata rei publicae Hebraicae cognitione intelligat. Non aliunde profecto tot putridi, et aliquando paene ridiculi gloſſatorum, diligentiſſimorum alioquin et prudentiſſimorum hominum, errores nati ſunt, quam quod legum Romanarum interpretationem nulla antiquitatis notitia imbuti adgrederentur. *Etenim quum*, quod recte a doctiſſimo MVRETO (*a*) obſeruatum eſt, *tota rei publicae atque imperii Romani facies ita verſa atque immutata eſſet, vt nullum retineret veteris formae veſtigium, aliae conſuetudines eſſent, aliae leges, alia religio, alii magiſtratus, alia iudicia: exſtincto autem lumine Latinarum et Graecarum litterarum omnia denſiſſimis ignorantiae tenebris ſepulta atque obruta tenerentur: fieri nullo modo potuit, quin homines, eius rei publicae ignari, cuius leges et iura tractabant, tamquam in illuni nocte ſine lumine errantes, ſaepe offenderent, ſaepe laberentur, ſaepe quouis potius, quam quo inſtituerant, peruenirent.* Et ſane ſi iam olim partim florente imperio, partim recente adhuc veteris rei publicae memoria, antiquitatis cognitio in iuris conſultorum laudibus ponebatur: (*b*) quanto minus eo praeſidio hodie carebit interpres, quando Romam in ipſa Roma requirimus? An non is ſibi mille monſtra finget, qui veteres mores ex noſtrae aetatis hominum conſuetudine aeſtimat? An non idem illi continget, quod olim Tityro (*c*).

Vrbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putabam
Stultus ego huic noſtrae ſimilem, quo ſaepe ſolemus
Paſtores ouium teneros depellere foetus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hoedos
Noram: ſic paruis componere magna ſolebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Praeterea

(*a*) *Vol.* I. *Orat.* XVII. *p.* 163.
(*b*) PLIN. *Lib.* I. *Epiſt.* 22.
(*c*) VIRGIL. *Eclog.* I. *v.* 20.

Praeterea leges noſtras Latine, aliquando et Graece, ſcriptas eſſe, nemo ignorat. Ex eo vero conſequitur, vt nemo niſi qui Latinas Graecasque litteras probe imbiberit, ſe earum vim ac poteſtatem adſequuturum ſperare poſſit. Animaduerterunt hoc veteres iuriſconſulti, quorum aliqui, veluti ANTISTIVS LABEO tantum operae dabant Latinis Graeciſque litteris, vt Grammaticos paene illa diligentia ſua ſuperarent (*a*). Et Pandectas euoluentem vnumquemque res ipſa docebit, VLPIANVM, PAVLLVM, et reliquos iuris interpretes, incredibili ſtudio verborum notiones eruere, ambiguas diſtinguere, obſcuras explanare, nullum denique vocabulum edictale, aut in Legibus, SCtis, conſtitutionibusque adhibitum, ſine interpretatione praetermittere. Quod ſi neceſſarium viſum eſt iis temporibus, quibus nondum defecerat lingua Latina, et Graecae per vniuerſum orbem Romanum inſignis ac quotidianus erat vſus: quid de noſtris temporibus dicemus, quibus hae linguae iam pridem euanuerunt, vt nuſquam terrarum, niſi inter viros doctos, aliquis earum vſus ſuperſit? Fuerunt tempora, quibus gloſſarum compilatores, nulla vtriuſque linguae cognitione inſtructi, adhibito in conſilium barbaro quodam vocabulario, legum verba ita interpretabantur, vt hodie ad eorum commenta vix riſum teneant homines, ipſo Catone ſeueriores. Quis enim riſum comprimeret, vbi legerit (*b*), Iuſtinianum dictum eſſe FLAVIVM, *quod Flauios deuicerit*, vel *quod flaui fuerit coloris, quippe rubeus:* item eundem Imperatorem *nomen habuiſſe a iuſtitia: luculentam conſonantiam* ſignificare Codicem Iuſtinianeum, quem non amplius habeamus: Pandectas dici à *pan*, quod ſit *totum*, et *decten*, quod ſit *doctrina:* in iuriſprudentiae definitione alterutrum vocabulum, *notitia* vel *ſcientia* accipiendum eſſe in caſu ablatiuo (*c*): *patricios* qui plebi opponuntur, ita dictos, quaſi *patres principis* (*d*): *aediles curules a cura eſſe dictos* (*e*): ut iam innumera huius generis alia praetermittam? Niſi ergo eodem modo ineptire velit iuris interpres: eum profecto aut linguarum, quibus ſcriptae ſunt leges noſtrae, callentiſſimum eſſe, aut interpretandi munus aliis peritioribus relinquere oportebit.

Quandoquidem porro veteres iuriſconſulti tantum non omnes Stoicae philoſophiae principiis erant innutriti, eaque in diſputando, reddendiſque

(*a*) GELL. *Noct. Att. Lib.* XIII. *cap.* 12.

(*b*) *Gloſſa ad prooem. Inſt.*

(*c*) *Gloſſa ad* §. 1. *Inſt. de iuſt. et iure.*

(*d*) *Ad* §. 4. *Inſt. de iure nat. gent. et ciu.*

(*e*) *Ad* §. 7. *Inſt. eod.*

dendiſque iuris rationibus plerumque ſequerentur: ecquis, quaeſo, eorum fragmenta ſine accuratiore iſtius philoſophiae cognitione intelligeret? Obſeruatum eſt a viris doctis, qui regulas criticas aliis praeſcripſerunt, perſpectas interpreti eſſe debere opiniones ſcriptorum, quos legant, eumque alias vix euitaturum, vt verba, quae pro diuerſitate ſectarum diuerſimode accipi ſoleant, multo aliter, ac ex mente auctoris, intelligat (*a*). Id quanti momenti ſit, primus fere vidit Em. Merillius (*b*), qui in Obſeruationibus ſuis, veterum iuriſconſultorum fragmenta ſaepenumero porticum redolere, multis exemplis oſtendit. Hunc deinde et alii imitati, *generatim de Stoica iuriſconſultorum philoſophia* (*c*) erudite diſſeruerunt. At pauciſſimi ab illo tempore reperti ſunt, qui fructum ex obſeruatione tam vtili ceperint, eoque ſubſidio vſi ſint in interpretandis legibus, non, quod inſignem eius vtilitatem negarent, ſed quod paucis ex ordine noſtro tantum ſit ocii, vt philoſophiae, iam pridem deperditae ac intermortuae, multiſque inuolutae tenebris principia, ex vetuſtis ſcriptoribus, quorum nullus integrum iſtius ſyſtema iuſto ordine tradidit, eruant, illaque deinde data occaſione in rem ſuam vertant: vt adeo haec interpretandi ratio vere inter ea referenda videatur, quae adhuc deſiderantur, in iuriſprudentia, et ex quibus magna acceſſio ſperanda eſſet ſolidioris doctrinae, ſi quis in illis rebus, nondum ab vllo occupatis, ingenium atque induſtriam exercere vellet.

Hiſce interpretandi ſubſidiis merito addimus illud, quod ad eruendam facti ſpeciem, ex eaque eliciendum ipſius deciſionis ſenſum pertinet. Quantum in eo momentum poſitum ſit, iam Accvrsivs, aliique eius ſectatores, viderunt, qui in id omnes paene ingenii neruos intenderunt, vt vbique veram ſpeciem, quam caſum vocant, producerent. Sed ſuo freti ingenio, et de vera ratione illam inueniendi non admodum ſolliciti, pleraque finxerunt, parum referre exiſtimantes, vera an falſa, veroſimilia, an abſurda, proferant, dummodo caſum aliquem, cui deciſio quadret, inueniſſe viderentur. Hinc fingunt aliquando ſpecies, etiam vbi nulla deciſio, ſed vulgaris quaedam definitio vel doctrina occurrit, quaſi intelligi non poſſent, quae ab Imperatore diſſeruntur de iuris gentium et ciuilis diſcrimine (*d*), niſi

(*a*) Cleric. *art. crit. Part.* II. *Sect.* I. *cap.* 15.

(*b*) Merill. *Lib.* I. *Obſeru. cap.* 8. *ſequ.*

(*c*) Ev. Otto *ſingulari oratione, inſerta eius Diſſert. iur. publ. et priu. p.* 562. *ſequ.*

(*d*) *Princ. et* §. 1. *Inſt. de iure nat. gent. et ciu.*

ſpecies facti fingatur. Et eam tamen finxit GLOSSA perquam lepidam; quam hic legere fuerit operae pretium: *Quidam ſcholaris*, inquit gloſſator, *acceſſit ad principem*, (ad huius enim forum vel maxime pertinebat inſignis haec ac vexatiſſima quaeſtio;) *et talem propoſuit quaeſtionem: Domine Imperator, dicite mihi, quae differentia eſt inter ius gentium et ciuile.* Temeraria videri poterat illa dupondii quaeſtio, et merito ille verebatur, ne a IVSTINIANO idem acciperet reſponſum, quod Eudaemon Nicomedienſis (*a*): *Ego quidem mundi dominus, ſcholae autem Theophilus et Dorotheus*, ac proinde audaculus ille ſcholaris grauiſſimam reddit huius ſuae curioſitatis rationem: *Et ideo quaero, quia volo vnum ius ab alio ſcire diſcernere.* Is vero dignus omnino erat hoc vindice nodus, ac proinde Imperator reſpondit: *Amice*, (en Principem humaniſſimum, qui et ſcholares in amicorum numero habet, quum olim vix ſummis viris, et hodie ne his quidem, is honor haberetur!) *dico tibi, quod omnes populi, qui vtuntur iure ſcripto et iure non ſcripto, pro parte vtuntur ſuo proprio iure, ſeu ciuili, et pro parte vtuntur iure communi omnium hominum.* Non potuiſſet vllus tiro vel Iuſtinianus nouus praeceptori reſpondere abſurdius, quam hic Imperator auguſtiſſimus, et omnis iuriſprudentiae auctor fingitur ſcholari iſti miſero reſpondiſſe. Scire hic auebat iuris gentium et ciuilis diſcrimen: et Imperator nihil regerit, quod ad rem pertineat, ſed populos tantum partim iure gentium, partim ciuili vti, monet, perinde ac ſi quis interrogatus, quid interſit inter homines et bruta animantia, huic terrarum orbi partim homines, partim bruta animantia inerrare, reſponderet. Hinc non mirandum profecto, ſcholarem illum non adquieuiſſe in illo ſacro principis oraculo, ſed *ſecundo dixiſſe: Domine Imperator, vos loquimini ſic obſcure, quod non intelligo vos. Quid eſt hoc dicere, quod omnes populi, qui vtuntur iure ſcripto et non ſcripto, pro parte vtuntur ſuo proprio iure, pro parte vtuntur iure communi omnium?* Qua obiurgatione in ruborem datus Imperator, demum multis verbis explicat hoc diſcrimen, et quidem iis, quae in ipſis Inſtitutionibus leguntur, quaeque hic repetere taedioſum eſſet. Ad quid vero opus erat ſpecie, quum non de adplicatione iuris ad factum, ſed de differentia duorum iurium, quae per definitionum diſcrepantiam illico oſtendi poterat, quaereretur? Et quam abſonum eſt, fingere talem diſputationem inter ſcholarem et IVSTINIANVM, quam qui legat, non poſſit non exiſtimare idem fuiſſe fatum huius principis, quod olim DIONYSII Siculi, quem eo a fortuna adactum

(*a*) *l. 9. D. ad Leg. Rhod.*

ctum ferunt, ut pro rege paedotribam Corinthi ageret (*a*)? Et tales tamen ſpecies paſſim in illo confuſiſſimo opere occurrunt. Alibi illae magis neceſſariae, at non minus ridicule excogitatae ſunt, atque ea re fit, vt ſaepe de longe alia re, quam de qua lex agit, diſputent, ſenſumque adfingant iuriſconſultis, de quo ab illis numquam fuerat cogitatum. Quod vir eximius, Iac. Gothofredvs (*b*), tot exemplis demonſtrauit, vt opera abuti viderer, ſi vel ab eo dicta repeterem, vel iis aliquid addere non dubitarem. Nimirum boni illi viri, ſibi fingere quidlibet licere rati, adeo ea libertate abutebantur, vt ea in licentiam euaderet, quum vera ſpecies plerumque vel in ipſa lege latitet, ingenioque duntaxat ad illam eliciendam opus ſit, vel ex comparatione aliorum locorum, ex iiſdem libris decerptorum, eorumque ἀλληλουχίᾳ omnium certiſſime eruatur. *Vbi ipſa verba*, inquit Iac. Gothofredvs (*c*), huius myſterii callentiſſimus, *caſum non ſuppeditant, eruendus ille fuit tum ordinis in eo titulo ſeruati praeſidio, tum inſcriptionis cuiuſque legis argumento, coniunctis ſeu conglutinatis in id, compactiſque et coaſſatis omnibus, vel pleriſque, quae ex eodem libro, quem inſcriptio legis praefert, ſuperſunt, ceu Virbii membris diſiectis fragmentis. Vnde comparatione diligenti et accurata omnium eiuſdem inſcriptionis capitum ſingulorum librorum argumentum colligere licet, et cuiuſque libri capita, in varios titulos diſperſa, rurſum coniuncta, lucem et interpretationem mutuo dant capiuntque.* Qua arcaniore veram ſpeciem inueſtigandi ratione ſi plures vterentur, fieri non poſſet, quin demum viſuri ſimus commentaria iuris, bonae frugis pleniora, quaeque verum legum ſenſum non ſola hariolatione, textui inferant, ſed ex ipſo textu eumdem certiſſima ratione, pro eo ac fieri decet, deriuent.

Poſtremo alibi (*d*) me ex inſtituto demonſtrare memini aduerſus Paganinvm Gavdentivm, (*e*) rationem legis eiuſdem eſſe animam, et verum interpretationis, quam doctores extenſiuam, reſtrictiuam, ac declaratiuam vocant, fundamentum. Ea vero ratio modo ex ipſa lege elucet, modo ex aliis eiuſdem argumenti earumque comparatione colligitur, modo ex eorum temporum, quibus lex lata eſt, annalibus repetenda eſt: cuius rei ſpecimina tam praeclara tum alibi (*f*), tum in incomparabili ac aeterno de Codice Theo-

 doſianc

(*a*) Iamblich. *vit. Pythag. p.* 188. *ſeq. et p.* 191.

(*b*) *In Comment. ad tit. de reg. iur.*

(*c*) *Praefat. Comment. ad reg. iur.* §. 4.

(*d*) *Praefat. Elementis iur. ciu. ſecund. ord. Pand. praemiſſa.*

(*e*) *Expoſit. iurid. Lib.* I. *cap.* 3.

(*f*) *In commentat. ad l. quiſquis* 5. C. *ad leg. Iul. maieſt. Geneu.* 1654. 4.

doſiano opere dedit Iac. Gothofredvs, et ante eum iuriſconſultus eximius, qui iuriſprudentiae cum hiſtoria coniunctionem per omnem paene vitam vrgere non deſiit, Franc. Baldvinvs (*a*), vt ad hos duumuiros lectorem remittere iure poſſe videamur. Neque tamen quiſquam ſibi perſuadeat, velim, eos omnia ſolos iam ita occupaſſe, vt nullum poſt tantam meſſem ſuperſit, ſpicilegium, nihilque relictum ab iis ſit poſterorum induſtriae. Sane et hiſtoria, et iuriſprudentia, immenſo mari videntur ſimiles, vtraque inexhauſta, vtraque rerum a nemine adhuc obſeruatarum pleniſſima eſt, vt idem hic videatur dicendum, quod de purpura, inter res deperditas habita, ſcripſit Gvidvs noſter Panciroլvs (*b*), *conchylium iſtud etiamnum hodie inueniri quidem, quandoquidem ſpecies plane non intereant: nullum tamen ipſius vſum eſſe, quod non ſit, qui venae illius eximendae modum ſciat.* Similiter profecto nec hodie defutura eſſent in annalibus, quae ad illuſtrandam facerent iuriſprudentiam, niſi, qui illa eruere, et in rem vertere norint, deeſſent.

Haec ſunt praeclara illa, quae ad legum interpretationem adferenda ſunt, praeſidia, hae illae claues, quibus interior earum ſenſus, et, vti gloſſatores loquebantur, intellectus recluditur, hic ſimul lapis Lydius, ad quem exigi oportet iuriſconſultorum notas ac commentarios. Vt enim quiſque dexterrime vſus eſt illis praeſidiis, ita reliquis praeſtantior eſt habendus, tantoque longius quis abeſſe a perfectione videtur, quanto minus ea adhibuit, vel quanto magis in iis adhibendis ingenio ſollertiaque fuit deſtitutus. Quare vt de Barth. Chesii et Gvidi Panciroli interpretationibus Ioue aequo iudicetur: imponi mihi poſtremo video hunc laborem, vt, quid in omnibus illis interpretandi rationibus praeſtiterint viri illi doctiſſimi, quaue in re eorum defecerit induſtria, aliquot ſpeciminibus, ex eorum operibus depromtis, oſtendam. Quod dum facio, me non immemorem fore polliceor, quod praefationem ſcribam, neque adeo diutius moraturum lectorem, ad ipſa euoluenda pulcherrima opera properantem.

Quod ad primum interpretationis ſubſidium, quod in critica atque arte emendandi conſiſtere, diximus, attinet, ea vtrumque auctorem raro, ac modeſtiſſime vſum eſſe, animaduerto. Bartholomaevs enim Chesivs in ea fuiſſe haereſi videtur, vt omnem illam mutandarum legum facultatem in iuris conſulto damnaret, niſi vel boni libri emendationi ſuffragentur, vel eam ſaltim neceſſitas ac modeſtia ipſa

(*a*) *Maxime in Conſtantino M.* (*b*) *De reb. deperdit. Tit. I. p. 16.*

ipſa excuſaret. Vbi enim, exponens *L. 3. D. de regula Caton.* incidit in emendationem CVIACII, textum illum corrigentis, et pro *hereditates* legentis *Libertates* : parum ſibi placere illam correctionem teſtatur, breui hac ſubiuncta ἐπικρίσει. *Sed quum omnium librorum fides repugnet, Imperatori emendatio eſt reſeruanda, quae iuris conſultis eſt illicita.* (*a*) Sed et alibi, quam alienus ipſe ſit ab eorum ſententia, qui ſibi Tribonianum vbique ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendere videntur, ſatis luculenter teſtatur. Quum enim ANT. FABRVM (*b*) videret impetum facere *in l. 2. D. de her. inſt.* exiſtimantem, eam totam adſcribendam eſſe Triboniani inſcitiae, neque vel VLPIANVM, vel CELSVM adeo ſtulte reſpondere potuiſſe; ipſe abominatus hanc vim, locum illum recte ſe habere, datamque in illo deciſionem poſſe omnino ex iuris principiis ſuſtineri oſtendit (*c*), nec aliter ſubducit rationes, vbi *l. 21. pr. D. de legat. 3.* explanat (*d*). Quum enim et hanc a Triboniano interpolatam, et lacinia illa, *niſi ſuperueniens morbus ei impedimento ſit*, auctam eſſe cenſuerit CVIACIVS (*e*): ipſe aduerſus receptiſſimam doctiſſimorum virorum ſententiam (*f*) verba illa non Triboniani, ſed Vlpiani eſſe, contendit, eaque in re poſtea ſuffragatorem reperit Virum Ampliſſimum, CORNEL. VAN BYNKERSHOEK, (*g*) quamuis paullo aliter, ac CHESIO, viſum eſt, legem illam explicantem. Neque tamen is erat CHESIVS, qui omnem damnaret criticam, eiusque cultoribus aqua et igni interdicendum eſſe cenſeret. Nam aliquando emendandos eſſe quoſdam textus, non inficiatur, et vel ipſe aliquid, ſed mira modeſtia, audet, vel aliorum probat emendationes. Sic alicubi (*h*) ſibi non diſplicere oſtendit coniecturam CVIACII (*i*) in *l. 18. princ. D. de condit. inſt.* pro *conditionem* reſcribentis *libertatem*, quum tamen eam emendationem minus neceſſariam eſſe, oſtenderit RAD. FORNERIVS (*k*). Expoſiturus deinde *l. 6. C. de legit. hered.* vbi DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS A. A. aiunt : *Defunctis ſuis extantibus heredibus, et abſtinentibus, vel repudiantibus hereditatem, frater iure conſanguinitatis ſuccedere poteſt.* Eleganter

(*a*) *Lib. 1. Interpr. cap. 3. n. 26.*

(*b*) *De Error. pragm. decad. XXXV. err.* 20.

(*c*) *Lib. I. cap. 4. n. 1.*

(*d*) *Lib. 1. Interpr. cap. 18. n. 3.*

(*e*) *Ad l. 6. §. 1. D. qui teſt. fac. poſſ.*

(*f*) BALDVIN. *Iuſtin. lib. I. pag. 49.* SCHVLTING. *ad Paull. rec. ſent. IIII. 1. 18.*

(*g*) *Obſeru. Lib. VIII. cap. 21.*

(*h*) *Lib. I. Interpr. cap. 20. n. 11.*

(*i*) *Obſeru. Lib. VIII. cap. 36.*

(*k*) *Rer. Quotid. Lib. IIII. cap. 29.*

ganter, ſola mutata interpunctione, legendum eſſe monet: *Defunctis ſuis exſtantibus heredibus et abſtinentibus vel repudiantibus hereditatem, frater iure conſanguinitatis ſuccedere poteſt*, vt ſenſus ſit: defunctis ſuis exheredatis, dum deliberent heredes ſcripti, ſi poſtea ii hereditatem repudient, fratrem poſſe ſuccedere iure conſanguinitatis (*a*). Quae ſane interpunctio et omnibus ſatisfacit dubiis, quibus alioquin haec lex expoſita eſt, quaeque ipſe CHESIVS *ibidem n.* 2. *et ſeq.* profert, et modeſtia non minus, quam ingenio, ſe ſe commendat. Quum enim inter omnes conſtet, veteres codices paene omnes diſtinctionibus et interpunctionibus carere, (*b*) quippe a Grammaticis paullo ſerius inuentis, idque et de Florentino Pandectes exemplari teſtentur ANG. POLITIANVS (*c*), ANT. AVGVSTINVS (*d*) et V. A. HENR. BRENKMANNVS (*e*), qui tamen puncta aliqua, ab alia fortaſſis manu addita, in eo opere paſſim deprehendit: quis reprehendendum eſſe putet interpretem, ſola tranſpoſita, demta, vel addita, interpunctione commodum ſenſum ex lege aliqua eruentem? Denique, vt et alio ſpecimine eius modeſtiſſimam criticam oſtendamus, CHESIVS noſter (*f*), vbi *legem* damnatam *Gallus* 29. §. 13. *D. de liber. et poſtum.* interpretatur, in eo loco nihil immutandum eſſe cenſet, niſi forte pro *mortuis vtique* legere quis malit, *mortuis vtriſque*, quam lectionem iam in pleraſque editiones admiſſam video. At tamen et eam correctionem non magni facit, quia et nihil immutando idem ſenſus ſit. At emendationem CVIACII et ANT. GOVEANI, ea in lege pro *pronepos* legentium *nepos* plane explodit, tamquam minus neceſſariam, quod et alios feciſſe, conſtat, veluti GABR. VALLIVM (*g*), et IAC. CONSTANTINIANEVM (*h*).

Talis de emendatione legum fuit BARTHOLOMAEI CHESII ſententia. GVIDVS PANCIROLVS etiam raro aliquid audet, magis id agens toto illo variarum Lectionum opere, vt leges ex hiſtoria et antiquitatibus illuſtret, quam vt correctionibus ſubtiliter excogitatis oſtentet ingenium. Quandoquidem tamen in *indice legum* huic operi ſubiuncto,

(*a*) *Lib. I. Interpret. cap. VII. n.* 10.
(*b*) CLERIC. *art. Crit. P. III. ſect. I. cap.* 10. §. 4. *ſeq.*
(*c*) *Miſcellan. cap.* 41.
(*d*) *Emend. Lib. I. cap.* 9.
(*e*) *Hiſt. Pandect. Lib. II. cap.* 4. *p.* 132. *ſequ.*
(*f*) *Interpr. Lib. I. cap.* 49.
(*g*) *Ad l. Gallus Tomo I. Theſ. iur. p.* 416.
(*h*) *Subtil. Enodat. Lib. I. cap.* 30. *Tom. IIII. Theſ. iur. p.* 537.

to; viginti quatuor recenſentur textus Pandectes et Codicis, quos illе ſanaſſe dicitur: ex iis quaſdam correctiones ſpeciminis cauſſa decerpere iuuabit. In *l.* 3. §. 5. *D. de condict. cauſſ. dat.* pro *Domitia, Neronis filia*, legendum eſſe monet *Domitia Neronis amita* (*a*). Conſtare enim ex TACITO (*b*), Neronem non filiam ſed amitam habuiſſe Domitiam, eamque ipſam eſſe, quae Paridem pantomimum, cuius in illa lege fit mentio, manumiſerit (*c*). Id vero quamuis verum ſit, tamen et violentior haec videtur correctio, quam vt vlla ſe probabilitatis ſpecie commendet, et facilius credet lector, vel VLPIANVM, vel NERATIVM aliquid humani paſſum eſſe in illa hiſtoria, quam librarios pro *amita* ſcripſiſſe *filia*. Quum enim ipſe TACITVS, qui ex inſtituto ſcripſit Annales, in eius Domitiae genere enarrando errauerit, dum eam Antonia minore genitam eſſe tradidit (*d*), quum Antoniam maiorem matrem habuerit (*e*): quid mirum, ſi iuriſconſultus, obiter eius faciens mentionem, ἁμάρτημα μνημονικὸν admiſerit, ratus fortaſſis, et auum Neronis Imp. Neronem fuiſſe dictum? ſi talia ſemper mutanda eſſent; prius certum eſſe oporteret, nullum in vetere aliquo ſcriptore occurrere poſſe errorem hiſtoricum, nullum ἀναχρονισμὸν, ſed omnia in veterum monimentis recte ſe habere, id eſt, veteres non fuiſſe homines. Quod quam ſit abſurdum, nemo non intelligit. Alio loco (*f*) PANCIROLVS ſollicitat *l. vlt.* §. *vlt. D. ad leg. Rhod. de iactu,* vbi LABEO, *ſi conduxiſti*, inquit, *nauem amphorarum duorum millium, et* IBI *amphoras portaſti, pro duobus millibus amphorarum pretium debes.* Quae LABEONIS deciſio quum verbis nimis laxis propoſita eſſe videretur PAVLLO, eius epitomatori: ipſe prudenter monet, multum intereſſe, auerſione nauis conducta ſit, an pro numero impoſitarum amphorarum, et deciſionem LABEONIS tantum ad prioris generis conductionem pertinere. Vix quiſquam crederet, hic aliqua emendatione opus eſſe. Quae enim olim circa vocabulum *auerſio* diſputata ſunt (*g*), ea hodie neminem temere mouerint. Et tamen mendoſum hunc locum eſſe exiſtimat PANCIROLVS, partim quod LABEO non expreſſerit amphorarum, quae naui importatae ſint, numerum,

(*a*) *Lib. II. Theſaur. var. lect. cap.* 32.
(*b*) *Annal. Lib. XII. cap.* 64.
(*c*) TAC. *Annal. Lib. XIII. cap.* 19.
(*d*) *Lib. XII. Ann. cap.* 64.
(*e*) PLVTARCH. *in M. Antonio p.* 955.
(*f*) *Lib. II. Theſaur. var. lect. cap.* 34.
(*g*) ANT. AVGVSTIN. *Emend. Lib. III. cap.* 6. LVDOV. CHAROND. πιθανῶν *Lib. II. cap.* 5.

merum, partim, quod illud IBI non modo abundet, ſed et parum Latinum ſit, et ex recti ſermonis ratione potius ſcribendum fuerit: *et eo amphoras portaſti*: Itaque admodum argute ſuſpicatur, ſcriptum olim per notas fuiſſe IAI. id eſt, mille quingentas, vel quinquaginta, ex eoque numero librarium ſuum iſtud IBI formaſſe. Sed ſi dicendum, quod res eſt, rem non adeo magnam attuliſſe hic videtur vir doctiſſimus. Primo enim hic non opus erat, definire amphorarum naui impoſitarum numerum, ſiue enim mille quingentas, ſiue centum, ſiue tres amphoras in nauem intuliſſet conductor, eadem deciſionis manebat ratio, nempe pro duobus millibus pretium deberi. Recte ergo et prudenter numerum omiſit LABEO, quippe ad deciſionem nihil quidquam facientem, ſcripſitque. *Si conduxiſti nauem amphorarum duorum millium, et ibi amphoras* (quotcumque pauciores) *portaſti, pro duobus millibus amphorarum pretium debes.* Deinde nemo dixerit, IBI hic abundare. Omiſſo enim aduerbio loci, plane aliud denotabat phraſis: *amphoras portare*, quippe quod baiulorum magis eſt, quam eorum, qui rerum inferendarum cauſſa naues conduxerunt. Denique facile quidem largior, *ibi* ſi accurate quis velit loqui, non locum, in quem aliquid defertur, ſed in quo aliquid ſitum eſt, denotare: ſed veteres tamen eo aliquando vſos eſſe pro *eo*, ex ipſo iure noſtro tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Cui enim ignota CAII noſtri: (*a*) *Et quum* IBI *venerimus, euidentiorem praeſtant intellectum*: itemque illa IVSTINIANI (*b*): *Vel procuratores eorum* IBI *deſtinare*. Et ſane ſi veteres promiſcue dixerunt *irrumpere in aedes*, et *in aedibus* (*c*), *pergere in aedes*, et *in aedibus* (*d*), *in hoſtium poteſtatem* et *in hoſtium poteſtate peruenire* (*e*), *ſub iugum* et *ſub iugo mittere* (*f*): ſi et aduerbiis loci EO et ILLO ſaepe vſi ſunt pro IBI (*g*), quidni et *ibi* pro *eo* vti licuiſſet vel LABEONI vel PAVLLO? Quare ne ea quidem PANCIROLI coniectura videtur admodum magni momenti eſſe, praeſertim quum violentum ſit κρίσεως genus, ad notas confugere, eaſque fingere pro lubitu, vt ex iis deinde, quidquid in mentem venit, refingere poſſis (*h*). Hinc merito mea facio verba Ampliſſimi BYNKERSHOEKII (*i*). *Non placent mihi*

(*a*) L. 1. *fin. D. de orig. iur.*
(*b*) L. 18. *C. de fid. inſtrum.*
(*c*) PLAVT. *Amphitr. Act. IIII. Scen. III. v.* 14.
(*d*) *Id. ibid. v.* 18.
(*e*) L. 12. *D. qui teſt. fac. poſſ.*
(*f*) LIV. *Lib. III. cap.* 28.
(*g*) L. 23. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adult. l.* 7. *fin. D. de annuis leg.*
(*h*) CORN. VAN BYNCKERSH. *Lib. I. Obſeru. Cap.* 23.
(*i*) *Obſeru. Lib. VII. cap.* 21.

mihi illa ſignandi notandi arcana, quae nec Tribonianus, nec quiſquam hominum, intellexerit. Quare et hic valeat cum ſignatoribus auſpex. Paullo melioris notae eſt iuriſconſulti noſtri emendatiuncula *legis penult. D. de re militari*, vbi recte monet, quod et alii viderunt, pro *impendiis expungitur* legendum eſſe *ſtipendiis expungitur* (*a*); quia id et ſenſus poſtulat, et ſimilis PAVLLI locus (*b*), in quo deſertor itidem dicitur medii temporis ſtipendium amittere, ſi in militiam reſtituatur. At dum in *eadem lege* refingenda exiſtimat verba: *temporis quod in deſertione fuerit*, reſcribendumque eſſe contendit, *temporis*, *quo in deſertione fuerit*, fluctus mouere videtur in ſimpulo. Nam diu eſt, quod monuere Grammatici, nomina et pronomina, quibus temporis exprimitur duratio, modo in accuſatiuo, modo in ablatiuo caſu poni [*c*], adeoque non magis barbarum eſt illud TARVNTENI: *Tempus, quod in deſertione fuerit*, quam illa CICERONIS [*d*]. *Fuimus vna fortaſſe duas horas*, vel VIRGILII [*e*]:

Hic tamen hanc mecum poteris requieſcere noctem.

vti hic verſus in optimis codicibus legitur. Sed haec quidem de primo interpretandi genere, quod in emendatione legum conſiſtit, dicta ſufficiant.

Proximum eſt alterum, quod in comparandis fragmentis, ex vno eodemque libro veteris cuiuſdam iuriſconſulti decerptis poſitum eſſe, diximus. Eo quoque ſubſidio non inſcite aliquando vſum video BARTHOL. CHESIVM, quum contra PANCIROLVS illud nuſquam, quod ſciam, adhibuerit. Explicaturus enim CHESIVS [*f*] *l.* 1. *D. de acceptil.* vbi MODESTINO *acceptilatio eſt liberatio per mutuam interrogationem, qua vtriuſque ab eodem nexu contingit abſolutio*: primum recte obſeruat, duo eſſe, quae in hac definitione vix intelligantur: primum, cur mutua requiratur interrogatio, quum ea ſit acceptilationis indoles, vt ſolus promiſſor interroget, et reſpondeat ſtipulator? deinde, quomodo vtriuſque poſſit contingere ab eodem nexu liberatio, quum vnus tantum obligetur? Et ſane quamuis priori dubio ſatisfieri poſſit, ſi MODESTINVM non acceptilationem generatim, ſed in ſpecie ſtipulationem Aquillianam, definire voluiſſe, dicamus: nondum tamen, quo pacto et hac ſtipulatione vterque ab eodem nexu liberetur, intelligimus, niſi

(*a*) *Lib. I. Theſ. var. lect. cap.* 146.
(*b*) *l.* 10. §. 1. *D. de re milit.*
(*c*) VOSS. *art. gramm. Lib.* VII. *cap.* 44. *p.* 425. *Tom. II. Oper.*
(*d*) *Lib.* VII. *ad Attic. Epiſt.* 4.
(*e*) *Eclog.* I. *v.* 80.
(*f*) *Lib. I. Interp. cap.* 47.

niſi cum HOTOMANO [*a*] mutuos debitores fingamus, quorum vnus e. g. alteri ex mutuo, hic illi rurſum ex teſtamento aliquid debeat, et ponamus, illos ſe inuicem per acceptilationem liberare velle. Quamuis et eo caſu vix ſuſpicari liceat, cur tantis ambagibus vti velint illi mutui debitores, quum vterque ab altero conuentus ſaltim exceptione compenſationis tutus fuerit. At nodum feliciter ſoluit CHESIVS. Ait enim [*b*]: *Omiſſis doctorum interpretationibus, obſeruandum eſt, hanc legem deſumtam eſſe a Modeſtino lib. II. Regularum, vt oſtendit inſcriptio, in quo libro de duobus reis agebat Modeſtinus, vt probatur ex l. 1. D. de duob. reis, quae ſimiliter a Modeſtino Lib. II. Regul. deſumta eſt, in qua docet Modeſtinus, quis reus ſtipulandi, quis reus promittendi dicatur, vt intelligamus, eo in libro de duobus reis tractatum inſtituiſſe.* Eo poſito, ſe illi ſponte obtulit ſpecies. Teſtator duobus heredibus Titio et Maeuio in ſolidum iniunxerat, vt Seio darent. Nam et teſtamento duos reos conſtitui, indubii iuris eſt [*c*] idque factum cenſetur, quoties teſtator ita legauerit: L. TITIVS HERES MEVS AVT MAEVIVS, HERES MEVS DECEM SEIO DATO [*d*]. Iam vterque Seio obligatus eſt in ſolidum per aditionem hereditatis. Finge, velle legatarium illos per acceptilationem liberare: opus erit ſtipulatione Aquilliana, adeoque legatarius primum interrogabit vtrumque heredem, an, quod ſibi ex teſtamento debeant, ſpondeant? Vbi congrue vterque reſpondit: vterque porro interrogabit, an quod ipſi ſpoponderint, legatarius habeat acceptum? eumque reſpondere oportebit, ſe acceptum habere. Et ſic ſane habemus *liberationem per mutuam interrogationem*: et ſimul intelligimus, quo pacto per illam *vtriuſque* rei *contingat ab eodem nexu* liberatio, puta ab obligatione ad praeſtandum idem legatum, *abſolutio*. Et haec ſane elegans obſeruatiuncula, quam ſe praeceptori ſuo, NICOLAO BONAPARTE, Miniatenſi, debere, grato animo agnoſcit, et quae Cuiacianum ſapit acumen, vt facile fidem habeamus CHESIO, hunc praeceptorem ſuum CVIACII ſcripta diurna nocturnaque manu per omnem vitam verſaſſe, adfirmanti [*e*].

Quemadmodum vero hac in re PANCIROLVM acumine ſuperauit CHESIVS: ita hunc ille antiquitatis cognitione, quam tamquam tertium in interprete praeſidium requirebamus, longo poſt ſe interuallo reliquit.

(*a*) *Obſeru. Lib.* III. *cap.* XVIII. *p.* 91. *Tom.* I. *Oper.*
[*b*] *Ibid. n.* 5.
[*c*] *l.* 9. *pr. D. de duob. reis.*
[*d*] *l.* 8. §. 1. *D. de legat.* 1.
[*e*] *Ibid. n.* 11.

quit. In Cheſio mediocris fuiſſe videtur talium rerum ſcientia, quum numquam fere illum in haec vireta excurrere videamus, niſi quod aliquando ius vetus cum Iuſtinianeo contendat, vix alium tamen ſequutus auctorem, quam Vlpianvm, cuius ex fragmentis paſſim teſtimonia depromit. Procul dubio ipſi vel ocium, vel occaſio, vel voluntas veteres euoluendi ſcriptores iuueni defuit, idque adoleſcentiae vitium emendare non potuit, tot forenſibus ac ſcholaſticis occupationibus diſtractus. At Panciroli per omne veterum ſcriptorum monimentorumque genus viuidam circumtulerat indolem, eaque omnia incredibili ſtudio collegerat, quae ad illuſtrandum ius pertinere videbantur. Hinc totus *liber I. Theſauri variarum lectionum* iis refertus eſt obſeruationibus, quae ſelectas ad antiquitates pertinent. Exponit ibi variarum dignitatum titulos et inſignia [*a*], veterumque inſtrumentorum formam [*b*]: erudite diſſerit de argentariis [*c*], de honoratis per codicillos, de ordine iudiciorum, edicto perpetuo, iudiciis centumuiralibus, pragmatica ſanctione, elogio, forma actorum, legitimae portionis origine, nauigationibus, reorum cuſtodia, itemque de ſpecularibus, lapide milliarii, ſignis et ſigillis, nominibus et officiis ſeruorum, porro de ludis veterum [*d*], de domibus, inſulis, baſilicis, horreis, balneis et mymphaeis, porticibus, campo Martio, hortis Salluſtianis, geſtationibus, deambulationibus, vehiculis aliiſque corporis exercitationibus [*e*]. Habes praeterea ibi, quae legere velis de variis veterum vaſis [*f*], menſuris, ponderibus, pecuniaeque generibus [*g*], de quibusdam veterum ritibus in iure, de oſculo, de locatione in quinquennium, et menſe, quo praedia locari conſueuerint. [*h*]. Denique vt ſe in antiquitatibus eccleſiaſticis, litterariis, et patriis non minus, quam in Graecis et Romanis, verſatiſſimum eſſe, oſtenderet, quaedam adſpergit de archimandritis, diaconiſſis, anathemate, purgationis canonicae, nominumque Praepoſitorum, Acoluthorum, primiceriorum, archidiaconorum, oeconomorum et dioeceſium, origine [*i*]: de hiſtoria et aetate veterum iuriſconſultorum, et quae illi a philoſophis ſumſerint [*k*]: denique de comitibus palatinis, paribus curiae, valuaſoribus, pace Conſtantiae, feudorum hiſtoria, carrocio, et ſimilibus [*l*]. Nec primo illo libro ita exhauſerat inſignes

Zz 2 illos

[*a*] *Theſaur. var. lect. Lib. I. cap.* 1. *ad* 25.
[*b*] *Ibid. cap.* 26. *ſequ.*
[*c*] *Ibid. cap.* 31. *ſequ.*
[*d*] *Ibid. cap.* 46. *ad cap.* 48.
[*e*] *Ibid. a cap.* 49. *ad cap.* 57.
[*f*] *Ibid. a cap.* 58. *ad* 63.
[*g*] *Ibid. cap.* 64. *ſequ.*
[*h*] *Ibid. cap.* 179. *et ſequ.*
[*i*] *Ibid. cap.* 81. *et ſequ. ad cap.* 87.
[*k*] *Ibid. cap.* 79. *et ſequ.*
[*l*] *Ibid. cap.* 88. *et ſeq.*

illos variae eruditionis theſauros, vt non et in altero, quo varias Leges Pandectes et Codicis interpretatur, plures eius generis plena manu ſerere poſſet. Nullum enim fere textum ibi interpretatur, ad cuius illuſtrationem non aliquid ex antiquitate vel hiſtoria depromat, fontibus, ex quibus ſua hauſerit, ingenue vbique indicatis. Non opus eſt hic, ſpecimina dare. Quacumque enim circumtuleris oculos, reperies, quae placeant, quaeque te, quod antea ignoraueras, doceant, vt, lecto eo opere, iure de PANCIROLO dicere liceat, quod olim de T. Ariſtone ſcripſit PLINIVS [a]: *Quam peritus ille et priuati iuris, et publici? quantum rerum? quantum exemplorum? quantum antiquitatis tenet? Nihil eſt, quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mihi certe, quoties quid abditum quaero, ille* THESAVRVS *eſt.* Eſt tamen vbi ipſe procul dubio vertiſſet ſtilum, ſi pulcherrimo huic operi, antequam in lucem ederetur, limam admouere potuiſſet: ſunt enim quae minus accurate ab eo dicta ſunt. Quod vt exemplis quibuſdam illuſtremus, inter ſelectiores eius obſeruationes haud poſtrema eſt, quam binis huius Theſauri locis [b] propoſuit, puta, quod Procoſſ. quidem, at non aeque reliquos Praeſides, ius praetorium habuiſſe in prouinciis ſuis, exiſtimat. Quod vt ne temere ſcribere videatur, varia eius rei argumenta profert. Primo enim obſeruat, non potuiſſe Praeſides de cauſis ſtatus cognoſcere, quod potuerint tamen Proconſules [c]: cuius diſcriminis non aliam poſſe reddi rationem exiſtimat, quam quod Praeſides expertes fuerint iuris praetorii. Deinde PLINIVM [d] ait, ſcribere ad Traianum, eſſe in prouincia ſua, *qui poſtulent, vt de agnoſcendis liberis, reſtituendiſque natalibus cognoſcat, exemplo Proconſulum. Quum vero SCtum ad cauſſarum genera pertinens, de iis tantum prouinciis loquatur, quibus Proconſules praeſint, ideo ſe rem integram diſtuliſſe.* Quod non ſcripturum fuiſſe exiſtimat PLINIVM, ſi Praeſides aeque, ac Proconſules, ius praetorium habere, ſibi perſuaſiſſet. Denique addit teſtimonium VOPISCI [e], qui Probum Imperatorem demum patribus permiſiſſe, ſcribit, *vt Proconſules crearent, legatos Conſulibus*, IVS PRAETORIVM *Praeſidibus darent.* Ex quo conſequi putat, vt Praeſides ius illud non habuerint ante Probi tempora, quum eo ſemper vſi ſint Proconſules. Sed haec procul dubio expunxiſſet PANCIROLVS, ſi rem expendiſſet paullo accuratius. Praeterquam enim, quod PROCVLVS et MARCIA-

NVS

[a] *Lib. I. Epiſt.* 22.

[b] *Lib. I. cap.* 34. *et Lib.* III. *cap.* 17.

[c] *l.* 1. *C. de ord. iudic.*

[d] *Lib. X. Epiſt.* 77.

[e] *Vit. Probi cap.* 13.

NVS [*a*] *eum, qui prouinciae praeeſt, omnium Romae magiſtratuum vice et officio fungi debere, omniaque prouincialium deſideria, quae Romae varios iudices habent, ad officium Praeſidum pertinere, monent.:* apud TACITVM [*b*] Domitius Celer diſerte ait: *Piſonem, non Sentium Syriae praepoſitum, huic faſces, et* IVS PRAETORIS *et legiones datas.* Et tamen ille Cn. Piſo non Procoſ. ſed Legatus Aug. pro Praetore; neque Syria iis temporibus ſenatus, ſed Caeſaris erat prouincia, ceu accurate demonſtrauit HENR. NORISIVS [*c*]. Deinde ſi Praefectis Auguſtalibus Aegypti, licet non eſſent Proconſules, imperium tamen ad ſimilitudinem Procoſſ. lege datum eſt [*d*], iique in hac prouincia, teſte STRABONE [*e*], *τὴν βασιλέως τάξιν*, *regium paene imperium* habuerunt: cur minus poteſtatis conceſſum eſſe crederemus Praeſidibus? Accedit, quod haec ipſa differentia fuiſſe videatur Praeſidum et Procuratorum Caeſaris, quod illi, non hi, iure Praetorio in prouinciis vterentur. Auctores enim ſunt TACITVS [*f*] et DIO CASSIVS [*g*] poenas ideo dediſſe Lucillium Capitonem, Aſiae Procuratorem, quod ſibi ius praetorium adrogaſſet. Hi ergo ſoli carebant iure praetorio, niſi vice Praeſidum praeeſſent prouinciis, de quibus procuratoribus fuſius egit V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK [*h*]. Argumentis PANCIROLI parum ineſſe ponderis, nemo non videt. Non enim ſequitur, vt ideo iure praetoris caruerint Praeſides, quod non de omnibus cauſſis poſſent cognoſcere, de quibus cognoſcebant Proconſules. Quum enim vice Principum praeeſſent, quid mirum, ſi hi cauſſas quaſdam ſuae notioni ſepoſuerint? Talis erat reſtitutio natalium, a ſolo Principe impetranda [*i*]. An et cauſſa liberalis? Non puto. De iis enim Praeſidis notionem agnoſcere videntur ipſae leges [*k*], quas iam pridem adduxerunt EM. MERILLIVS [*l*] et MARC. LYCLAMA [*m*], quibus vero nos eo minus immoramur, quo minus ea cognitio pertinet ad ius praetorium, quippe quod ſaluum eſſe potuit Praeſidibus, ſi vel maxime de cauſſis iſtis notionem nullam habuerint. Denique et VOPISCI locus, in quo PANCIROLVS omnem fiduciam videtur col-

 lo-

[*a*] *l. 11. l. 12. D. de offic. Praeſ.*
[*b*] *Annal. Lib.* II. *cap. 77.*
[*c*] *Cenotaph. Piſan. Diſſ.* II. *cap. 16. §. 13. p. 329.*
[*d*] *l. 1. D. de offic. praef. Aug.*
[*e*] *Libro XVII. p. 1147. edit. nou.*
[*f*] *Annal. Lib. IIII. cap. 15.*
[*g*] *Lib. XVII. p. 619.*
[*h*] *Obſeru. Lib. I. cap. 21.*
[*i*] *l. 1. D. de reſtit. natal.*
[*k*] *l. 4. D. de ingen. manum. l. 1. C. de ord. cognit. l. pen. et vlt. C. vbi cauſſ. ſtat. l. pen. C. ne de ſtatu defunct.*
[*l*] *Variant.* Cuiac. *Lib. II. cap. 1.*
[*m*] *Membran. Lib. I. eclog. 16.*

locaſſe, nihil omnino ad rem facit. Quae enim ibi Probus Imp. dicitur inſtituiſſe, ea pleraque non noua ſunt, ſed ab ipſis Auguſti temporibus inualuerant. *Permiſit patribus, vt Proconſules crearent*: ſed idem iis iam Auguſtus permiſerat. *Permiſit legatos Proconſulibus*: ſed et illos hi ſemper habuerant. Quaedam ergo iura Probus reſtituit ſenatui, quibus ſub anterioribus principibus exciderant, et, vt tanto magis ciuilis videretur, id addidit, *vt Patres ius Praetorium Praeſidibus darent*, non quod illud antea non habuiſſent, ſed quod hoc ius, quod antea a principibus dari ſolebat, in poſterum a ſenatu illis concedi, vel ſaltim SCto firmari vellet. Poſſem omnino plura a PANCIROLO ſcripta, hic paullo accuratius expendere, niſi ſubinde admoneret promiſſae breuitatis fides, quanto omnia tranſcurſu dicenda ſint. Quamobrem quaedam tantum attingam magis, quam multis verbis exponam. Illuſtraturus PANCIROLVS [*a*] *l. pen. D. de annuis leg.* in qua Chryſanthiani certaminis fit mentio, illud in honorem ciuis ſui, Chryſanthii philoſophi, a Sardianis inſtitutum eſſe, ſuſpicatur. Sed potuiſſet non errare, ſi vel ipſam, quam interpretatur, legem ob oculos habuiſſet. Quum enim iam Seueri et Antonini temporibus id certamen fuerit celebratum: quomodo illud poteſt inſtitutum eſſe in honorem Chryſanthii, qui inſequente demum ſaeculo ſub Iuliano τῷ παραβάτῃ vixit (*b*)? Praeſtiterit ergo de eo certamine euoluere CVIACIVM (*c*) et THOMAM REINESIVM (*d*), qui, illud certamen iam ſub Commodo memorari, erudite oſtendit. Notatu digniſſimum porro eſt illud huius Theſauri caput (*e*), in quo veterum iuriſconſultorum, quos in Codice laudari exiſtimat, recenſum bene longum inſtituit: ſed in eo ſaepe errat, dum eorumdem nominum homines, nulla temporum habita ratione, pro iuriſconſultis illis veteribus lectori obtrudit. Quotuſquiſque ignorat, ALBVRNIVM VALENTEM fuiſſe IVLIANO σύγχρονον, quum alter alterius diſerte meminerit (*f*)? Quis ignorat, eum in Antonini Pii conſilio fuiſſe (*g*)? Et tamen cum animaduerteret vir doctus, Seuerum et Antoninum *l. 3. C. de edendo*, VALENTI cuidam reſcripſiſſe, eum non alium eſſe putauit, ac noſtrum ALBVRNIVM, quum a primo Antonini Pii anno ad annum Chriſti CCIII. quo hoc reſcriptum editum eſt, LVI. anni circumacti ſint, adeoque ſi fingamus, Alburnium,

(*a*) *Lib. II. cap.* 83.
(*b*) EVNAP. *in vita Chryſanthii.*
(*c*) *Obſeru. Lib.* XXIII. *cap.* 7.
(*d*) *Var. Lect. Lib. I. cap.* 11.
(*e*) *Lib. I. cap.* 84.
(*f*) *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur. l.* 3. *D. de min.*
(*g*) IVL. CAPITOL. *in Antonin. Pio cap.* 12.

nium, quum in Antonini Pii conſilio eſſe coepiſſet, ſaltim quadraginta annorum aetatem attigiſſe, illum tum nonaginta ſex annorum ſilicernium fuiſſe oporteret. Sed et, quum Alexander Seuerus Imp. *l. 2. C. de magiſtrat. conuen.* Paterno cuidam reſcribat, eum TARVNTEIVM PATERNVM, iuriſconſultum eſſe, contendit, parum memor, hunc multo ante ſub Commodo Imperatore periiſſe (*a*). Quid porro minus veroſimile, quam eumdem Alexandrum Imp. reſcripſiſſe FLAVIO RESPECTO (*b*), quem Celſum conſuluiſſe nouimus (*c*)? vel eumdem et Gordianum litteras dediſſe ad PROCVLVM iuriſconſultum (*d*), qui anno erae Chriſtianae XXXIII. Neruae in ſchola ſucceſſit (*e*), a quo tempore ad annum CCXXXXV. quo Gordianus Proculo cuidam reſcripſit, ducentorum et duodecim annorum interuallum eſt? ſimilis eſt error, quod AFRICANO iuriſconſulto Gordianus epiſtolam tranſmiſerit (*f*): neque enim patitur vitae humanae breuitas, vt iuriſconſultum illum Iuliano σύγχρονον, ad annum Chriſti CCXXXVIIII. vixiſſe credamus. Talia paſſim in hoc Theſauro occurrunt, quae argumento eſſe poſſunt, PANCIROLVM hunc librum pro aduerſariis habuiſſe, in quae, quidquid uſquam memorabile legerat, referret, expoliturus eâ, et ſeueriorem adhibiturus limam, ſi nactus aliquando eſſet ocium. Quum vero illo numquam abundarit, inemendatae iacuiſſe videntur illae chartae, donec a cognato aliquo, lucellum fortaſſis inde ſperante, immaturae in lucem protraherentur. Hos tamen ſimilesque naeuos ſexcentis aliis, iiſque elegantiſſimis, obſeruationibus penſari neminem inficiaturum, arbitramur.

Quod attinet ad accuratiorem Graecae Latinaeque linguae notitiam, quam ipſam quoque ab interpretatione legum minime ſeiungendam eſſe, monuimus: eam etiam laudem vereor, vt BARTHOL. CHESIO poſſimus tribuere, qui nec elegantiam aliquam ſtili vſquam prodidit, nec in exponendis veterum iuriſconſultorum verbis multum deſudauit. Sicubi etiam aliquid audet, plerumque vel vulgaria profert, vel talia, quae linguae Latinae indoli parum conuenire fatebuntur omnes, qui eius ſunt paullo peritiores. Vt ſpecimen habeas talium obſeruationum: en interpretationem *legis 24. D. de ſtatu hom.* ex mea

(*a*) LAMPRID. *in Commodo, cap. 4. Excerpta Peireſc. p. 725.*

(*b*) *l. 5. C. de quaeſt.*

(*c*) *l. 3. §. 1. D. de minor.*

(*d*) *l. 9. C. de adult. l. 7. C. de accuſat.*

(*e*) *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur. iuncto* TACITO *Annal. Lib. VI. cap. 26.*

(*f*) *l. 11. C. de op. libert.*

mea quidem ſententia intellectu facillimae (a). Ait VLPIANVS: *Lex naturae haec eſt, vt qui naſcitur, ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur, niſi lex ſpecialis aliud inducit.* Legem naturae hic aliter accipere VLPIANVM, ac alibi, vbi illam diſtinguit a iure gentium, et hominibus cum brutis communem eſſe tradit, manifeſtum eſt. Per eam enim procul dubio intelligit rectam rationem, cui quidquid conuenit, ac proinde a pleriſque cultioribus gentibus probatur, id veteres NATVRALE IVS NATVRAE, LEGEM NATVRAE vocabant, quamuis non ſtatim in rerum primordiis a natura proditum, ſed vſu exigente et humanis neceſſitatibus eſſet introductum. Sic quarumdam rerum dominium nanciſcimur *iure naturali* (b), quum dominia rerum non a natura, ſed ab hominibus, ipſa neceſſitate exigente, inuecta ſint: eodemque ſenſu agni, hoedi, vituli, equuli et ſuculi ſtatim *naturali iure* domini fructuarii eſſe dicuntur (c). Ita lege naturali prohibitum eſt furtum facere (d): *naturali ratione* cibaria ad eum pertinent, qui utendum ſeruum acceperit (e): ſi arbor, quae in confinio nata eſt, ſuccisa ſit, vel lapis, qui per vtrumque fundum extenditur, exemtus, *naturali* conuenit *rationi*, tantam partem vtrumque habere, tam in lapide, quam in arbore, quantam et in terra habebat (f). Quae omnia ſi quis ex iure illo, quod ex VLPIANI ſententia, natura omnia animalia docuit, deriuare vellet, nae is mihi littus arare velle videretur. Eadem ergo eſt legis naturae notio, qua in *lege illa* 24. *D. de ſtatu hominum* vtitur VLPIANVS. Quid vero CHESIVS? Quum non poſſet oſtendere, cur lege naturae extra legitimum matrimonium nati matrem ſequantur, quum natura omnes naſcantur aequales, quaeque lex ſpecialis opponatur legi naturae: expenſis omnibus, quae huc facere videbantur, ſubductiſque rationibus hanc ſummam facit cogitationum ſuarum: *Ego ea verba* LEX NATVRAE *ita explico, id eſt, legem, quae ſuper natalibus in naſcendo ſeruatur. Illa talis eſt, vt natus ſine matrimonio matrem ſequatur. Non quod ius naturae eam legem conſtituat, ſed quod lex illa ſuper natalibus ſit recepta, ideo lex naturae vocatur. Sicuti illud verbum accipitur in l.* 195. *§. familiae* 2. *D. de verb. ſignific.* Ita *lex naturae* illi eſt lex naſcendi, lex natiuitatis, lex ſuper natalibus. Acute profecto, modo vllum huius notionis apud veteres exſta-

(a) *Lib. I. Interpr. cap.* 27. *n.* 10.
(b) §. 11. *Inſt. de rer. diuiſ.*
(c) §. 37. *Inſt. eod.*
(d) *l.* 1. §. *vlt. D. de furt.*
(e) *l.* 18. §. 2. *D. commod.*
(f) *l.* 83. *D. pro ſocio.*

exſtaret exemplum. Id vero merito deſidero, quamuis CHESIVS lectorem ad *l.* 195. §. 2. *D. de verb. ſignif.* remittat. Dum enim VLPIANVS eo loco ait, *iure proprio familiam dici plures perſonas, quae ſunt ſub vnius poteſtate* NATVRA *aut* IVRE *ſubiectae.* NATVRA ipſi non eſt naſcendi ſors, ſed *ius* naturae, quod liberos in parentum poteſtate eſſe iubet (*a*); per IVS autem intelligit ius ciuile, quod ſtrictius IVS dici, iam PAVLVS obſeruauit (*b*), ex cuius praeſcripto poteſtati patrisfamilias ſubiectae erant matresfamilias, nepotes, et ceterae deinceps perſonae. Quare non admodum ſolidae doctaeque ſunt eius generis obſeruationes, quas CHESIO debemus, quamuis eae ſatis oſtendant, non defuiſſe viro optimo ingenium, illumque potuiſſe ad id, quod in hac arte ſummum eſt, peruenire, ſi cum iuriſprudentia coniunxiſſet humaniores litteras, maioremque ſibi linguae vtriuſque cognitionem, euolutis veteris aeui monimentis, comparaſſet. Multo fertilius ergo fuit PANCIROLI ingenium, quod ita ubique immiſcet obſeruationes philologicas: ita ubique ſpargit flores, ut pauca ſint huius theſauri capita, in quibus non aliquid, quod ad interiores litteras pertinet, proferat, iique, qui illa legunt, non poſſint non mirari rerum varietatem et copiam, ingeniumque doctiſſimi auctoris ſimile exiſtimare agrorum Siculorum, ex quibus

Aeſtiua quantum decerpunt nocte capellae,
Tantum foecundus gelida ros nocte reponit.

Ne et hic deſint ſpecimina: quam docte agit de vocabulo *numerus*, quatenus de certis militibus accipitur (*c*)? Quam eleganter de *caliga, caligatiſque militibus*, de *principiis* ſimilibuſque vocabulis ad veterem militiam pertinentibus, differit (*d*)? quam vtilis eſt collectio vocabulorum inferioris aeui, quae in iure noſtro occurrunt (*e*)? quam praeclara interpretatio vocabulorum, quibus vina aliaque potuum genera, vaſa et ſuppellectilem, veſtes, ſimiliaque veteres deſignabant (*f*)? Vix vocabulum aliquod ſiue Graecum, ſiue Latinum in lege aliqua, quam illuſtrandam ſibi ſumit, legitur, quod non eleganter, ac ſolide, adhibitis in conſilium veteribus auctoribus, explicet.

 Quando-

(*a*) *l.* 220. §. 3. *D. de verb. ſign.*
(*b*) *l.* 11. *D. de iuſt. et iur.*
(*c*) *Lib. I. cap.* 74.
(*d*) *Ib. cap.* 74.
(*e*) *Ib. cap.* 77.
(*f*) *Lib. II. cap.* 95. *ſequ.*

Quandoquidem tamen et hic quaedam ita ſunt obſcura et abdita, vt aegre et ab eruditiſſimis viris intelligantur: non mirum eſt, hac quoque in re non vbique omnibus ſatisfacere PANCIROLVM, quaedam vero, ab eo expoſita, aliter poſtea multoque rectius eſſe ab aliis explicata. Non infructuoſum futurum ſpero, quaedam et eius generis hic exſtare exempla. In capite illo, quo eum variorum vocabulorum inferioris Latinitatis recenſum dare, monuimus (*a*), inter alia obſeruat, CASTRENSIANOS in *l. 4. C. de caſtrenſ. Lib. XII.* dictos, qui in menſa principi miniſtrarint. At latius patuiſſe huius vocabuli notionem, omneſque, qui numquam a principis latere diſcedebant, eumque quocumque proficiſcentem comitabantur, *caſtrenſium* vel *caſtrenſianorum* nomine veniſſe, vti fullones, pictores, veſtitores vel veſtiarios, pincernas, coquos, balneatores et ceteros, ſolide admodum ac erudite docuit SALMASIVS (*b*). EMBOLA, quod vocabulum *in l. 10. C. de ſacroſ. eccl.* occurrit, PANCIROLO noſtro eſt expeditio bellica: eaque in re ὁμόψηφον habet FRANC. HOTOMANVM (*c*). Sed nihil certius eſt, quam ἐμβολὴν eſſe quodcumque quo nauis oneratur (*d*), ſpeciatim autem ita dictam tranſuectionem ſpecierum publicarum ſeu fiſcalium, quae ideo *ſpecies embolicae*, vel apud VOPISCVM (*e*) *anabolicae* dicuntur, quia ſinonyma ſunt ἐμβάλλειν et ἀναβάλλειν, et vtrumque, obſeruante id SALMASIO, de oneratione nauis, prius tamen frequentius, vſurpatur. Sane alium ſenſum id vocabulum non admittit in *Nouella CLXIII. cap. 2. Nullo modo embola, hoc eſt, annua ſpecierum tranſmiſſione, vt in condito et ad militares ſumtus habeantur, deminuenda: nec in Edicto* IVSTINIANI *XIII. cap. 4.* vbi mentio fit τῆ τῆς αἰσίας ἐμβολῆς σίτε, *felicis ſolemniſque illationis frumenti*, itemque τε κάνονος τῆς αἰτῆς αἰσίας ἐμβολῆς, *canonis eiuſdem ſolemnis illationis.* GESTATIO quid ſit in legibus noſtris, recte expoſuit PANCIROLVS, in eo tamen falſus, quod id vocabulum inter ea, quae ſunt poſterioris aetatis, retulit, quum illo inter veteres SENECA, SVETONIVS, PLINIVS, frequenter vtantur. Multo ſelectiora etiam ſunt, quae de hac geſtatione, quam ad curam valetudinis pertinere exiſtimabant veteres, ſcripſit IVSTVS LIPSIVS (*f*). INDEFENSE *in l. 2. §. vlt. C. de conſt. pec.* noſter exponit *indiſtincte*, vel *nuda conuentione*: quo nihil ſcribere potuiſſet, quod a notione iſtius

(*a*) *Lib. I. cap. 77.*
(*b*) *Not. ad Hiſt. Aug. p. 225.*
(*c*) *Comment. ad l. 10. C. de SS. eccleſ.*
(*d*) SALMAS. *ad Hiſt. Aug. p. 386.*
(*e*) *In Aureliano cap. 45.*
(*f*) *Centur. Miſcell. Epiſt. XI. Centur.* III. *Epiſt.* II. *et Elect. Lib.* I. *cap.* 19.

iſtius aduerbii magis alienum eſſe videatur. Cur enim *indefenſe* fieri dicamus, quod indiſtincte ſit, vel nuda conuentione? Aut quid commune habent quae indiſtincte, et quae nuda conuentione fiunt? *Defendere* veteribus etiam, nedum cadentis Latinitatis ſcriptoribus, fuit prohibere vel vetare, quemadmodum et hodie Franci verbo ſuo *défendre* eandem notionem ſubiicere ſolent. Loca CLAVDII QVADRIGARII, veteris legis agrariae ſcriptoris apud GRVTERVM, VEGETII, ipſiuſque, vt quibuſdam videtur, CICERONIS, non adſcribo, quum eo labore iam functi ſint alii (*a*). Eo poſito, in lege illa *indefenſe* idem eſſe, ac *nemine prohibente*, manifeſtum eſt. Suſtulerat enim IVSTINIANVS actionem receptitiam, eamque in actionem de conſtituta pecunia tranſtulerat. Ne quis vero exiſtimaret, legem iſtam et ad illas conuentiones, quas ante hanc legem inierant argentarii, pertinere: Imperator ſuo more hanc ſubiicit clauſulam: *Iis videlicet, quae argenti diſtractores, et alii negotiatores*, INDEFENSE, (id eſt, nulla adhuc lege prohibente,) *conſtituerant, in ſua firmitate ſecundum morem adhuc obtinentem durantibus.* PARENTES *in l.* 12. *§.* 3. *D. de admin. et peric. tut.* PANCIROLVS accipi putat pro agnatis, quemadmodum et hodie Francis omnes propinqui *parens* vocantur. Sed hic etiam, ſi quid video, ſua opinione fallitur. Poteſt enim pupillus ſuperſtites habere matrem, auum, auias, alioſque maiores, qui omnes in iure parentum nomine veniunt, (*b*). quibuſque tutor ſolemnia munera mittere debet, prout id exigit pupilli ſui fortuna et exiſtimatio. Sunt et alia cum in vniuerſo PANCIROLI opere, tum in hoc capite animaduerſione digna, ſed quae, ne pro praefatione commentarium ſcribere videamur, merito praetermittimus.

Quintum boni legum interpretis praeſidium in accuratiore Stoicae philoſophiae cognitione conſiſtere diximus. At illud procul dubio vel non magni fecit, vel, ſi eius vtilitatem perſpexit, ſibi plane deeſſe obſeruauit CHESIVS. Nuſquam ſaltim eo, quod ſciam, vſus eſt, ſolis fere fingendis ſpeciebus intentus. Nec magis PANCIROLVM ea in re ingenium exercuiſſe, video, qui potius in eadem cum PAGAN. GAVDENTIO (*c*) haereſi fuiſſe, vetereſque iuriſconſultos magis ARISTOTELIS et PLATONIS, qui ſuo ſaeculo

(*a*) CAR. DV FRESNE *gloſſ. med. et inf. latin. Tomo* II. *p.* 1362. *edit. nou.*

(*b*) *l.* 4. §. *vlt. D. de in ius voc. l.* 51. *D. de verb. ſign. l.* 10. §. 7. *D. de grad. et adf.* FEST. *ſub parens.*

(*c*) *De philoſophia apud Romanos cap.* 43.

lo ſoli in ſapientum numero habebantur, quam ZENONIS ſectatoribus adnumeraſſe videtur. Sane enim vbi ex inſtituto ſe monſtraturum profitetur, *permulta veteres iuriſconſultos* a philoſophis et aliis ſumſiſſe (*a*), vbique fere illorum verba cum ARISTOTELIS, PLATONIS, et PHILONIS dictis comparat, nuſquam vero eos a Stoicis profeciſſe, obſeruat. Sed ſi illa induſtria, quam tot colligendis iuriſconſultorum locis, ex PLATONE et ARISTOTELE ex ſua ſententia ſumtis, id ſe conſequuturum ſperauit vir doctiſſimus, vt eos ARISTOTELEM vel PLATONEM ſectatos eſſe crederemus, magnopere profecto eum fugit ratio. Praeterquam enim, quod non adeo exploratum ſit, ſententias iſtas iuriſconſultorum ex illis fontibus promanaſſe, pleraeque ita communes ſunt ſectis philoſophorum omnibus, vt aeque facile apud Stoicos, quam apud ARISTOTELEM et PLATONEM, reperiantur.

Quod ſexto loco de ſpecie ſingularum legum inueſtiganda diximus; in eo mira fuit BARTH. CHESII ſollertia. Vbique enim id ſeruat inſtitutum, vt propoſitis aliorum ſententiis, ſtatim oſtendat, quibus illae difficultatibus premantur: hinc ſpeciem formet, ex eaque ſenſum legis, quo omnibus illis difficultatibus ſatisfieri poſſit, eliciat. Qui ordo admodum naturalis eſt, et permultum ad perſpicuitatem facit. Sed plerumque tamen et CHESIVS ſpeciem tantum fingit, non, comparatis inter ſe fragmentis reliquis, ex ipſa eorum ἀλληλεχίᾳ eruit. GVIDVS vero PANCIROLVS, verborum magis interpretationi, et hiſtoriae legum, quam illi ſpecierum inueſtigationi, intentus raro hic exercuit ingenium, niſi in quindecim capitibus, quibus leges quaſdam, quae ſibi aduerſari videntur, conciliare ſtuduit (*b*), quamuis nec iſte comparatione illa fragmentorum, a CVIACIO, GOTHOFREDO et GOEDDEO tam feliciter adhibita, vſus ſit.

Denique ex poſtremo interpretandi genere, quod in indaganda legum ratione poſitum eſſe vidimus, tanto vberiorem fructum cepit PANCIROLVS, quanto fuit in hiſtoria verſatior, quum contra CHESIVS, ab hoc praeſidio, ut dixi, deſtitutus, nihil in ea re praeſtiterit. At ne hic quidem ille vbique rem acu tetigit, multaque quae ad legis alicuius occaſionem pertinent, praeteruidit, quod vel

(*a*) *Lib. I. cap. 80.*
(*b*) *Lib. III. a cap. 2. ad cap. 16.*

vel vno exemplo iuuabit illuſtrare. Poſtremus libri vndecimi Codicis titulus agit *de cupreſſis ex luco Daphnenſi, vel Perſeis per Aegyptum non excidendis vel vendendis.* Vt rationem iſtarum ſanctionum reddat PANCIROLVS, (*a*) locum bene longum ex NICEPHORO (*b*) exſcribit, de amoenitate iſtius luci, de Daphnes fabula, de oraculo Apollinis Daphnaei, denique de Martyrio S. Babylae, eiuſque reliquiis, a Gallo Caeſare in eo luco ſepultis. Nec minus de perſea, arbore Aegyptiaca, alterum locum NICEPHORI, (*c*) in quo fabella de arbore iſta Chriſtum, quum in Aegyptum a parentibus transferretur, adorante narratur, eodem conſilio adducit. Sed ex iis locis nondum videtur addiſci poſſe, quae ſit earum legum ratio. Quod enim ad Daphnes lucum attinet, legis auctores, ARCADIVS et HONORIVS, vtpote Imperatores Chriſtiani, nec ſolius amoenitatis, nec oraculi Apollinis Daphnaei, quod iam pridem conticuerat, nec Babylae martyris cauſſa, cupreſſos excindi vetuiſſe, credibile eſt. At veram rationem oſtendit IAC. GOTHOFREDVS, (*d*) qui Imperatores in eo luco ſuburbano ſplendidum palatium habuiſſe, cuius amoenitati nihil decedere voluerint, luculenter oſtendit. Nec magis probabile eſt, quod et CAESARI COSTAE (*e*) in mentem veniſſe video, Imperatores ob illam Perſeam arborem, quae Chriſto tantum honorem habuiſſe dicitur, exciſionem omnium eius generis arborum tam ſeuera ſanctione prohibuiſſe. Nam ſi vel maxime, quod incredibile eſt, credere velimus NICEPHORO, arborem iſtam multis poſtea aegris medicinam attuliſſe, quibus vel feſtuca, vel folium eius adplicatum fuerit: nulla tamen erat ratio, quamobrem ideo a toto luco Perſeis in Aegypto arborem comparari prohibere vellent. Suffeciſſet, ipſam arborem tam ſalubrem ac prodigioſam ſanctione poenali muniri. Quare nihil ſupereſt, quam vt ipſam fructuum praeſtantiam et inſigne eorum pretium, de quo PLINIVS (*f*) teſtatur, Imperatores nouiſſe dicamus, vt nullum Perſidem vel Perſeam excidi vellent.

Sed tantum iam a nobis chartae abſumtum eſt, vt demum feriae calamo indicendae videantur. Vnuſquiſque, qui vel haec, quae diximus, expenderit paullo accuratius, facile intelliget, quam ſubtilis ſcriptor ſit CHESIVS, quam doctus PANCIROLVS: quantum in illo ſolidioris iuriſprudentiae, in hoc reconditae eruditionis fuerit; quanta

(*a*) *Lib.* II. *cap.* 158.
(*b*) *Hiſt. eccl. Lib. X. cap.* 28.
(*c*) *Hiſt. eccl. Lib. eod. cap.* 31.
(*d*) *Ad Cod. Theod. Tomo V. p.* 331.
(*e*) *Var. ambiguit. iur. cap.* 5. *p.* 1163. *Tomo* IIII. *Theſaur. iur.*
(*f*) *Hiſt. nat. Lib.* XV. *cap.* 13.

denique in vtriuſque ſcriptis ſit rerum ac obſeruationum vtiliſſimarum varietas. Quamuis ergo vir optimus atque integerrimus, qui eximia haec opera ſplendidiſſimo typo recuſa dedit, IO. VANDER LINDEN, iam pridem tam praeclare meritus ſit de vniuerſa iuriſprudentia, vt quoad maximorum in arte noſtra virorum durabit memoria, eius merita nulla obliteratura ſit obliuio: credo tamen, edito hoc volumine, tantam eum gratiam initurum a viris doctis, vt eum ob ſeruatos tot praeclaros reip. litterariae ciues, eorumque opera luci reddita, ſi non corona ciuica donaturi, at certe laudibus perpetuo ſint proſequuturi. Ego certe viro, mei amantiſſimo, et publice hic gratias, quas concipere poſſum, maximas ago, et Deum immortalem precor, vt ei extentum largiatur vitae ſpacium, quo et poſtremum IVRISPRVDENTIAE ROMANAE et ATTICAE volumen edere, et multis aliis, dignis eius praelo operibus, rempublicam litterariam ſibi poſſit demereri. Tu vero, LECTOR ERVDITISSIME, vale. Halae Magdeburgicae ipſis Nonis Sextilibus. MDCCXXXVIIII.

XXI.

DE IVRIS PRVDENTIA, DIVINARVM HVMANARVMQVE RERVM NOTITIA.

FAſtum haud mediocrem pleriſque ſemper redolere viſa eſt iuriſprudentiae definitio, quippe quam VLPIANVS *diuinarum humanarumque rerum notitiam, iuſti iniuſtique ſcientiam* eſſe, parum modeſte adfirmarit (*a*). Nec mirum profecto eſt, eam philoſophis potiſſimum mouiſſe bilem, et vel maxime conflaſſe aemulationem iſtam acerrimam, quae inter iuriſconſultos et philoſophos quam diutiſſime interceſſit. Tantum enim abeſt, vt hi eam laudem iuriſprudentiae cum diſciplinis ſuis communem eſſe fateantur, vt inuaſam eſſe conquerantur

(*a*) L. 10. §. 2. D. *de iuſt. et iur.*

tur poſſeſſionem ſuam, et tantum non interdicto, vel *vnde vi*, vel *vti poſſidetis* ſaltim, aduerſus iuriſconſultos experiantur. Et ſane, ſi dicendum, quod res eſt, tam antiquam eſſe animaduertimus philoſophorum poſſeſſionem, vt ipſa prope modum philoſophia hac definitione ſua non ſit antiquior, et, ex quo tempore illius ſtudium in Graecia feruere coepit, ſemper ea ſiue ſapientiae, ſiue philoſophiae, definitione vſi ſint philoſophi. Primus PYTHAGORAS, cui et pulcherrimum iſtud ipſius philoſophiae nomen debemus, ſapientiam, quam profitebatur, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων γνῶσιν, *diuinarum humanarumque rerum notitiam* eſſe, dicebat (*a*). Eamdem definitionem deinde et reliquos ſapientes cum ipſo philoſophiae nomine adoptaſſe, animaduertimus (*b*), eaque poſtea ita increbuit, vt philoſophia, et *rerum diuinarum humanarumque notitia*, pro iiſdem omnino acciperentur.

Neque exiſtimandum eſt, philoſophorum parum interfuiſſe, ſaluane ſibi eſſet tam honorificae definitionis poſſeſſio, an iuriſconſulti eam veluti ſimul poſſiderent. Ea enim illi freti, et tam late proferebant artis ſuae terminos, vt illam ne iiſdem quidem, quibus hoc vniuerſum, finibus circumſcriptam dicerent: et ſibi non hominum, ſed Deorum immortalium nomen atque honorem deberi, liquido demonſtrabant. Prius iam olim his verbis tradidit PERICTIONES, Pythagoricus, apud STOBAEVM (*c*); Σοφία περὶ πάντα τὰ γένη τῶν ἐόντων χολέεται. Οὕτως γὰρ ἔχει σοφία περὶ πάντα τὰ ἐόντα, ὡς ὄψις περὶ πάντα τὰ ὁρατὰ, καὶ ἀκοὰ περὶ πάντα ἀκουστά. *Sapientia circa omnia in vniuerſum, quae exiſtunt, eſt occupata. Ita enim ſapientia ſe habet circa omnia entia, quemadmodum viſus circa omnia viſibilia, et auditus circa omnia audibilia.* Et ne quis forte putaret, ad ea tantum, quae Senſibus percipimus, eam pertingere philoſophorum notitiam: PYTHAGORAS et PLATO ſolum Deum, eaque quae expertia ſint materiae, κυρίως ὄντα adpellabant (*d*), ac proinde in earum rerum contemplatione vel maxime verſari philoſophi ſtudium, naturalia vero non aliter, quam κατὰ τῶν ὑπὲρ φύσιν μετέχωσιν, *quatenus diuinis, et quae ſupra naturam*

(*a*) MICH. PSELL. *Comment. ad quinque voces, init.*

(*b*) CICERO *de Finib. Lib. II. cap.* 12. STRABO *Lib. I. Geograph. p.* 3. *edit. nouiſſ.* PHILO *de congreſſ. quaer. erud. grat. p.* 435. PLVTARCH. *de placit. philoſ. p.* 874. *Tom. I.* MAX. TYR. *Diſſert. Platon.* XVI. PACHYMER. *introd. ad philoſoph. cap.* 2.

(*c*) STOB. *Serm. Ethic. cap.* 1.

(*d*) IAMBLICH. *vit. Pythag. cap.* 29. NICOMACH. *Arithmet. cap.* 1. et ex recentioribus IAC. THOMAS. pereruditaDiſſert. *de Pythagorica philoſ. definitione.*

turam ſunt, participent, ad diſciplinam ſuam pertinere, adſeuerabant (*a*). Ac proinde philoſophiam non magis, quam ipſum Deum, finibus quibuſdam terminari contendebant.

Deinde, quum in mortalem vix cadere videretur tam prope infinita rerum diuinarum humanarumque rerum ſcientia: philoſophi, dum omnia noſſe ſibi viſi ſunt, ſe ipſos noſſe deſierunt, adeo, vt ſe, ad illud ſapientiae faſtigium enixos, non homines amplius, ſed Deo ſimiles, Deo pares, quin vere Deos eſſe, turpiter iactarent. Hinc illa Hieroclis (*b*): πρῶτον οὖν ἀγαθὸν δεῖ γένεσθαι, καὶ τότε θεόν. *Primum probum fieri decet, indeque Deum.* Qui auctor et alibi (*c*), finem vltimum philoſophiae eſſe τὸ θεοποιεῖσθαι, *Deum fieri*, diſerte adfirmat. Eodem in luto et alios, qui in Pythagorae verba non iurauerant, haerere videas. Nam et Simplicivs (*d*), finem, ad quem philoſophum contendere oporteat, eſſe ait, extremam illam ac perfectiſſimam felicitatem, quam adſequutos Aristoteles non homines, ſed Deos, appellandos eſſe cenſuerit. Et ſimilia fere apud Epictetvm (*e*), Senecam (*f*), ceteroſque familiarum paene omnium philoſophos (*g*), occurrunt, maxime tamen apud recentiores illos, qui philoſophiam quamdam ſublimiorem adfectantes, ad tantum diuinae iſtius virtutis vel ἀποθεώσεως gradum perueniſſe ſibi aliiſque videbantur, vt ſi Philostrati, Evnapii, Marini, aliorumque eiuſdem furfuris ſcriptorum elogia euolueris, non homines, ſed Deos, ab iis deſcribi, laudibuſque in caelum euehi, ſis exiſtimaturus. Vt alia praetermittamus eius ἀποθεώσεως exempla: cui, quaeſo ignotus eſt Apollonius iſte Tyanenſis, impoſtorum, quos vmquam ſol adſpexit, turpiſſimus? Is vero Philostrato (*h*) modò δαιμόνιός τε καὶ θεῖος, modo θεὸς, adpellatur, quippe qui ὑπὲρ πάντα τὰ ἐν γῇ ſuper omnia terreſtria cum ipſis Diis commercium habuerit (*i*), vt, ex Cyrilli (*k*), ſententia, id vnum egiſſe videatur rabidus iſte aduerſus Chriſtum canis, vt Apollonium ſuum, veluti Deum quemdam, venerabilem omnibus faceret, atque admirandum. Adeo philoſophis non modo perhonorifica, ſed et fertilis

(*a*) Simplic. *Commentar. de Praedicabil. init.*

(*b*) Hierocl. *in aur. Pythag. carm. praeſ. p.* 7.

(*c*) Idem *ad. verſ.* 69. *p.* 310.

(*d*) Simplic. *Comment. in Ariſtot. categor. prooem.*

(*e*) Arrian. *Diſſert. Epictet. Lib. II. cap.* 15.

(*f*) Seneca *Epiſt. XLVIII.*

(*g*) Scheffer. *de nat. et conſtit. philoſ. Ital. cap.* 7. *p.* 44. *ſequ.*

(*h*) Philostrat. *de vita Apollon. Tyan. Lib. I. cap.* 1. *p.* 4.

(*i*) Idem *Lib. VIII. cap.* 7.

(*k*) Cyrill. *adu. Iulian. Lib. III. p.* 88.

tilis fuit illa diſciplinae ſuae definitio, ob quam ſibi et infinitam ſapientiam, et naturam diuinam, atque ab omni labe ſeiunctam, vindicare iure videbantur.

Quae quum ita ſint, fieri profecto non potuit, quin homines illi, ſui pleniſſimi, grauiter ſuccenſerent VLPIANO, hanc ſapientiae definitionem, philoſophiae ereptam, iuriſprudentiae ſuae vindicanti: maxime, quum, eum diſciplinam ſuam tanto elogio multo digniorem, quam philoſophiam, iudicare, legerent, eique adeo periiſſe frontem animaduerterent, vt ſcribere non dubitaret (*a*): *Cuius iuſtitiae merito quis nos ſacerdotes adpellet. Iuſtitiam namque colimus, et boni et aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupientes,* VERAM, *niſi fallor,* PHILOSOPHIAM, *non* SIMVLATAM, *adfectantes.* Quid enim aliud hic agere dicas VLPIANVM, quam vt philoſophis *ſimulatam*; ſolis legum interpretibus *veram philoſophiam*, ac genuinam *rerum diuinarum humanarumque ſcientiam* tribuat? Quod ſane eo indignius facinus videri potuit philoſophis, quo certius ſibi conſtare exiſtimarunt, artem noſtram arctiſſimis circumſcriptam eſſe limitibus, eoſque, qui in illa conſeneſcant, non in diuinarum humanarumque rerum contemplatione, ſed in litibus, quae de ſtillicidiis, aqua pluuia arcenda, finibus regundis, ſimilibuſque cauſſis priuatis, oriri ſolent, componendis verſari. Quam quidem res tam leues diiudicandi facultatem ſi quis *rerum diuinarum humanarumque ſcientiam* dicendam exiſtimet, eum illi vix integrae mentis eſſe, arbitrabantur.

Quamobrem nemo, credo, mirabitur, tantum philoſophorum odium paullatim incurriſſe iuriſconſultos, vt eorum paene numquam ſine quadam indignationis atque inuidiae ſignificatione meminerint. At neſcio tamen, an quemdam ſibi magis infenſum habuerint, quam LIBANIVM, qui non ſolum in orationibus, pridem editis (*b*), frequentem nobiliſſimorum adoleſcentum ad Berytenſem ſcholam concurſum cor ſibi exedere, perſpicue oſtendit; ſed et in alia (*c*), a IO. ALB. FABRICIO (*d*) primum edita, perlongam ea de re querelam inſtituit. Non aliam enim cauſſam, cur vulgo βαρὺς, ſeu *moleſtus* adpelletur, comminiſci ſe poſſe, ait, quam quod miſeram temporum ſuorum conditionem aegrius

 ferre,

(*a*) *l.* 1. §. 1. *D. de orig. iur.*

(*b*) LIBAN. *Orat. XXVI.*

(*c*) LIBAN. *Orat. in eos, qui eum moleſtum adpellabant. cap.* 21.

(*d*) FABRIC. *Biblioth. Graec. Vol.* VII. *Lib.* V. *cap.* 9. *p.* 196.

ferre, et aliquando de ea conqueri ſoleat. Inter ea vero, quae efficiant, vt eum ipſius pene vitae poeniteat, nihil eſſe fatetur, quod maiorem ſibi adferat moleſtiam, quam quod artem ſuam ſophiſticam, id eſt, coniunctum cum philoſophia eloquentiae ſtudium, euileſcere, et iuriſprudentiae poſtponi animaduertat. Sed ipſa fortaſſis hominis bilioſi verba hic legere operae pretium fuerit: *εἰ δὲ δὴ*, inquit, *καὶ τἄλλα μὲ πάντα φίλον ἐποίει τοῖς παροῦσιν, οὐκ ἂν με καὶ μόνα τὰ περὶ λόγους εἰκότως ἐξεπολέμωσεν; Οἱ πάλαι μὲν ἤστραπον· νῦν δ' εἰσὶ σκοτεινοί. Καὶ πάλαι μὲν εἷλκον τὴν πανταχόθεν νεότητα, νῦν δ' οὐδὲν εἶναι κέκρινται· ἀλλ' οἱ μὲν ἐοικέναι δοκοῦσι πέτραις, εἰς ἃς ὁ σπείρων μαίνεται, προσαπολλὺς τὴν σπορὰν. Καρποὶ δ' ἑτέρωθεν ἀπὸ τῆς Ιταλῶν φωνῆς, ὦ δέσποινα Ἀθηνᾶ, καὶ* ΤΩΝ ΝΟΜΩΝ, *οὓς ἔδει πρότερον φέροντας τοὺς ἐπισταμένους ἑστάναι, πρὸς τὸν ῥήτορα βλέποντας, ἀναμένοντας τὸ, ὦ οὗτος, ἀναγίνωσκε. Verum licet etiam reliqua omnia ita comparata eſſent, vt contentus eſſe rebus praeſentibus poſſem: nonne merito vel ea ſola, quae ad eloquentiae ſtudia pertinent, me grauiſſime exacerbarent? Olim enim* (*declamationes noſtrae*) *fulminis inſtar effulgebant: hodie quaſi tenebris ſunt inuolutae. Olim vndequaque confluentes iuuenes trahebant: hodie vero contemnuntur. Atqui ſaxis iſti ſimiles eſſe videntur, in quae coniiciens ſemen, furere merito dicatur, et operam et ſemen perdens. Aliunde autem nunc exſpectantur fructus, o Romana nimirum, o alma Minerua, lingua,* LEGIBVS*que, quas olim eorum peritos adferre* (*ad ſophiſtam,*) *oportebat, ſtanteſque, et in rhetorem intuentes exſpectare mandatum eius:* HEVS REVTA. Hinc nimirum illae lacrymae. Quid enim acerbius contingere potuiſſet hominibus iſtis, *δαιμονίοις*, *θείοις*, quin *θεοῖς*, quam quod regnum ſuum, in quo ſe antea iactauerant, euerſum viderent? Quid triſtius paterentur, quam quod iuriſconſulti, quos olim eorum iuſſa capeſſere oportebat, iam ſummis honoribus fungerentur? Hinc pergit homo (*a*): Ἤδη *δὲ καὶ ὑπογραφεῖς ἐν ταῖς μεγίσταις ἀρχαῖς, ὁ δὲ τὸ λέγειν ἀντ' ἐκείνου μαθὼν ὑπ' ἐκείνων καταγελᾶται, καὶ αὐτὸς ὀδύρεται. Immo et Amanuenſes maximos hodie magiſtratus obtinent: ille vero, qui loco ſtudii iſtius,* (Latinae linguae et LEGVM,) *dicendi facultatem ſibi comparauit, deridetur ab iſtis, iſte vero animi aegritudine conficitur.* Id vero non modo miſerum, verum etiam miſerrimum!

(*a*) LIBAN. *ibid. p.* 96.

rimum! vt adeo non miremur, LIBANIVM, inuidia paene ruptum, demum bilem omnem ita euomuiſſe (*a*): *τῶν τοίνυν καλουμένων σημείων, τρεψαμένων μὲν τὸν Ἑρμῆν, τρεψαμένων δὲ τὰς Μούσας, τὴν δ᾽ οὖσαν τοῖς περὶ ἐκείνας εὐδαιμονίαν εἰς αὑτὰ μεταθέντων, καὶ τῶν μὲν τεταπεινωμένων, τῶν δὲ τοὺς γνάθους φυσώντων, ἀγανακτεῖ τις, εἰ τῆς τέχνης ἀχρήστου μοι γεγενημένης ἀλγῶ. Quum ergo iſta, quae dicere ſolemus ſigna, in fugam Mercurium, in fugam Muſas quoque verterint, eamque felicitatem in ſe tranſtulerint, atque hae quidem abiectae iaceant, illa autem*, (linguae, legumque Romanarum ſtudium,) *ſuperbe malas inflent: an quiſquam, quaeſo, aegre ferre poteſt, me grauiſſimum dolorem inde perſentiſcere, quod ars mea inutilis mihi fuerit reddita?* En verba non philoſophi, ſed ex vltima faece hominum hominis, luminibus ſuis vicini aedibus offici, conquerentis. An vero id pertinebat ad rempublicam, iuriſconſultis viam ad dignitates intercludi? An inde peſtis orbi Romano imminebat, quod adoleſcentes, iuriſperitia iam probe imbuti, non amplius ad ſophiſtarum declamationes confluerent, exſpectarentque illud ſtolidiſſimum mandatum: Ω ΟΥΤΟΣ ΑΝΑΓΙΝΩΣΚΕ, ſed in foro, ipſoque palatio, ſe ad capeſſendam rempublicam praepararent? Laudandi potius erant, qui tum animum adpellebant ad iuriſprudentiam, quod induſtria ſua effeciſſent, vt et artem ſuam a contemtu vindicarent, et ipſi ad ſummas in republica dignitates adſpirarent. Si enim laudi ducitur Epaminondae, quod, talearcha a populo creatus, (quod munus Thebis eo vſque contemtiſſimum fuerat,) effecturum ſe promitteret, vt is magiſtratus in poſtremum honoratior haberetur; idque re ipſa praeſtaret (*b*): quis non admiratione potius, quam odio, dignos iudicet ſaeculi iſtius iuriſconſultos, qui, ſola freti, quam imbiberant, legum ſcientia, creditas ſibi reipublicae partes prudenter gerendo, id fuerant conſequuti, vt non facile iudicaretur, pluſne ipſi iuriſprudentiae, an illis deberet iuriſprudentia? An ſolos id momordit ſophiſtas, genus hominum, ignauia et clamore cicadis ſimillimum, et quod tamen ſe ſolum reipublicae natum eſſe, incredibili faſtu exiſtimabat.

Sed de illa iuriſconſultorum ac philoſophorum aemulatione, cuius ſexcenta paſſim veſtigia in veterum monimentis exſtant, alia ſe fortaſſis obtulerit dicendi occaſio. Iam, vt ad iuriſprudentiae definitionem,

(*a*) LIBAN. *cap.* 22. *p.* 127. (*b*) PLVTARCH. *reipubl. ger. praecept. p.* 811. *Tom.* II.

nem, quae crabrones iſtos irritauerat, reuertamur: de ea tria potiſſimum in quaeſtionem venire poſſe arbitramur: primum, cur VLPIANVS id, quod philoſophiae proprium adhuc fuerat, vindicarit iuriſprudentiae? Alterum, an haec pars philoſophiae recte dicatur? ac poſtremum, an vere adpelletur rerum diuinarum humanarumque notitia? De quibus omnibus ſententiam meam, ſi operam mihi dederis, tanto minus ex amore ac odio dicam, quanto magis eorum cauſſas procul habeo, vtpote qui et iuriſprudentiam amo, quam qui maxime; neque me vmquam philoſophiam odiſſe, memini. Primo itaque ii mihi videntur VLPIANO facere iniuriam, qui illum philoſophiae, id eſt, ipſi rectae rationi bellum indicere voluiſſe, ſuſpicantur, dum et hanc definitionem cum iuriſprudentia ſua communicarit, et iuriſconſultos veram, non ſimulatam, philoſophiam adfectare contenderit. Ab ea enim ſuſpicione illum facile abſoluent ipſa, quae ex eius operibus ſuperſunt, fragmenta, in quibus et paſſim non leuia, ſed expreſſiſſima ſcientiae philoſophiae veſtigia (*a*), et inſigne iſtud philoſophiae elogium, quod ea RES RELIGIOSA ſit (*b*), exſtare animaduertimus. Et quid, quaeſo, honoris per philoſophiae definitionem iuriſprudentiae accedere, potuiſſet exiſtimare, ſi illam ſapientiam, tamquam rem nihili, deſpexiſſet? At ſi philoſophos, qui tum per orbem Romanum vagabantur, paullo conſideremus accuratius: non mirabimur profecto, VLPIANVM iis abiudicaſſe rerum diuinarum humanarumque ſcientiam, eoſque, tamquam ſimulatae cuiuſdam philoſophiae cultores, cane peius et angue fugiendos eſſe, iudicaſſe. Qui iis temporibus genus quoddam philoſophiae, ex PYTHAGORAE ac PLATONIS placitis conflatae, ſectabantur, ii non ſapientiam tradebant, ſed *τερατολογίας*, vel, vt eleganter rem exprimit PLVTARCHVS (*c*), *φασμάτων τε καὶ μύθων καὶ δεισιδαιμονίας ἀνάπλεω φιλοσοφίαν, καὶ εὖ μάλα βεβακχευμένην, philoſophiam laruis, fabulis et ſuperſtitioſis daemoniorum cultibus refertam, atque adeo oppido lymphaticam*: ac proinde, dum meras nugas, oracula, diuinationes, ſacra teleſtica, luſtrationes ac theurgias iactabant, non ſapientia, ſed deteſtabili ſuperſtitione, imbuere homines ſtudebant. Magnus deinde iiſdem temporibus atque vberrimus erat Cynicorum prouentus. Sed quorum adſectata illuuies, maledicentia, ac inuerecundia nemini, cui frons nondum

(*a*) EV. OTTO *de Stoica iuriſconſultorum philoſophia p. 599. De* VLPIANO, *iuriſconſultorum coryphaeo, praeſtat tacere, quam pauca loqui: tot tamque illuſtria huius diſciplinae veſtigia in fragmentis eius ſuperſunt. Mentiar, niſi plus decem in vnico titulo de iuſtitia et iure reperiantur.*

(*b*) *l.* 1. §. 4. *D. de extraord. cognitionib.*

(*c*) PLVTARCH. *de gen. Socrat. p.* 580.

dum periiſſet, placere poterat, maxime quum totum illud philoſophiae genus homines non ad gerendam rempublicam praepararet, ſed ex ſocietate humana ad brutorum veluti conſortium ſeuocaret, ipſique illi ſectatores Herculis, quales ſe iactabant, innumera quotidie ſtoliditatis ederent ſpecimina. Qui porro peripateticorum nomine cenſebantur, ii non ea, quae in Aristotelis doctrinis vera ac ſolida ſunt, inculcabant, ſed difficiles nugas, argutiaſque ingenii magno pretio vendentes, coruos deludebant hiantes. Quid dicamus de grege illo Epicuri, cuius diſciplina multo celebrior ſemper, quam ceterorum philoſophorum fuit (*a*)? Ii quoque, dum omnia referebant ad voluptatem, dum homines a republica rebuſque gerendis ad ſegne otium inuitabant (*b*), dum denique pietatem erga Deum, et ſpem metumue aeternitatis omnem animis euellebant, nihil minus agere videbantur viris grauibus, quam vt homines meliores ſapientioreſque redderent. Equidem, qui maſculam iſtam et ad res agendas magis accommodatam Stoicorum ſapientiam, quam iuriſconſulti, tamquam ſummam, admirabantur (*c*), aliis praeferendam exiſtimabant, reliquis omnino videbantur ſapere rectius: ſed et illius Zenonianae familiae diſciplina adeo illis temporibus oblanguerat, vt plerique ſolo habitu philoſophi, et Curios ſimularent, et Bacchanalia viuerent, ſeque ipſos circumferrent inutilis diſciplinae exempla. Habes Sardos venales, alios aliis nequiores, in quos intuito Vlpiano, antiqui moris et ſingularis grauitatis viro, idem eueniebat, ac Luciano (*d*), qui domum, quam philoſophia habitet, reperiri a ſe non potuiſſe, fingit, eaque de re hanc fundit querelam: Ποῦ δὲ τὴν φιλοσοφίαν εὕροι τις ἄν; οὐ γὰρ οἶδα, ἔνθα οἰκεῖ καί τοι πάνυ πολὺν ἐπλανήθην χρόνον ἀναζητῶν τὴν οἰκίαν, ὡς ξυγγενοίμην αὐτῇ. εἶτα ἐντυγχάνων ἄν τισι τριβώνια περιβεβλημένοις, παρ' αὐτῆς ἐκείνης ἥκειν φάσκουσιν, οἰόμενος εἰδέναι αὐτοὺς, ἀνηρώτων, οἱ δὲ πολὺ μᾶλλον ἐμοῦ ἀγνοοῦντες, ἢ οὐδ' ὅλως ἀπεκρίνοντό μοι, ὡς μὴ ἐλέγχοιντο οὐκ εἰδότες, ἢ ἄλλην θύραν ἀντ' ἄλλης ἀπεδείκνυον. οὐδέπω γοῦν καὶ τήμερον ἐξευρεῖν δεδύνημαι τὴν οἰκίαν. *Verum vbi quis philoſophiam inueniat? Neſcio enim, vbi habitet, quamuis longo circumerrauerim tempore, domum quaerens, vt eam conuenirem. Inde in quoſdam vilibus amictos veſtibus, barbaſque prolixas geſtantes, incidi, qui ſe ad eam conferre dicebant, quos ſcire*

 ratus

(*a*) Laert. *Lib. X. Segm.* 9. Cicero *de Fin. Lib. IV. cap.* 1.

(*b*) Plvtarch. *in illud:* λάθε βιώσας. Tom. I. p. 396.

(*c*) *l.* 2. D. *de legib.*

(*d*) Lvcian. *in Reuiuiſc. ſeu Piſcator.*

ratus interrogaui. At illi eius rei me multo magis ignari nihil omnino reſponderant, ne ignorantiae arguerentur, aut ianuam aliam pro alia oſtenderunt. Ego vero in hunc vſque diem domum inuenire nequiui. Et paucis interiectis (*a*), vbi philoſophos in arcem Athenienſium ad congiarium iis dandum vocatos fingit, tot ait confluxiſſe,

Quot folia et flores naſcuntur tempore verno,

arcemque plenam breui tempore factam hominum cum clamore conſidentium, ſed, iis luſtratis, vbique adparuiſſe πήραν, πώγωνα, κολακείαν, ἀναισχυντίαν, βακτήρια, λιχνείαν, συλλογισμὸν, φιλαργυρίαν: *peram, barbam, adulationem, imprudentiam, baculos, edacitatem, ſyllogiſmum, auaritiam*: vel vt alibi rem explicat (*b*), ὀργιλωτέρους μὲν τῶν κυνιδίων ὄντας, δειλοτέρους δὲ τῶν λαγωῶν, κολακευτικωτέρους δὲ τῶν πιθήκων: ἀσελγεστέρους δὲ τῶν ὄνων, ἁρπακτικωτέρους δὲ τῶν γαλῶν, φιλονεικωτέρους δὲ τῶν ἀλεκτρυόνων: *homines caniculis iracundiores, leporibus timidiores, ſimiis blandiores, aſinis petulantiores, rapaciores felibus, gallis denique gallinaceis pugnaciores.* An mirum ergo, VLPIANVM hominibus iſtis philoſophorum nomen abiudicaſſe, neque eorum diſciplinae, quae ipſis magiſtris ad virtutem tam parum profuiſſet, tribuere auſum eſſe *rerum diuinarum humanarumque notitiam?* Offenſum ſane illum fuiſſe talibus philoſophorum moribus, et maxime inexplebili illa habendi cupiditate, qua plerique tum laborabant, vel ex ſolo inſigni loco, quo philoſophis, mercedem poſcentibus, ius extra ordinem dicendum eſſe negat, ſatis intelligitur, vbi vir prudentiſſimus (*c*): *An vero*, inquit, *et philoſophi profeſſorum numero ſunt? Non puto, non, quia non religioſa res eſt* (*philoſophia*,) *ſed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam ſpernere.*

At, inquis, vt illa philoſophorum turba indigna philoſophorum nomine viſa fuerit: non illico tamen ipſa philoſophia elogio illo ſuo priuanda, multoque minus iuriſprudentia in iſtius locum ſurroganda erat, quippe cui vel minime omnium competere videtur philoſophiae definitio. Sed hoc ipſum eſt alterum, quod in quaeſtionem venire praemonuimus. Hic vero denuo eorum deſideramus iudicium, qui VLPIANVM veluti interdicto *vnde vi* conuenientes, eum philoſophiam

(*a*) *Ibid. p.* 414. *ſequ.*
(*b*) *Ibid. p.* 409.
(*c*) *l.* 1. §. 4. *D. de extraord. cognit.*

ſophiam poſſeſſione ſua deieciſſe, aiunt. An enim, qui iuriſprudentiam *rerum diuinarum humanarumque notitiam* eſſe contendit, philoſophiae eo ipſo ſuum decus, ſuamque laudem eripit? Non magis profecto, quam theologus, qui et ipſe ſcientiam ſuam in contemplatione Dei, rerumque diuinarum, et rebus humanis, ſeu actionibus, ad verbi diuini normam exigendis verſari, docet. Neque ex eo, quod iuriſconſultos *veram, non ſimulatam, philoſophiam adſectare*, ait VLPIANVS, conſequitur, vt omnis philoſophia quaedam ipſi ſimulatio, ac perſona veluti tragica viſa fuerit. Immo potius hoc ipſo epitheto διακειτικῷ; ſatis oſtendit, praeter ſimulatam illam philoſophiam, eſſe quamdam veram, ac laudabilem, cuius ad exemplum iuriſconſulti totam diſciplinam ſuam componere magnopere ſtudeant, eamque adeo iure dici *diuinarum humanarumque rerum notitiam*. Id vnum ergo VLPIANO vere exprobrant; quod ciuilem illam ſapientiam quam profitebatur, in iſtius laudis conſortium venire oportere, id eſt, iuriſprudentiam quoque non poſtremam philoſophiae partem eſſe, ambitioſius, quam verius, cenſuerit. At id quidem peccatum, ſi peccatum eſt, tam videtur leue, vt multo peccent grauius, qui illud pro inſigni quodam peccato viro grauiſſimo imputant. Primo enim ſi quod ille vtriuſque diſciplinae conſortium ſtatuit: non magis pudere debet philoſophiam iuriſprudentiae, quam hanc philoſophiae. Vtriuſque enim ea ſunt decora, vt neutri de inaequalitate ſocietatis nimia conquerendi cauſſa ſit. Deinde non VLPIANI demum haec fuit ſententia, ſed veterum omnium, qui veram philoſophiam non in ſententiis ſubtilibus, et verborum argutiis, ac ne in nuda quidem rerum diuinarum humanarumque contemplatione, ſed in actionibus ad iuſtitiae, honeſtatis, ac prudentiae regulas accurate compoſitis, poſitam eſſe, arbitrabantur. Auctor ſane locupletiſſimus eſt A. GELLIVS (*a*), *veteris iuris magiſtros* SAPIENTES *eſſe adpellatos*, et exempla adfert POMPONIVS (*b*) noſter, cum maximae ſcientiae viri, P. SEMPRONII, tum P. Atilii, quorum illum primum et ſolum σοφὸν, hunc primum SAPIENTEM a populo cognominatum eſſe, memoriae prodidit. Nimirum quum adhuc maior cura eſſet mortalibus, res praeclaras, et a poſteris ſcribendas, gerere, quam ſcribere, quae ab aliis geſta, obſeruata, ſcriptaque eſſent: is demum videbatur ſapientiae laudem conſequutus, qui et ipſe recte componeret vitae ſuae rationes, et aliis ad virtutem ac felicitatem praeceptis atque exemplo praeiret, et rei publicae

(*a*) GELL. *Noct. Lib. IV. cap.* I. (*b*) *l.* 2. *§.* 37. *et* §. 38. *D. de orig. iur.*

publicae inprimis conſilio, ope, rebuſque praeclare geſtis prodeſſet.

Fuit haec ſapientia quondam:
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis;
Oppida moliri, leges incidere ligno,
Sic honor et nomen diuinis vatibus atque
Carminibus venit.

inquit poëta Venuſinus (*a*). Si ergo eidem Horatio (*b*) de ſe gloriari licuit:

Nunc agilis fio, et merſor ciuilibus vndis:
Virtutis verae cuſtos, rigiduſque ſatelles:

Si, paucis interiectis, (*c*) omne ſtudium ſuum ad ſolum τὸ πρακτικὸν referri, et in eo ſe veram ſapientiae laudem quaerere, fateri, eaque de re elegantiſſime canere potuit:

Vt nox longa, quibus mentitur amica, dieſque
Lenta videtur opus debentibus, vt piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matris:
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae ſpem
Conſiliumque morantur agendi gnauiter id, quod
Aeque pauperibus prodeſt, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris ſenibuſque nocebit.

Si denique recte et grauiter Plinivm (*d*) monuiſſe creditur Evphrates, philoſophus, *eſſe hanc philoſophiae, et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere et exercere iuſtitiam, quaeque philoſophi doceant, in vſu habere:* quodnam quaeſo piaculum feciſſe dicamus Vlpianvm, dum partem philoſophiae haud poſtremam iuriſprudentiam eſſe adfirmauit? Si quid igitur ea in re parum accurate docuit Vlpianvs, id in eo conſiſtit, quod non ſatis conſideraſſe videtur principium, ad quod vniuerſae philoſophiae origo referenda eſt. Quidquid illa tradit, id ex ipſa recta ratione, tamquam

(*a*) Horat. *de art. poet. v. 396.*
(*b*) Idem *Lib. I. Epiſt. I. v. 16.*
(*c*) Idem *ibid. v.* 10.
(*d*) Plin. *Lib.* I. *Epiſt.* 10.

quam fonte limpidiſſimo, promanat, ac proinde ſemper illi non philoſophari, ſed fabulas narrare viſi ſunt, qui Aegyptiorum, Chaldaeorum, Perſarum, gymnoſophiſtarum, aliarumque gentium barbararum placita ſine demonſtratione admiſerunt. Atqui iuriſprudentia noſtra non omnis ex eo rectae rationis fonte profluit. Nam ſicut alii populi, ita et Romani, non ſolo communi illo omnium hominum, ſed et proprio ſuo iure vtebantur: (*a*) multaque ſubinde vel populus, vel plebs ſciuit, vel praetores aliique magiſtratus edixerunt, vel ipſi ſanxerunt principes, quae non naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, ſed vel neceſſitas, (*b*) vel, quae ſuprema lex eſt, populi ſalus, (*c*) vel conſuetudo exigere videbatur. (*d*) At quia tamen ius noſtrum tripertitum eſt, conflatum quippe ex naturalibus praeceptis, gentium, ac ciuilibus, (*e*) adeoque recte obſeruauit idem VLPIANVS noſter, (*f*) ius ciuile neque in totum a naturali vel gentium iure recedere, neque per omnia ei ſeruire, ſed, quum aliquid vel addamus, vel detrahamus iuri illi communi, nos ius proprium ac ciuile efficere: Nihil profecto impedit, quo minus deſumpta a potiore, eoque, quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον occurrit, denominatione, iuriſprudentiam, philoſophiam, eiuſque pulcherrimam partem, dici poſſe arbitremur.

Sed vt ad poſtremam demum, quam expendere conſtitueramus, quaeſtionem progrediamur: ex his, quae adhuc diximus, ſatis intelligi arbitramur, non eſſe, quod erubeſcant iuriſconſulti, dum diſciplinam ſuam *diuinarum humanarumque rerum notitiam eſſe*, adfirmant, modo ea verba recte, et ex mente VLPIANI, intelligantur. Equidem THEOD. MARCILIVS (*g*) et M. ANT. MVRETVS (*h*) per *res diuinas* res iuris pontificii, auguralis, et fetialis; per *res humanas* res iuris ciuilis intelligunt, ab eaque ſententia non admodum alieni ſunt IAN. ACOSTA et alii plerique inſtitutionum Iuſtiniani interpretes. Enim vero quum iam oſtenderimus, philoſophorum lingua loqui VLPIANVM; eum profecto his verbis eamdem notionem ſubiecisse credibile eſt, ac philoſophos. Quis vero hos de iure quodam pontificio, vel fetiali, Romanis proprio, cogitaſſe ſibi perſuadeat, dum philoſophiam τῶν θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων γνῶσιν, diuinarum humana-

(*a*) L. 9. D. *de iuſt. et iur.*
(*b*) L. 11. D. *de legib.*
(*c*) THEOPH. *in* §. 1 et 2. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciu.*
(*d*) *d. l.* 11. *D. de legib.*
(*e*) L. 1. §. 2. *de iuſtit. et iur.*
(*f*) L. 6. *pr.* D. *de iuſt. et iur.*
(*g*) MARCIL. *ad* §. 1. *Inſt. eod. tit.*
(*h*) MVRET. *in Not. ad Inſt. eod.* §.

manarumque rerum notitiam, adpellarunt? Veteres res omnes naturales, ſiue quod eas a Deo conditas agnoſcerent, ſiue quod in iis, tamquam in exterſo quodam ſpeculo relucere animaduerterent diuinam ſapientiam, τὰ θεῖα, vel θεῖα πράγματα; actiones vero, quas homines in vita vel ciuili, vel priuata ederint, ἀνθρώπινα vel ἀνθρώπινα πράγματα dicebant: illaque ad partem philoſophiae θεωρητικὴν, haec ad πρακτικὴν pertinere, tradebant. Hinc Marivs Victorivs (*a*): *Plena philoſophia eſt, quae conſtat ex duabus partibus*, physica *et* ethica. *Phyſica eſt, quae de* divinis *agit, ethica, quae de* hvmanis *diſſerit*: vbi per phyſicam totam philoſophiam contemplatiuam, per ethicam totam practicam intelligendam eſſe, facile vnusquisque intelligit. Quaecunque ergo ſub philoſophi cognitionem cadunt, *ad diuinas humanasque res* referebant veteres. Strabo (*b*) ſane ideo philoſophos τοὺς τὰ θεῖα, καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἐπιβλέποντας, *diuina et humana conſiderantes* adpellat. Et Pallas apud Homervm (*c*), dum Diomedi ſe philoſophiam inſtillaſſe ait, eodem paene modo loquitur:

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν:
Ὄφρ' εὖ γινώσκοις ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Caliginem vero tibi ab oculis abſtuli, quae prius inerat:
Vt bene dignoſcas tum Devm, *tum etiam* hominem.

Quae verba nemo rectius interpretatus eſt Ger. Io. Vossio (*d*). *Nempe per* Devm, *inquit, intelligunt veteres philoſophi res neceſſarias; hoc eſt, quae ſemper ſunt, non autem fiunt; vel fiunt quidem, ſed a natura, non a nobis: quae conſiderat θεωρητική. Per* homines *ſignant res contingentes, actiuas, hoc eſt, quae fiunt a nobis, et agi dicuntur, non effici. Quae pertinent ad πρακτικήν.* Enimuero, ſi ita accipiamus definitionis verba, illam manifeſto falſam fore, obſeruauit Mvretvs: *ſi iuris prudentia*, inquit, *eſſet rerum diuinarum et humanarum notitia: ſequeretur, eam notitiam eſſe omnium rerum: certe enim omnes res ſunt vel diuinae, vel humanae: quod abſurdiſſimum eſt.* Qui vero abſurdiſſimum? Quaſi illam notitiam non ipſe Vlpianvs ſatis arctis limitibus circumſcripſerit, dum addidit: *iuſti et iniuſti ſcientia.* Numquam enim

(*a*) Mar. Victor. *Rhetor. Lib.* I.
(*b*) Strabo *Lib.* I. *Geogr. p.* 3.
(*c*) Homer. *Iliad.* E. *v.* 127.
(*d*) Voss. *de Natur. art. Lib.* V. *cap.* 4. §. 2. *p.* 233. *Tomo* III. *Op.*

vel Vlpiano, vel vlli, cui ſanum cerebrum fuit, in mentem venit, iuriſconſulti eſſe, rerum omnium diuinarum humanarumque naturam, originem, cauſſaſque tradere. Sed quoties de rebus illis incidit quaeſtio, quid iuſtum iniuſtumque circa illas ſit, toties eam iuriſconſulti eſſe diſpectionem, exiſtimarunt. Quemadmodum ergo matheſis rerum omnium non naturam, adfectiones, cauſſas, ſed quantitatem, phyſica earumdem phaenomena ac horum rationes exponit, non quantitates metitur, et vtraque tamen nihilominus in conſiderandis corporibus verſatur: ita nihil obſtat, quo minus iuris prudentia, quid circa omnes res diuinas humanaſque iuſtum ſit iniuſtumue, expendat, quampis aliter de iiſdem rebus diſſerat philoſophia, earumque naturam, adfectiones, cauſſaſque explicare ſtudeat. Vtriuſque enim ſcientiae fines facile reguntur, eoſque eleganter iam pridem rexit apud Evripidem (a) Helena, ita compellans Theonem;

Αἰσχρὸν, τὰ μὲν σε θεῖα πάντ' ἐξειδέναι,
Τὰ τ' ὄντα, καὶ μὴ τὰ δὲ δίκαια μὴ εἰδέναι.

Nam turpe id eſſet, quum ſcias, hominum ac Deûm
Quod eſt, eritque, iuſta te haud cognoſcere.

Et ſane, quaenam eſt res diuina humanaue, quae res naturalis, quae actio, de qua non aliquando quaeſtio incidat, quid circa illam iuſtum iniuſtumue ſit? Ei vero dum ſatisfacit iuriſconſultus, dumque iuſti iniuſtique principia omnibus ſpeciebus obuenientibus adplicat, re ipſa profecto oſtendit, diſciplinam *ſuam eſſe* divinarvm hvmanarvm*que* rervm *notitiam*, ivsti, atque inivsti *ſcientiam*. O ergo quietis publicae iuriſprudentia cuſtos! o iuſtitiae atque aequitatis indagatrix, correctrix ſcelerum ac flagitiorum! Quas ſine te non modo reſpublicas, ſed et priuatas facultates haberemus? Tu ſuum cuique tribuis: tu rebus diuinis et humanis, ipſique hominum vitae, exiſtimationi, atque opibus, firmiſſima circumponis praeſidia: tu vere philoſophiam prima diuocaſti de coelo, et collocaſti in vrbibus, et in domos etiam priuatorumque coenacula introduxiſti, et de rebus licitis ac illicitis, iuſtis iniuſtiſque iuſſiſti quaerere. Eant ergo alii, perfricent frontem, teque illa laude, qua te inſignis ille ſacerdos tuus, Vlpianvs, proſequutus eſt, indignam eſſe contendant. Nos quibus paullo notiores,

 te

(a) Evripid. *Helen.* v. 928.

te ſemper, tamquam *rerum diuinarum humanarumque notitiam*, *iuſtique atque iniuſti ſcientiam* ſuſpiciemus, admirabimur, laudibuſque, quas meреris, ſummis ad caelum euehemus.

Sed non alio omnino luculentiore argumento hanc laudem tuetur iuriſprudentia noſtra, quam tot ſpeciebus ac diſciplinis ſuis, in quas ſe paullatim diffudit. Quemadmodum enim matheſis generatim de quantitate diſquirit, at quoties eius principia nouo corporum generi adplicantur, toties noua quaedam diſciplina Mathematica emergit, veluti hydroſtatica, hydraulica, aerometria, anemometria, chronologia, et aliae quam plurimae: ita idem praeſtat iuriſprudentia, cuius tanta eſt faecunditas, vt quoties iuſti iniuſtique principia alicui rei diuinae humanaeue adplicat, toties nouam diſciplinam nouamque iuris ſpeciem producat. Hinc tot ſpecialia iura, in formam artis redacta, veluti eccleſiaſticum, beneficiarium, parochiale, conſiſtoriale, matrimoniale, feudale et clientelare, equeſtre, militare, academicum, maritimum et nauticum, fluuiaticum, ſylueſtre vel foreſtale, venatorium, georcatorium, cambiale vel collybiſticum, opificiarium, georgicum, colonarium, ius finium, municipiorum, pagorum, et alia quam plurima, qualium iurium cultores nihil aliud fecerunt faciuntque, quam vt generalia ſapientiae ciuilis principia ad ſingularia obiecta, ſpecialeſque de iis quaeſtiones traducant, quamuis alios aliis id felicius praeſtitiſſe, facile ſit ad intelligendum. Quae quum ita ſint, praeclare omnino de re litteraria, et de iuriſprudentia maxime, mereri videntur, qui tales libellos ſelectiores, quibus vna eademque iuriſprudentiae ſpecies explicatur, praeſertim ſi rariores repertuque difficiliores ſint, et de nouo in lucem protrahunt, et plures vno faſciculo iunctos ſiſtunt talium rerum cupidis. Fecit id in praeſenti vir praeclarus atque integerrimus, et, quod caput rei eſt, publici commodi ſtudioſiſſimus, qui eximio orphanotrophei noſtri bibliopolio ſumma cum fide ac circumſpectione praeeſt. Is enim, poſtquam Rei Navticae et Maritimae ſcriptores quoſdam paene in tabernis diſparuiſſe, et a viris tamen doctis paſſim deſiderari animaduerteret, facile ſe moueri paſſus eſt, vt eorum aliquos, hoc faſciculo comprehenſos, et elegantiore, quam antea, typo deſcriptos, indice denique locupletiore ornatos, ſuis curis ac impenſis praelo exire pateretur, daturus in poſtremum et alia eius generis, ſi his a viris doctis gratiam ſe iniiſſe intellexerit. De horum libellorum auctoribus hic diſſerere vix ocium eſt, quamuis de Stypmanno et Loccenio eſſent non protrita et vulgaria, quae dici poſſent. Sed, imminentibus nundinis, meque tanta variorum negotiorum multitudine diſtracto, vt

non

non poſſim niſi de laboribus maxime neceſſariis cogitare, nihil ſupereſt, quam vt bene precemur viro optimo, cuius curae hunc libellum acceptum ferimus, eademque opera et ſtudia noſtra, beneque de republica litteraria merendi voluntatem, tibi, LECTOR ERVDITISSIME, vehementer etiam atque etiam commendemus. Halae Magdeb. x. Kal. Maias, anni a Chriſto nato MDCCXXXX.

XIII.

* PRAEFATIO DE VSV ET PRAESTANTIA NVMISMATVM IN IVRISPRVDENTIA, NIC. HIER. GVNDLINGII EXERCITATIONIBVS ACADEMICIS PRAEMISSA.

CVm omnes artes, non modo quae ad humanitatem pertinent, ſed et, quae in diuinarum humanarumque rerum intelligentia verſantur, communi vinculo, et quaſi cognatione quadam inter ſe continentur: tum praecipue ſapientia illa ciuilis, quam iureconſulti profitentur, ita cum omnis aeui hiſtoria atque antiquitate coniuncta ac copulata eſt, vt qui eas conantur diſtrahere ac diuellere, illi mihi lucis ac caloris diſſidium quoddam inducere velle videantur. Difficile equidem eſt, ſtatuere, pluſne lucis hiſtoria ex iuriſprudentiae libris, an iuriſprudentia ex hiſtoriarum monimentis accipiat: ſed liquido tamen adfirmare poſſumus cum FRANC. BALDVINO, qui hoc argumentum ornate copioſeque exſequutus eſt (*a*), ſic vtramque eſſe

* *Haec eſt quae ſequi debebat poſt* Num. XII. p. 202.

(*a*) *De inſtit. hiſt. vniu. et eius cum iuriſpr. coniunctione*, Libr. II. p. 105.

ſe comparatam, vt, quod ille ait, altera alterius poſcat opem, et coniuret amice. Tametſi vero iam inde ab illis temporibus, quibus iuriſprudentia refloreſcere coepit, perpaucis perſuaderi potuerit, vt pulcherrimas has ſcientias coniungerent, quum plerique, qui ſe iuriſprudentiae conſecrauerant, in vaſtiſſimis Bartoli et Baldi voluminibus peruolutandis conſeneſcere mallent, alii, qui elegantioribus ſtudiis delectabantur, illiteratiſſimas illas litteras, tamquam meram barbariem atque illuuiem, adſpernarentur: attamen et paucos illos, qui pares erant in vtraque facultate, adeo admiratur poſteritas, vt breues eorum libellos, quibus iuri noſtro lucem ex hiſtoria foenerare ſtuduerunt, vaſtis illis reliquorum iureconſultorum voluminibus, Accurſiano abſinthio probe conditis, longe anteponant. Quum enim boni hi viri id vnice egerint, vt de rebus illis, in quibus ingenium atque induſtriam exercere ſtatuerant, omnia, quae apud alios legerant, genuina, ſpuria, domeſtica, peregrina, bona, mala, ad rem facientia, ἀπεοσδιόνυσα, coaceruarent, et initio quaſdam inde propoſitiones cuderent, deinde illas ad multas ſpecies alias proferri poſſe oſtenderent, hinc porro eaſdem tam arctis circumſcriberent limitibus, vt propemodum officium perderent, denique genere dicendi vterentur, ſordido, inficeto, barbaro, nihilque, quantumuis notum et peruulgatum, proferrent, quod non aliquot legum et depromtorum ex gloſſatoribus teſtimoniorum centuriis firmarent: aliter plane rationes ſuas componebant ii, qui elegantioris litteraturae hiſtoriarumque praeſidia ad iuriſprudentiae ſtudium attulerant. Ii enim de legum originibus ac vera ſententia ſolliciti, nihil reliqui faciebant, vt ipſum iurium nexum oſtenderent, omnia ad principia genuina et domeſtica reuocarent, denique, quaecumque dicerent ſcriberentue, non modo iuſto ordine, ſed et genere dicendi puro, perſpicuo, vereque Latino proponerent. Vt adeo quantum intereſt inter centonem, ex variis non eiuſdem materiae ac coloris pannis et laciniis male conſutum, et veſtem mundam, cui ſuus color ſuaque forma conſtat: tantum intereſſe videatur inter ſcriptores illos barbaros, et hos elegantiores ac facundos, qui, ex ipſo rei Romanae ſtatu interpretandas eſſe Romanas leges, probe intellexerunt. Ceterum quemadmodum nulla pars eſt hiſtoriae veteris, quin iuriſprudentiae ſtudioſo incredibilem adferat vtilitatem: ita dubitare non licet, quin et ex vetuſtis numis permultum lucis accedere poſſit arti noſtrae, ſi quis id cum cura agere vellet. Ego quidem, quamuis nec eo, quo opus eſt, adparatu inſtructus,

ſtructus; nec otio, quod hoc litterarum genus requirit, admodum abundans, tamen dum aliquando in haec vireta excurro, quaedam eius generis, quae notatu haud videntur indigna, obſeruaſſe mihi videor. Quamobrem vſurus hac occaſione, dum in viri olim eruditiſſimi, NIC. HIER. GVNDLINGII *diſſertationes*, vno faſciculo compreſhenſas, aliquid praefari iuſſus ſum, hac de re tecum, LECTOR BENEVOLE, quaedam confabulabor, VSVMque et PRAESTANTIAM VETERVM NVMISMATVM IN IVRISPRVDENTIA ſpeciminibus quibuſdam, quae ſe haec ſcribenti ſponte offerunt, demonſtrabo paullo accuratius. Quamuis enim talia non ſoleant omnibus ad palatum eſſe, neque ipſe ego illa eius generis eſſe exiſtimem, vt impune a iuris ſtudioſis non ignorentur: dabitur tamen mihi, vt opinor, haec venia, vt aliis ſeuerioribus, quibus quotidie diſtringor, negotiis defeſſus, aliquando amoeniores has litteras recolam, eademque opera et animum quodammodo reficiam a quotidiano ſtrepitu, et vtilitatem voluptatemque aliquam harum rerum intelligentibus adferre coner, imitatus poetas, de quibus HORATIVS (*a*):

Et prodeſſe volunt, et delectare poetae.

Equidem neminem ego tam eſſe hoſpitem arbitror in elegantiore litteratura, vt ignoret opus illud ſplendidiſſimum viri olim et dignitate, et meritis in vtramque rempublicam, et reconditae doctrinae copia vere illuſtris, EZ. SPANHEMII *de vſu et praeſtantia numiſmatum*, quo non modo dignitatem auctoritatemque numorum, verum etiam incredibilem eorumdem vtilitatem in omni doctrinae ſcientiarumque genere tam luculentis argumentis, tantoque variae eruditionis adparatu demonſtrauit, vt ne ſpicilegium quidem aliis, eamdem rem acturis, reliquiſſe videatur. Et ſane ſi quid forte olim fugerit viri incomparabilis diligentiam, quum opus illud imperfectius, et nondum ſuis abſolutum numeris, modico volumine prodiret: ſaltim hodie aliter videbitur ſentiendum, poſtquam ipſe illuſtris auctor opus ſuum non modo iterum recenſuit, ſed et integris diſſertationibus, totque acceſſionibus locupletauit, vt illud iam duo grandioris ſtaturae volumina conficiat, quorum prius viuo auctore (*b*), poſterius, eo iam rebus humanis exemto, obſtetricante ISAACO VERBVRGIO, in lucem prodiit (*c*). Quae enim, quaeſo, pars eſt eruditionis, in qua

(*a*) De arte Poëtica, v. 333.

(*b*) Lond. cIↃIↃCCVI.

(*c*) Amſtelod. cIↃIↃCCXVII.

qua ille mirificam veterum numiſmatum vtilitatem non perſpicue oſtenderit? Habent ſane hic grammatici, vnde antiquas litterarum formas, earumque adfectiones, atque orthographiam; habent philoſophi, vnde quaedam ad moralem ciuilemque doctrinam, nec non ad hiſtoriam naturalem animalium, arborum, plantarum pertinentia; habent hiſtorici, vnde res Macedonum, Seleucidarum, Parthorum, Armeniorum, Cappadocum, Ponti et Boſphori regum, Thracum, Pergamenorum, Bithynorum, Carum, Siculorum, Gothorum, Vandalorum, Gallorum, Britannorum, nec non vrbium coloniarumque et metropoleon origines, dignitatem, praerogatiuas, αὐτονομίαν, Romanorum porro gentes, familias, nomina, cognomina, magiſtratus et dignitates, opera publica, reſque domi militiaeque geſtas, denique Auguſtorum Auguſtarumque ſeriem, agnatos, propinquos, adſines, titulos, inſignia, actaque pacis et belli vel diſcant, vel, quae obſcurius de his omnibus memoriae prodiderunt veteres annales, mirifice illuſtrent, nihil vt ſit propemodum, quod diſcere velis, quod non luculenter doceat, et ex rariſſimis numis probet illuſtris SPANHEMIVS. Enimuero tantum abeſt, vt omnem hunc doctrinae oceanum exhauſerit vir inexhauſtae doctrinae, vt ſuperſint omnino, et poſt tot alias eruditiſſimorum virorum ſcriptiones ſuperfutura ſint, quae inuentis addi poſſint, quamplurima. Idque res ipſa docuit, ab eo tempore, quo primum in illo opere elaborauit laudatiſſimus SPANHEMIVS. Quam multa enim ab eo omiſſa ſint, quae *ad vſum numiſmatum in re chronologica* pertinent, egregiis ſpeciminibus, quamuis non eadem omnes felicitate, oſtenderunt HENR. NORISIVS in epochis Syro-Macedonum (*a*), et epiſtola conſulari (*b*). IO. HARDVINVS in chronologia ex numis antiquis reſtituta (*c*), PHILIPPVS A TVRRE in opuſculo de annis imperii M. Aurelii Antonini Elagabali (*d*), VIRGIN. VALSECCHII in diſſertationibus de M. Aurelii Antonini Elagabali tribunicia poteſtate (*e*), et de initio imperii Seueri Alexandri (*f*), IOANNES VIGNOLIVS de anno primo imperii Seueri Alexandri, quem praefert cathedra marmorea S. Hippolyti (*g*). Vt iam non dicamus de IO. PETRI RIGORDI, ANT. PAGII, EM. SCHELSTRATENI, aliorumque operibus, noſtraque, quam olim edidimus, diſſertatione, quibus ipſa Chriſti natiuitatis

uitatis

(*a*) Flor. cIↄIↄCLXXXVIIII. *fol.*
(*b*) Bon. cIↄIↄCLXXXIII. 4. *et apud* GRAEV. *theſaur. antiqu. Rom.* Tom. XI.
(*c*) *Oper. p.* 328. 419.
(*d*) Patau. cIↄIↄCCXIII. 4.
(*e*) Flor. cIↄIↄCCXI. 4.
(*f*) Flor. cIↄIↄCCXV. 4.
(*g*) Flor. cIↄIↄCCV. 4.

uitatis era ex numis illuſtratur. Quum deinde Ez. SPANHEMIVS non adeo multa *de vſu numiſmatum geographico* monuiſſet: fuere, qui non modo generatim de vetuſtis vrbium numiſmatibus agerent, veluti Io. HARDVINVS, tum in numis antiquorum populorum et vrbium illuſtratis (*a*), tum in antirrhetico de numis antiquis coloniarum et municipiorum (*b*), et Io. FOY VAILLANTIVS in numiſmatibus coloniarum iuris Latii (*c*), verum etiam certae alicuius prouinciae vrbes ex numis deſcriberent. Sic enim prodiit eiuſdem VAILLANTII Aegyptus numiſmatica (*d*), cui iungi poſſent, qui Apameae, Athenis, vrbibus Britannicis, Cabillono, Chio, Corcyrae, Cretae, Ilio, inſulis archipelagi, Lacedaemoni, Lugduno, Nemauſo, Melitae, Neapoli, Oſtiae, Palaeſtinae, Raetiae, Siciliae, Tyro, aliiſque vrbibus et prouinciis eamdem operam nauarunt, niſi perlongum eorum ſcriptorum recenſum iam dediſſet Io. ALB. FABRICIVS (*e*). Similiter quum *numos, qui hiſtoriam litterariam* illuſtrarent, eorumque vſum ex inſtituto non expoſuiſſet illuſtris SPANHEMIVS: eum quoque defectum ſupplere quodammodo conati ſunt viri doctiſſimi, quorum alii permultas virorum illuſtrium ac doctrina celebrium imagines ex numis gemmiſque expreſſerunt, veluti LAVR. BEGERVS in theſauris tum Palatino (*f*), tum Brandenburgico (*g*), IAC. GRONOVIVS in theſauro Graecae antiquitatis (*h*), IAC. SPON. in miſcellaneis eruditae antiquitatis (*i*): alii quorumdam tantum memoriam et res ex numis illuſtrarunt, veluti Homeri GISB. CVPERVS (*k*) et IO. CAR. SCHOTTVS in apotheoſi Homeri (*l*), Biantis CHR. GOTTL. IOECHERVS (*m*), Ariſtotelis CORN. DIETR. KOCH in programmate de Ariſtotele in numo (*n*): vt iam non dicam de medicorum hiſtoria ex numis illuſtrata, quam minatus eſt vir elegantis doctrinae, MICH. FRIDR. LOCHNERVS, medicus Noribergenſium celeberrimus. Quis crederet, in illa quoque *ethicae ſemeioticae parte, quam φυσιογνωμονικὴν vocant*, vtilitatem aliquam adferre poſſe vetera numiſmata? Et tamen hic quo-

(*a*) *Oper. p.* 1.
(*b*) Pariſ. cIↃIↃCLXXXVIIII. 4.
(*c*) Pariſ. cIↃIↃCLXXXVIII. *Vol.* II.
(*d*) *Subiuncta eiuſdem hiſtoriae Ptolemaeorum* Amſt. cIↃIↃCCI. *fol.*
(*e*) *Indice II. ſubiuncto* ANSELMI BANDVRII *bibliothecae numariae pag.* 240. *ſequ.*
(*f*) Heidelb. cIↃIↃCLXXXV. *fol.*
(*g*) Berol. cIↃIↃCLXXXXVI. *Vol.* III.
(*h*) Lugd. Bat. cIↃIↃCLXXXXVII. *ſequ. fol.*
(*i*) *Sect.* IIII.
(*k*) Amſt. cIↃIↃCCXXXIII. 4.
(*l*) Anno cIↃIↃCCXIIII. 4.
(*m*) Lipſ. cIↃIↃCCXV. 4.
(*n*) Helmſtad. cIↃIↃCCIII. 4.

que ingenii vires periclitatus eſt laudatus paullo ante SPONIVS, qui libro eximio, quem lingua patria *recherches curieuſes d'antiquité* inſcripſit, inſeruit diſſertationem (*a*) de arte, multiplicem hominum naturam atque indolem ex vultuum in numis expreſſorum inſpectione cognoſcendi, quamuis, ludicrum id argumentum eſſe, cenſeat ANSELMVS BANDVRIVS (*b*). Denique quum *interpretationis ſcripturarum diuinarum et hiſtoriae ſacrae atque eccleſiaſticae* rationem in ſplendidiſſimo opere non habuerit illuſtris SPANHEMIVS, nec vſum, quem in illis praeſtent vetera numiſmata, oſtenderit: in hanc quoque philologiae ſacrae et hiſtoriae partem inſignem ex nummis vtilitatem redundare poſſe, ex inſtituto demonſtrarunt AEGIDIVS LACARRY in oratione, hiſtoriae Romanae, a ſe adornatae (*c*), ſubiuncta, qua antiquorum numiſmatum intelligentiam interpreti ſcripturae ſacrae neceſſariam eſſe, contendit, et venerandus eccleſiae noſtratis theologus, VAL. ERN. LOESCHERVS, tribus diſſertationibus, partim Ienae, partim Wittebergae, editis, de numorum in theologia, explicatione ſ. ſcripturae, et eccleſiaſtica antiquitate vſu (*d*): vt iam nihil dicamus de BARONIO, ANT. PAGI, TILLEMONTIO aliiſque hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus, qui ſaepenumero et vetera numiſmata in conſilium adhibuerunt, quamuis purpuratus iſte annalium eccleſiaſticorum pater ludibrium aliquando debeat eruditis, dum modo apoſtolos, modo panem euchariſticum, modo alia myſteria in numis videre ſibi viſus eſt, taliaque tanta cum fiducia adſeuerauit, ac ſi illa non ficta, ſed ipſis ſolis radiis perſcripta in aere reperiſſet.

Quandoquidem itaque tam late patet veterum numiſmatum vſus, vt nulla paene ſit pars eruditionis, quae non inde vel lucis, vel ornamenti aliquid capiat: quis dubitare, quaeſo, auſit, quin et iuriſprudentiae illa veterum numorum contemplatio haud parum vtilitatis ſit adlatura, ſi quis, data opera, id agere, eoque conſilio luſtrare vellet tot antiquitatis reliquias? Iuuabit ergo periculum facere, ſi forte alios, quibus plus otii, et maior adparatus eſt, eo exemplo excitare poſſim ad operam hanc pulcherrimam ſuſcipiendam.

Primum in ipſo veluti atrio iuriſprudentiae noſtrae ſiſtitur nobis illa conſtans ac perpetua ſuum cuique tribuendi voluntas, quam IVSTITIAM vocamus, ad quam, tamquam ad finem, vniuerſa ars aequi et boni

(*a*) *Diſſert.* XXIIII.
(*b*) *Biblioth. numar. p.* 103.
(*c*) Clarmont. cIↃIↃCLXXI. 4.
(*d*) Ien. cIↃIↃCLXXXIIII. *et* Witteb. cIↃIↃCLXXXXV. 4.

boni ita comparata eſt, vt ideo ſcribere non dubitet VLPIANVS (*a*), *merito iuſtitiae ſacerdotes adpellari iureconſultos, quum colant iuſtitiam, et boni et aequi notitiam profiteantur, aequum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupientes: veram philoſophiam, non ſimulatam, adfectantes.* Iuſtitiam vero hanc ſaepe exhibent numi Graeci et Romani, ſub Tiberio, Veſpaſiano, Nerua, Hadriano, Alexandro Seuero aliiſque cuſi, et quidem tamquam feminam ſiue ſtantem, ſiue ſedentem, ſiniſtra cornu Amaltheae, dextra libram tenentem, cum epigraphe: ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ ΣΕΒ. vel IVSTITIA AVG. vel AEQVITAS AVG. Sedentem videbis in numo Corneliae Saloninae apud BEGERVM (*b*): ſtantem in numis Heluii Pertinacis, Gallieni, Taciti, Probi, Carinorum apud eumdem (*c*). In omnibus vero eadem inſignia deprehendes, libram et cornu Amaltheae, eumdem habitum, elegantem, ac virgine dignum, eamdem denique ſtolam, eiusque laciniam in ſiniſtrum brachium decore collectam, vt vere tibi videre videaris παρθένον Δίκην, ſeu *iuſtitiam virginem*,

> Κυδνήν τ' αἰδοίην τε θεοῖς, οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν
> *Claram, venerandamque Diis, qui Olympum habitant.*

ceu eam deſcribit HESIODVS (*d*). Qua vero definitione, ſiue a iureconſulto, ſiue a philoſopho, ad amuſſim facta, elegantius exprimi poſſet iuſtitiae aequitatiſque natura atque indoles, quam hoc ſchemate? Iuſtitia ſuum cuique tribuit: idque libra nos monet. Quemadmodum enim illa omnem exceſſum ac defectum et prodit, et corrigit: ita iuſtitia, vt ait ORPHEVS (*e*),

> Αἰεὶ μὲν τὸ πλέον συγέει, ἰσότητι τε χαίρει.
> *Semper, quod nimium eſt odit, et aequalitate gaudet.*

Nec mirum eſt, iuſtitiam nobis tamquam ſtolatam et ſeptae pudicitiae virginem ſiſti, quum abhorreat ab omnibus ſordibus, quippe incorrupta, et caſtiſſima, et vt iterum ORPHEI (*f*) verbis vtamur,

(*a*) *l.* 1. §. 1. *D. de iuſt. et iur.*
(*b*) *Theſaur. Brandenb. Tomo III. p.* 160.
(*c*) *Tom. III. p.* 685. 744. 763. 768. 773.
(*d*) *Op. et dier. v.* 255.
(*e*) *Hymn. in Iuſtit.*
(*f*) *Ibid.*

Ταῖς καθαραῖς γνώμαις αἰεὶ τὰ δέοντα βραβεύων.
Caſtis ſententiis iura ſemper adminiſtrans.

Quo pertinet et SVIDAE locus (*a*), vbi de hoc ipſo iuſtitiae ſchemate agens: Ἡσίοδος δὲ, inquit, αὐτὴν λέγει καὶ παρθένον, καὶ ἀδιάφθορον, ὅτι μὴ χρὴ δολοῦν τὸ δίκαιον, μήτε ἄλλως πεισθέντα, μήτε λέχει παρατραπέντα. *Heſiodus, eam virginem eſſe, dicit, innuens ſcilicet, non oportere nos iuſtitiam adulterare, nec aliis rationibus adductos, nec amore corruptos.* Denique et effectum iuſtitiae eleganter oſtendit illud Amaltheae cornu, quod in numis illis reperimus, quem idem SVIDAS (*b*) ita deſcribit: Τοῖς γε μὴν ἐκείνην σέβουσι τήν τε γῆν τὰ οἰκεῖα βρύειν φησὶν ἀγαθὰ, καὶ τὴν θάλατταν χορηγεῖν, ὅσα τίκτει καὶ τρέφει μαλ᾽ ἀφθόνως. *Illis, qui eam colunt, terra fructus largiter producere, et mare abunde ſuppeditare ait omnia, quae parit et alit.* Nimirum ob iuſtitiam ciuitates, a paruis et humilibus profectae principiis, breui tempore excelſiſſime florent, nec quidquam iis, quod ad felicitatem ciuilem pertinet, deeſſe poteſt. Non turbae tunc illas concutiunt, non claſſica audiuntur, et nec agros depopulatur hoſtilis manus, nec partas opes fures ac raptores intercipiunt, ſed ciues abundant omnibus copiis, et in ſumma opum atque bonorum adfluentia viuunt, vereque iis euenit, quod ſuauiſſime cecinit HORATIVS (*c*):

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas;
Pacatum volitant per mare nauitae:
Culpari metuit fides.

Deinde et IVRISPRVDENTIAE definitioni non minus lucis accedere videtur ex veterum numis, qui Themidem Deam praeferunt, quamuis ii ſunt et dubiae interpretationis, et paullo rariores. Vnum eius generis acceptum ferimus V. C. CHRIST. SIGISM. LIEBE (*d*), qui inter numos populorum et vrbium edidit aeneum Phocenſium, cuius in aduerſa parte eſt caput feminino cultu, laurea cinctum, vultu admodum decoro, cum litteris: ΦΩΚΕΩΝ, in auerſa caput tauri,

(*a*) *Voce* δίκης *Tom. I. pag.* 588. *edit.* KVST.

(*b*) *Ibidem. pag.* 588.

(*c*) *Carm. Lib. IIII. Od. V. v.* 17. 18. 19. 20.

(*d*) *Goth. numar. cap.* 5. §. 4. *p.* 107.

ri, vitis ornatum, ſupra quod litterae EA. Poſſet caput illud femininum videri Apollinis, quem muliebri habitu efformaſſe veteres, oſtenderunt cum alii, tum nouiſſime Io. Car. Schottus (*a*), idque ſatis patet exemplo Apollinis Actiaci vel Palatini, quem muliebri habitu ſiſtunt numi argentei Commodi apud Vaillantivm (*b*) cum inſcriptione: Apollini Palatino. Sed ipſe Liebivs eos non putat aberraturos a vero, qui Themidem in eodem capite agnoſcant, quia Apollinem vna cum Themide oraculum Delphicum condidiſſe; ex Ephoro memoriae prodiderit Strabo (*c*). Paullo certioris interpretationis eſſe videtur gentis Flauiae denarius, exhibitus a Fvlvio Vrsino (*d*), quippe in quo non modo caput muliebre, ſatis incultum cum paſſis crinibus, et adpoſita cithara viſitur, verum etiam ipſum Themidis nomen additum eſt. Supra enim adſcriptum eſt: C. Flav. Leg. Propr. infra: Hemis. In auerſa parte victoria conſpicitur, trophaeum coronans, cum lemmate: Imp. Brvt. infra Q. Caep. Pertinere hunc denarium ad C. Flauium, Caeſari inimiciſſimum, at Bruto, Caeſaris percuſſori tanto amiciorem (*e*), eiuſque aliquando praefectum fabrum (*f*), inter omnes conſtat, non aeque, quid ſibi velit illud Hemis, quod infra caput legitur. Nam Vrsinvs, vir in his rebus alioquin perſpicaciſſimus, illud accipit pro cognomine, nobiſque fingit C. Flavivm Hemim, quum vel hoc ipſum, vel flexum inde cognomen nuſquam inter tot Romanorum cognomina occurrat, niſi eo referre velis illud Hemvlli, quod eſt apud Grvtervm in marmore (*g*). *Fimbriarum* certe et *Puſionum* cognomina fuiſſe Flauiorum, qui libera republica in celebritate fuerunt, nemo ignorat: at *Hemides* illos eſſe cognominatos, nullo idoneo teſtimonio conſtat. Hinc acutum hic vidit vir reconditae eruditionis Iac. Perizonivs (*h*), non eſſe hoc cognomen C. Flauii, ſed ipſius feminae, cuius caput expreſſum ſit in denario, reſtitutaque littera detrita, illud legi oportere Themis, cui deinde et citharam, et paſſam atque horridam comam conuenire, operoſe docet. Et videntur ſane Flauii ideo in numis ac denariis ſuis conſecraſſe Themidem, quod praecipuum gentis ſuae auctorem venerarentur C. Flauium, qui *humili*

(*a*) *Apoth. Homeri p.* 59.
(*b*) *Numiſm. Rom. imper. praeſtant. Tom. II. p.* 190. *et Tom. I. p.* 211.
(*c*) *Libr.* VIIII. *p.* 422.
(*d*) *De num. famil. Rom. p.* 113. *edit.* Patini.
(*e*) Appian. *de bell. ciu. Libr.* II. *pag.* 700.
(*f*) Plvtarch. *in Bruto p.* 1008.
(*g*) *Inſcript. p.* DCCCLXXXI. 10.
(*h*) *Trig. diſſert. p.* 248. *ſequ.*

li fortuna ortus, ceterum callidus vir et facundus, ciuile ius, repoſitum in penetralibus pontificum euulgauerat (*a*), adeoque Themidos ope et ipſe ad aedilitatem adſpirauerat, et poſteris viam muniuerat ad ſplendidiorem fortunam. Iam vero quod ſymbolum iuriſprudentiae reperiri potuiſſet luculentius, quam *iſta* Themidis effigies? Comae incomtae, quas in numo conſpicis, fatidicam oſtendunt mulierem, Deoque, vti veteres loquebantur, plenam, ac proinde rerum diuinarum ſcientiſſimam. Talem VIRGILIVS (*b*) fingit Sibyllam,

Cui talia fanti
Ante fores, ſubito non vultus, non color vnus,
Non COMTAE *manſere* COMAE: *ſed pectus anhelum,*
Et rabie fera corda tument.

Talem SENECA (*c*) Caſſandram ſiſtit, cui

Pallor genas,
Creberque totum poſſidet corpus tremor,
Stetere vittae, mollis HORRESCIT COMA,
Anhela corda murmure incluſo fremunt.

Talem denique idem (*d*) deſcribit Pythiam, quae

Incipit - - ſpargere HORRENTES COMAS,
Et pati commota Phoebum.

Dicitur enim Themis prima oracula fudiſſe, reſque diuinas et ſacrificia docuiſſe mortales. Atque inde eſt, quod qui oracula edunt, dicuntur Θεμιςεύειν, ceu obſeruarunt DIODORVS SICVLVS (*e*) et SVIDAS (*f*). Additur autem in numo cithara, quia eadem Themis et ob facundiam rerumque humanarum notitiam celebratur, et proinde βȣλαία vocatur a PLVTARCHO (*g*), quia, vt DIODORVS refert, prima

(*a*) LIV. *Libr. VIIII. cap.* 46.
(*b*) *Libr. VI. Aen. v.* 46.
(*c*) *Agamemn. v.* 710. *ſequ.*
(*d*) *Oedip. v.* 230.
(*e*) *Libr. V. p.* 232.
(*f*) *Voce* Θεμιςεύειν.
(*g*) *Polit. praecept. p.* 802.

ma hominibus, quae ad iuris aequitatem et pacis ſtudia pertinent, tradidit, et, ſi HOMERO (*a*) credimus,

Ἠτ᾽ ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠ μὲν λύει, ἠδὲ καθίζει.
Hominum concilia vel dimittit, vel cogit.

En veram imaginem iuriſprudentiae, *diuinarum humanarumque rerum notitiae, iuſti iniuſtique ſcientiae*, quam ſane definitione non magis perſpicue ipſi iureconſulti, quam hac Themidis effigie gens Flauia, expreſſiſſe videntur. Huius quoque eſt θεμιστεύειν, id eſt, de iis, quae circa res diuinas humanaſque iuſta ſunt, reſpondere. Hanc quoque iure βουλαίαν, id eſt, *conſultricem* dixeris. *Eſt enim* ex CICERONIS (*b*) ſententia, *ſine dubio domus iureconſulti totius oraculum ciuitatis, vnde ſibi omnes conſilium expetunt,*

Suarum rerum incerti, quos is ſua ope ex
Incertis certos, compoteſque conſilii
Dimittit, vt ne res temere tractent turbidas.

Enimuero ne id quidem praetermittendum videtur, quod, quae in gentis Flauiae numo torua facie paſſiſque comis conſpicitur, Themis, eadem in altero Gothano virginis venuſtae eleganter comtae, laureaque cinctae, ſchema induit. Eſt enim haec iuriſprudentiae indoles, benignae bonis, malis inexorabilis, et, vt eleganter ait VLPIANVS (*c*), *bonos non ſolum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupientis.* Quemadmodum porro VLPIANVS noſter (*d*) *duas huius ſtudii poſitiones eſſe*, obſeruat, PVBLICVM *et* PRIVATVM: ita et numos vtrumque ius accurate ſecernere, animaduertimus. Protulit ſane CONSTANT. LANDVS (*e*) numum Gordiani, in quo tres cernuntur mulieres mitratae et ſtolatae, dextra libram, ſiniſtra cornucopiae tenentes, cum perigraphe: AEQVITATI PVBLICAE. Vbi tres illae mulieres procul dubio tres praecipuas iuris publici partes, PONTIFICIVM, FAETIALE et SENATORIVM ſignificant. Paullo poſt vero dum numum illum interpretatur, addit vir doctiſſimus (*f*): PRIVATAM AEQVITATEM *ſic effictam vidi. Erat mitrata palliataque, ſtans, libram dextra tenens, haſtam laeua.* Id quoque ſymbolum rei ſane conuenientiſſimum eſt.

Erat

(*a*) *Odyſſ. β. v. 69.*
(*b*) *De orat. Libr. I. cap. 45.*
(*c*) L. 1. §. 1. *D. de iuſt. et iur.*
(*d*) L. 1. §. 2. *D. de iuſt. et iur.*
(*e*) *Numiſm. ſelect. pag.* 137.
(*f*) *Ibid. pag.* 141.

Erat enim haſta ſignum iudiciorum priuatorum, vnde haſtae *praefuiſſe decemuiros ſtlitibus iudicandis*, teſtatur POMPONIVS (*a*). Hinc LVCANVS (*b*):

Seu trepidos ad iura decem vocat HASTA *virorum:*

Et PAPINIVS STATIVS (*c*):

Ceſſat centeni moderatrix iudicis, HASTA.

Ex quibus ſane intelligitur, ne partitionem quidem illam iuriſprudentiae omiſiſſe veteres numorum conditores, ſed publicum priuatumque ius elegantiſſimis ſymbolis expreſſiſſe. Iam ſi in titulo *de origine iuris omniumque magiſtratuum, et ſucceſſione prudentum* haerere vellemus, quantum lucis illi adfundere liceret ex vetuſtis numiſmatibus? Inde ſane mirifice illuſtratur, quidquid de magiſtratuum origine ſcripſit POMPONIVS. Sic quod ille narrat de *conſtitutis conſulibus, penes quos ſummum ius eſſet* (*d*), perſpicue confirmant gentis Iuniae denarii, quorum aduerſa pars praefert caput femininum cum litteris LIBERTAS, poſtica quatuor figuras togatas, quarum duae faſces et ſecures ferunt, cum epigraphe: BRVTVS (*e*): tum numus aureus Coſanorum, qui antica parte aquilam cum ſerto et fulmine, poſtica conſulem inter duos lictores ῥαβδοφόρους exhibet, cum litteris, ΚΟΣΩΝ (*f*). Prior a Bruto, percuſſore Caeſaris, cuſus populo in memoriam reuocat initium libertatis, conſulumque in locum exacti Tarquinii ſurrogatorum, et quidem *penes quos ſummum ius eſſet.* Id enim indicant faſces, ſumma poteſtatis inſignia, quibus, ſibi conſules par eſſe cum regibus imperium, oſtendebant, ceu obſeruat LIVIVS (*g*), qui repentinam illam reipublicae Romanae conuerſionem deſcribens: *Libertatis*, inquit, *originem inde magis, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quam quod deminutum quidquam ſit ex regia poteſtate, numeres. Omnia iura, omnia* INSIGNIA *primi conſules tenuere. Id modo cautum eſt, ne, ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur.* Quare et in ipſo numo conſulem alterum ſolum, alterum lictoribus ſtipatum, procedere,

(*a*) L. 2. §. 29. *de orig. iur.*
(*b*) *Panegyr. in Calpurn. Piſon.*
(*c*) *Libr. IIII. ſilu. IIII. v.* 43.
(*d*) L. 2. §. 16. D. *de orig. iur.*
(*e*) VRSIN. *in num. famil. pag.* 139.
(*f*) PATIN. *ibid. pag.* 140.
(*g*) LIV. *Libr. II. cap.* 1.

dere, animaduertimus, eaque in re facile adſentimur Lavr. Begero (*a*). Ex poſteriore numo ſimul originem faſcium diſcimus. Nam Coſani Etruriae populus ſunt, vnde faſces et pleraque alia magiſtratuum inſignia ſumta eſſe, memoriae prodiderunt Sallvstivs (*b*), Dionys. Halicarnassensis (*c*), Strabo (*d*), Silivs Italicvs (*e*), et Florvs (*f*). Addi poſſent numi Aemiliorum, Calpurniorum, Corneliorum, in quibus modo ſella curulis cum binis vtrimque faſcibus et ſecuribus, modo conſul togatus inter faſces conſulares, immo et coronatos aliquando conſpicitur. Sed otium nobis hic fecit illuſtris Spanhemivs (*g*), qui hos numos tam praeclare expoſuit, vt, ſi verbum adderem, Iliada poſt Homerum ſcribere velle viderer.

De conſulibus porro obſeruat Pomponivs (*h*), *ne illi per omnia regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſſe, vt ab iis prouocatio eſſet, neue poſſent in caput ciuis Romani animaduertere iniuſſu populi, ſolum relictum eſſe iis, vt coercere poſſent, et in vincula publica duci iubere.* Vulgo equidem iam a regibus prouocatum eſſe ad populum, ex notiſſimo Horatii Tergemini iudicio colligunt, eiuſque ſententiae magnos habent auctores Ciceronem apud Senecam (*i*), Fabivm apud Livivm (*k*), et Valerivm Maximvm (*l*). At ex ipſa Tulli Hoſtilii hiſtoria intelligimus, non prouocaſſe Horatium a rege, ſed a duumuiris quaeſitoribus, quos rex, *ne ipſe tam triſtis ingratique ad vulgus iudicii, aut ſecundum iudicium ſupplicii auctor eſſet, creauerat, addita horrendi carminis lege: duumuiri perduellionem iudicent. Si* a dvvmviris provocarit, *prouocatione certato*, vti rem refert Livivs (*m*). De prouocatione ergo multo poſt, libera demum republica, latae ſunt leges, quibus et ius animaduertendi in caput ciuis Romani ademtum eſt conſulibus, et ipſa coercitio tam arctis circumſcripta limitibus, vt ne in terga quidem ſceleratorum ciuium ſaeuire illis permitteretur. Pertinent ſane eo leges, latae a P. Valerio Poplicola apud Livivm (*n*), Plvtarchvm (*o*), Dionysivm (*p*), ac deinde aliquoties relatae, veluti a L. Valerio Poplicola

(*a*) *Ad Flor. Libr.* I. *cap.* 9. *p.* 85.
(*b*) *Catilin. cap.* 51.
(*c*) *Libr. III. cap.* 84.
(*d*) *Libr. V. p.* 220.
(*e*) *Libr.* VIII. *v.* 486.
(*f*) *Libr.* I. *cap.* 5.
(*g*) *De vſu et praeſt. num. diſſ.* 10. *pag.* 87. *ſeqq. Tom.* II.
(*h*) L. 2. §. 16. *D. de orig. iur.*
(*i*) *Epiſt.* CVIII.
(*k*) *Libr.* VIII. *cap.* 33.
(*l*) *Libr.* VIII. *cap.* 1. *exempl.* 1.
(*m*) *Libr.* I. *cap.* 26.
(*n*) *Libr.* II. *cap.* 8.
(*o*) *Poplic. p.* 102.
(*p*) *Libr. V. p.* 292.

Poplicola anno V. C. CCCIIII. (*a*), a M. Valerio Coruo, anno V. C. CCCCLII. (*b*), ac demum, ſemper in contrarium nitentibus conſulibus, a M. Porcio Laeca, tribuno plebis (*c*). Et huius quidem legis Porciae inſigne monimentum exſtat numus gentis Porciae aeneus, cuius in aduerſa parte eſt caput galeatum Romae, cum epigraphe: P. LAECA. ROMA: in auerſa ciui Romano ſtanti et prouocanti ſtans itidem magiſtratus manum imponit, ſtante a tergo lictore cum virga, infra autem PROVOCO (*d*). Habes ergo hic lictorem virgis in corpus ciuis Romani ſaeuire paratum, habes magiſtratum, ad quem damnatus manibus porrectis prouocat, manum capiti imponentem, eumque veluti in libertatem adſerentem, vt vere idem hoc numo elegantiſſimo exprimatur, quod de lege Porcia ſcripſit LIVIVS (*e*), *eam ſolam pro tergo ciuium latam, graui poena, ſi quis verberaſſet necaſſetue ciuem Romanum, ſanxiſſe*, immo et, quod a POMPONIO noſtro obſeruatum eſt, *lege lata factum eſſe, vt a conſulibus eſſet prouocatio, neue poſſent in caput ciuis Romani animaduertere iniuſſu populi.*

Quae idem POMPONIVS (*f*) de origine cenſorum, eorumque officio tradit, ea non aliunde accuratius, quam ex gentium Romanarum numis poſſunt illuſtrari, idque iam cum cura fecit EZ. SPANHEMIVS (*g*). Quum enim cenſorum eſſet cenſum agere, luſtrum condere, equites luſtrare, eoſque, qui parum frugi eſſent, exempli cauſſa notare, ea fere omnia in numis exprimi animaduertimus. In numo enim gentis Liciniae figura quaedam haſtata equum adducit, cui adſcriptum P. CRASSVS M. F. (*h*) in alio gentis Tulliae, quem in lucem protraxit VAILLANTIVS (*i*), ſimilis fere figura eſt, cum lemmate: M. TVLLIVS M. F. eoque numo memoriam gentis ſuae auctoris, Seruii Tullii, regis, renouare voluiſſe videtur Tullius, quem primum populum Romanum in cenſum retuliſſe, et digeſſiſſe in claſſes et centurias, cenſumque et luſtrum inſtituiſſe, nemo ignorat. Exſtat etiam Claudii imp. numus, in quo imperator inſidet ſellae curuli, alius vero equum adducit, addito infra lemmate: CENSOR (*k*). Quae quidem numiſmata omnia lucem ſimul adfundunt loco VLPIANI (*l*), vbi mentionem facit eorum, *qui equo publico in cauſſa publica tranſuehuntur*, de qua tranſuectione equitum ſollemni nuper, quidquid dici poterat, ſingulari diſſertatione

(*a*) LIV. *Libr.* III. *cap.* 55.
(*b*) Idem *Libr.* X. *cap.* 9.
(*c*) Idem *ibid.*
(*d*) VRSIN. *num. famil. p.* 228.
(*e*) *Libr. X. cap.* 9.
(*f*) *L.* 2. *§.* 17. *D. de orig. iur.*
(*g*) *De vſu et praeſt. num. diſſ. X. p.* 199. *ſequ. Tom. II.*
(*h*) VRSIN. *num. famil. p.* 149.
(*i*) *Apud* SPANH. *ibid. p.* 101.
(*k*) *Apud eundem* SPANH. *p.* 501.
(*l*) *L.* 8. *D. de in ius voc.*

ſertatione accuratiſſime dixit vir eruditiſſimus, quem honoris cauſſa nomino, Io. Erhardvs Kappivs (a). Porro luſtrum a cenſore conditum oſtendit numus gentis Poſtumiae apud Vaillantivm (b), in quo cenſor dextra vas, ſiniſtra ramum luſtralem praefert: quamuis ex inſcriptione: M. Postvm. Albin. L. Porc. Capit. II. Vir colligant viri docti, denarium illum pertinere ad cenſum in municipio quodam vel colonia actum, ſiquidem et in his ac prouinciis cenſores fuiſſe, viri docti iam pridem ex Cicerone (c), Livio (d), ipſiſque vetuſtis marmoribus (e) probarunt.

Eodem modo et, quae de reliquis magiſtratibus diſſerit Pomponivs, ex numis poſſemus illuſtrare, niſi hunc laborem iam occupaſſet laudatus Spanhemivs, qui eadem diſſertatione decima de praetoribus, aedilibus curulibus et plebeiis, quaeſtoribus et proquaeſtoribus, triumuiris et quatuoruiris monetalibus, praefectis fabrum, itemque magiſtratibus extraordinariis, veluti dictatoribus, triumuiris reipubl. conſtituendae, proconſulibus, propraetoribus, legatis pro conſule et pro praetore, praefectis claſſi et orae maritimae accurate egit, nihilque eorum, quae ad eorum magiſtratuum officium, poteſtatem ac iuriſdictionem pertinent, praetermiſit, vt adeo haec diſſertatio ſimul ad titulos omnes pandectarum de officiis magiſtratuum illuſtrandos in primis facere videatur.

Quare, his omiſſis, ad prudentum ſucceſſionem, quam Pomponivs noſter deſcripſit, prouehimur, viſuri, an iuriſconſultorum etiam in numis exſtet memoria. Quamuis enim eos ab obliuione facile vindicent inſignia ingenii monimenta, quorum vel rudera in fragmentis, a Ivstiniano ſeruatis, hodie admiramur, et vere eorum quiſque gloriari poſſe videatur cum Horatio (f):

Exegi monimentum aere perennius,
Regalique ſitu pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, et fuga temporum:

Eee 2 iucun-

(a) *De tranſuect. equit.* Lipſiae cIↄIↄccxxxiiii.
(b) *De famil. Rom. Tom.* II. *p.* 312.
(c) *Pro Cluentio cap.* 4. *Verr.* II. *cap.* 53.
(d) Liv. *Libr.* XXVIIII. *cap.* 15. *et* 37.
(e) Spon. *Miſcellan. p.* 169.
(f) *Libr.* III. *Carm. od.* 30. *v.* 1.

iucundum tamen fuerit, et in aere ſpectare veteris alicuius iuriſconſulti faciem, maxime quum de doctiſſimorum illorum virorum vita ac rebus geſtis veluti ex compacto ſileant ſcriptores, eaque pars hiſtoriae litterariae et hodie in tanta litterarum luce minime omnium exculta ac perpolita ſit. Et FVLV. quidem VRSINVS (*a*) profert gentis Sulpiciae denarium, quem ad SER. SVLPICIVM, iureconſultum ſine exemplo maximum, pertinere arbitratur. In eius enim aduerſa parte caput virile cernitur cum epigraphe: L. SERVIVS RVFVS, in auerſa duae figurae nudae, at galeatae tamen, haſtas decuſſatim tenentes. Sed dubiam hanc doctiſſimi viri coniecturam reddit praenomen *Lucii*, non quod eum alii Publium vocare malint, (nam et horum non certior eſt, quam FVLV. VRSINI, diuinatio,) ſed quod viri doctiſſimi plane negent, Sulpicio noſtro vllum aliud, quam *Seruii*, praenomen fuiſſe, quamuis alioquin pleroſque ex gente Seruia duobus praenominibus vſos eſſe, facile largiantur (*b*). Certe nuſquam in vetuſtis monimentis vel *Publii* vel *Lucii* praenomen illi tribuitur, ſed Seruii tantum, ac proinde, an in denario illo ICti noſtri vultum cernamus, non magis certo ſcimus, quam an aliquis ex eius filiis denarium hunc in maximi patris honorem ſignarit, quod vt credamus, idem auctor nobis eſt FVLV. VRSINVS (*c*), ſi forte prior ſententia minus adrideat. Ac proinde, ſi dicendum quod res eſt, nullius adhuc iureconſulti veteris numus, qui quidem indubiae fidei ſit, prolatus eſt ab antiquariis. Solis autem incertis indulgere coniecturis, merito religioni nobis ducimus.

Multa poſt titulum de origine iuris in pandectis occurrunt de legibus, SCtis, principumque conſtitutionibus, in quibus nos itidem non plane deſtituunt numi veteres. Saltim enim ad legum illuſtrandam hiſtoriam non mediocrem illi adferunt vtilitatem. Non eſt, quod iam immoremur numis gentis Caſſiae, in quibus templum Veſtae, et ſitella ac tabella cum litteris A. C. id eſt ABSOLVO et CONDEMNO cernitur, quorum tres elegantiſſimos dedit FVLV. VRSINVS (*d*). Vnuſquiſque enim intelligit, monimentum hoc eſſe legis tabellariae, latae anno V. C. DCLIII. a L. Caſſio Longino, tribuno plebis, qua cautum, vt iudices non viua voce dicerent ſententiam, ſed tabellis litteris A. C. et N. L. notatis ſuffragium ferrent praeterquam in crimine perduellionis (*e*). Id vero monere non abs re viſum eſt, VRSINVM eodem

(*a*) *De num. famil. p.* 257.
(*b*) EV. OTTO *de Ser. Sulpicio ICto cap.* I. §. 4. *p.* 1559. *Theſ. Iur. Tom. V.*
(*c*) *Ibid. p.* 269.
(*d*) *De famil. Rom. p.* 67.
(*e*) CICERO *de leg. Libr.* III. *cap.* 16.

dem referre numum alium, cuius in aduerſa caput Veſtae, vti in reliquis; in auerſa figura togata conſpicitur, tabellam, cui A inſcriptum, immittens vrnae, cum litteris: LONGIN. III. V. Sed praeterquam quod vrna haec cylindrica, et ſitellae, quam in reliquis eius numis obſeruamus, plane diſſimilis eſt, ne litteram quidem A in tabella illa deprehendit VAILLANTIVS, ſed litteram V, eumque acutum vidiſſe, exemplo eius numi integerrimo, aeri inciſo, probauit v. c. CHRIST. SIGISM. LIEBIVS (*a*). Vnde et quae EZ. SPANHEMIVS (*b*) ad illuſtrandum hunc numum attulit, cadunt omnia. Potius ergo in ea tabula exhibetur Caſſius aliquis, qui in comitiis pro tribu ſua primus ſuffragium tulit, tabulamque, littera V. ſignatam iniecit ciſtae vt V. illud ſignificet VTI ROGAS. Cuius rei memoriam vel ideo dignam credere potuerunt Caſſii, quae aere perenni ad poſteritatem conſeruaretur, quod fortaſſis tanta fuit huius viri auctoritas, vt in eius ſententiam reliqui ciues omnes ſuffragium darent. Quamuis enim occulta eſſent ſuffragia, quae per tabellas ferebantur, et hinc, teſte CICERONE (*c*), *populo gratiſſima eſſet tabella, quae frontes aperiebat hominum, mentes tegebat, dabatque eam libertatem, vt, quod vellent facerent, promitterent, quod rogarentur:* nullum tamen dubium eſt, quin viris callidis et potentibus non defuerit occaſio, aliorum vel emendicandi, vel mercandi ſuffragia, atque ita de ferendis legibus conferendiſque honoribus omnia ſuo arbitrio ſtatuendi. Profert illuſtris SPANHEMIVS (*d*) aliud exemplum legis, cuius memoria in denario gentis Papiae ſeruatur. In eius enim parte antica viſitur Iunonis Siſpitae caput cum tabula, cui inſcriptum PAPI; in poſtica figura gryphi cum litteris: L. PAPIVS. Pertinet enim hic denarius ad legem Papiam de peregrinis, de qua plura nos alibi diximus (*e*). Aſt paucis his exemplis ab illuſtri SPANHEMIO recenſitis addi poſſunt bini alii denarii, alter gentis Coeliae, alter Liciniae. In priore enim, cuſo a CALDO IIIVIRO antica ſiſtit caput C. COEL. CALDI COS. et pone illud tabulam cum litteris L. D. (*f*) in poſteriore totus ritus ferendi leges tam eleganter et perſpicue ob oculos ponitur, vt contemplatione digniſſimus eſſe videatur. Et numus quidem ille prior pertinet ad legem anno V. C. DCXXXXVI. latam a C. Coelio Caldo, qui et iudicio maieſtatis, quod Caſſius exceperat.,

(*a*) *Goth. num. cap.* 6. §. 11. *p.* 224.
(*b*) *Tom.* II. *p.* 199.
(*c*) *Pro Planc. cap.* 6.
(*d*) *Tom.* II. *p.* 200.
(*e*) *Comm. ad Leg. Iul. et Pap. Libr.* I. *cap.* 1. *p.* 12.
(*f*) *Apud* VRSIN. *de fam. Rom. p.* 79.

ceperat, tabellam dabat, et vt Popilium, quem perduellionis reum facere decreuerat, eo facilius opprimeret, nouam legem tabellariam ferebat, diſtribuebatque tabulas, quarum alteri L. id eſt LIBERO; alteri D. id eſt, DAMNO erat inſcriptum (*a*). Poſterior vero in aduerſa parte exhibet caput Romae galeatum, cum litteris ROMA; in auerſa duas figuras per pontem euntes, quarum vna tabulam a diribitore accipit, altera iam acceptam vrnae vel ciſtae immittit, addita epigraphe: P. NERVA (*b*). Equidem quis ille ſit Nerua, et vtrum e Silia, an e Licinia gente prodierit, denique cur hunc leges ferendi ritum in numo ſuo expreſſerit, ſcire me fateor cum ignariſſimis, neque rem expediuerunt VAILLANTIVS (*c*) et Ez. SPANHEMIVS (*d*). Nec video, quo fretus argumento illuſtris SPANHEMIVS comitia potius centuriata, quam tributa, in hoc numo videre ſibi viſus ſit. Siue enim leges ferrentur, ſiue crearentur magiſtratus, vtrumque eodem ritu fiebat. Id vero extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, in hoc numo conſpici *pontem*, *ouile vel ſeptum*, *diribitorem*, *ciſtam*, et *ſuffragatores*. Solebant enim ciues laturi ſuffragium ſeptis vel cancellis includi, quos ouile vocat LVCANVS (*e*) verſu notiſſimo:

Et miſerae maculauit ouilia Romae.

nec non alibi (*f*):

Septorumque nefas, et clauſi praelia campi.

Vt vero eo minus dubitare poſſimus, ſepta eſſe, quae in hoc denario exprimuntur, non modo clathra ita ſculpta ſunt, vt in oculos incurrant, verum etiam ſuperius viſitur ouicula, vel aliud quodcumque animal domeſticum, quamuis hoc in ectypo apud VRSINVM omnino deſit. In hoc ſepto ſinguli a diribitore accipiebant tabellas, quarum alterutram deinde euntes per pontes, id eſt, per tabulata anguſtiora, ſubitario opere conſtructa, ciſtae immittebant. Hinc, diremtis ſuffragiis, dinumeratiſque tabellis, facile adparebat, in vtram partem populus eſſet procliuior,

(*a*) CIC. *de Leg. Libr.* III. *cap.* 16.
(*b*) VRSIN. *ibid. p.* 151.
(*c*) *De famil. Tom.* II. *p.* 423.
(*d*) *Tom.* II. *p.* 192.
(*e*) *Pharſ. Libr.* II. *v.* 197.
(*f*) *Libr.* VII. *v.* 306.

cliuior. Qua de re accuratius egerunt PAVLL. MANVTIVS (*a*), CAR. SIGONIVS (*b*), aliique, qui antiquitates Romanas ex inſtituto deſcripſerunt. Et iam demum intelligimus, cur lex fuerit Romanis, quam populus Romanus rogante ſenatorio magiſtratu, veluti conſule, conſtituerit (*c*). PLEBISCITA porro qua in re diſcreparint a LEGIBVS, ex ipſo iure noſtro ſatis notum eſt. Ne vero hic nihil nos iuuare velle viderentur, qui auro, argento, aeri flando, feriundo praeerant, ii ſaltim loca, vbi et leges ferri et plebiſcita rogari conſueuerunt, nobis eleganter in numis delineant. Illis ferendis praecipue deſtinatum erat COMITIVM, quod vna cum ſeptis et aede Veneris Cloacinae, et inſcriptione: CLOACIN. conſpicimus in gentis Muſſidiae denariis apud VRSINVM (*d*). Haec quamquam modo in comitio, modo alio loco habebantur, praecipue tamen concionibus tribuniciis, quibus plebs ad nouas leges iubendas incitari ſolebat, deſtinata erant ROSTRA, in quibus et alii magiſtratus concionari, honores auſpicari, in leges iurare, et magiſtratum ponere conſueuerant. Quum vero roſtra alia eſſent *vetera*, alia *noua* vel *Iulia*: illorum figuram in numis gentis Lolliae (*e*), ex qua M. Lollius Palikanus ſuppreſſae a Sulla tribuniciae poteſtatis reſtituendae auctor fuerat (*f*); horum in Sulpiciae denariis conſpicimus (*g*). Et in illis quidem ſedile poſitum cernimus, vt adpareat, quomodo e loco ſublimi concionati ſint tribuni: in his duo conſules ſedent, quaſi agentes cum populo, et vel legem ſuadentes, vel differentes de republica. Id quoque ſingulare eſt, quod in Palikani numo LIBERTATIS effigies et vocabulum deprehendimus. In veteribus enim roſtris quam maxime regnabat libertas, adeo vt tribuni plebis ex illo loco ſaepe in maximos magiſtratus non modo acerbiſſima oratione inueherentur, ſed et eos, conſiliis ſuis obnitentes, in vincula duci iuberent. Vnde roſtra βῆμα τὸ ἐλευθέριον, ſeu *libertatis tribunal*, vocari a DIONE CASSIO (*h*), iam VRSINVS et SPANHEMIVS (*i*) obſeruarunt.

Sed haec quidem de legibus et plebiſcitis dicta ſufficiant. De Senatuſconſultis enim nihil eſt, quod ex numis addamus, niſi quod numos etiam ipſos ex SC. cuſos eſſe, ipſi numi indicent, in quibus frequen-

(*a*) *De Legib. p. m.* 238. *ſequ.*
(*b*) *De iure ciu. Rom. libr.* I. *cap.* 17.
(*c*) §. 4. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciu.*
(*d*) *De famil. Rom. pag.* 182.
(*e*) VRSIN. *ibid.*
(*f*) ASCON. PAEDIAN. *in diuinat.*
(*g*) VRSIN. *ibid. p.* 270.
(*h*) *Libr. XXXXV. p.* 286.
(*i*) *Tomo* II. *p.* 190.

quentiſſime occurrunt litterae SC. At de principum conſtitutionibus quaedam dicenda ſuperſunt, hic non omnino praetereunda. Ius conſtitutionibus leges ferendi ius noſtrum arceſſit a lege regia, qua populus Romanus Imperatori et in Imperatorem omne imperium ſuum et poteſtatem contulerit (*a*). Qualis ſit illa lex regia, magnopere inter ſe omni tempore diſceptarunt iureconſulti, nec defuerunt, qui ſecantes nodum, quem ſoluere non poterant, ipſam legem nullum, niſi in Triboniani cerebro, praeſidium habere exiſtimarent. Sed horum ſententiam ſatis ſuperque profligarunt viri docti, et maxime Io. Fr. Gronovivs, qui inter primos in viam reduxit iureconſultos errantes, et vix habentes, vbi conſiſterent. Nimirum Senatus populuſque Romanus primum in Auguſti, deinde eius ſucceſſorum honorem, in primis, quoties hi auſpicabantur imperium, permulta decernebat, quae ad eorum poteſtatem atque imperium pertinebant. Ea decreta vel SCa deinde coniunctim legis regiae nomine venerunt, vt recte dicere poſſis, legem regiam nihil aliud eſſe quam formulam imperii, poteſtatiſque, imperatoribus paullatim delatae a ſenatu populoque Romano. Et ad huiuſmodi decretum procul dubio pertinet numus Auguſti, a Mediobarbo (*b*) et Carolo Patino (*c*) editus, cuius in parte antica eſt caput Auguſti cum perigraphe: Divvs Avg. SC. in poſtica figura conſulari habitu, inſidens ſellae curuli, orbem ſiniſtra, (qui tamen in ectypo Patini non conſpicitur,) dextra ramos oliuae geſtans, cum titulo: CONSENSV SENAT. ET EQ. ORDIN. P. Q. R. Quum vero orbis, ipſumque hominis ſchema imperium ſummum belli paciſque tempore ſignificet: numi non alius poteſt eſſe ſenſus, quam imperium ſummum in Auguſtum collatum eſſe *conſenſu ſenatus, et equeſtris ordinis, populique Romani*, quae ipſa, vt vidimus, eſt legis regiae definitio. Tales plures ſunt numi reliquorum Imperatorum, vbi modo Imperator et Roma coniunctim exhibentur, modo haec illi ſeſe veluti deuouere videtur, vt dubitare non poſſis, quin eodem pertineant: at iis, promiſſae breuitatis memores, iam non immoramur. Quare ad iura potius perſonarum ſtatumque hominum progredimur, ſecundum quem alios liberos, alios ſeruilis conditionis, alios ciues, alios peregrinos, denique alios ſui, alios alieni iuris eſſe, nouimus. Et ſeruorum quidem tam miſera erat conditio, vt eorum vix rationem in numis habuerint Romani. At manumiſſionis tamen ritum inde quodammodo

(*a*) §. 6. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciu. l.* 1. *pr. D. de conſt. princ.*

(*b*) *Numiſm. Imp. Rom. p.* 44.

(*c*) *Numiſm. Imp. p.* 40.

modo poſſe illuſtrari arbitramur. Exſtant ſane numi Neruae (*a*) aliorumque, in quibus femina, decore veſtita, dextra pileum, laeua baculum, longiorem modo, modo breuiorem tenet, cum perigraphe LIBERTAS PVBLICA. Iam quidem non ad priuatorum, ſed ad ipſius rei publicae, libertatem pertinere haec numiſmata, ex ipſa inſcriptione ſatis unuſquiſque intelligit: at hanc tamen iis ſymbolis adumbrari obſeruamus, quibus priuati vtebantur in manumiſſionibus. Fiebant hae per vindictam, id eſt, per baculum, quem et feſtucam vocat PLAVTVS (*b*):

Quid? ean, ingenua, an FESTVCA *facta e ſerua libera eſt.*

nec non PERSIVS (*c*):

Hic hic, quem quaerimus, hic eſt,
Non in FESTVCA, *lictor quam iactat ineptus.*

Et talem feſtucam vel vindictam ſiniſtra praeferre libertatem exiſtimo; non ſceptrum, tamquam ſignum imperii, quod videre ſibi viſus eſt LAVR. BEGERVS (*d*), nec haſtam, pro qua geſtamen illud habuit CONST. LANDVS (*e*), quum poſteriora illa ad libertatem non pertineant, nec cum ea quidquam habeant commune, vindicta vero vel feſtuca ſymbolum ſit, libertati conuenientiſſimum. Id quod et de pileo, quem dextra tenet libertas, dicendum eſt. Quum enim, raſo in templo Feroniae capite, pileum ſumere ſolerent libertini, ſeu patet ex loco PLAVTI (*f*):

Vt ego hic hodie RASO CAPITE *caluus capiam* PILEVM.

vbi exquiſita ſunt quae notauit TAVBMANNVS: libertati etiam publicae non aliud ſymbolum putabant conuenientius eſſe, quam pilei, adeo vt Brutus aliique Caeſaris percuſſores non modo pileum cum duobus pugionibus in numis ſignarint, vt, rem publicam a ſe in libertatem adſertam, oſtenderent (*g*), ſed et pileum haſta per vrbem circumtulerint, populumque ad pileum tamquam ad libertatem vindicarint.

 Qua

(*a*) CONST. LANDI *num. ſelect. p.* 56. LAVR. BEG. *in Flor. libr. I. cap.* 9. *pag.* 84.

(*b*) *Mil. glorioſ. act.* IIII. *ſcen.* 1. *v.* 15.

(*c*) *Sat. V. v.* 174.

(*d*) *Ad Flor. p.* 54.

(*e*) *Sel. numiſm. p.* 57.

(*f*) *Amphitr. act. I. ſcen. I. v.* 306.

(*g*) VRSIN. *de famil. Rom. p.* 142. 263.

Qua de re APPIANVS (*a*): Οἱ δὲ σφαγεῖς τὰ ἱμάτια ταῖς λαιαῖς ὥς περ ἀσπίδας περιπλεξάμενοι, καὶ τὰ ξίφη μετὰ τοῦ αἵματος ἔχοντες, ἐβοηδρόμουν βασιλέα καὶ τύραννον ἀνελεῖν, καὶ πῖλον τὶς ἐπὶ δόρατος ἔφερε, σύμβολον ΕΛΕΥΘΕΡΩΣΕΩΣ. *Percuſſores autem eius togis circum laeuas manus obuolutis vice clypei, cruentos gladios tenentes currenteſque vociferabantur, regem et tyrannum ſe occidiſſe, praeferente quodam in haſta pileum recuperatae* LIBERTATIS INSIGNE. Ceterum et Feroniae Deae, cuius in fano caput radere pileumque ſumere ſolebant libertini, caput, ſi videre geſtis, habes in numis gentis Petroniae apud VRSINVM (*b*), vbi de ſacris et cultu eius apud Sabinos plura vir hic doctiſſimus obſeruauit. Quae de iure ciuitatis ex numis obſeruari poterant, ea omnia in praeclaro atque aeterno opere de orbe Romano occupauit laudatiſſimus EZ. SPANHEMIVS, vbi et inſignem iſtum Antonini Pii numum in cuius auerſa parte intra coronam lauream legitur: S. P. Q. R. AMPLIATORI CIVIVM erudite expoſuit, nec eum ad celebrem LEG. XVII. DIG. DE STATV HOMINVM, quo Antonini beneficio omnes, qui in orbe Romano ſunt, ciues Romani effecti eſſe dicuntur, pertinere, ita demonſtrauit vt otium aliis feciſſe videatur (*c*). Itaque potius ad ſtatum familiae prouehimur, ad quem et ADOPTIO pertinet, et EMANCIPATIO de qua ſingularem in Digeſtis titulum exſtare nouimus. Et adoptionis quidem monimentum inſigne habemus in numo aureo Neruae, quem ex ineditis GOLZII ſchedis extulit EZ. SPANHEMIVS (*d*). In eo enim Nerua Imp. Traiano paludato dextram porrigit, adſcripto vocabulo: ADOPTIO. Equidem quo ritu priuati et adrogarint, et adoptarint, ipſa iura noſtra ſatis docent. At vix horum quidquam poſt Neronem obſeruarunt principes, qui ſufficere exiſtimabant ſi conſenſum adoptantis et adoptiui quocumque modo exprimerent. Quumque iunctae dextrae conſenſum vel maxime indicent: ſaepe hoc ſolo ritu vtebantur. Sic de Galba memoriae proditum eſt, eum Piſonem non vt priuatum lege curiata, et apud Pontifices, ſed exemplo Auguſti et more militari, quo vir virum legit, adoptaſſe, ac proinde *adprehenſa Piſonis manu* eum ſibi filium eſſe iuſſiſſe (*e*). Sufficiebant nimirum principibus iunctae manus, non modo quod dextra amoris et fidei ſignum eſſet, ceu ſuſpicatus eſt vir doctiſſimus, peritiſſimuſque iuriſprudentiae ſymbolicae, EV. OTTO (*f*), ſed et quia conſen-

ſus

[*a*] *De bello civili libr.* II. *p.* 503.

[*b*] *Ibid. p.* 205.

[*c*] *Orb. Rom. Exerc.* II. *cap.* 1. *p.* 117 *ſequ.*

[*d*] *Not. ad Iulian. Orat.* I.

[*e*] TACIT. *Hiſt. libr.* I. *cap. XV. ſeqq.* SVETON. *Galb. cap. V.* 17.

[*f*] *Iuriſpr. ſymbol. Ex.* III. *cap.* 2.

ſus in idem placitum ſignum luculentiſſimum, et apud omnes peraeque gentes receptum, ſunt iunctae dextrae: in arrogatione vero vel maxime neceſſarium videtur, teſte CAIO NOSTRO (*a*), *vt et is, qui adoptat, interrogetur, an velit eum, quem adoptaturus ſit, iuſtum ſibi filium eſſe? et is, qui adoptatur, an id fieri patiatur?* Sunt etiam numi, qui effectus adoptionis, quales in iure noſtro deſcribuntur, praeclare illuſtrant. Participes adoptiui fiebant iurium agnationis (*b*), imaginum, nobilitatis patriciae, ſacrorum (*c*), ſucceſſionis (*d*), et vt paucis dicamus, aeque iuſti erant filii, ac ſi ex adoptante eiuſque matrefamilias eſſent nati (*e*). Pleraque huius generis ex numis diſcimus. Adoptiuus enim et adoptiua ſeſe adoptantis filium filiamque, immo et nepotem neptemue eius, quo patre adoptans vſus fuerat, adpellabant. Talis ſane eſt Hadriani Imperatoris numus, quem ex illuſtris Faucaulti cimmeliis extulit HARDVINVS (*f*), in quo Imperatoris capiti adſcribitur: ΑΥΤ. Κ. ΝΕΡ. ΥΙΩ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ, id eſt *Imperator, Caeſar, Neruae nepos, (υιωνὸς) Traianus, Hadrianus.* Adeo verum eſt, adoptionem iura agnationis nomenque adoptiuis tribuiſſe. Facile etiam ius imaginum ad adoptiuos perueniſſe, ex numis probari poteſt, quorum vnum vel alterum tantum hic adferre iuuat, puta vnum Druſi, Tiberii et Agrippinae filii, qui quum familiam Iuliam non niſi ex patris adoptione attingeret, Venerem tamen, vnde genti Iuliae origo eſſe credebatur, et quidem Paphiam expreſſit in numo apud CAR. PATINVM (*g*): et ipſius Auguſti, qui quamuis ex Octauia gente eſſet, adoptatus tamen a Caeſare ipſe quoque Aeneam, Anchiſen cum penatibus exportantem, et Iulum pone ſequentem, in numo apud eumdem PATINVM (*h*) exhibet. In EMANCIPATIONE vetere, cuius ritum accuratius deſcripſit CAIVS iureconſultus apud BOETHIVM (*i*) non poſtremae erant partes *libripendis* et *anteſtati*, quorum ille aeneam libram tenebat, in quam pater fiduciarius numum ſeſtertium proiiceret: hic praeſentes teſtes, tactis auriculis, rei meminiſſe iubebat: vterque ritus ex veteribus numis quodammodo poteſt illuſtrari. Solebant veteres non numerare numos, ſed adpendere, vti ipſae loquutiones Latinae: *expendere numos, expenſum ferre, compenſare, pendere ſumtus* (*k*), *adpen-*

[*a*] *L.* 2. *D. pr. de adopt. et emanc.*
[*b*] L. 23. D. *eod.*
[*c*] *L.* 13. *D. eod.* PERIZON. *Trig. Diſſert. p.* 83.
[*d*] §. 2. *Inſt. de legit. agn. ſucceſſ.*
[*e*] GELL. *Noct. Attic. Lib. V. cap.* 19.
[*f*] *Select. Op. p.* 758.
[*g*] *Numiſm. Imp. p.* 62.
[*h*] *Ibid. p.* 37.
(*i*) *Ad Top. Cic. cap.* 3.
(*k*) *L.* 52. §. 15. *D. pro ſoc.*

adpendere dotem (*a*) ; quippe ab antiquo illo ritu deductae ; ſatis ſuperque docent. Hinc in aerario adſeruabantur pondera publica, quibus Quaeſtores in adpendenda pecunia vterentur, qualia praeter Thom. Reinesivm (*b*) edidit Lavr. Begervs (*c*), cui et numos debemus, quorum in vno virgo ſtolata iuſtitiae et aequitati, qualis in numis cernitur, per omnia ſimilis dextra libram tenet, laeua cornu copiae, cum epigraphe : SACRA. MONET. Avgg. Et Caess. NOSTR. P. Q. R. in altero tres huiuſmodi figurae conſpiciuntur cum lemmate : MONETA Avg. S. C. vt inde, quales fuerint veterum librae, quas libripendes manu tenebant, vnuſquiſque perſpicere poſſit. Ad *Anteſtati* officium illuſtrandum vel maxime pertinerent numi, quorum mentionem fecit Mvretvs (*d*), ſi illos ab vllo eorum, quos conſulere licuit, ſcriptorum delineatos vidiſſem. Refert enim, ſe vidiſſe numos, in quibus quis alteri aurem velleret, adſcriptis litteris ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ. Id tamen viro tam candido eo facilius credimus, quo magis conſtat, exſtare gemmas eiuſdem vel non abſimilis χαράγματος, quarum mentionem faciunt Iac. Raevardvs (*e*), Ivstvs Lipsivs (*f*) et Car. Sponivs (*g*). Solebant enim, qui anteſtabantur, alterius tangere auriculas, in quibus veteres memoriae veluti ſedem ac domicilium tribuerant. Plinivs (*h*) : *Eſt in aure ima memoriae locus, quem tangentes anteſtamur.* Et Horativs (*i*) :

Caſu venit obuius illi
Aduerſarius : et quo tu, turpiſſime? magna
Exclamat voce : et licet anteſtari? ego vero
Oppono AVRICVLAM.

Sed et alibi obſeruauimus, Clementem Alexandrinvm (*k*) inter ritus teſtamentarios, (nam et teſtamenta per aes et libram, ſeu mancipationem condebantur,) recenſere etiam ὤτων ἐπιφαύσεις, vel *aurium tactiones.* Quare hi numi, quos ſe vidiſſe refert Mvretvs, non modo

(*a*) *L. 34. D. de iure dot.*
(*b*) *Inſcript. Claſſ. II. n. 56.*
(*c*) *Ad Flor. libr. I. cap. 13.*
(*d*) *Lib. XII. Var. Lect. cap. 5.*
(*e*) *Ad Leg. XII. Tab. Cap. V.*
(*f*) *Lib. IIII. Epiſt. quaeſt. cap. 26.*
(*g*) *Miſcellan. erud. antiq. p. 297.*
(*h*) *Lib. XI. hiſt. nat. cap. 45.*
(*i*) *Serm. libr. I. Sat. IX. v. 74.*
(*k*) *Strom. libr. V. p. 575.*

do ad emancipationem, ſed et in ius vocationem, et teſtamenti factionem illuſtrandam pertinerent, ſi exſtarent, quia in his omnibus negotiis anteſtari ſolebant, qui praeſentibus denunciabant teſtimonium.

Hanc iuriſprudentiae partem, quae de ſtatu hominum agit, ſequitur tractatus de rerum diuiſionibus, in quo ſe ampliſſimus aperit campus, in quo excurrere poſſet induſtria noſtra, niſi pleraque et iis nota eſſent, qui alioquin his deliciis non magnopere delectantur. Res eſſe vel *diuini* vel *humani iuris*, illaſque in *ſacras*, *religioſas* et *ſanctas* diuidi, nemo ignorat. Iam ſi quis, quales apud Romanos fuerint res ſacrae, coram diſpicere velit: ei numiſmata veterum innumera oſtendent templa, aras, deorum dearumque ſimulacra, inſtrumenta, quorum in ſacris vſus erat, ipſaque ſacra et ſacrificia, et, vt paucis dicamus, quae ad ſacra et religionem Quiritium pertinent omnia, muros praeterea et portas, rogos denique et vſtrinas, quarum iucundum ſpectaculum eſt in numis, in memoriam conſecrationum Auguſtorum et Auguſtarum cuſis, apud VAILLANTIVM, SPONIVM, OISELIVM, BIAEVM, DV CHOVL alioſque, ex quibus hanc earum deſcriptionem texuit IO. BVRCH. MENCKENIVS (a): *Aptiſſimum conſecrationis ſymbolum eſt ipſe rogus, ſic dictus, quod in illo Dii Manes rogentur. Superſunt enim hodienum in numis exactiſſima rogi exempla, in quibus et ſtructurae genus et ornamenta alia perſpici accurate poſſunt, quae perfunctorie tantum Herodianus Libr. IIII. cap. 2. atque Dio Caſſius Libr. LVI. delinearunt. Tabulata ſingula, quorum quatuor aliis, aliis quinque imponuntur, ſunt quodam a ſe diſcrimine diſtincta, ita quidem, vt ſecundum primo, tertium ſecundo, et ſic deinceps vſque ad ſummum ſit contractius. Supremum enim omnium eſt minimum, ipſum lectum, in quo recondita erat cerea defuncti imago, ſui ambitu complectens, cuius in fine faces non numquam ardentes porriguntur, quorum tamen loco aliquando genios e ligno efformatos ſubſtitui videas. Quid autem per currum cum bigis aut quadrigis in ſuprema rogi parte conſpicuum indicetur, haud facile diuinauerim. -- Quam ob rem currum et quadrigas pro indicando animae in caelum tranſportatione in numis depingi cum Occone crediderim.* Si quis deinde rerum communium, publicarum, et ad vniuerſitates pertinentium imagines et ſymbola contemplandi cupiditate quadam tenetur, eius ſitim facile explebunt tot inſignes atque elegantiſſimi numi, in quibus maria, littora maris, flumina, portus, curiae, baſilicae, theatra ſimiliaque opera elegantiſſime depinguntur. Vt ſeruemus inſtitutum, et vel ſpecimine quodam vſum rei numariae et hic oſtendamus: neminem

(a) *De Auguſtorum Auguſtarumque conſecrat. ex num. illuſtr. §. 10.*

neminem ignorare arbitramur, occaſione §. II. INSTIT. DE RER. DIVIS. et notiſſimae LEGIS VIIII. DIG. DE LEG. RHOD. DE IACTV acriter diſceptatum eſſe inter viros doctos, vtrum Romani mare pro re communi omniumque expoſita vſibus habuerint, an illud in dominio ſuo eſſe crediderint? Prius in iure noſtro paſſim adfirmatur (*a*), atque inde colligitur, licere omnibus in mari nauigare, et piſcari (*b*), immo et illius partem, molem ſeu pilam iaciendo occupare (*c*), aeque in littore tamquam in fundo communi pro lubitu aedificare (*d*), modo ne haec omnia impediant alios, vſumque maris publicum reddant deteriorem (*e*). At iidem ideo non negarunt, mare et littora maris tamquam rem nullius poſſe occupari, idque vel ex loco PAVLLI (*f*) tam luculenter demonſtratur, vt teſtimonium illud et GROTIO, acerrimo libertatis maris defenſori confeſſionem de proprietate maris, qua occupari poteſt, occupatumque eſt, extorſerit (*g*): vt iam non dicam de teſtimoniis aliis, ex libris noſtris magna cura conquiſitis a IO. SELDENO (*h*) aliiſque quae ex vetuſtis auctoribus poſt SELDENVM depromunt IAC. GOTOFREDVS (*i*), et illuſtris a BYNKERSHOEK (*k*) qui et marmor protulit ex WHELERO (*l*) in quo Imperator adpellatur δεσπότης γῆς καὶ θαλάσσης, *terrae mariſque dominus*. Quemadmodum ergo inde luculenter demonſtratur, nihil obſtitiſſe illam communionem, quam mari ex iure naturae et gentium tribuerint iureconſulti, quo minus illud occupari a populo mari potente poſſit, et reipſa a Romanis occupatum et in dominium ſuum redactum eſſe faterentur: ita argumentum hoc praeclare illuſtrant bini gentis Corneliae numi, quos poſt FVLV. VRSINVM (*m*) elegantiſſime delineatos dedit LAVR. BEGERVS (*n*). Is in aduerſa parte ſiſtit caput diademate cinctum, afficto ſceptro, cum litteris C. P. R. quamuis VRSINI ectypus rectius pro C. exhibeat G. vt litterae hae ſignent verba: *Genius Populi Romani*: in auerſa ſceptrum laurea ornatum, orbem terrarum mari circumdatum, et temonem, infra CN. LEN. Q. et in altero LENT. CVR.*

FL.

(*a*) §. 2. *Inſt. de rer. diuiſ.* L. 2. §. 1. *D. eod.*

(*b*) L. 4. *l.* 5. §. 1. *D. eod. l.* 14. *D. de adqu. rer. dom.*

(*c*) L. 30. §. *vlt. D. de adqu. rer. dom. l.* 52. §. *vlt.* D. *de act. emt.*

(*d*) L. 4. *D. ne quid in loc. publ.*

(*e*) L. 3. *l. vlt. D. eod. l.* 50. *D. de adqu. rer. dom. l.* 1. §. 18. *de nou. op. nunciat. l.* 24. *D. de damn. inf.*

(*f*) L. 14. *D. de iniur.*

(*g*) BYNKERSH. *de dom. mar. cap.* 9. *pag.* 409.

(*h*) *De mari clauſo libr.* I. *cap.* 24.

(*i*) *De imper. mar. cap.* 12. *pag.* 68. *ſequ. ſequ.*

(*k*) *De dom. mar. cap.* 8. *p.* 395.

(*l*) *Itiner. Graec. Part. I. libr. I. p.* 213.

(*m*) *De num. famil. Rom. pag.* 85.

(*n*) *Theſaur. Brand. Tom. II. p.* 550.

Fl. in medio ex SC. Prior ergo Cn. Lentulus *Quaeſtor* fuit, quando hic numus cuſus eſt, poſterior cvrator (*), id eſt *denariorum Flandorum*: quamuis quum plures Lentuli Cnei praenomen tulerint, vix oſtendi poſſit, quis ille ſit, cuius nomen in hoc denario legimus. Vtcumque vero ſeſe res habeat: non potuiſſet ſane dominium orbis, vel terrae mariſque, quod ſibi populus Romanus adrogabat, elegantius adumbrari, quam emblemate, quod in numo hoc gentis Corneliae conſpicimus. Genius populi Rom. ipſum populum Romanum ſignificat: ſceptrum et corona florentiſſimi imperii in terras, gubernaculum imperii maritimi ſymbola ſunt, quamuis et *ſceptrum* ad maris imperium referat Oppianvs (*a*), dum ad Antoninum Caracallam.

Σοῖς μὲν γὰρ ὑπὸ σκήπτροισι θάλασσα
Ἔιλειται, καὶ φῦλα ποσηδάωνος ἐνάυτων.
Tuis enim ſub ſceptris mare
Voluitur et greges Neptuni incolarum.

Denique ne quid ignoret, quid imperio ſuo contineant Romani, medium locum inter ſceptrum et temonem vel gubernaculum obtinet orbis mari circumdatus: adeoque eo ſymbolo vere exprimitur, quod ſcribit Appianvs (*b*): *ὅτι Ρ῾ωμαίοις ἀπό τε δύσεων καὶ τῦ πρὸς ἑσπέραν Ὠκεανῦ, ἐπὶ τὸ καύκασον ὄρος, καὶ ποταμὸν Ευφράτην, καὶ ἐς Α᾿ιθίοπας τὺς ἄνω δἰ Α᾿ιγύπτυ καὶ Α῾ράβων ἐπὶ τὸν ἑώον Ωκεανὸν ἡ ἀρχὴ διεξέρχεται. Καὶ ὅρος ἐςὶν ἀυτοῖς ὁ Ὠκεανὸς ἀρχομένον τε καὶ δυομένου τῦ θεῦ. Δαλάσσις τε πάσης ἡγεμονεύυσι τῆς ἐντὸς ὔσης, καὶ νήσων ἁπασῶν, καὶ ἐν τῷ Ὠκεανῷ Βρεττανῶν. Siquidem Romani ab occidentali oceano ad Caucaſum montem et fluuium Euphratem, et Aethiopas, qui ſunt ſupra Aegyptum et Arabiam, vſque orientalem oceanum, imperant, atque ita ab occaſu ortuque ſolis clauduntur oceano, maris quoque mediterranei totius tenent dominium, et inſularum omnium, atque etiam in oceano Britanniae.* Sed quid hoc tam ſplendidum ſymbolum ad Cornelios, et maxime ad Lentulos? Quamuis enim victricia Romanorum arma longe lateque circumtulerint Cornelii: ea tamen laus maxime Scipiones, Coſſos, Merulas et Sullas pertinet, et ne horum quidem vllus rebus quantumcumque praeclare geſtis videtur effeciſſe, vt Romani vel vniuerſi

(*a*) *Halieutic. Libr.* III. *init.*
(*b*) *Praefat. pag.* 5. *edit.* Stephan.

uerſi orbis terrarum, vel ſaltim terrae mariſque imperio per pleraſque cultiores Europae, Aſiae Africaeque partes potirentur: tantum abeſt, vt Lentulorum quiſquam hanc laudem iure tribuere potuerit maioribus ſuis. Itaque non dubito, quin auctor huius numi, quiſquis fuerit, gentis ſuae fata exprimere voluiſſe. Percrebuerat enim in gente Cornelia fama, contineri libris Sibyllinis tres Cornelios Romae rerum potituros, ac proinde praefuturos eſſe orbis imperio. Id quod ad ſe traxiſſe P. Lentulum Suram, coniurationis Catilinariae ſocium, ita refert Sallvstivs (*a*): *Eadem Galli fatentur, ac Lentulum diſſimulantem coarguunt praeter litteras ſermonibus, quos habere ſolitus: Ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi: Cinnam atque Sullam antea: ſe tertium, cui fatum foret: praeter ea ab incenſo Capitolio illum eſſe vigeſimum annum, quem ſaepe ex prodigiis haruſpices reſpondiſſent bello ciuili cruentum fore.* Quam ſpem Lentulo factam nec Plvtarchvs (*b*) diſſimulat. Iam ſi ea opinio fortaſſis Corneliorum animos, vti fieri ſolet, perſuaſit: quid mirum, ſi Lentulorum aliquis ſpes ſuas ambitione donarit, et gentis ſuae denariis veluti in anteceſſum iactarit illud a fatis deſtinatum orbis imperium?

Doctrinam de *iure rerum* in Pandectis noſtris excipit illa, quae ad *iuriſdictionem* pertinet. In hac iuriſprudentiae parte quam multa nobis numi praeſidia ſufficiant, quibus tituli de officiis magiſtratuum non modo illuſtrentur, verum etiam explicentur, iam illuſtris Spanhemivs oſtendit. Quamobrem pauca quaedam, quae ad doctrinam de *iuriſdictione* eo rectius intelligendam comparata ſunt, addere iuuabit. Nihil eſt, quod magis crucem figat iureconſultis, quam illud iuriſdictionis et imperii diſcrimen, quod leges noſtrae inculcant, in quo explicando quum toti ſint viri doctiſſimi, ſemper tamen aliis relinquunt, in quo aeſtuent, quodque vellicent, vt vix, vbi pedem figant, habere videantur. At imperium merum et mixtum, ipſamque iuriſdictionem ſignis ſuis praeclare diſcernunt numi veteres Romanorum. Iuriſdictionis enim ſymbolum eſt ſella curulis cum bilance et cornu Amaltheae, quale exhibent denarii gentium Flaminiae, Fuluiae, et Liciniae apud Spanhemivm (*c*) et Fvlv. Vrsinvm (*d*): imperii mixti ſella curulis cum ſex vtrinque faſcibus ſine ſecuribus, qualis occurrit in duobus numis gentis Liuineiae, erudite explicatis a laudato Spanhemio (*e*): imperii denique meri ſella curulis, et vtrimque faſces cum illigatis ſecuribus, quale

(*a*) *Catilin. cap.* 47.
(*b*) *In Ciceron. pag.* 869.
(*c*) *De vſu et praeſt. num. Tom.* II. *p.* 104.
(*d*) *Numiſm. fam. p.* 152.
(*e*) *Ibid. p.* 107. *ſequ.*

quale ſymbolum habes in numo gentis Furiae apud Car. Patinvm (*a*), alteroque gentis Mamiliae apud Vaillantivm (*b*). His vero ſymbolis quid reperiri poſſet rei conuenientius? *Sella curulis* inter praecipua magiſtratuum inſignia fuit, quae teſtibus Livio (*c*), Floro (*d*) et Macrobio (*e*) ab Etruſcis acceperant Romani, ac proinde *curule ebur* pro dignitate poteſtateque magiſtratuum maiorum accepit Horativs (*f*), dum cecinit:

> *Cuilibet hic faſces dabit, eripietque* cvrvle
> *Importunus* ebvr.

Libra, ceu iam ſupra obſeruauimus, officium ius ſuum cuique tribuendi, adeoque iuriſdictionem; *cornu* denique *copiae* fructus vberrimos qui ex illa poteſtate iuris dicundi, ſi quis ea ſancte ac religioſe vſus ſit, ad rempublicam perueniunt, ſignificat. Ergo hoc ipſum ſymbolum in numis viuis veluti coloribus depingit rem, in ſenſus alioquin haud incurrentem, puta iuriſdictionem, eoque ſigno demonſtrat, iuriſdictionem eſſe poteſtatem cauſſas cognoſcendi ſuumque cuiuis addicendi, iure magiſtratus competentem. Nec minus luculenter faſces cum ſecuribus merum illud imperium, quod in poteſtate gladii vel animaduertendi in facinoroſos homines conſiſtebat (*g*), videntur adumbrare. Quoties enim ſupplicium more maiorum a facinoroſis ſumebant magiſtratus: toties virgis caeſos ſecuri percuti iubebant (*h*). Id vero perſpicue oſtendunt faſces et ſecures, qui initio vrbanis, ac poſtea prouincialibus ſaltim magiſtratibus, tamquam ſignum poteſtatis animaduertendi ſuppliciumque more maiorum ſumendi praeferebantur. Quemadmodum ergo ſub imperatoribus gladius erat imperii meri inſigne, ac proinde de Plautiano ſcribit Herodianvs (*i*): προεχώρητό τε αὐτῷ ξίφος, καὶ παντὸς ἀξιώματος σχῆμα ἔφερε μόνος. *Enſem praeterea geſtabat ceteraque omnia ſupremae dignitatis inſignia*: ita libera adhuc republica eumdem vſum praeſtabant faſces cum ſecuribus. Et quemadmodum tum ſecuri caedebantur, in quos animaduerti iubebant magiſtratus: ita ſub Imperatoribus illi fere gladio ſubiiciebantur, et hinc di-

(*a*) *Numiſm. fam. p.* 117.
(*b*) *Num. famil. Rom. tom. I. pag.* 474.
(*c*) *Libr. I. cap. VIII.*
(*d*) Flor. *Libr. I. cap.* 5.
(*e*) *Saturn. Libr. I. cap.* 6.
(*f*) *Libr. I. Epiſt. VI. v.* 52.
(*g*) L. 3. *D. de iurisdict.*
(*h*) Sallvst. *Catilin. cap.* 51.
(*i*) *Libr. III. cap.* 11.

diſerte monet VLPIANVS (*a*), *animaduerti oportere gladio, non ſecuri, vel telo, vel fuſti, vel laqueo, vel alio modo.* Quod adeo extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, vt vel ideo maxime Antoninus Caracalla obiurgaret milites, qui in Papinianum animaduertere iuſſi, eum ſecuri percuſſerant, diceretque: *Gladio te exſequi oportuit meum iuſſum* (*b*). Qua de re ſolida et bonae frugis pleniſſima ſunt, quae monuerunt PETR. FABER (*c*), IVST. LIPSIVS (*d*), et IS. CASAVBONVS (*e*). Denique et imperii mixti nullum aliud erat ſignum euidentius, quam faſces ſine ſecuribus a lictoribus praelati. Sicuti enim illud geſtamen, ipſique lictores monebant obuios, praetorem alioſque maiores magiſtratus poſſe aliquem coercere, et iubere in carcerem duci (*f*): ita ſimul illis eximebat ſecurium terrorem, ſatis quippe vel ipſo faſcium conſpectu edoctis, ad animaduerſionem illam, quae ſecuri vel gladio fieri ſolet, non pertingere praetorum poteſtatem, ſed ei ſolam iuriſdictionem cum imperio mixto vi magiſtratus competere.

Sequitur iam doctrina de *in ius vocatione*, quam mirifice illuſtrant vetera numiſmata. Inde enim ritum anteſtandi, inde et tranſuectionem equitum, ob quam alterum in ius vocare non licebat, diſcimus, ceu nos iam ſupra meminimus obſeruare. Iam tantum quaedam, ad illuſtranda CAII (*g*) et PAVLLI (*h*) noſtri fragmenta pertinentia, adiicimus. Ait CAIVS, *pleroſque putaſſe, nullum de domo ſua in ius vocari licere, quia domus tutiſſimum cuique refugium, atque receptaculum ſit, iſque, qui inde in ius vocet, vim inferre videatur.* Addit PAVLLVS nouam ac tertiam rationem, *quia ſatis poenae ſubire videatur is, qui latitet et non defendatur, dum aduerſarius in poſſeſſionem bonorum eius mittatur.* Denique vterque limitibus quibuſdam hanc regulam circumſcribit, monetque, quod quis vocari poſſit ex vinea, balneo et theatro, itemque de domo, ſi aditum ad ſe praeſtet, aut ex publico conſpiciatur, denique ſi non extrahatur e domo, ſed euocetur. At quamuis hic permultas rationes accumulent veteres iureconſulti: vereor tamen, vt vlla earum genuina ſatiſque ſolida ſit. Neque enim in iis ita adquieſcere poteſt quiſquam, vt non denuo quaerat, cur ſua cuique domus tam tutum refugium receptaculumque fuerit? cur nihil obſtiterit, quo minus quis ex publico conſpectus, vel aditum ad ſe praeſtans, itemque qui in

(*a*) L. 8. §. 1. *D. de poen.*
(*b*) SPARTIAN. *Carac. cap.* 4.
(*c*) *Semeſtr. Libr. I. cap.* 4.
(*d*) *Ad* TAC. *Annal. Libr. IIII. cap.* 67.
(*e*) *Ad* SVET. *Aug. cap.* 15.
(*f*) L. 2. *D de in ius voc.*
(*g*) L. 18. *et l.* 20. D. *de in ius voc.*
(*h*) L. 19. *D. eod.*

in vinea, balneo vel theatro eſſet, in ius vocaretur? Fallor ego, aut rem omnem ſolus expedit CICERO (*a*), qui conqueſtus de iniuriis Clodii: *Quid*, inquit, *eſt ſanctius, quid omni religione munitius, quam domus vniuſcuiuſque ciuium !? Hic arae ſunt, hic foci, hic dii penates, hic ſacra, religiones, caerimoniae, continentur. Hoc perfugium ſanctum eſt omnibus, vt inde abripi neminem fas ſit.* Itaque hoc ius aſyli aedibus praeſtabat Deorum Penatium religio. Hic enim lararium, id eſt, pars aedium conſecrata, ſeu ſacrarium (*b*), in ipſo ſaepe cubiculo Laribus dedicatum (*c*), hic focus, deorum Penatium ſedes, hic ſacra priuata, et religiones deorum Manium, hinc denique variae caerimoniae, coronationes, ſuffitus. Quibus omnibus tanta deberi videbatur reuerentia, vt merito ſua cuique domus tutiſſimum perfugium praebere deberet. Iam quum nemo ignoret Lares aeque ac Deos Penates alios *publicos*, alios *priuatos*, vtrorumque autem duos fuiſſe, quibus poſtea tertius, puta *genius Auguſti* acceſſerit, ceu rem exprimit OVIDIVS (*d*):

Bina gemellorum quaerebam ſigna Deorum,
Viribus annoſae facta caduca morae:
Mille lares GENIVMQVE DVCIS, *qui tradidit illos*
Vrbs habet: et vici NVMINA TERNA *colunt.*

publicorum Penatium figurae haſtatae, accumbente porca, viſuntur, in parte aduerſa numis gentis Sulpiciae [*e*], adſcripta ſupra littera P. id eſt *Penates:* infra C. SVLPICI. C. F. in auerſa duo capita iugata cum litteris D.P. P. i. e. *Dii penates.* Et plane ita deſcribuntur etiam a DIONYSIO HALICARNASSENSI.

Genius etiam *Auguſti*, quem poſtea penatibus publicis additum diximus, ſaepe in Imperatorum numis viſitur, quorum neſcio an non antiquiſſimi ſint illi Neronis apud MEDIOBARBVM [*f*]. In omnibus vero, quos inſpexi, numis hic Auguſti genius pingitur nudus, capite turrito, dextra pateram, ſiniſtra cornu copiae tenens, addita epigraphe: GENIVS AVG. De priuatis Penatibus recte a IO. FR. GRO-

(*a*) *Pro domo cap.* 41.
(*b*) SVET. *Galb. cap.* 4.
(*c*) *Idem Domit. cap.* 17.
(*d*) *Libr. V. faſt. v.* 143.
(*e*) VRSIN. *numiſm. fam. p.* 267. *et* BEGER. *Theſaur. Brandenb. T. II. p.* 588.
(*f*) *Numiſm. Imp. p.* 90.

NOVIO [*a*] obſeruatum eſt, eorum alios fuiſſe *gentium*, alios *domuum ſingularum*: hos fuiſſe Manes maiorum in ſtirpe cuiusque, de quibus Cornelia, Gracchorum mater ad filium [*b*]: *Vbi mortua ero, parentabis mihi, et inuocabis deum parentem. In eo temporene pudet te eorum deum paces expetere, quos viuos atque praeſentes relictos atque deſertos habueris?* illos, heroas, a maioribus cultos, aut ſuſceptos etiam ex publicorum numero, ſumtosque peculiaris tutelae gratia, quales *priuatos diuos* adpellet PRVDENTIVS [*c*]. Quis vero ignorat, quam multae maiorum imagines gentes Romanae in denariis ſuis oſtentent? Pertinere ſane huc dixeris Numae Pompilii et Anci Marcii iugatos vultus in numis gentis Marciae [*d*], eiusdemque Numae in Pompeiae denariis [*e*]. Eorum enim tamquam progenitorum deos Manes ſumma religione coluiſſe videntur gentes illae florentiſſimae. At ipſos priuatos Lares demum deprehendi in denario gentis Caeſiae pulcherrimo apud FVLV. VRSINVM [*f*], cuius in antica Veiouis vultus eſt cum litteris P. A. id eſt *pater*, in poſtica duae figurae haſtatae ſuperius nudae, inferius pellibus inuolutae, inter quas infra canis, ſuperius caput Vulcani cum forcipe, adſcriptis litteris LA ƎR id eſt, LARES, infra: L. CAESI. En Lares familiares, eodem ſchemate, quo eos induit PLVTARCHVS [*g*], dum quaerit: Διά τὶ τῶν Λαρήτων, οὓς ἰδίως πραιςίτας καλȣ͂σι, τούτοις κύων παρέςηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται; *cur Laribus, quos proprie Praeſtites vocent, canis adſiſtat, ipſi autem canum pellibus veſtiantur?* Cuius rei deinde plures reddit rationes, in primis vero, quod domus cuſtodes ſint, et alienis formidoloſi, mites vero manſuetique domeſticis: Id et OVIDIVS [*h*] verſibus elegantiſſimis expreſſit:

At canis ante pedes, ſaxo fabricatus eodem,
Stabat, quae ſtandi cum Lare cauſſa fuit?
Seruat vterque domum, domino quoque fidus vterque,
Compita grata Deo, compita grata cani.
Exagitant et Lar, et turba Diania fores:
Peruigilantque Lares, peruigilantque canes.

Nec ſine ratione in denario noſtro Vulcani caput deprehendimus. Eſt enim

(*a*) *Diatr. in* PAPIN. STAT. 44. *p.* 294.
(*b*) *In fragm.* CORNELII NEPOT.
(*c*) *Libr. I. adu. Symmach. v.* 214.
(*d*) VRSIN. *fam. Rom. p.* 168.
(*e*) *Idem p.* 217.
(*f*) *Famil. Rom. p.* 54.
(*g*) *Quaeſt. Rom. p.* 276.
(*h*) *Libr. V. faſtor. v.* 137.

enim ille Deus, cui focus ſacer erat, in quo Larium familiarium ſedem fuiſſe, diximus. Hinc Graecis penates ſunt dii *ἐφέστιοι, ἀπὸ τῆς ἑστίας*, a foco, qui illis ſacer erat (*a*). Iam ergo non difficile intellectu eſt, cur nihil domo ſanctius, nihil omni religione munitius fuerit. Neque enim fas erat, alicui vim inferre eo loco, vbi Lares, domus cuſtodes, permultis caerimoniis ab vniuerſa familia colebantur, vbi arae, foci, lararia, Diis manibus erant conſecrati, denique vbi ius aſyli erat et tutiſſimum perfugium.

Eodem libro II. qui tractatum de iurisdictione atque in ius vocatione complectitur, etiam doctrinam DE PACTIS et TRANSACTIONIBVS enarrari animaduertimus. Inter has pactiones primum ſibi locum merito depoſcunt illae, de quibus VLPIANVS (*b*): *Publica conuentio eſt, quae fit per pacem, quoties inter ſe duces belli quaedam paciſcuntur*: quamuis hoc exempli magis, quam deſcriptionis cauſſa attuliſſe videatur iureconſultus. Tales pactiones publicas illuſtrant denarii gentis ſiue Vettiae ſiue Veturiae, (de eo enim inter ſe diſceptarunt viri doctiſſimi VRSINVS, PATINVS (*c*), VAILLANTIVS (*d*), MORELLIVS (*e*), PERIZONIVS et EZ. SPANHEMIVS (*f*), in quibus duae figurae ſtantes, et media genu flexa, porcam ſinu tenens cum litteris: ROMA. Equidem ad quod foedus hi numi pertineant, non facile dixerim, quamuis alii illos ad foedus, quod inter Romulum et Tatium, Sabinum, coaluit, alii ad pacem, inter Romanos et Ligures factam, referant. In cuiuscumque vero vel pacis vel foederis memoriam cuſi ſint: certum eſt, ritum pangendi foedera illis elegantiſſime adumbrari. Habemus enim in illis faetialem haſtatum, et dextra oſtendentem porcam; habemus ducem belli paludatum, baculum ad eamdem porcam protendentem. Haec vero procul dubio nihil aliud ſignificant, quam quod de vetere ritu pangendi foedera memoriae prodiderunt POLYBIVS [*g*] et LIVIVS [*h*], quorum ille agens de foederibus, cum republica Carthaginienſium initis: *Τὸν δὲ ὅρκον*, inquit, *ὀμνύειν ἔδει τοιοῦτον. Ἐπὶ μὲν πρώτων συνθηκῶν Καρχηδονίους μὲν τοὺς θεοὺς τοὺς πατρῴους, Ῥωμαίους δὲ Δία λίθον κατά τι παλαιὸν ἔθος. Ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν Ἄρην καὶ τὸν Ἐνυάλιον. Ἐστὶ δὲ τὸ Δία λίθον τοιοῦτον. Λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὅρκια περὶ τῶν συν-*

(*a*) COEL. RHODIG. *Lect. ant. Libr. V. ca p.* 18.
(*b*) *L.* 5. *D. de pact.*
(*c*) *De numiſm. famil. p.* 289.
(*d*) *Famil. Rom. Tom.* II. *p.* 534.
(*e*) *Epiſt. conſular.*
(*f*) *Tom.* II. *p.* 204.
(*g*) *Lib.* III. *cap.* 25.
(*h*) *Lib.* I. *cap.* 24.

συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει, λέγει τάδε. Εὐορκοῦντι μὲν ποιεῖν τἀγαθά, εἰδ' ἄλλως διανοηθείην τι ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πάτρισιν, ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βιῶν, ἱερῶν, τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι οὕτως, ὡς ὅδε λίθος νῦν. Καὶ ταῦτ' εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός. *Porro iuſiurandum eiuſmodi dandum erat. Primo foedere Carthaginienſes quidem per deos patrios iurarunt : Romani vero Iouem lapidem ex vetere quodam ritu : deinde Martem et gradiuum patrem. Mos autem iurandi Iouem lapidem eſt hic. Faetialis, qui iureiurando foedus firmat, poſtquam fide publica iurauit, lapidem in manus ſumit, atque haec dicit : Si fidem ſeruaſſo, tum me dii adiuuent : ſin ſciens feſellero, tum ego, ſaluis ceteris omnibus, in ſuis patriis, ſuis legibus, ſuis penatibus, ſacris, ſepulcris, ſolus exterminer, vt hic nunc lapis : et ſimul lapidem manu eiicit.* Hic autem, puta LIVIVS, eumdem ritum ex antiquis monimentis hunc in modum deſcribit : *Faetialis erat M. Valerius, patrem patratum Sp. Fuſium fecit, verbena caput capilloſque tangens. Pater patratus ad iuſiurandum patrandum, id eſt, ſanciendum fit foedus, multiſque id verbis, quae, longo effata carmine, non operae eſt referre, peragit. Legibus deinde recitatis : Audi, inquit, Iupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, vt illa palam prima, poſtrema, ex illis tabulis, ceraue recitata ſunt, ſine dolo malo, vtique ea hic hodie rectiſſime intellecta ſunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior deflexit publico conſilio, dolo malo : tu illo die, Iupiter populum Romanum ſic ferito, vt ego hunc porcum hic hodie feriam : tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque. Id vbi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit.* Haec omnia tam accurate depinguntur in numo illo, maxime apud SPANHEMIVM, vt ſi verba iurantium exprimere potuiſſet artifex, intereſſe nobis illi actui, omniaque coram ſpectare videremur. Sunt tamen et alia numiſmata, quae modum paciſcendi pangendique foedera praeclare illuſtrant, veluti quae duas dextras iunctas vna cum caduceo exhibent, qualia plura paſſim occurrunt in gentium Mummiae, Muſſidiae, Semproniae et Siliae, immo in ipſis Imperatorum numis : ex quibus patet, iunctis dextris, notiſſimo conſenſus concordiaeque ſigno, foedera pangi ac ſanciri conſueuiſſe. Et de his quidem iam, quantum ſatis eſt, dixit SPANHEMIVS (*a*).

Atta-

(*a*) *De vſu et praeſt. num. Tom. I. pag.* 143.

Attamen nos iam paucis monemus, poſteriores illos numos, qui iunctas dextras cum caduceo exhibent, ad illuſtrandam magis tranſactionis, quam pactionum reliquarum, naturam pertinere. Solebant enim caduceum protendere, qui conciliandis hoſtibus operam eſſent daturi, adeoque ſemper componebatur lis vel cauſſa dubia, id eſt cauſſa, ſuper qua tranſigi ſolet. PLINIVS (*a*): *Hic tamen complexus anguium et efferatorum concordia cauſſa videtur eſſe, quare exterae gentes caduceum in pacis argumentis, circumdata effigie anguium fecerint. Neque enim criſtatos eſſe in caduceo mos eſt.* Vnde et caduceatorum vſus inter hoſtes, vel locum tempuſque colloquio (*b*), vel veniam, inducias, pacemue petentes (*c*). Inter gentes vero pacem idem eſſe, quod tranſactio inter priuatos, nemo temere negauerit.

Sic breui ſpecimine ſatis demonſtraſſe mihi videor, iureconſultum fructum vberrimum capere poſſe ex vetuſtis numiſmatibus. Quum enim duo primi pandectes libri tantam lucem ex illis antiquitatis reliquiis capiant: quis dubitaret, quaeſo, quin et ſequentes inde praeclare poſſent illuſtrari, ſi tantam rerum vbertatem caperent anguſtiores praefationis limites? Ceterum adfirmare poſſum, vel pauca haec, quae multis obrutus negotiis in chartam conieci, adeo me ſcribentem oblectaſſe, vt conſilium ceperim, telam coeptam alia occaſione, ſi Deo ita viſum fuerit, pertexendi, vſumque ac praeſtantiam veterum numiſmatum et in reliquis iuris ciuilis partibus oſtendendi. Iam vero, dum ſignum receptui damus, aliquid dicendum eſſet de diſſertationibus, quae iam vno faſciculo comprehenſae prodeunt, niſi ea eſſet fama auctoris celeberrimi, vt et ſine ſuſpenſa hac hedera vendibiles viderentur. Sunt eae varii argumenti. Aliae hiſtoriam illuſtrant, aliae iuriſprudentiam, ſiue naturalem, ſiue poſitiuam, ſiue priuatam, ſiue publicam. Omnes enim illas eruditionis partes ita percoluerat celeberrimus GVNDLINGIVS, vt eum in ſingulis omnem triuiſſe aetatem crediſiſſes. At quemadmodum ille in nullius iurabat verba magiſtri, aliquando etiam coniecturis, vti fit, plus iuſto indulgebat: ita plures fore exiſtimo, qui ſuam ab ipſius opinionibus ſeiungant ſententiam. Neque tamen hi ideo adſpernabuntur has diſſer-

(*a*) *Hiſt. natural. Libr.* XXVIIII. *cap.* 3.

(*b*) LIV. *Libr.* XXXII. *cap.* 32.

(*c*) LIV. *Libr.* VIII. *cap.* 20. *Libr.* XXXI. *cap.* 38. *Libr.* XXXII. *cap.* 32. *Libr.* XXXIII. *cap.* 11. *Libr.* XXXVIII. *cap.* 45.

diſſertationes, etiam in iis, quae ab aliorum doctorum virorum doctrinis abhorrent, bonae frugis pleniſſimas. Multa, quae ad ius naturae et gentium pertinent, accuratius expoſuit vir clariſſimus, quem honoris cauſſa nomino, HENRICVS KOEHLERVS, qui iam academiam Ienenſem praeclaris doctrinis ſuis ornat: in multis, quae de hiſtoria et iuriſprudentia priuata aeque, ac publica, ſcripſit, alii viri docti ei palmam videntur praeripuiſſe. Sed multa et ipſe vidit, ad quae alii quantumuis perſpicacis ingenii viri caligarunt. Iis TV, fruere, CANDIDE LECTOR, mihique faue, et vale. E muſeo X. Kal. Aug. CIↃ IↃCCXXXVI.

INDEX

INDEX OPVSCVLORVM

Quae

IN SYLLOGE III.

Continentur.

I. DE THOMASII Delineatione Hiſtoriae Iuris. *pag.* 1

II. De vtilitate Studii Antiquitatum in Iuriſprudentia. 3

III. De artis Criticae vtilitate in Iuris prudentia, deque boni Critici officio. 7

IV. De prohibitâ à *Iuſtiniano* Leges interpretandi illuſtrandique facultate, de praeſtantiâ Iuris Graecorum, ſpeciatim THEOPHILI; Iudiciumque de *Arnoldi* VINNII Commentario in Inſtitutiones. 17

V. Defenſio Compendiorum Iuris, ſpeciatim de BOEKELMANNI Libello Iudicium. 32

VI. De Meritis *Ezechielis* SPANHEMII in Rem Litterariam, deque eius *Orbe Romano* Iudicium. 36

VII. De *Balthazaris* GRACIANI *Aulico* Iudicium. 55

VIII. De vtilitate Litterarum Orientalium in Iuriſprudentia, ad *Ioan.* SELDENI Opus de Synedriis et Praefecturis Hebraeorum. 57

IX. De SEXTO POMPONIO Iure Conſulto. 66

X. Defenſio Compilationis Iuris Romani. 126

XI. De Sectâ Triboniano-maſtigum. 171

XII. De Iuriſprudentiâ Heurematicâ, ad *Sam.* STRYKII Opus de Cautelis Contractuum. 183

XIII. De vſu et praeſtantiâ Numiſmatum in Iuriſprudentiâ, ad *Nic. Hieron.* GVNDLINGII Exercitationes Academicas. 389

XIV. De *Iacobi* CVIACII Obtrectatoribus et Adverſariis. 203

XV. De Contemtu Graecae Latinaeque Eloquentiae. 242

XVI. De Lege Salicâ, eiuſque origine, auctoritate et vſu. 247

XVII.

XVII. De Vitâ, Fatis ac Scriptis *Franciſci* BALDVINI IC. quondam Celeberrimi. *pag.* 267
XVIII. Defenſio *Cornelii* VAN BYNKERSHOEK. 319
XIX. SER. SVLPICIVS RVFVS cum *Io. Georg.* CVLPISIO comparatus. 326
XX. De Vitâ, Fatis ac Scriptis *Barthol.* CHESII et *Guidonis* PANCIROLI, deque eorum interpretandi genere. 331
XXI. De Iuriſprudentia, Diuinarum Humanarumque rerum Notitiâ. 374

INDEX OPVSCVLORVM

Quae

IN SYLLOGE IIII.

Continentur.

I. Obſeruatio Hiſtorica de Iure Papiriano ad Leg. 2. §. 2. et §. 36. Dig. de Orig. Iur. *pag.* 1
II. Epiſtolae Amoebaeae inter Virum Clar. E. O. A. C. PAGENSTECHERVM D. et Prof. Iur. in Herbornenſi Athenaeo Ordinar. et *Io. Gottl.* HEINECCIVM in ill. Friſiorum Acad. Antecesſ. *Quibus* de ſenſu *Legis* 1. *D. de Curat. Furioſ.* et genuinâ lectione *Legis* 28. *D. de Probat.* amice diſceptatur. 9
III. Praefatio ad *Iac.* CVIACII Opera omnia curis *Car. Annib.* FABROTI edita &c. 73
IV. Programma de variis Saturninis, Iureconſultis. 78
V. Ad perilluſtrem Iuuenem *Car. Sigfridum à Pleſſe* Epiſtola gratulatoria. 81
VI. Diſſert. de Tutelâ Pactitiâ, ſeu Conuentionali. 86
VII. Diſſert. de eo quod in Arte Typographicâ admirandum eſt. 116
VIII. Epiſtolae Dedicatoriae variae. 125. cet.

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENTISS. PRVSSORVM REGIS A Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph. in ill. Academ. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

OPVSCVLORVM VARIORVM SYLLOGE IIII.

IN QVA

OPVSCVLA RELIQVA VARII ARGVMENTI.

GENEVAE,
Impenſis HERED. CRAMER, ET FRATR. PHILIBERT.
CIↃIↃCCXXXXVIII.

I.

OBSERVATIO HISTORICA DE IVRE PAPIRIANO AD LEG. II. §. II. ET §. XXXVI. DIG. DE ORIG. IVR.

* * * * * * * * * * *

§. I.

POMPONIVS ICtus, aut quiſquis ſub eius nomine latere voluit, aliquoties meminit *iuris Papiriani*, cuius ipſe hiſtoriam *L.* 2. §. 2. *D. de orig. iur.* his verbis complectitur: *et ita Romulus leges quaſdam et ipſe curiatas ad populum tulit. Tulerunt et ſequentes reges, quae omnes conſcriptae exſtant in libro S. Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus, Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, vti diximus, adpellatur* ius ciuile Papirianum, *non, quia Papirius de ſuo quidquam ibi adiecit, ſed, quod leges ſine ordine latas in vnum compoſuit*; et paullo inferius §. 36. *fuit autem in primis peritus S. Papirius, qui leges regias in vnum contulit.*

§. II.

Sed nihil, ex mea quidem ſententia, his in locis ſani eſt, nihil quod non ἀνιστορησία offendat. Primum enim bonus iſte Pomponius PAPIRIVM, legum regiarum compilatorem, modo SEXTVM vocat, modo PVBLIVM. Deinde eumdem vixiſſe ait temporibus Superbi, Demarati Corinthii filii, quod denuo vix conciliaueris. Tarquinius enim, cui ferox et tyrannicum ingenium *Superbi* cognomen fecerat, non Demarati Corinthii, ſed Tarquinii Priſci filius, aut huius certe ex filio nepos fuit; quod rationibus haud contemnendis adſtruit DIONYS. HALICARNASS. *Antiquit. Roman. Lib. IIII. cap.* 33. Non leues porro ex hac Pomponii hiſtoria controuerſiae naſcuntur, vtrum ante exactos reges, an in libera re publica leges iſtas compilarit Papirius? ſolaſne leges de iure priuato, an et reliquas de iure publico collegerit? et quae ſunt huius generis aliae, ex quibus tam litterato ſaeculo nondum ſe expediuerunt, quicumque vel ad titulum illum *de origine iuris* commentati ſunt, vel hiſtoriam iuris ſcriptionibus luculentiſſimis illuſtrarunt.

§. III.

Equidem quod ad primum attinet dubium, poſſet illud forſan quodam modo ſolui, ſi librarios in alterutro praenomine alucinatos dixeris, id quod ſane in litteris ſolitariis fuit facillimum: ſed tum quidem aeque incertum erit, PVBLIVSnè, an SEXTVS cognominatus fuerit ille PAPIRIVS, quum nondum conſtet, vtro in praenomine fuerit a ſcribis aberratum. Secundam ἀνιστορησίαν argute tollere conati ſunt IAC. CVIACIVS ad titulum *D. de origine iuris*, et DIONYSIVS GOTHOFREDVS ad dictam *L.* 2. §. 2. *D. eod.* qui obſeruant, etiam Tarquinium Priſcum veteribus *Superbum* fuiſſe adpellatum, eiuſque rei auctores laudant Liuium, Aurelium Victorem, et Caſſium Heminam apud Seruium. Enim vero ne id quidem rem conficere videtur, quum ea obſeruatio de cognomine Tarquinii Priſci omni deſtituatur fundamento. Sane enim quod LIVIVS *Hiſtoriar. Lib. I. cap.* 36. AVRELIVS VICTOR *de viris illuſtribus*, et CASSIVS HEMINA apud SERVIVM grammaticum cloacarum Romanarum auctorem faciunt Tarquinium Priſcum, quum alii ſtupendum iſtud opus Superbo tribuant: ex eo non conſequitur, vt vtrique Tarquinio idem cognomen fuerit, ſed vt Superbus magnificam illam ſtructuram a Tarquinio Priſco inchoatam, et a Seruio Tullio intermiſſam, reſumſerit, et ad colophonem perduxerit. Et quis, quaeſo, ſibi perſuadeat, *Superbi* cognomen datum fuiſſe Tarquinio Priſco, cuius optimam indolem mirifice commendant *Excerpta Peireſc. pag.* 521.

Pecu-

Pecuniam ille erogabat liberaliter, et a quocumque rogatus omnem gratiam ſuam atque auctoritatem libentiſſime commodabat, accepta ab aliis beneficia exaggerabat, offenſas vero aut ſtatim diſſimulabat, aut extenuando leniter ferebat. Vnde et LIVIVS *Hiſtoriar. Lib. I. cap.* 84. eum *fortunam benigno alloquio, comitate inuitandi, beneficiiſque, quos poterat, ſibi conciliando adiuuiſſe* ſcribit. Hi vero characteres num ſuperbiam arguunt? Poſtrema denique dubia facile quis ex ipſis Pomponii verbis ſolui poſſe exiſtimaret. Sed et hic aliter ſentio. Si enim ſub Tarquinio Priſco floruit Papirius: perperam Pomponio dicitur *omnes omnium regum leges collegiſſe.* Sin ſub Tarquinio Superbo: aeque facile libera iam re publica, quam ſub regibus, ſcribere potuit. Vt adeo, quocumque te vertas, meras hic tenebras deprehenſurus ſis.

§. IIII.

Periculum itaque faciemus, an liceat forſan obſcuro iſti ac perplexo Pomponii loco lucis non nihil adfundere. Collatis ſcilicet rebus omnibus, quae huc facere videntur, rationibuſque ſubductis, hanc feci cogitationum mearum ſummam, collectionem illam *Papirianam*, vel, (vt olim teſte CICERON. *ad diuerſ. Lib. VIIII. epiſt.* 21. pronunciabant,) *Papiſianam* poſt regifugium demum in lucem prodiiſſe. Nullus ſane vſus huius collectionis fuiſſet ſub regibus. Si enim ſub Tarquinio Priſco vixiſſet ille Papirius, actum ille egiſſet, de colligendis legibus regiis cogitans, quippe quas iam tum collegerat Ancus Marcius, qui, teſte LIVIO *Hiſtoriar. Lib. I. cap.* 32. *ſacra omnia ex Numae commentariis in album relata proponi in publico iuſſerat*, idque ἐν δρυΐναις σανίσιν, *in tabulis quernis*; ceu obſeruat DIONYSIVS HALICARNASS. *Antiquit. Roman. Lib. IIII. cap.* 49. Sin ſub Tarquinio Superbo ſcripſiſſet: quid opus erat collectione legum regiarum, quas vltimus ille Romanorum rex ſuſtulerat, ne tabulis quidem, quibus inſcriptae fuerant, in foro relictis? (Vid. DIONYS. HALICARNASS. *Antiquit. Rom. Lib. IIII. cap.* 50.) Nullius ergo vſus fuiſſet iſte Papirii labor, quem tamen illo tam illitterato ſaeculo gratis, ac veluti temporis fallendi cauſſa ſuſceptum fuiſſe, nemo temere crediderit.

§. V.

At facilius multo reddi poterit ratio, cur libera iam re publica Papirius iſte laborem hunc in ſe voluerit ſuſcipere. Eiectis enim atque eiuratis regibus ad conſules delatum fuerat imperium, qui inter cetera officia regia iuris quoque reddendi munus in ſe deuolutum intelligebant, adeo, vt, quoties de quacumque re orta eſſet contro-

uerſia, illi de iure reſponderent. *Id vero ius*, vt ait DIONYSIVS HALICARNASS. *Antiquit. Romanar. Lib. X. cap.* 1. *maxima ex parte conſtabat virorum poteſtate praeditorum praeiudiciis, et perpauca in ſacris libris habebantur, quae legum vim obtinerent: et horum ipſorum ſcientia erat penes patritios, quod hi ſoli in eius cognitione verſarentur.* Quum ergo incertum admodum ius eſſet, nec populus, quid iuſtum iniuſtumque habendum eſſet, intelligeret, neque vllae tum exſtarent leges, quas vel magiſtratus in iudicando, vel plebs in agendo contrahendoque ſequeretur, praeter regias: ſuarum eſſe partium exiſtimabat Papirius, pontifex maximus, illas in faſciculum colligere, et neglectas quodam modo in vſum hominumque memoriam reuocare. Penes pontifices enim iam inde ab antiquiſſimis temporibus fuit iuris omnis ac legum cuſtodia. Immo ille ipſe, quem iam allegauimus, Dionyſii locus argumentum haud leue praebet, ius illud Papirianum aliquanto poſt regifugium demum in lucem prodiiſſe. Qua fronte enim ſcribere potuiſſet hiſtoricus, *ius Romanum* ſub primis conſulibus maxima ex parte conſtitiſſe virorum poteſtate *praeditorum praeiudiciis, et perpauca in ſacris libris habita, quae legum vim obtinuerint*, ſi iam illo tempore exſtitiſſet collectio Papiriana, quae omnes leges regias, praeter quas tum nullae erant, complectebatur?

§. VI.

Certum ergo hoc firmumque ſit, poſt regifugium demum ius Papirianum in lucem prodiiſſe. Sed quo auctore? Non alio profecto, quam C. Papirio, quem breui poſt eiectos vrbe reges pontificem maximum fuiſſe conſtat. Primo enim temporis character, quem dedit Pomponius, nemini rectius, quam huic Papirio, conuenit. Ait, *illum ſub Tarquinio Superbo inter principales viros fuiſſe.* Caius vero Papirius per aetatem et Superbi tyrannidem, et liberam rem publicam videre potuit. Deinde quam maxime me mouet locus DIONYSII HALICARNASS. *Antiquit. Romanar. Lib. III. cap.* 50. vbi de Caio illo Papirio: *Numae leges vetuſtate abolitas in vſum publicum reuocauit* CAIVS PAPIRIVS, *ſacrorum antiſtes praecipuus.* Quid clarius dici poterat, aut ad praeſentem quaeſtionem adcommodatius? Vides hic Caium Papirium illum leges Numae vetuſtate abolitas in vſum reuocaſſe: vides, id ſub conſulibus demum factum eſſe. Clara hic omnia et perſpicua, nihil vt addendum videatur praeter luculentum iſtud auctoris grauiſſimi teſtimonium.

§. VII.

§. VII.

Dices, hic Numae tantum, non omnium legum regiarum fieri mentionem: nec adfirmare Dionyſium, quod leges iſtas compilarit Papirius, ſed quod in vſum eas quaſi poſtliminio reuocarit. Enim vero, quod ad poſterius attinet, res ſalua eſt. Pontifex maximus erat Papirius: pontifices vero non gaudebant poteſtate legiſlatoria, neque adeo alio pacto in vſum reuocare leges poterant, quam colligendo easdem, et ab interitu vindicando. Prior vero obiectio parum ad rem facit. De Numae legibus loquitur Dionyſius, ſed non ideo excludit reliquorum regum ſanctiones. Praeterquam enim, quod Dionyſii inſtitutum non ferebat aliud, ſiquidem eo loco, vbi Papirii meminit, de Numae praecipue legibus ac inſtitutis diſſerebat: id quoque videtur certiſſimum, illam Papirii collectionem ius praecipue pontificium, cuius conſeruatio maxime ad pontificis maximi officium pertinebat, eſſe complexam: reliquas autem leges forſan inſtar adpendicis fuiſſe additas.

§. VIII.

Non vanam eſſe hanc coniecturam, ſed firmiſſimis firmatam praeſidiis, res ipſa docet. Exſtant nonnulla iuris iſtius Papiriani fragmenta, inter quae nullum, quod non ad ius pertineat pontificium. Famoſa illa *L.* 2. *D. de mort. infer.* indubie e iure Papiriano eſt excerpta, vt recte monuit BEYERVS *ad tit. D. de orig. iur. ſect. I. membr.* 1. *n.* 17. at ea ad ius pontificium referenda, et a Numa primum lata eſt, vt docent IVST. LIPSIVS *de legib. reg. et decemuiral. pag.* 5. et PAVLL. MERVLA *de legib. cap.* 5. *pag.* 30. Eiuſdem generis eſt alterum fragmentum, cuius veſtigium exſtat in *L.* 144. *D. de verbor. ſignif.* Quae enim ibi GRANIVS FLACCVS, iuris Papiriani interpres, de pellice commentatur, ad hanc legem Numae pertinent: *pellex aram Iunonis ne tangito; ſi tangit, Iunoni crinibus demiſſis agnum feminam caedito:* quam nobis enarrauit FESTVS *de verb. ſignif.* voce *pellex.* Quis vero dubitet, quin et haec lex pertinuerit ad ius pontificium? Sed omnium luculentiſſimum ac ſatis prolixum fragmentum iuris Papiriani exſtat apud MACROB. *Saturnal. Lib. III. cap.* 11. *pag.* 321. in quo de aris, menſis, vaſis, aliiſque ſuppellectibus agitur, deque earum religione ex iure pontificio diſceptatur. Vt paucis dicam, nemo veterum meminit iuris Papiriani, niſi iis in rebus, quae iuris ſunt pontificii, nec vllum ex eo iure fragmentum exſtat, quod non ad ius pontificium pertineat. Ex quo vel id tantum colligere licebit, quod vtramque in hac collectione paginam fecerit ius pontificium.

§. VIIII.

Eamdem vero coniecturam meam haud parum firmare videtur obſeruatio Cuiacii, ex qua patet, verba Pomponii ſupra relata in codicibus manuſcriptis paullo aliter legi, ac in impreſſis. Hic enim in quibuſdam membranis inuenerat: *quae* [leges regiae] *omnes conſcriptae exſtant in libro VI. Papirii*: Vnde acute ſuſpicatur vir doctiſſimus, notam illam numeralem VI. ab indoctis librariis in praenomen *Sexti* eſſe commutatam. Recte et ſapienter. Sed nos praeterea ex hac lectione, qua nihil eſt ſincerius, colligimus, non totum illud Papirianum volumen ius ciuile a regibus conſtitutum complexum eſſe, ſed librum tantum ſextum, qui forſan fuit vltimus: reliqui autem quinque procul dubio non niſi ius pontificium, quod praecipue ad Caii Papirii munus pertinuit, comprehenderunt.

§. X.

Sic quidem haud perfunctorie, quantum in tanta antiquitatis caligine fieri potuit, oſtendimus:

I. Papirium illum iuris Papiriani collectorem non *Sextum*, nec *Publium*, ſed *Caium* fuiſſe adpellatum.

II. Non eum ſub Tarquinio, Demarati Corinthii filio, quem Priſcum veteres adpellitant, nec ſub Tarquinio Superbo ſcripſiſſe, ſed eiectis regibus, libera iam re publica, quamuis per aetatem Tarquinii imperium videre, et inter principales viros eius temporis eſſe potuerit.

III. Compilationem illam iuris Papiriani praecipue ad ius pontificium pertinuiſſe, et libro ſexto reliquas leges tamquam mantiſſae loco adieciſſe.

Quae quum ita ſint, nemo non videt, locum Pomponii totum in mendo cubare, medicaſque exigere manus. Nos vnico vocabulo hiſtoriae cauſſa immutato vexatiſſimum locum ita reſtituimus atque explicamus: leges regiae *omnes conſcriptae exſtant in libro ſexto Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus, Demarati Corinthii nepos, ex principalibus viris. Is liber*, [ſextus puta] *vt diximus, adpellatur ius ciuile Papirianum*, [quum ſcilicet reliqui ius pontificium potius complecterentur,] *non quia Papirius de ſuo quidquam ibi adiecit, ſed quia leges ſine ordine latas in vnum compoſuit.* Iam ſi eodem modo pro *P. Papirio* reſcripſeris *C. Papirium*; plana erunt omnia ac perſpicua, nihilque tunc narrabit Pomponius, quod non cum hiſtoriarum monimentis et ipſa temporum ſerie egregie conſpiret.

§. XI.

Vt vero ſpecimen iſtius iuris Papiriani demus, non pigebit e MACROB. *Saturnal. Lib. III. cap.* 11. fragmentum paucis forſan obſeruatum, paucioribus intellectum, integrum ſubiicere, ſimulque praeclarum iſtud antiqui iuris monimentum adnotationibus quibuſdam illuſtrare. *In Papiriano iure*, [ita ait MACROBIVS,] *euidenter relatum eſt, arae vicem praeſtare poſſe menſam dicatam. Vt in templo*, inquit, *Iunonis Populoniae (a) auguſta menſa (b) eſt. Nam in fanis alia vaſorum ſunt et ſacrae ſupellectilis, alia ornamentorum. Quae vaſorum ſunt, inſtrumenti inſtar habent, quibus ſacrificia conficiuntur, quarum rerum principem locum obtinet menſa, in qua epulae (c), libationeſque et ſtipes (d) reponuntur. Ornamenta vero ſunt clypei, coronae, et huiuſcemodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra ſacrantur. At vero menſae aulaeque (e) eodem die, quo aedes ipſae, dedicari ſolent. Vnde menſa hoc ritu dedicata in templo arae vſum, et religionem obtinet puluinaris.*

(*a*) Iunonis *Populoniae* mentionem etiam facit AVGVSTIN. *de ciuit. Dei, Lib.* III. *cap.* 10. eamdemque coniungit cum *Fulgora*. Vtramque ideo cultam putat LILIVS GYRALDVS, ne populationes et fulgura fierent.

(*b*) *Menſa auguſta* iure pontificio vocabatur, quae in fano erat augurio dedicata. Has menſas auguſtas ſaepe ararum vel puluinarium loco fuiſſe, docet FESTVS. Nonnumquam tamen ab aris diſtinguuntur. Lapis GRVTER. *Inſcript. pag.* 21. *n.* 11.

IOVI. PAGANO. SACRVM
ET. INDVLGENTIA. DOMINORVM.
SVCCESSVS. PVBLICVS. MVNICIPVM.
ASISINATIVM. SER. AMOENIANVS.
AEDEM. CVM. PORTICIBVS A. SOLO.
SVA. PECVNIA. FECIT. ITEM. MENSAM.
ET ARAM.

In priſca Romanorum paupertate viles admodum erant hae menſae et ligneae, vt docet DIONYS. HALICARNASS. *Antiquit. Roman. Lib. II. cap.* 23. poſtea et in his luxus ingens adparuit.

(*c*) Eſt haec *menſa eſcaria* de qua FESTVS hac voce.

(*d*) Haec dicebarur *menſa anclabris*, quia in ea ſacrificando diis anclabatur vel miniſtrabatur. FESTVS *de verbor. ſignif.* voc. *anclabris.* De ſtipibus ſacris vide STRVVIVM *Antiquit. Roman. pag.* 552.

(*e*) *Aula*, id eſt *olla*; erat vas, in quo exta cocta vel elixa ſunt. Vnde PLAVT. *Rudent.* I. 2. 45. eam vocat *aulam extarem. Aulas*, inqui FESTVS, *antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas: aulicaque exta dicebantur, quae in aulis coquebantur, id eſt elixa.*

§. XII.

§. XII.

Hactenus fragmentum iuris Papiriani e Macrobio decerptum, quo, quale ius illud fuerit, intelligi quodam modo poterit. Illud tamen addimus, codicem, quo vſus Macrobius, procul dubio fuiſſe alio ſchemate, et nouo veluti veſtitu indutum a recentiore manu. Stilus enim eſt paullo elegantior, minuſque ἀρχαϊκὸς, quam vt a Papirio illo proficiſci potuerit. Sane leges illae 12. tabularum, Papiriano iure aliquanto recentiores, adeo redolent antiquam barbariem, vt, ſi fragmenta legas, putes te cum Euandri matre loqui. Qui fieri potuiſſet, vt Papirius multo antiquior tam illitterato ſaeculo comtiore ſtilo videretur. Sed nos, ne de iure illo Papiriano diſſerentes in lectorem ſimus prolixitate noſtra iniurii, hic quidem ſubſiſtimus.

* * * * * * * * *

II.

EPISTOLAE AMOEBAEAE

INTER

VIRVM CLARISSIMVM

E. O. A. C. PAGENSTECHERVM,

D. ET PROFESSOR. IVR. IN HERBORNENSI ATHENAEO ORDINAR.

ET

IO. GOTTLIEB HEINECCIVM, IC.

ET IN ILL. FRISIOR. ACADEM. ANTECESSOR.

QVIBVS

DE SENSV *LEGIS I. D. DE CVRAT. FVRIOS.*

ET GENVINA LECTIONE

LEGIS XXVIII. D. DE PROBAT.

AMICE DISCEPTATVR.

L. B.

IO. GOTTLIEB HEINECCIVS.

Duas vides epiſtolas. Priore me publice compellauit V. C. E. O. A. C. Pagenſtecherus : *poſteriore ego ei amice reſpondi , ſed prouocatus , et quodammodo inuitus. Duplex libelli dos eſt. Tu fruere , lector candide, et vale.*

AD CELEBERRIMVM, EVMDEMQVE ICTISSIMVM VIRVM DOMINVM I. G. HEINECCIVM, PROFESSOREM IN ACADEMIA, QVAE FRANEQVERAE FLORET, ORDINARIVM.

D*Vm Auditoris mei commiſſa dextrae (ego oculorum inopinatam valetudinem excuſo, epiphora, ita ſuſpicor, oppreſſus ſubito.) haec, tranſque, iure, ad te, miſſa, publico oculorum tuorum intuetur acies; ſimul quaeſo ſic exiſtimes*, vir celeberrime; *quod idem agere priuatim, prius cepi, ſed quoniam, id locorum diſtantia facit, litterae haud tuto perueniant; mea tamen, et quod magis eſt*, rei litterariae publicae, *multum interſit, ſcire id, quod iuris ſit; nec legum non intellectarum ſola poſſe principia, vno id quod imperiti ſolent, ventumque pro doctrina vendentes: ac variis balbutientes linguis*, propitiatos *ego id hominum genus* Philiſtaeos *voco, homines, citare ſpiritu; ſed mentem earum tenere, vim atque poteſtatem; mutauerim conſilium: idque aequiorem tuam ideo erga Themidem cenſuram, aequi conſulere bonique, ſpes me lactitat haud inanis, verum ea pulcherrima magis fouet: plus id mihi ſatis ſolitus erga litteras tuus amor ſpondet. Famamque tuam, credas ad me perueniſſe, non heri demum aut nudius tertius vel quartus: ſed eamdem me in pretio iam diu habuiſſe, perſuadere tuto, non aliter enim libenter dico quam pectore clauſum geſto, tibi poteris: maxime dum te litterarum ea fugientium ſtatorem, iuriſque prudentiae, rerum diuinarum atque humanarum praeclarae notitiae, vindicem ſignificet: verum id eſſe, inde ſcire tibi licet; dum, quae ſtilo prudenti ſcribis, atque docta; inter manus habeam perpetuo, legam, atque diligenter inſpiciam: et princeps ſi eſſem; pleniſſimum ipſis robur accommo-*

 darem.

darem. Nae! vero adeo illa omnia mihi videntur ſimilia, vt ſi quae alia mihi veniant in mentem, turbent eamdem; ego ea damnem potius, atque falſa eſſe, tantum apud me tua valet auctoritas, ipſe ferme exiſtimem. Quare quid in iis potius credam, cum mihi dubiam tamen trahat ſententia mentem: ideo vt quo me vertam ego certum ſciam, amicis litteris per te ſcire cupio. Et ecce: quam, DEVM virtute! ita ſolet, precario mihi parens, quam apud eamdem depoſueram, primo memoria reſtituit: legem 1. D. de curatoribus furioſor. lege 12. tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio: quod moribus quidem ab initio introductum eſt: ſed ſolent hodie praetores vel praeſides, ſi talem hominem inuenerint, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando et diſſipando profudit, curatorem ei dare exemplo furioſi: et tamdiu erunt ambo in curatione, quamdiu vel furioſus ſanitatem, vel ille ſanos mores receperit: quod ſi euenerit, ipſo iure deſinunt eſſe in poteſtate curatorum. *Verba* VLPIANI *ſunt in* dicta l. 1. D. de curator. furioſ. *Quoniam id* conſuetudine *ſiue* moribus *non eſt*, *ſed primiter legibus* 12. *tabularum introductum; hac re textum hunc ſollicitant; idque propter* (1°.) *ſubſtituendum noſtri exiſtimant interpretes; loco* moribus; minoribus. *Tu, vir, celeberrime, clariſſimum ſequens* CVIACIVM *artis noſtrae* virum: *conſuetudine, ex hoc textu, ſalua ſeruata quidem lectione, colligendum tamen* (2°) *eſſe putas; iam ſub regibus id conſuetudine fuiſſe introductum, antequam* tres (*errare enim illos noſti doctores, qui* decem *fuiſſe miſſos exiſtimant, promulgationemque per* decem *Romae factam viros, a miſſione in Graeciam per tres facta, non diſtinguunt: in Graeciam miſerat viros, legeſque per eos ex Graecia petitas in decem tabulas (iterum enim ſua illi falſi ſunt opinione, qui eas fuiſſe eboreas autumant) retulerit, iiſque additis duabus aliis, adeoque duodecim, rem gerebat populus Romanus. Quantum ad primum quod attinet, pura haec puta mihi criſeos magis videtur ambitio, ac neceſſaria quidem iuris emendatio; et ſemper illud, de quo* Pittacus *a* Croeſo *interrogatus, quodnam eſſet maximum? ποικιλα ξυλα: reſpondens:* varii, *nempe* ligni (*ſcilicet in ligno olim ſcribebantur leges, vnde* et bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, ſecundum lignum apud ICtum *audit*) *imperium; tantae apud me auctoritatis eſt, vt leges corrigi debere tam temere non cenſeam: neque, ne vmbram alias magis, quam iuris prudentiam ipſam potius retineamus, a cuiuſque arbitrio, lege nec ratione muniti, vel ſtilo dependere exiſtimem; ſed potius id, quod ſcriptum eſt, vt ſcriptum,*

vbi

vbi poteſt, maneat; quodque imperator, ipſe ſua maieſtate imperatoria armis atque legibus contra earum contemtores armata, confirmauit; vt ſeruem, ſumma potius ope contendam. Licetne anteſtari te, Vir nomine multo? *vt videas, quantum in ſe mali contineat, ſuperuacua illa atque abundans inuidia legum correctio: veram eſſe* Τῶ minoribus *in hac lege lectionem, huc vſque ipſe, falſo tamen; correctione illa in editione* Leopoldina, *temeraria, ſeductus, putaui; meoſque auditores; ſi hoc anno textum explicaſſem ipſum, interpretarer haud dubie.* Proh deûm fidem atque hominum! *Quod ad cariſſ.* Cviacii, *quam et ipſe probas, opinionem quod attinet: qui poſſes probare, mirum mihi videtur; atque ex ea ratione videre nequeo; qua Tribonianum ignorantiam, quod* veteres ex indecora atque inhoneſta nudi corporis inſpectione *dicit* pubertatem iudicaſſe: *ſuam prodere, ideo arbitraris; quoniam id eos feciſſe eo tempore, parum conſtet. Argumentum itaque nunc contra te, vir celeberrime, iure, vt eodem, quod in alium ſtatuis, vtaris; licebit: quod etiam non conſtet, ſaltem aliunde id non probas in* Inſtitutionibus *tuis, quam ex hac ſola lege, id antea in vſu fuiſſe; vt* prodigis adminiſtratio interdicatur; *id, inquam, aliunde non probas, ſub regibus conſuetudine introductum fuiſſe. Aut ergo (etſi nec in eo huc vſque perſuadere mihi potui, vt ſententiam tuam probarem ad)* [*et hoc in parentheſi, vir celeberrime, ſubito enim* Pavlli *recordor* in L. 27. D. de probat. *in verb.* ἐνπλαλει enim poteſt hoc memoria non teneri: *atque iniuſtam eſſe, quam ſubtiliſſimo noſtro ICto faciunt manuum iniectionem noſtri interpretes, reor: dum textum reſtituunt;* Robertvs *particula* non *ſublata, atque Graecis notionibus ſeparatis, eiuſque loco* num *reponens.* Raevardvs *eamdem quidem ſeparationem imitans, at* Τὸ, *id quod mox vidimus, Robertus adiecerat, adeoque credo rem tamquam nullius primo iterum occupans, repetens,* non *profecto! Prothei inſtar in omnes figuras vid.* Gothofred. *mutatur iniuria, ſi quid vmquam alias* Pavlli *lectio!* Ενπλατει *namque veteribus noſtris ICtis ſignificaſſe, idem quod* non ad liquidum, non tam praeciſe, tam ſtricte, *ſed* cum laxamento aliquo. L. penult. D. de condict. trit. L. 13. D. de ſolut. *non tantum; ſed, quae eadem cuius noſtra Labeonis lex eſt,* L. 2. §. 8. D. de aqua et aqu. *plus ſatis demonſtrant. Cum itaque ICtus* de memoria facti faciliori, intra annum *ſcil.* quam quidem ſub hoc illoue conſule euenientis *agat, arg. ſeq.* cum nemo, *ſcire cupio, quomodo mentem ſuam, vt ſcil.* memoria teneri poſſet, *id quod intra annum factum eſſet:* Pavllvs *clarius ſignificare potuit, quam duplici, vnam ex-*

 preſſe,

preſſe, *alteram vi ipſa* tacite *in verb.* ἐνπλάτει *exprimens*, *negatiua dictione. Dic enim* RAEVARDE! *dicite mihi amabo vos! ad dict.* PAVLLI *mentem eruendam*, *reliqui praeclari alias noſtri critici*, *dicite mihi obſecro*, *quid intereſt? Num vobiſcum manu* PAVLLO *iniuria endo a vobis iacta dicam:* non enim poteſt ad liquidum hoc memoria non teneri: vel poteſt hoc memoria teneri: aut cum PAVLLO loquar., ἐνπλατει *(id eſt NB. non* ad liquidum) enim poteſt hoc memoria *non* teneri? *vix credo*, *eſt*, *niſi*, *quod aiunt*, *de nomine diſputare malueris*, *quod diffiteri id poſſis. Caeterum* Graecae *cum* Latinis *confuſa oratione locutionis*, *quod ita* PAVLLVM *hic vſum fuiſſe ſequi debeat*, *id*, *qui ICtos paſſim ita agere obſeruauit*, *mirari neminem credo*; *maxime qui* PAVLLI *noſtri ſtili breuis atque obſcuri lectoremque morantis atque decipientis*, FVLGOSIVS *eum per capillos vult de mente interrogare*, *certe* θορυβοποιεῖ! *recordetur)* ad liquidum *dicere volebam in eo*, *vt ſententiam tuam probarem*, *etſi perſuadere huc vſque mihi nondum potui: atque tecum crederem vitii eſſe alicuius reum in* dict. princ. imperatorem *noſtrum*, *vel* TRIBONIANVM *aut eius ſocium aliquem (aut ergo*, *dicere inceperam*; *eo ſolo illo principio credere debemus: inſpectionem illam antea obtinuiſſe*, *vel ſtilo circa hanc legem vſus es*, *quod hominum eſt*, *imprudenti*, *vel ego fateor: ipſe non leuiter erro: praeterquam*, *quod conſuetudo* moribus colligatur vtentium, *adeoque facti ſit*, *adeoque ex alia quidem*, *quam*, *de cuius mente viri etiam acute videntes ante nos diſputauerunt*, *atque adhuc ſub iudice eſt quaeſtio*, *hac noſtra* lege 1. *probari par erit:* conſuetudine id antea introductum fuiſſe? *factum ſiquidem aſſeuerantem onus probationis ſubiiſſe*, *imperatori placuit* in L. 14. C. de non numerat. pecun. *Quare ſcire te cupio*, *examinandumque tibi proponere volui*; *id*, *quod circa verba legis ab omni vitio ea purganda*, *in mentem inter explicandum aliquando in collegio*, *mihi venerit. Atque* [3°.] Τὸ moribus *apud* VLPIANVM *in lege noſtra referre*, *non quidem ad verb. praeced.* lege 12. tabularum, *ſed ex ICti mente* moribus ſcil. prodigorum ita introductum fuiſſe; Vlpianum in lege noſtra *reſpondiſſe. Moueor tum* (1) *quia verba ita commode poſſunt explicari*, (2) *ad id* PAVLLVS *me quaſi manu ſua ducat*, *quando* Sentent. recept. III. 4. 7. *ſignificat*, *propter* mores *prodigorum adminiſtrationem interdictam iis fuiſſe. Ecce vero ipſam formulam apud* PAVLLVM. Moribus per praetores interdicitur hoc modo: QVIBVS BONA SVA PATERNA AVITAQVE SVA NB. NEQVITIA DISPERTIT, LIBEROS SVOS AD EGESTATEM DVCIT, NB. OB EAM REM TIBI EA RE COMMERCIOQVE INTERDICO. *Hoc modo ait* PAVLLVS *ſolebat fieri interdictio: quoniam bona ſua diſperdit*,

perdit, ob eam rem *ipſi interdicitur*, *id eſt propter* mores *ſuos prauos*: *idque* (3) *confirmare* VLPIANVM, *palam mihi eſt*: *quando id* moribus, nequitia *illa apud* PAVLLVM, ab initio introductum eſſe ait: *nec ipſe* (4) VLPIANVS *lege inſpecta preſſius*, *ab hiſce abhorrere videtur*: *dum praecedens* moribus *explicat*, *per*, *quae immediate ſequuntur*, *verba*: bona dilapidare, talem cet. *nec obſtabunt* (5) *quidquam ſequentia adeoque verbo*: moribus *oppoſita*, *verba*; ſed ſolent hodie *illa etiam opponuntur verbis* lege 12. tabularum, *et*, *quae haec explicant*, ab initio, *non autem verbo* moribus. *Certe ſi verum fateri debeam*, *temerarium me Vlpiano litigatorem dixerim prius ipſe*, *ſi verba eius in mendo cubare cenſerem potius*, *quam mentem ipſius hanc eſſe*; *eumque* (*modeſte dicam*: *poſſe ita eſſe*, *et eſſe*, *vero eſſe ſimilius*) *reſpexiſſe in verbis* ſolent hodie *ad praeced.* lege 12. tabularum *argum.* verb. interdicitur, curatorem dare: *ab initio ſcilicet*, *ſiue* lege 12. tabularum *interdicebatur*, *ſed hodie ipſi ſolet dari curator*: *et in verbis* talem neque tempus cet. *et* dilapidando, diſſipando, *ad verbum* moribus. Idque VLPIANVM voluiſſe: lege 12. tabularum PRODIGO INTERDICITVR ADMINISTRATIO: IDQVE INTERDICERE SCIL. PROPTER EIVS MORES ITA INTRODVCTVM EST AB INITIO, DICT. SCIL. *lege* 12. *tabularum*, SI VERO HODIE TALIBVS MORIBVS HOMO INVENIATVR NON SANIS BEATVS: TVM NON VT AB INITIO, SIVE DE IVRE 12. *tabularum* IPSIVS BONIS INTERDICITVR TANTVM, SED ET CVRATOR IPSI DATVR; *breuibus*; *illa* ab initio, *praecedentibus* lege 12. tabularum, *et ſequenti* hodie *non opponuntur*; *ſed praeced.* lege 12. tabularum *ſignificant*. *Ne plura addam*! *id* (6) *tam manifeſtum*, *vti quid maxime*, Τὸ *ſequens mores explicat*: *atque* (7) *confirmat*, *quod ſimili ferme modo*, moribus *dicat Macedonianum introductum eſſe*, PAVLLVS L. 1. D. ad Macedon. *neque* (8) *minus*, *quod* 12. *tabulae* initium *fuere quo* domina *vrbs iure certo vti incepit* L. 2. D. de orig. iur. **Plane vir celeb. ſi banc noſtram viſionem ferre*, lege *nec* ratione *potes*; *ex eo* (4°.) *potius*, *quam violentas ipſi manus inferrem*, VLPIANI *poſſe verba probari*, *dicerem*: *quod* mores *ICtos noſtros paſſim pro* iure naturae *explicare obſeruem*, *ex. gr. caetera enim mittam* in L. 8. D. de rer. diuiſ. *quando idem* VLPIANVS *ait*; ius poteſtatis patriae moribus eſſe receptum. *Alii aliter*: *mibi ius natur.* gent. VLPIANVM *ſignificaſſe viſum eſt*. *Itaque nunc coniicio*; *et in lege noſtra* 11. *per* mores VLPIANVM *intellexiſſe ipſum* naturae ius: *inductus* (a) *quod alias lex macula laboret*; *imperator tamen ipſe*, *quod*

omnis

omnis vitii lex pura ſit ; atque neſcia ſordis , ſi quis diuerſitatis rationes animo velit ſubtili diſcutere : *vid.* L. 2. §. 13. C. de vet. iur. enucl. (*b*) *quoniam in dicta lege idem* (*ex inſcriptionibus varias diſputationum peſtes*, *contagione odioſas* ; *quandoquidem inter doctos conſtat*, *poſſe tolli* ; *ideo illud te longiori probatione monere* ; *opus ſuperuacuum exiſtimarem*, *atque atramentum*, *operam* , *et quae pretioſiſſima res omnium eſt* , *tempus perdere*) VLPIANVS *et eodem modo* τὸ mores *ſumere mihi videtur* (*c*) , *quoniam imperator ipſe* in §. penult. Inſt. de Attil. tut. *reſcripſit* : *naturali* , *quod cognationem inter homines omnes conglutinauit* , L. 3. D. de iuſtit. et iur. iuri *eſſe conueniens* ; *vt ſub poteſtate aliorum ſint illi*, *qui ipſi tueri ſe nequeunt* : *ſiue vt* VLPIANVS *hic ait*, moribus talibus hominibus ab initio ſuccurritur. moreſque *dicto ſenſu pro* iure naturae, *id* ab initio, *conſtituiſſe*, *prudenter omnino* VLPIANVS *ait* : *dum illud* (*d*) *non hoc die demum Iouis* , *ſed* ab initio *ſit introductum* ; *quare et* (*e*) *illud imperator ius* vetuſtius *vocat* : in §. 11. Inſt. de rer. diuiſ. *et* (*f*) *ipſe exiſtimauerit* , quod quamquam caueatur aliquid ex lege 12. tab. tamen recte dici et iure gentium, id eſt naturae effici, in §. 41. Inſt. de rer. diuiſ. *quare et in lege noſtra* 1. quamquam lege 12. tab. prodigo interdicitur adminiſtratio, tamen et id moribus, *iure naturae*, *eſſe introductum* VLPIANVS *recte reſpondet*.

Haec ſunt, *vir celeberrime* , *quae vti in mentem circa ICti verba mihi* (*ſunt*, *ſed ne te pluribus teneam*, *mitto potius ea* , *et plura alia*) *venerunt*, *diſputare*, *amice* : *non quidem* , *ac ſi famam inde comparare*, *aut ſi quae eſt* , *augere* , *eam*, *quod facile alias per clariſſimum tuum nomen fieri poteſt* ; *ſurgat animo peruerſa ſententia* : *aut vt praemio laudis magis quam veritati mea nitatur diſceptatio*, *aut aliis in homine honeſto artibus illicitis*, *non eo inquam feci* ! *ſed ita res eſt*, *faciendum ita fuit*, *vt per te de omnibus ego certior*, *quod ſane volo* , *fiam. Itaque vti vir es*, *ſententiam tuam ſcribe libere* ; *vti vir es*, *ita vbi aberrauero* , *in viam me reducas* : *certe vti vir es tantus*, *ita te audiam*, *te ſequar libenter meritoque* : *digitum iam ab initio volo tollere*, *atque praemium tibi quoduis victoriae polliceri* , *tantus veri amor iuriſque ſcientia*, *adurit pectus*; *certe*; *gratum me fore atque munem dico. Vale*, *vir celeberrime*, *atque ex animi ſententia voueo* , *rebus tuis ſupereſto diu laetus* : *bono rei litterariae ornamento* , *praeſertim noſtrae iuris prudentiae. Ego dum ſcire mihi licet*, *num gratae hae ad te perueniant*,

ueniant, mihique, vt de aliis, multa enim habeo; ad te iis, quae Themidi placuerunt, ſcribere permittas; nomen meum Angeroniae litabo potius, quam vt illud temeritatis accuſetur. Praenomen dicam: crede quod ſim.

CELEBERRIMI TVI NOMINIS
CVLTOR.

Alia corpore, ac ideo magis animo valens; haec oculis vix dimidiatis, lumenque tentantibus Mart. d. vlt. 1724. ad te per alium exaraui.

P. S.

Themis impertit tibi multam ſalutem: atque vt meum nomen adderem hac, inter alias, mihi ratione perſuaſit: vt ſcires quod amicus ille iugo litterarum tuus, atque ſit.

CLARI TVI NOMINIS
SINE FVCO CVLTOR
E. A. O. C. PAGENSTECHER.

CLARISSIMO CONSVLTISSIMOQVE
VIRO
DOMINO
E. A. O. C. PAGENSTECHERO
I. V. D. ET IN ILLVSTRI NASSOVIORVM ATHENAEO
IVRIVM PROFESSORI ORDINARIO

S. P. D.

I. G. HEINECCIVS
IC. ET ANTECESSOR.

QVod tanti ego tibi viſus ſim, vir clariſſime, vt, oculorum licet valetudine oppreſſus, publice tamen me compellare, et, ſi recte interpretor, de quibuſdam, quae ad communem artem pertinere videbantur, mecum amice colloqui haud dubitaris: tantum abeſt, vt mihi moleſtum fuerit, vt gratiam a me eo nomine inieris maximam. Equidem niſi priore, quod ceperas, abiecto conſilio, nomen tuum celeberrimum plagellis adſcripſiſſes: facile potuiſſem opinione mea falli, et imaginando mihi fingere auctorem epiſtolae, neſcio quem, cui me libeat in arenam pertrahere, et mouere bella, nullos habitura triumphos: maxime quum tibi quaedam exciderint, quae aliis aſpera ac paullo inhumaniora viderentur. Enimuero, poſtquam tuum illud conſilium damnaſti, iam nihil eſt, quod tibi ſuccenſeam, partim, quod duriuſcula illa tibi praeter animi ſententiam excidiſſe (et cui non talia aliquando imprudenti excidunt?) ſcriptis ad me litteris fateris: partim quod viſo Pagenſtecheri nomine, facile te ſuſpicione omni abſoluit conſcientia mea, quae non meminit vllam tibi a me factam eſſe iniuriam. Plurimum itaque amo Themidem noſtram, quae, vbi iam ad finem peruenerant operae, vt ne nomen diſſimulares, tibi prudenter ſuaſit.

ſit. Non enim ignoras, quam facile cum anonymo ſermocinantibus, aſpera quaedam elabantur. Noſti, quam non modo cenſurae, ſed et laudes, profectae ab ignoto homine, ſuſpectae videantur. Denique, vt rem omnem in compendium conferam, neminem ſibi viuo barbam a perſonatis auctoribus euelli, aequo animo pati ſolere, facile intelligis. Iam vero grata mihi eſt epiſtola tua, vel eo nomine, quod eam tuam eſſe video, id eſt, ab eo viro ſcriptam, in quem non cadit malignitatis cuiuſdam ſuſpicio. Ne tamen plane impune feras, quod me adſuetum vmbrae in lucem protrahis: patere, quaeſo, vir clariſſime, vt te, mihi laudes, quas non agnoſco, iuſto liberalius admetientem, amice obiurgem. Tune vero, clariſſime Pagenſtechere, mihi famam aliquam tribuis? Tune me litterarum fugientium ſtatorem, iuriſque prudentiae vindicem ferri ais? Tune, ſi princeps eſſes, robur meis ſcriptis pleniſſimum accommodares? Vide quid agas, et quo te immodicus in me amor, (nam et amori ἀμετρόν τι ineſſe ſolet,) in tranſuerſum agat. Demus, obſecro, operam, ne hominibus maleuolis ſermonem de nobis demus. Caueamus, ne laudes huiuſmodi ipſa ὑπερβολῇ ſuſpectae ſint. Iuriſprudentiae iam ab adoleſcentia operam me haud perfunctorie nauaſſe fateor: neque nego, mihi aeque ac tibi illos ſemper diſplicuiſſe, qui deuorato aliquo iuris compendio ſtudia cruda in forum propellunt, omnemque ICti laudem in eo poſitam exiſtimant, vt legum ſibi haud intellectarum principia vno ſpiritu recitare, et ad ſingula verba Bartoli, Baldi, atque Accurſii Manes euocare adſueuerint, quos tu, vir clariſſime, acute, vt ſoles, *propitiatos Philiſtaeos* vocare ſoles. Admoto me docendi muneri, non inficior, quaedam a me indolata exiiſſe ſcriniis meis, quaedam iam exercere prelum, quaedam et ſub lima eſſe; ſed leuia pleraque, et ad ſolius cupidae legum iuuentutis vſum comparata. His ſi me, famae non admodum ſtudioſum, ac propemodum illud λάθε βιώσας a puero adfectantem, famam tamen aliquam conſequutum exiſtimas, prope abeſt, quin famam dicam *malum, quo non aliud velocius vllum.* Deinde iuris ſtudioſus ſum, quod elogium ne maximos quidem artis noſtrae conditores adſpernatos nouiſti, *L.* 1. *D. de offic. adſeſſ.* non litterarum fugientium ſtator, non iuris prudentiae vindex, quas laudes verecundiae meae graues eſſe, niſi me Suffenum cenſes, facile intelligis. Denique quod te, ſi, princeps eſſes, robur meis omnibus accommodaturum, ſcribis: caue, ſis, hoc feceris, vel vlli principum eius conſilii fueris auctor. Quae enim inter nos diſceptantur, hiſtorica et critica ſunt, in quibus facile omnes labimur, facile aliquid praeteruidemus, quae emiſſitios aliorum

C 2 oculos

oculos non fugiſſent. Ego ſaltim mihi in his parum tribuo, quin ipſe aliquando meliora edoctus vineta mea caedo: ſaltim quotidie experior, vere ac ſapienter, ſi quid aliud, dixiſſe comicum:

Numquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, aetas, vſus, ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat: vt illa, quae te ſcire credas, neſcias,
Et quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Haec tecum, mi Pagenſtechere, amice expoſtulare viſum eſt. Quod ad reliqua attinet, nondum me poenitet iudicii, quo te virum bonum, candidum, apertum, mihique benevolum ſtatui. Ferre ſane poſſum a me diſſentientem, quia et ipſe aliquando diſſentio ab aliis. Quin, ne me candore et veritatis ſtudio a te ſuperari patiar: fateor, me et a te in quibuſdam, quae epiſtola tua erudite ſcripta complectitur, diſſentire. Quare, vti tu aperte dixiſti ſententiam: ita et ego tua ingenua libertate expendam. Hanc libertatem petimus dabimuſque viciſſim.

Quum vero tria potiſſimum a te agi animaduertam: ſiquidem et Cuiacii, quam ſequutus ſum, de *L.* 1. *pr. D. de curat. furioſ.* ſententiam refellis, et tuas de hac lege coniecturas expromis, et poſtremo de *L.* 28. *D. de probat.* (quam tu lapſus memoria perperam allegas 20. *D. de probat.*) ὡς ἐν παρενθέσει eadem opera diſſeris: de ſingulis quaedam, eaque, vti ſpero, non proletaria, tecum confabulari iuuabit.

Primo ergo inter nos quaeritur, an ex Vlpiani textu *L.* 1. *pr. D. de curat. furioſ.* recte cum Cuiacio coniecerim, interdictionem bonorum iam ante 12. tabulas ſub Romanorum regibus fuiſſe receptam? Ego ita ſenſi, quum antiquitates Romanas adornarem, neque dum me huius ſententiae poenitet. Tu vero in alia omnia diſcedere mauis, et hinc noua potius ratione Vlpianum interpretari inſtituis, quam verbo adſentiaris Cuiacio. Itaque rationes meas, quaeſo, accipe, priuſquam ad tuas progrediar. Textus VLPIANI noſtri talis eſt: *lege 12. tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio: quod MORIBVS quidem ab initio introductum eſt. Sed ſolent hodie praetores vel praeſides, ſi talem hominem inuenerint, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando et diſſipando profudit, curatorem ei dari exemplo furioſi. Et tamdiu erunt ambo in curatione, quamdiu vel furioſus ſanitatem, vel ille ſanos mores receperit. Quod ſi euenerit, ipſo iure deſinunt eſſe in poteſtate curatorum.* Integrum eſſe hunc locum, et piſce ſaniorem, ipſe mecum agnoſcis, quippe qui grauiter

eorum

eorum reprehendis temeritatem, qui in fragmento noſtro pro *moribus* ſuo periculo reſcribi iubent *minoribus*, et *pag.* 7. rogas, *liceatne me anteſtari?* Licet vero, vir clariſſime, nec grauatim ego tibi oppono auriculam. Numquam enim mihi placuit truculentum illud et audax hominum genus, qui ſecant vruntque, quoties in legibus noſtris quidquam occurrit paullo difficilius. Abſit ex arte noſtra vis priuata, quam ipſa publico iudicio coercet: abſit atrocior critica, quam nec NECESSITAS vrget, nec commendat MODESTIA. Quid vero ea emendatione inſulſius eſt, ex qua ſequitur, vt quod legibus 12. tabularum prodigo interdicatur bonorum adminiſtratione, id minoribus, vel in gratiam minorum ſit introductum, quum tamen inauditum ſit, minores ante legem Laetoriam curatores accepiſſe? Sin vero de minoribus laſciuis et prodigis ſenſiſſe putant Vlpianum, quid quaeſo certius, quam maiorennibus etiam bonis interdictum eſſe iam temporibus antiquiſſimis?. Certe C. Licinius Hoplomachus a praetore impetrauit, vt patri ſuo (procul dubio maiorenni,) bonis, tamquam ea diſſipanti, interdiceretur, teſte VALER. MAX. *Hiſtor. Lib. VIII. cap.* 6. §. 1. P. Scipionis Africani maioris filium *praeturae petitorem*, adeoque virum annorum ſaltim triginta, *propinqui nec ſellam ponere, nec ius dicere paſſi ſunt, inſuperque e manu eius annulum, in quo caput Africani ſculptum erat, detraxerunt*: id eſt, vti ego arbitror, obtinuerunt, vt ei bonis interdiceretur. VALER. MAX. *Lib. III. cap.* 5. §. 1. Et quid denique faciemus loco PAVLLI *Sentent. recept. Lib. III. tit.* 4. §. 7. qui et ipſe hanc bonorum interdictionem a moribus arceſſit? an et ibi reſcribemus *minoribus*? Apage itaque eam emendationem, recte tuo damnatam ſuffragio. Quod ſi vero, vti ipſe contendis, textus recte ſe habet, et tibi τὸ ἀκίνητον ἄμεινον ſerio videtur: firmo talo ſtare videtur Cuiacii ſententia. Primo enim Vlpianus interdictionem bonorum manifeſto arceſſit a 12. tabulis, idemque et alii faciunt, cum VLPIANVS in *Fragm. tit.* 7. §. 11. *L.* 18. *D. qui teſt. tut. dar. poſſ. L.* 5. §. 1. *D. de adquir. her.* tum CAIVS in *L.* 13. *D. de curat. furioſ.* et IVSTINIANVS in §. 3. *Inſt. de curat.* Deinde vero idem VLPIANVS noſter addit: *quod MORIBVS ab initio introductum eſt*; quam loquutionem in iure noſtro perpetuo ſignificare ius conſuetudine et moribus vtentium vel tacitis populi ſuffragiis receptum, nemo ignorat. Quod ſi igitur interdictio illa bonorum ex legibus tabularum deſcendit, quod Vlpianus priore commate adfirmat, et tamen MORIBVS ab initio introducta eſt, quod commate poſteriore tradit: conſequens ſane eſt, vt mores illi aut anteriores ſint 12. tabulis, aut poſteriores. Si poſteriores dixeris: tum fal-

ſum erit, eam curationem prodigorum legi 12. tabularum debere originem. Sin priores: veriſſimum erit, quod docui cum Cuiacio, eamdem iam ſub regibus inualuiſſe, et poſtea migraſſe in 12. tabulas. Ita mecum ratiocinatus ſum, vir magno nomine, quando Cuiacii ſententiam adoptaui: et neſcio, an potuerim magis λογικῶς. Sed adesdum porro, et reliqua accipe. Non modo Vlpianus noſter hanc bonorum interdictionem moribus attribuit, verum etiam Pavllvs *Sentent. recept. Lib. III. tit.* 4. §. 7. qui diſerte *MORIBVS* inquit, *per praetorem bonis interdicitur.* Quadruplici verò ſenſu iura noſtra moribus adſcribi animaduerto. Primo enim e moribus eſſe dicuntur, quaecumque diuturna conſuetudo praeter leges ſcriptas inuexit: quod *ius moribus conſtitutum* vocat Ivlianvs *L.* 32. *§.* 1. *D. de legib.* Deinde et ea, quae ex interpretatione prudentum nata ſunt, moribus dicuntur introducta, eiuſque rei exempla complura congeſſit ICtus, quem maximi facio, Em. Merillivs *Obſ. Lib. I. cap.* 6. Tertio et, quae edixit praetor, moribus vel iuri conſuetudinis accenſet Cicero *de inuent. Lib. II. cap.* 22. quia et *ea voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobauit.* Denique ea etiam, quae legibus regiis ante 12. tabulas inualuerant, et poſtea in hoc δωδεκαδέλτων migrarunt, a moribvs repeti ſolent in iure noſtro, vt ab iis diſcernantur, quae aliunde ex Graecia tres viri, in Graeciam miſſi, adſciuerunt. De his liquidiſſimam eſſe arbitror regulam ἑρμηνευτικήν: *quoties ea, quae in* 12. *tabulis locum inuenerunt, tribuuntur moribus, toties per mores leges regiae vel conſuetudines iam ſub regibus receptae intelliguntur.* Ne gratis id adfirmare videar, vades tibi dabo, et quidem non proletarios, ſed locupletes, et aſſiduos, Dionysivm Halicarnassevm et Pomponivm. Iſte *Libro II. cap.* 28. in 12. tabulis propoſitos eſſe ait πάντας τοὺς πατρικοὺς ἐθισμούς τε καὶ νόμους, omnes mores *patrios et leges*, quos mores patrios eodem loco opponit τοῖς ἐπεισάκτοις, *adſcititiis*, quae tres viri ex Graecia attulerant. Idem *Lib. X. cap.* 66. decemuiros ait promulgaſſe νόμους συγγεγραμμένους ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν: *leges ex Graecorum iure ſuiſque moribus non ſcriptis compilatas.* Ita et Pomponivs *L.* 2. §. 23. *D. de orig. iur.* ius vetus tranſlatum eſſe in 12. tabulas teſtatur. *Ius*, inquam, *vetus*, id eſt, quod legibus regiis et moribus patriis ab ipſis vrbis, rerum dominae, incunabulis inuectum erat. Quamuis enim leges curiatae, a regibus latae, initio eſſent ius ἔγγραφον, eamque naturam veluti poſtliminii iure recuperarent, ſimulac a decemuiris in tabulas relatae centuriatis comitiis comprobarentur: temporibus tamen decemuirorum erant ius ἄγραφον, quia exactis lege tribunicia regibus,

eorum

eorum leges omnes ſemel ſimulque exoleuerant, et quae adhuc in ciuitate ſeruabantur, non tamquam leges a regibus latae, ſed tamquam mores patrii, ac conſuetudines vetuſtae auctoritatem aliquam obtinebant, vt populus *incerto magis iure et CONSVETVDINE, quam per latam legem*, regeretur, vti ait POMPONIVS *L.* 2. §. 3. *D. de orig. iur.* Habes iam, vir clariſſime, rationem, cur ea, quae ante legem 12. tabularum obtinuerunt, et deinde immigrarunt in 12. tabulas, *mores* adpellitentur. Iam et regulam paullo ante propoſitam demonſtro. Ius patriae poteſtatis *moribus receptum eſſe*, ait VLPIANVS *L.* 8. *D. de his, qui ſui vel al. iur. ſunt.* Et tamen illud inter leges decemuirales, et quidem in tabula quarta locum habuit, teſte DIONYSIO HALIC. *Lib. II. cap.* 28. Vnde ergo patria poteſtas? Ex lege regia, ceu praeter Dionyſium Halicarnaſſeum fatetur PAPINIANVS apud *Pariat. legum Moſ. et Rom. tit.* 4. Solo teſtamento, hereditatem dari poſſe, tralatitium eſt. Moribus id ius introductum eſſe, refert laudatiſſimus PAPINIANVS, dum in *L.* 10. *D. de iur. codicill.* eleganter ſcribit, *per manus traditum eſſe, quod hereditas codicillis dari non poſſit.* Et tamen nemo dubitauerit, quin illud ius prono alueo fluat ex lege illa decemuirali: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER PECVNIA TVTELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO. *Legare* vero eſt legem dicere rebus ſuis, verbis directis de vniuerſitate bonorum diſponere, vel, vti imperator in *Nou. XXII. cap.* 2. loquitur, νομοθετεῖν; quae νομοθεσία ſolo teſtamento, non codicillis, qui nudae epiſtolae erant, fieri poterat. Vnde ergo hoc ius? Ex legibus regiis vel conſuetudine ſub regibus iam recepta. Nam iam ante decemuiros Romae, et in Italia reliqua, heredes non niſi teſtamentis inſtituebantur. Exempla ſunt apud LIV. *Lib. I. cap.* 34. et PLVTARCHVM *in vita Romuli.* Addi poſſent huius generis alia, inprimis quae ad illuſtrandam *L.* 2. *pr. D. de vulg. et pupill. ſubſt.* a pauciſſimis intellectam pertinerent, niſi vel haec ſatis ſuperque demonſtrarent, regulam noſtram eſſe certiſſimam, et ad illuſtrandas variorum iurium origines apprime vtilem. Inde vero denuo infero, interdictionem bonorum, quia moribus inualuit, et tamen in 12. tabulis locum inuenit, iam ſub regibus non ignotam fuiſſe.

Habes rationes meas, vir clariſſime: iam tuis expendendis accingor. Conſuetudinem allegantes ad probationem adſtringi ais, idque iure quodam tuo a me quoque exigis. At fallor ego, aut ſatis meam ſententiam probaui Vlpiani teſtimonio, cuius verba, vti paullo poſt demonſtrabo, nullum alium ſenſum admittunt. Nec a me plures teſtes exigere potes, quum, vti noſti, multa in iure aeque, ac hi-

ſtoriis

ſtoriis ſint ἅπαξ λεγόμενα. Vlpianum vero teſtem eſſe locupletiſſimum, vel ideo non negaueris, quod eius tempore adhuc exſtarent, et ius Papirianum, ex quo multo poſt fragmentum bene longum ſeruauit MACROBIVS *Saturnal. Lib. III. cap.* 11. et Granii Flacci in illud commentarii, quos allegat aequalis Vlpiani PAVLLVS in *L.* 144. *D. de verb. ſignif.* Ex his, quid regum temporibus obtinuerit, facilius diſcere potuit, quam nos hodie, poſt tantum praeſtantiſſimorum monimentorum naufragium. Nec meo me gladio iugulas, vir clariſſime, dum, quod iuris in Tribonianum ſtatui, me quoque vti iubes. Dicam huic ſcripſi, fateor; ſed non quod Romanos inſpectione τῶν αἰδοίων vſos eſſe ſcripſit: (id enim cur factum negem, quum ſimilia nobis domi noſtrae occurrant in *iure prou. Sax. Lib. I. art.* 42. immo et hodie illa verendorum inſpectio in ipſis feminis locum habere ſoleat, quoties vel de generandi coeundique potentia, vel de intumeſcentia vteri, vel de edito partu quaeſtio incidit paullo difficilior?) ſed quod ille tutelam non prius olim finitam putauit, quam inſpecta prima lanugine. Hac in re erraſſe putaui Tribonianum, non inuitis illis, qui alioquin Triboniani cauſſam agunt, et in his illuſtri BYNKERSHOEKIO, cuius en verba ex *Obſeru. Lib. III. cap.* 23. *Quamuis autem Caſſiani in aeſtimanda pubertate naturam ſequerentur: facile tamen adſentior iis, qui exiſtimant, non promiſcue in quaeſtionibus pubertatis partes neceſſarias fuiſſe exploratas: nam cui id bono in finienda tutela, in condendo teſtamento, et reliquis, quae virtute maſcula non peraguntur? Non oportet hominum grauiſſimorum ſententiam deridiculo exponere. In nuptiis alia ratio eſt, non enim in his ſufficit pubertas, vt ita dicam, ciuilis: qui virum ſe praeſtare debet, nec vir eſt, a nuptiis abſtinere iubet ratio, iubet Caſſiani et Iauoleni auctoritas.* Iam vide, vir clariſſime, quam Triboniani cauſſa mea ſit multo deterior. Ille pubertatem ob finiendam tutelam indecora inſpectione exploratam eſſe refert: ego curationem prodigorum iam ſub regibus inualuiſſe contendo. Tribonianus nullo nititur teſtimonio; ego Vlpianum auctorem habeo. Ille aliquid refert, de quo tota ſilet antiquitas, quum tamen in tot Vlpiani, Paulli, Caii, ipſorumque Codicum, Gregoriani, Hermogeniani, ac Theodoſiani reliquiis, non poſſet non eius rei via vel veſtigium occurrere. Ego meam ſententiam Vlpiani et Paulli teſtimonio probo. Ille denique non modo aliorum ſuffragio deſtituitur, ſed et a pleriſque veteribus erroris conuincitur, quum terminum pubertatis, quem a Iuſtiniano fixum refert Tribonianus, multo ante receptum vbique fuiſſe referant Dio Caſſius, Tertullianus, Macrobius, ipſique ICti in *L.* 2. *pr. D.*

de vulg. et pup. ſubſt. L.5. D. et L.4. C. qui teſtam. fac. poſſ. et inprimis PAVLLVS noſter *Sent. rec. Lib. III. tit.4.* §.1. Mihi nullus veterum aduerſatur, nec vllus eorum interdictionem bonorum, regum temporibus notam fuiſſe negat, aut aliam eius prodit originem. Vide ergo, quo iure ſcribere potueris: *quod ad clariſſ. Cuiacii, quam et ipſe probas, opinionem quod attinet: qui poſſes probare, mirum mihi videtur: atque ex ea ratione videre nequeo, qua Tribonianum ignorantiam, quod veteres ex indecora atque inhoneſta nudi corporis inſpectione dicit pubertatem indicaſſe, ſuam prodere ideo arbitraris, quoniam id eos feciſſe eo tempore parum conſtet. Argumentum itaque nunc contra te, iure, vt eodem, quod in alium ſtatuis, vtaris licebit: quod etiam non conſtet, ſaltim id aliunde id non probas in Inſtitutionibus tuis, quam ex hac ſola lege, id antea in vſu fuiſſe, vt prodigis adminiſtratio interdicatur: id, inquam, aliunde non probas, ſub regibus conſuetudine introductum fuiſſe.* Reliqua, quia duriuſcula ſunt, non adſcribo. Si vero, vti fateris, lege mea nititur ſententia: cur, quaeſo, negas, aliunde, quam ex *Inſtitutionibus* meis de hac interdictione bonorum conſtare? et cur me territas edicto praetoris? *quod quisque iuris in alios ſtatuit, vt ipſe eodem vtatur?* quum ego Triboniano nihil probanti fidem denegem: tu me, Vlpiani nixum teſtimonio, imprudenti ſtilo vſum arguas? Sed tranſeant haec, ne quid imprudenti excidat. Haec ad primum epiſtolae tuae caput pertinent. Iam ad tuas coniecturas progredior. Duo autem tibi in mentem de lege noſtra veniſſe ais. Primo enim τὸ *moribus* intelligis de moribus ipſorum prodigorum, vt ſenſus ſit, interdictionem bonorum ex lege 12. tabularum deſcendere, eamque *ob mores* prodigorum introductam eſſe. Deinde vero, ſi hanc viſionem, vti vocas, ferre nequeam, per *mores* ius naturae et gentium intelligi, ex eoque interdictionem bonorum deriuari poſſe, exiſtimas. Prior interpretatio, vt ingenue dicam, ingenium quidem ſapit, vix ſolida tamen videtur. Poſterior, non multo ſolidior, ſi quid video, tibi potius, quam mihi aut Cuiacio, quem ſequutus ſum, aduerſatur. Rationes, quibus te moueri dicis, vt priorem interpretationem genuinam exiſtimes, eodem me neſcio, quo pacto retrahunt, quo minus tibi poſſim adſentiri. Nam (1) eam Vlpiani verba non admittunt, partim quia τὸ *moribus introductum eſt* artis noſtrae auctoribus ſemper vſurpatur; quoties aliquid non iure ſcripto, ſed tacito vtentium ſuffragio receptum eſſe dicunt, partim, quod linguae Latinae natura hanc ablatiui notionem plane reſpuit. Prius exemplis quam plurimis, vel, vt ex arte loquar, inductione probare licet. Ita dicitur aliquid *moribus et conſuetudine inductum* vel *introductum L. 2. D.*

de pup. ſubſt. L. 8. *D. de rit. nupt. moribus conſtitutum L.* 32. *D. de legib. moribus receptum L.* 8. *D. de his, qui ſui vel al. iur. L.* 1. *D. de donat. inter vir. et vx. moribus ademtum L.* 1. §. 1. *D. ad SC. Velleian. more ciuitatis conſtitutum. L.* 8. *pr. D. de adqu. vel omitt. hered. L.* 42. *D. de verb. ſignif. moribus impeditum L.* 12. §. 2. *D. de iudic. more maiorum ita comparatum L.* 5. *D. de iuriſd. moribus ciuitatis commercio exutum L.* 34. §. 1. *D. de contrah. emt. more maiorum inſtitutum L. penult. pr. D. ad leg. Pompei. de parric. moribus competere L.* 21. *D. ad municipal.* Numquam vero memini ea formula id ſignificari, quod tibi, vir clariſſime, videtur. An hoc vno loco Vlpianus formulae ICtis paene quotidianae nouam ſubieciſſet notionem? An eam illi tribuiſſet ſignificationem, quam ne natura quidem linguae admittit? Ablatiuum ſemper a praepoſitione ſuppreſſa pendere, praeclare docuerunt SANCTIVS in *Minerua*, et VOSSIVS in libro *de conſtructione.* Nullam vero praepoſitionem, qua cauſſa impulſiua externa exprimitur, caſum ſextum adſciſcere, nemo ignorat. Quare et numquam moribus idem notabit, ac *propter mores.* Sunt exempla, vbi caſus quartus eo ſenſu ponitur, quia praepoſitiones *ob* vel *propter* per ellipſin ſubticentur, veluti apud TERENTIVM *Andr. Act. I. ſc.* 1.

Magis id adeo, mihi vt incommodet.

pro *magis* propter *id.* Et *Eun. Act. V. ſcen.* 6.

Nunc id prodeo, vt conueniam Parmenonem,

pro *nunc* ob *id prodeo.* In *Heaut. Act. V. ſcen.* 3.

---- ---- *Id quod conſimilis eſt moribus,*
Conuinces facile, ex te natum.

pro *ob id*, vti paſſim notauit DONATVS in *Scholiis.* At caſum ſextum ita poni, vt cauſſam impulſiuam externam deſignet, vix idoneo exemplo demonſtrari poſſe arbitror: nec tam inconcinna loquutio cadere videtur in elegantiſſimum Vlpianum, niſi tu, vir clariſſime, exemplis me aliud docueris. Saltim priſcum illud ius, quod marito ob mores retentionem dotis indulgebat, numquam ita deſcribunt veteres, quod *moribus* fiat ea retentio, ſed *ob mores. L. vn.* §. 5. *C. de rei vxor. act. propter mores* VLPIAN. *Fragm. tit.* 6. §. 9. *morum nomine* Idem *ibid.* §. 12. Ita ſemper loquuntur veteres: numquam vero ablatiuum eo ſenſu adhibent. Nec (2. Paullus veluti manu ad eam interpretationem ducit. Non enim inter nos quaeſtio eſt, an ob mores prodigo bonis

bonis interdicatur? (quod facile largior, quum numquam de hac interdictione bonorum cogitaturi fuiſſent Romani, niſi fuiſſent homines, numerus tantum et fruges conſumere nati,) ſed an eum ſenſum verba Vlpiani admittant? Addis quidem 3) eodem ferme modo SC. Macedonianum moribus, id eſt, propter mores introductum dici in textu PAVLLI *L.* 1. *D. ad SC. Maced.* ſed nec Paulli illa lex eſt, nec in ea SC. Macedonianum moribus introductum dicitur. Id tantum ibi conqueritur ſenatus, *Macedonem, improbum foeneratorem, ſaepe materiam peccandi malis moribus praeſtitiſſe.* Iterum ergo largior, SC. Macedonianum ob peruerſos mores filiorum familias fuiſſe conditum: ſed inde non ſequitur, τὸ *moribus introductum* ICtis idem eſſe, ac *ob mores introductum.* Porro 4) et quae ſequuntur, hanc interpretationem non admittunt. Quomodo enim cohaerent illa: *quod ob mores quidem prodigorum ab initio introductum eſt: ſed ſolent hodie praetores vel praeſides, ſi talem hominem inuenerint, curatorem ei dare, exemplo furioſi?* Ita Vlpianus duas propoſitiones eiuſdem ſenſus inepte per particulam aduerſatiuam *ſed* iunxiſſet. Ex mea vero hypotheſi illas Vlpiani propoſitiones, in quibus ipſe vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS fruſtra ſe torſit, facile hoc modo connecto: *lege* 12. *tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio*, adeoque ipſo iure prodigus bonorum ſuorum adminiſtratione excidit, aeque ac furioſus, quia ei bonis ipſa lege, non a praetore, interdicitur. Id *quod moribus quidem* patriis, et ante 12. tabulas ſub ipſis regibus receptis, *ab initio introductum: ſed* et iiſdem moribus mutatum eſt. *Solent* enim *hodie* prodigi non amplius ipſo iure vel ipſa lege iure bona ſua adminiſtrandi priuari, verum *praetores et praeſides, ſi quem bona dilacerando diſſipandoque profundere animaduertunt, ei cauſſa cognita bonis interdicere, et curatorem ei exemplo furioſi dare.* Ita ex mea ſententia leniter fluit Vlpiani textus, quum contra tua paraphraſis *pag.* 1. fingat, lege 12. tabularum prodigis ob mores bonis interdictum fuiſſe, praetorem vero eiſdem etiam curatorem, dediſſe exemplo furioſi. At curationem prodigorum, aeque ac interdictionem bonorum, ex lege 12. tabularum eſſe, ex ipſis verbis legitimis patet, quae ex Cicerone, Feſto, et Paullo, ita reſtituit laudatus GOTHOFREDVS, *Tab. V.* SI FVRIOSVS VEL PRODIGVS EXSISTAT, AST EI CVSTOS NEC ESCIT, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAVE EIVS POTESTAS ESTO. Haec ſunt, vir clariſſime, quae me retrahunt, argumenta, impediuntque, quo minus admittere poſſim interpretationem tuam priorem, quantumuis ingenioſiſſimam.

Quod ad poſteriorem, quam ipſe priori anteferre videris, attinet, non inconcinne putas per *mores* intelligi poſſe *ius naturae*. Id vero parum, vt dixi, aduerſatur Cuiacio. Si enim ex iure naturae et gentium eſt curatio prodigorum: procul dubio ea iam ante 12. tabulas ſub ipſis regibus inualuit. At nec id facilius conceſſerim, τῷ *moribus* idem hic eſſe, ac iure naturae et gentium. Nam 1.) eam vocis notionem fruſtra ex *L.* 8. *D. de rer. diuiſ.* probas, vbi ne vocabulum quidem illud occurrit. 2.) Si, quod ſuſpicor, memoria te fefellit, et in animo habuiſti *L.* 8. *D. de his, qui ſui vel al. iur.* nego, ius patriae poteſtatis, quale apud Romanos obtinuit, ex iure naturae eſſe. Nec ibi Vlpianus agit de naturali parentum poteſtate, quae in directione actionum a liberis ſuſcipiendarum conſiſtit, quippe quam furioſi exercere nequeunt, ſed de patria poteſtate iuris Romani, quae quo ſenſu ex moribus ſit, iam ſupra explicauimus. Accedit, 3.) quod aegre interdictionem bonorum ex iure naturae demonſtraturus ſis. Naturali quidem iuri conueniens eſt, vt ſub poteſtate aliorum ſint illi, qui ipſi tueri ſe nequeunt: §. *penult. Inſt. de Attil. tut.* ſed prodigi poſſent, ſi vellent: nec tam eorum, quam agnatorum, bono inuecta eſt prodigorum curatio. Potius ius naturae dominis rerum ſuarum adminiſtrationem liberrimam concedit: ius vero ciuile excipit prodigos, quia expedit rei publicae, ne quis re ſua male vtatur. §. 2. *Inſt. de his, qui ſui vel al. iur. ſunt.* Quare nimis laxam eſſe oporteret ſignificationem iuris naturalis, ex quo Vlpianum curationem prodigorum deriuaſſe dixeris.

Supereſt, vt de *L.* 28. *D. de probat.* de qua ἐν παρέργῳ differis, quaedam addam. Ait Labeo: *ſi arbiter animaduertere debeat, an operis facti memoria exſtet, hoc ei quaerendum eſt, an aliquis meminerit, id opus factum eſſe?* Pavllvs epitomator et ſcholiaſtes addit: *immo quum in arbitrio quaeritur, memoria facti operis exſtet, nec ne? non hoc quaeritur, num aliquis meminerit, quo die aut quo conſule factum ſit? ſed, num hoc aliquo modo probare poſſit, quando id opus factum ſit? et hoc ita quod Graeci dicere ſolent ἐν πλάτει. enim poteſt hoc memoria non teneri, intra annum puta factum, quum interim nemo ſit, eorum, qui meminerit, quibus coſſ. id viderit.* Multa, vt fit, in hac lege reprehendunt critici. Alii ferre non poſſunt τὸ *enim* ſine vllo praepoſito pro *nam* poni, quod tamen defendunt Hvb. Giphan. *in Indic. Lucret. voc. enim.* Tavbmann. *ad Plaut. Epid. Act. V. ſcen.* 2. *v.* 36. Io. Fr. Gronov. *ad Liu. Lib. XXXIIII. cap.* 32. et V. C. Car. Andr. Dvkervs *de Lat. vet. ICt. pag.* 330. Robertvs, ſublata particula *non*, reponit *num*, hoc modo: *num enim poteſt hoc memoria teneri intra annum?*

Raevar-

Raevardvs: *non enim poteſt hoc memoria non teneri.* Tu vero, vir clariſſime, emendatione opus eſſe non putas, ſi ἐν πλάτει ad ſequens comma referamus, ſcriptumque dicamus: ἐν πλάτει *enim poteſt hoc memoria non teneri.* ἐν πλάτει enim tibi eſt *non ad liquidum*, adeoque ſenſum eſſe putas: *poteſt hoc memoria teneri.* Ingenioſe, vt ſoles. Enimuero 1.) neſcio, quo tunc verba antecedentia referas, ſi ἐν πλάτει pertineat ad comma ſequens. Quis enim ſenſus erit verborum: *ſed num hoc aliquo modo probari poſſit, quando id opus factum ſit? et hoc ita, quod Graeci dicere ſolent.* Deinde 2.) duae negationes quidem adfirmant: ſed Graeco illi ἐν πλάτει nulla proprie ineſt negatio, niſi dicas etiam in Latino LATE negationem latitare, quia idem ſit, ac *non ſtricte.* 3.) Proprie ἐν πλάτει idem eſt, ac *late, cum quadam latitudine*, et ἐν πλάτει aliquid memoria tenere vere exprimit Germanicam phraſin: *Sich einer Sache weitlaeuftig erinnern.* Ex quo (4. ſequitur, vt retenta lectione vulgari nullus exſculpi poſſit ſenſus alius, quam *late hoc ſciri non poſſe, intra annum aliquid factum eſſe.* Quod prorſus Paulli ſcopo aduerſatur.

Quae quum ita ſint, nec Roberto, nec Raeuardo adſentior: ſed ex regula geminationis, (quam praecipuum eſſe noſti critices myſterium) et vna mutata littera ita textum integritati ſuae reſtituo: *et hoc ita*, quod Graeci dicere ſolent ἐν πλάτει. ἐν πλάτει *enim poteſt hoc memoria contineri, intra annum puta factum*, quum cet. Sic ſenſus eſt planus. Dixerat Labeo: *ſi arbiter animaduertere debet, an operis facti memoria exſtet? hoc ei quaerendum eſt: an aliquis meminerit id opus eſſe factum?* Quum vero alioquin is demum aliquid factum meminiſſe dicatur, qui, quo tempore id factum ſit, in numerato habet: interpretationis cauſſa addit Paullus, tam accuratam ſcientiam rebus in antiquis non exigi, ſed ſufficere, ſi ſe meminiſſe dicat teſtis, intra certum annum, veluti vigeſimum, trigeſimum factum eſſe opus, quamuis diem et conſulem exprimere nequeat. Hoc ita eloquitur ICtus: *immo quum in arbitrio quaeritur, memoria facti operis exſtet, nec ne? non hoc quaeritur, num aliquis meminerit, quo die aut quo conſule factum ſit? ſed, num hoc aliquo modo probari poſſit, quando id opus factum ſit? et hoc ita, quod Graeci dicere ſolent* ἐν πλάτει. Manifeſto ergo Paullo ἐν πλάτει idem eſt, ac illud, quod praeceſſerat *aliquo modo*, quaſi dicat: ſufficere, ſi *aliquo modo*, vel, vt Graeci loquantur, ἐν πλάτει teſtis ſciat, quando id opus factum ſit. Iam porro addit rationem, cur tam accurata notitia memoriaque rerum antiquarum exigi nequeat: ἐν πλάτει *enim*, (id eſt *aliquo modo*) *poteſt hoc memoria contineri, intra*

annum, *puta* (trigeſimum, quadrageſimum) *factum* : *quum interim nemo ſit eorum, qui meminerit, quibus conſulibus id viderit.* Habes meam de lege vexatiſſima ſententiam. Nec puto turbare poſſe emendationem *contineri*, pro *non teneri* : Phraſis enim *memoria continere* Latina et proba eſt : nihilque contingere potuit facilius, quam vt C. in N. mutarint ſcribae imperiti, quum inter has litteras in codicibus vetuſtiſſimis magnam eſſe ſimilitudinem, vel ſpecimina a MABILLONIO et celeberrimo BRENKMANNO exhibita ſatis oſtendant.

Sed vide, vir clariſſime, quam amor ſit garrulus. Dum tecum confabulor, vix ſentio plures a me plagellas litteris impleri. Ne itaque verboſior ſim, ad finem propero. Facile tibi adfirmanti credo, non te animo famam comparandi tua ſcripſiſſe : (quid enim tibi famam anhelanti nomen meum profuerit?) nec magis dubito, quin omnis φιλονεικία, omneſque artes illicitae, a te alienae ſint. Quum enim quilibet bonus praeſumatur, donec aliud probetur : quid de te ſuſpicarer, quem mihi iam pridem fama tamquam virum eruditum, bonum, atque honeſtum celebrauit? Hinc etiam, vt iuſſiſti, ſententiam ſcripſi libere ; nec quidquam mihi excidiſſe arbitror, quod tibi moleſtum fore iudicem. Vt me ſequaris, vt tollas digitum, vt victoriae praemium decernas, nec poſtulo, nec exſpecto. De aliis rebus ad communem artem pertinentibus ſi mecum priuatim confabulari volueris, id mihi profecto erit longe iucundiſſimum : et re ipſa oſtendam, in lucro me ponere, ſi per te proficiam. Publicam autem diſceptationem vel eo nomine deprecor, quia permoleſtum eſſet futurum, ſi vel quiſquam, rei ignarus, ſimultatis aliquid inter nos eſſe, ex publico hoc litterarum commercio ſuſpicaretur. Vale, vir clariſſime, et iuris prudentiam diu ornare perge. *Franequerae A. D. XI. Sextil.* CIↃ IↃCC XXIIII.

Themis te reſalutat, optatque mecum, ne quid in poſterum luminibus tuis officiat, ſimul vero, ne epiſtolam tuam vna cum mea recuſam aegre feras, etiam atque etiam rogat. Debere id viſus ſum rei publicae litterariae, ne pagellae intercidерent, ſane perelegantes. Debere lectori, ne is ad mea legenda minus paratus accedat, ſed tuarum litterarum guſtu imbutus. Debere denique mihi, ne cui forte, ad quem epiſtolium iſtud tuum ſuauiſſimum haud peruenit, aut Andabatarum more, aut plane cum laruis pugnare videar. Si quid noui parturit ingenium, quod ad illuſtrandam artem noſtram facit, eo ne Muſas meas carere patiaris, vehementer a te contendo. Reddam, ſi viuo, πάντα περὶ πάντων, aut ſi mauis, cum foenore. Iterum vale.

VIRO

VIRO CLARISSIMO CONSVLTISSIMOQVE DOMINO

I. G. HEINECCIO,

S. P. D.

E. A. O. C. PAGENSTECHER.

QVid igitur ego faciam? Non eam? Ne nunc quidem, cum accerſor? An ita me comparem potius: non velle me diſputare magis, de vno verbo, cum Heineccio? Adſum, a te, vt adeſſem, vocatus, et quae tu plura vis accepturus, clariſſime idemque amiciſſime vir.

Ne ego te laudem, *vis*, quin amice me obiurgas, quaſi plus id ſatis feciſſem, *Sed hoc non accipio. Si enim iuſto liberalius forte admenſus tibi laudes fuerim, factum id erit ideo, quod anonymus antea ad te ſcribere, decreueram.*

Quod excidiſſe mihi, *ais*, aſpera quae aliis ac inhumaniora videri poſſent, *illud, proh dolor! accipio, perturbatus, ferme, ad vnum verbum quam cito. Idem enim iſtud,* inhumanae *notionis verbum, ne aſperum magis aliis paulloque inhumanius videatur, atque aliorſum quam quidem tu ſcripſeras, accipiant, mi Heinecci, valde ego vereor. Aſperum, cogito mecum, videbitur ipſis, inhumanitatis mihi notam obiicere, idque,* inhumanae *ſignificationis verbo, qui non eius auctor ſum vel in minimo; dum in litteris meis, animi erga te aſperi vola non adeſt nec veſtigium, inhumanitatis non gry quidem. Aut ſi eiuſmodi vmbra aliqua fortean occurreret, quo pacto, ideo, tanti vitii, (inhumanitatis) reum poſtulare me? Quare tam atroci verbo, in, quem amas adeo, tuum Pagenſtecherum inſurgere, ac in aliorum animos, vt idem de me ſentiant, tacite inducere inſimul? Quo foedere, huius rei gratia, vt adſim, exigere a me potuiſti, dic, vir amiciſſime? Atquin, te fatente ipſomet, priuatis litteris te rogaui, vt, ſi quid fortean imprudenti ſtilò excidiſſet, quod ſiniſtram interpretationem apud alios habere poſſet, id excuſare tu velles. Quare, maiorem litigandi cauſſam, eo nomine ego tecum habere poſſem, ſed non inſtituam tamen. Tam, quod haec non te ex animo dixiſſe, coniicio, quam quod non ad rem ipſam faciunt; ita non, ſed eſt certandum legibus. Qui, et* ita

te reſpondere ne vllo verbo acerbiore me laederes, nullius tibi conſcius, quod mihi bilem poſſit mouere, *priuatis litteris tuis me certiorem feciſti. Ceu et ego certe, etiam citra hanc tuam conteſtationem, quae reſpondiſti, abſque bile legiſſem. Praeterea eruditus olim, quod in meliorem partem debeat interpretatio fieri. Et ſic eam quoque toties recipiam, quoties per verba liceat modo, deteriorem numquam, niſi inuitus eligam, eo, inquam, in caſu, vbi omni adhibito ſtudio, benigniorem elicere ſententiam, nullo modo poſſum. Sed lex inter nos iam conuenit antea*: amicitiae perpetuae, fallentis, opinionem illius, vter prior cedat, amicum vel latum vnguem ab amicitiae conſtantia deceſſiſſe. *Hanc tu mihi, ego tibi denuo polliceor. Eatque adeo nunc pullata turba ignobilium, quae quouis vento circumagitur.*

Quod illi, qui deuorato (*nec quidem bene digeſto, id addere ſoleo*), aliquo artis compendio, ad Gailii manes confugiunt, *cet. tibi diſpliceant, id equidem credo. Itaque et hoc accipio. Ego, praeputiatos enim non pluris facio, quam ancillam illius, quae latrinam lauat.*

Quod grauatim, *tandem*, mihi non auriculam oppones: *id vtique accipio. Neque ego tibi pedem ſtruam. Nec enſiet velim, qui in ius vocatum vindicit. Age dum, in ius ambulemus. Cauſſam conſcito, addicito Themis, ſtlitem nobis. Verum, ſi placet, mutuo eruemus conflictu. Q.* T. *I. I. C. Q. A. A. F. Eſne is, clariſſime Heinecci, a quo mandatum ego Cuiacii petam? Annuiſti illud, litemque mecum affirmatiue conteſtatus iam es. Tria a nobis agi, recte animaduertis.* Primo, *Cuiacii, quem ſecutus es, refello ſententiam:* tempore, *nimirum, regum*, interdictam prodigis adminiſtrationem bonorum fuiſſe. Secundo, *meas de hac re coniecturas expromo.* Tertio, *de genuina* L. 28. D. de probat. *lectione, inter nos eſt diſceptatio. Haec tria inter nos agi, idem quidem etiam ego conteſtor.*

Niſi ad primum quod attinet, non tam [*a*] *Cuiacii illam et tuam ſententiam refutaui; ac* [*b*] *quidem, illam a te ex hac ſola lege ex verbo ibi:* moribus, *probari non poſſe, dixerim. Duo igitur quoad primam quaeſtionem noſtram, vt ſuſcipias a te exegerim.*

Pri-

Primo,

adminiſtrationem bonorum, tempore regum, prodigis interdictam fuiſſe. *Idque,*

ſecundo,

te ex hac ſola noſtra *L.* 1. *D. de curat. fur.* ex verbo ibi: *moribus*, probare poſſe.

Primum, credo, facile inieris. Sed et alterum ideo mecum agas, quia hoc modo lis inter nos conteſtata eſt. Ceu et propter hanc rationem inter alias, a te, clariſſime vir, ex hac lege ſola id probari minus poſſe, meo vertebam animo, quod ipſe ſenſeris, ex vno ſolo loco, aliquid obtinuiſſe antea, non conſtare ſatis; ceu certe non, ſi obſtent ei alia. Sic itaque nunc licet ſe res habeat noſtra, tamen et in ceteris deſcendere tecum in arenam, libet. Ac [a] eam inter nos agitatam quaeſtionem, ſiue Cuiacii, quam ſecutus es, ſententiam, non tantum, a te non, ſed nec ab ipſo Cuiacio nec ab vllo homine alio, [*b*] non tantum, non ex hac lege 1. ſed nec ex vllo aliquo alio loco, probari poſſe, *diſputare tecum adhuc mihi animi ſupereſt. Sed, ordinis cauſſa, videamus primo, num ex hac noſtra lege probari ita poſſit? Id quod dum ago, Themidi (hanc enim cognoſcendi iudicandique cauſſa accipias mecum, velim,) eiuſue addictis arbitris, litis noſtrae cauſſam proximam fundamentumque aliquod, ponamus antea, tale:* legem noſtram primam, in verbo: *moribus*, eo modo quo putas, (*prodigis ſcilicet tempore regum adminiſtrationem bonorum interdictam fuiſſe*, non tantum ita NB. poſſe, ſed ita NB. debere intelligi. *Id ideo, vir celeberrime; quia ſi ſolum prius probaueris, legem, inquam, ita poſſe intelligi, non etiam quod ita debeat intelligi, aliud vtique nihil tum euiceris, quam NB. poſſe eſſe verum, ſub regibus olim prodigis adminiſtrationem interdictam fuiſſe, non etiam, quod re vera ita fuerit. Id quod affirmas tamen, et litem mecum de hoc conteſtatus es. Cui conuenienter, monſtrandi onus denuo tibi incumbet, NB. alio nullo modo, quam ſolo illo tuo, legem noſtram intelligi poſſe. Fac hoc. Atque nunc, coarctemus noſtram cauſſam, h. e. ad vnum primo redigamus caput; illud:*

legem primam Pandectarum de curat. furioſ. in verbo: *moribus*,

nullo alio modo poſſe intelligi, quam: regum tempore prodigis adminiſtrationem bonorum interdictam fuiſſe.

Miſſis luſoriis, verſis armis, acuto, ſi placet, pugnabimus. At, quo modo, ego te in ſtatu ſtantem, erga me, videtur, video, nobiliſſime antagoniſta? Immo, ad haſtam, ad tela, clariſſime Heinecci.

Ac primum quidem, unde mox dictum defendis, caput, argumentum tuum tale eſt: quod lex noſtra dicat, moribus ab initio introductum eſſe, vt prodigis interdicatur adminiſtratio: quam loquutionem, *pergis*, in iure noſtro perpetuo ſignificare, ius conſuetudine et moribus vtentium, vel tacitis populi ſuffragiis, nemo ignorat. Quod ſi igitur interdictio illa bonorum ex legibus 12. tabularum deſcendit, quod Vlpianus priore commate affirmat, et tamen moribus, ab initio introductum eſt, quod commate poſteriore tradit: conſequens ſane eſt, vt mores illi aut anteriores ſint 12. tabulis, aut poſteriores. Si poſteriores dixeris: tum falſum erit, eam curationem prodigorum legi 12. tabularum debere originem. Sin priores: veriſſimum erit, quod docui cum Cuiacio, eamdem iam ſub regibus inualuiſſe, et poſtea migraſſe, in 12. tabulas. *Si verum dicis, amice, ſi verum narras; numquam, illud ſub regibus obtinuiſſe, verum erit. Aſt, reſpondeo, (1) negando* conſequens poſterius: *namque inde quidem ſequi forte poterit*; quod ante 12. tabulas, *non autem*, quod ſub regibus *ante eas, id obtinuit: quare enim non et eiectis regibus*, ſub populo, *ante dictas tabulas*, conſuetudine id introductum fuiſſe; *exin concludere mihi liceat, id nullus, credo, dixerit? Aliud ergo eſt; an* ante 12. tabulas *quid obtinuerit? aliud, quo tempore id, ante* eas, *obtinuerit?* Illud, *ad ſummum, tua euincet propoſitio; non* hoc: *quaſi illo tempore ita obtinuerat, quo ad arbitrium regum, res gerebantur. Vt et (2) id quod ponis, loquutionem*: moribus introductum, in noſtra lege, ſignificare: ius conſuetudine inductum, *hoc modo te probare quidem putas*, quia loquutio illa id ſignificat perpetuo; *ſed habeas tibi, vir clariſſime, per me licet, in legibus omnibus: quae hac in parte ad liquidum probant, verba*: moribus inductum, *aliud nihil ſignificare, quam*: ius conſuetudine inductum, *habeas ita tibi ſi velis, dum modo ſcias, inde non tamen ſequi, in aliis legibus*, non quid etiam aliud ſignificare poſſe. *Debes, ſi placet, probare, non, quod dicta verba*: moribus introductum, ius conſuetudine inductum, *ſignificent, ſed, quod aliud ſignificare non poſſint. Dum*: mores, *v. g.* ius naturae gentiumque, *ſignificant; dum* iure naturae, gentiumque, aliquid introductum dicimus, *quare non ergo, verba*: moribus introductum, *ſignificare poterunt*: iure naturae, gentiumque,

aliquid introductum eſſe? *Dum*, mores, mores ipſorum hominum *ſignificant*; *dum*, moribus hominum introductum, *idem*, *quod* prae moribus, propter mores introductum, *ſignificare poterunt*, *vt paullo poſt videbimus*; *quare non ergo*, *obſecro*, *in legibus*, *vbi de v. g.* prodigorum moribus *agitur*, *ſed et vbi ipſi* mores *ad prodigum referri poſſunt*, *quare non ibi verba*: moribus introductum, *ſignificare poſſent*: propter mores prodigorum aliquid introductum eſſe? *Sed adeſdum adhuc. Ipſam* [3] *illam tuam propoſitionem*: moribus introductum, *in iure noſtro perpetuo ſignificare*, id quod conſuetudine receptum eſt, *ipſe eo ipſo probas*, *veram non eſſe*, *quando*, *ante dictorum tuorum*, *credo*, *immemor*, *ſcripſiſti*: moribus inductum, *etiam ea in iure noſtro*, *ſignificare*: quae ex interpretatione prudentum nata ſunt: *et alia*, *vid. ſupr.* pag. *Ceu et illud*: quod iure gentium introductum eſt, *in iure noſtro probare*, *addidi*. *Largiar* [4] *ergo tibi*, *largior autem profecto*: adminiſtrationis interdictionem prodigis factam, debere originem tabulis; *largiar etiam tibi*, *verba*: moribus inductum, ius *ſignificare* inductum conſuetudine; *quin*, ipſum illud in ſpecie ius, *ſignificare poſſe*, *quod tempore regum obtinuit*; *quid? ergo et ita in noſtra lege debet eſſe*; *ergo ex hac ſola lege verum erit*: ita tempore regum obtinuiſſe; *vel verba*: moribus inductum, *id ſignificaſſe? Negatur conſecutio. Namque quid aliud etiam verba illa ſignificare poſſunt. Ergo nondum hoc tuo argumento ex noſtra lege*, *te probaſſe ſequi debet*, *conſuetudinem*, *quae facti eſt. Vid. ſupr.* pag. *Sed* [5] *contrarium*, *ſiue conſuetudinem in lege noſtra intelligi non poſſe*, *vtut iam non cogar*, *probare tamen in me ſuſcipio*, *argumento tuo*, *contra te inuerſo*, *hoc modo*: *aut conſuetudo illa*, *quam vis in* d. l. *per* τὸ mores *intelligere*, *anterior eſt* 12. *tabulis*: *aut*, *poſterior. Si priorem dixeris*, *iam*, *falſum erit*, debere interdictionem illam 12. tabulis originem, *cum conſuetudini priori natales debeat. Si poſteriores vis*; *iterum non natales debebit*, *dicta interdictio*, 12. *tabulis*; *ſed et iam falſum erit*, *moribus talibus* ab initio *introductam eſſe*, *id quod lex tamen habet*; *ſed et ſimul iam verum non erit*, *quod ex his verbis docuiſti cum Cuiacio*, *ita ante* 12. *tabulas obtinuiſſe. Atque ſic vides*, *vir celeberrime*, *primum argumentum tuum te beare nihil*; *ſed obſtare valde. Si enim*, *vti vis*, *et allegata loca probant*, *interdictio adminiſtrationis originem primam debet* 12.*tabulis*, *vtique priorem originem debere non poteſt*, *conſuetudini*, *ſiue poſt*, *ſiue*, *vt tu vis*, *ante* 12. *tabulas*, *obtinenti. Niſi forte an*, *ipſam legem* illam, *hac de re* ſcriptam *in* 12. *tabulas*, morum conſuetudiniſue *talis prioris vocabulo*, *ſignificauerint noſtri*; *et quae*, *credo*, *vis eſt*, *argumenti tui ſecundi. Sed et hoc nunc videamus*,

Ita vero ſecundo argumentaris ſupra Denique ea etiam, quae legibus regiis ante 12. tabulas inualuerunt, et poſtea in hoc δωδεκαδελτον migrarunt; a moribus repeti ſolent in iure noſtro, vt ab iis diſcernantur, quae aliunde ex Graecia tres viri in Graeciam miſſi adſciuerunt. De his liquidiſſimam eſſe arbitror regulam ερμηνευτικην: quoties ea quae in 12. tabulis locum inuenerant, tribuuntur moribus, toties per mores, leges regiae vel conſuetudines iam ſub regibus receptae intelliguntur. *H. e. explicabo, vt intelligamur ab omnibus: quoniam in iure noſtro, aliquando, vnam eamdemque rem* 12. tabulis, *ſuos natales debere legimus, quam ſimul, et* moribus *ſuos natales debere, legimus, hinc, ne dubium alias ſit vel contrarietas, ideo, per mores, ſignificaſſe ICtos noſtros, exiſtimas*, ipſa illa in 12. tabulis ſcripta iura, quae antea ſub regibus obtinuerunt, atque poſtea in 12. tabulas redegit Romanus populus. *Scio, vir eruditiſſime, tuum hoc aliorumue magnorum in arte illuſtranda noſtra virorum, qui ex imis potius antiquitatibus rem ſapere cupiunt, quam ex Bartoli indice cum praeputiatis aliquid euoluere*, κειτηελον *eſſe; ſed bona tua venia erit, oſtendam, totum hoc fundamentum falſum eſſe; in noſtra lege, profecto, non accipi poſſe. Hoc dum facio, iure exegerim antea, vt tu fundamentum tale probes. Et quidem, quia inconcinna locutio eſt:* leges NB. ſcriptas in 12. tabulis, velle mores ſiue conſuetudinem ſignificare, *ſic vtique probationes hac in parte, a te exegerim, quae audiunt, luce meridiana clariores. Adfers quidem, probationum cauſſa* (A) *auctores.* (B) *rationem*, (C) *exempla petita ex iure noſtro, ſed videamus. Auctores quos citas, ſunt duo viri, Dionyſius Halicarnaſſeus et Pomponius.* Ille, *habes*, in 12. tabulis, propoſitas eſſe ait, παντας τους πατριους εθισμους τε καὶ νομους, h. e. omnes mores patrios et leges. Et quos mores patrios, *pergis*, in eodem loco opponit adſcititiis, quae tres viri ex Graecia attulerunt. Idem, *porro ſubnectis*, libro X. decem viros, ait, promulgaſſe νομους συγγεγραμμενους εκ τε τῶν ελληνικων νομων καὶ παρὰ τῶν σφισιν αυτοις αγραφων εθισμων. *H. e. interpretaris*, leges ex Graecorum iure, ſuiſque moribus non ſcriptis compilatas. *Sed* (1) *quid, obſecro, inde? In his ſex tabulis, propoſiti ſunt mores patrii, et, his oppoſitae, leges petitae ex Graecia, ergo*, illos *mores patrios, poſtquam* ſcriptura *redacti ſunt in tabulis, poſſumus adhuc* mores *ſiue* conſuetudinem *appellare? Aeque eſſet, ac ſi vellemus dicere, corpus iuris noſtrum compoſitum eſt, ex iure antea ſcripto et non ſcripto, ergo ſimul dicimus, illam partem*, ius non ſcriptum, *poſtquam in* ſcripturam *redactum iam eſt, appellari adhuc poſſe*, mores *vel* conſuetudinem? *Quod ſicuti non eſt, ita ergo etiam non, qui dicunt:* alterum illud *iuris corpus:* (*ita

(*ita enim etiam, tabulas bis ſex vocari ex Liuio memini,*) continere mores et leges ſcriptas, *non id ſimul dicent* : mores illos poſtquam ſcripti ſunt in 12. tabulis, adhuc mores appellari poſſe. *Qui dicit* : ſcriptas in aliquo codice leges, compoſitas eſſe ex conſuetudine ſiue moribus, *ille non dicit* : leges illas ſcriptas, compoſitas ex conſuetudine, conſuetudinem eſſe, *vel*, ita dici poſſe. *Prius autem, dicunt loca, quae allegas ; non ; poſterius. Vides ergo, loca non probare, quod innuis. Praeterquam, quod* (2) *non vnus locus ille dicat quidem, patrios mores illos*, tempore regum *obtinuiſſe, quo de tamen lis inter nos conteſtata eſt. Contra, de* ſuis, populi *Romani, moribus, agunt. Vides iterum, vir clariſſime, haec tua ex Halicarnaſſeo petita argumenta, non probare, quod ais. Non magis ac locus, quem addis, Pomponii. Sed* (3) *hic, non quidem habet*, mores, *in 12. tabulis exſtare. Tantum abſit, habeat : mores ibi tranſlatos eſſe*, qui tempore regum iam obtinuerunt. Ius vetus, *ex Pomponio allegas*, in 12. tabulas tranſlatum eſſe, *ſed, non* : iura quae tempore regum, et poſtea vt mores obtinuerunt. *Niſi fortean, vocabulum* iuris, *nil niſi*, conſuetudinem, *atque*, TO, vetus, *nil niſi*, tempus regium, *ſignificet. Sed, vocem*, iuris, *varia ſignificare, tibi notum eſt. Inter alia, ius illud potabile ſignificat, quod ex carne coctum laboranti ſtomacho denegatum apud Ciceronem legimus, atque ego, praeputiato, quiſquis eſt* κακοςομαχος, *leguleio noſtro, vel, vt etiam Romanae illius familiae ſpurios nominare eos ſoleo*, Macro *ICto, dari malim. Sed et ipſum quoque verbum* : vetus, *alia potius, quam* ſolum tempus regium, *dicere, non ibis inficias. Placetne, vir amiciſſime, tibi, vinum* antiquum, *quo de in* l. 11. D. de tritic. vin. et ol. leg. *Mihi profecto* : Themis ſex cyathis. *Add.* l. 5. C. qui teſtam. fac. poſſ. *iunct.* l. fin. C. de bon. quae liber. CICERO libr. I. ad Atticum, epiſt. 2. IES. LVI. 1. *vt videas, verbum* : vetus, *plura ſignificare. Sed et ipſa coniuncta verba* : ius vetus, *aliud ius, quam illud ſolum dicere, quod tempore regum obtinuit, probat, inter alia, titulus* : de veteri iure enucleando. *Sed* [4] *habeas, ſi velis*, ius vetus, *tranſlatum in 12. tabulas*, mores illos, *quos vis, ſignificare* ; *Pomponius enim, ſi dixerit* : ius vetus ; moreſue in 12. tabulas tranſlatos eſſe, *non tamen id ſimul dixerit* : ius vetus moreſue illos, tranſlatos NB. ſcriptoſque in 12. tabulis, adhuc mores eſſe. *Vides iterum, vir clariſſime, quos dediſti vades, contraxiſſe aeremodicium. Et quare ſicuti ego nunc acquieſcere denuo poſſem, ita vero* [5] *contra tamen iterum potius, et quod non opus habeo, probabo id quod ponis, verum non eſſe.* [a] *Ex verbis quae ex Halicarnaſſeo allegaſti* : νομους συγγεγραμμενους, εκ τε, *et quae ſequuntur. Illud nimirum ibi occurrens verbum* : *NB.* συγγεγραμμενους, *ſicuti ita data opera*,

reor. non quidem recte explicaſti, ita vero probat tamen, leges illas NB. conſcriptas appellari, quae in 12. tabulis occurrunt; tam illas, quae ex Graecia petitae, quam quae ex moribus petitae, ibi compoſitae exſtant. Idem [b] denuo adhuc ex locis quae allegaſti probo; dum leges quae ſunt ſcriptae, moribus *qui non fuerunt ſcripti, opponunt. Non ergo etiam, iura in* 12. *tabulis vtut ſunt ſcripta, mores magis appellare poſſumus. Non eſſe verum, quod proponis, [c] probo : dic, quomodo, iura* ſcripta *poteris,* mores *ſiue* conſuetudinem *appellare? Aeque eſſet, ac ſi ius ſcriptum, velles ius non ſcriptum dicere? Allegas quidem, pro altero tuo fundamento, rationem hanc : quaſi vero, ideo, illas ex moribus in* 12. *tabulas relatas leges, mores appellauerint, quia*, exactis lege tribunicia regibus, eorum leges ſimul exoleuerunt, et quae adhuc in ciuitate ſeruabantur, non tamquam leges a regibus latae, ſed tamquam mores patrii ac conſuetudines vetuſtae auctoritatem obtinuerunt, vt populus incerto magis iure et conſuetudine, quam per latam legem regeretur *: vti ait Pomponius in* l. 2. §. 3. D. de orig. iur. *H. e. ita ratiocinaris: quoniam exactis regibus, quaedam leges regiae adhuc remanſerunt, ſed quibus Romanus populus non vt legibus regiis, ſed vt conſuetudine moribusque vtebatur, eaeque leges poſtea in* 12. *tabulas migrarunt, ideo, adhuc poſtea* morum *vocabulo veniſſe. Sed quare [a], vir clariſſime, probationem tam inconcinnam rei, dare vis, quam ipſam inconcinnam rem non probaſti quidem. Proba antea, ceu non feciſti vidimus, rem ipſam illam*: iureconſultos ſcilicet noſtros, leges ſcriptas illas 12. tabb. quae ex moribus ſunt compoſitae, morum vocabulo, poſtquam in tabulis ſcriptae ſunt, ſignificaſſe; *atque tum demum operam demus, vt talis ratio admitti poſſit, quae re vera nulla eſt ratio. Sed [b] ipſam videamus rationem. Quae, obſecro, haec ratio: Romanus populus, regias leges, ſcriptas in* 12. *tabulis, antea vt conſuetudinem habuit, ergo poſtquam ſcriptae ſunt, adhuc poſſunt mores ſiue conſuetudo appellari? Si non quidem iura ſcripta, quae re vera antea fuerunt mores, magis mores appellari poterunt poſtquam ſcripti ſunt, quo, quaeſo, foedere, iura* ſcripta, mores *appellare poterimus, quae antea non quidem re vera mores, ſed non niſi morum inſtar fuerunt; quomodo, dic, illa poſtquam ſcripta ſunt; adhuc mores appellare poterimus. Idem eſſet, ac ſi vellemus dicere, nomina ſignificandarum rerum cauſſa, non magis eſſe. Sunt autem, et debent eſſe, profecto. Sed (c) vt ingenue fatear, id, in quo probationem ponis, in allegata a te* lege 2. de orig. iur. *non quidem exſtare video. Non habet quidem ibi Pomponius leges regias quae remanſerant, populum Romanum, morum inſtar habuiſſe. Iure incerto, et conſuetudine vſum fuiſſe eo tempore Romanum*

populum, *ſcio*, *ibi Pomponium dicere*; *facile etiam a me impetrare poſſum*, *vt credam*, *populum Romanum eo tempore leges regias*, *ſi qua habuit*, *non ita tamen nominaſſe*, *ſed potius morum inſtar habuiſſe*, *idque propter odium*, *eo tempore*, *erga regium nomen*, *maxumum*, *vſque adeo*, *vt ſequioribus adhuc temporibus meſpila ex vrbe eiecerint*, *quod regii diadematis inſtar in cortice habuerunt*, *et quae alia hac in parte adduxi alibi*, *quare exiſtimem facile*, *legibus regiis non gauiſum eo tempore fuiſſe Romanum populum*: *at non tamen in dicta lege quidem video*, *leges regias remanſiſſe*; *quin* (*d*) *contra potius*, *exoleuiſſe illas NB.* omnes, *habet Pomponius*. *Iureque incerto atque conſuetudine vſos illos fuiſſe dicit*, *ſed non quod legibus regiis*, *vſi ita fuerunt Romani*. *Quemadmodum ab initio reges*, *omnia*, iure incerto agebant, et manibus, *ſic NB.* iterum *hoc temporis initio*, *populum Romanum ali* (an agi?) *moribus atque incerto iure coepiſſe*, *dicit in* d. l. 2. *Pomponius*. *Sed* (*e*) *ſit ita*: *Romanum populum*, *eo tempore*, *leges regias*, *inſtar morum habuiſſe*, *eaſque poſtea in tabulas abiiſſe*; *non tamen inde ſequitur*: *leges illas*, *poſtquam ſcriptae fuerunt*, *adhuc mores adpellari poſſe*. *Et quare talem rationem dicemus rei*, *quam non probare poſſumus*. *Loca quae allegaſti ex Dionyſio Halicarnaſſeo atque Pomponio*, *ita non probare*, *vidimus*. *Sed nec exempla*, *quae regulam illam demonſtrare putas*, *demonſtrare tamen crediderim*. *Inſpiciamus omnia*. Ius patriae poteſtatis *ita habes* moribus receptum eſſe, ait *Vlpianus l.* 8. *D. de his*, *qui ſui vel al. iur.* et tamen illud inter leges decemuirales, et quidem in tabula quarta locum habuit, teſte *Dionyſio Halicarnaſſeo libr. II. pag.* 97. Vnde ergo patria poteſtas? Ex lege regia, ceu praeter Dionyſium Halycarnaſſeum fatetur Papinianus apud *Pariatorem legum Moſaicarum et Romanarum*, tit. 4. *Vt auctores omnes euoluam*, *mihi hac vice non vacat*, *aut ſi vacaret*, *certe non opus eſt*. *Dixerim* (1) *enim vnum ex illis auctoribus erraſſe prius*, *quam quod legem* ſcriptam, *illos ius* non ſcriptum *ſignificaſſe*, *tenuerim*. *Sed* (2) *ita dicamus*, *non quidem opus eſt*. *Tum enim* mores *et* legem illam *in* 12. *tabulis Vlpianus confudiſſet*, *ſi idem in vtroque loco praedicatum eſſet*, *ſed quod ego non deprehendo*. *Neque enim in allegatis locis dicitur*, *patriam poteſtatem*, moribus duodecimue tabulis, NB. primam debere originem. *Aut* (3) *ſi ita vterque ille locus dixerit*, *patriam poteſtatem*, moribus, tabuliſque *debere natales*; *non de NB. eodem tamen patriae poteſtatis iure agant*, *dicamus neceſſe eſt*. *Dicamus ergo*, *patriam poteſtatem*, *de qua Vlpianus agit*, *introductam eſſe moribus*, *illam vero*, *de qua* Pariat. loc. alleg. *ex lege regia*, *qua de Halicarnaſſeus*, *ex* 12. *tabulis eſſe*. Ius patriae pote-

ſtatis,

ſtatis, *eſt ex moribus*, *ſed* tale, *quale illi auctores habent*, *eſt ex lege regia atque* 12. *tabulis*. *Huic imperator conſentit*, *quando in* §. 2. Inſt. de patr. poteſt. *ita habet*, *ſi recte tenuero* : ius poteſtatis quod habemus in liberos, proprium eſt ciuium Romanorum, nulli enim alii ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus. *Sed* (4) *largiar omnia*, *quae allegas loca*, *et allegari hac in parte adhuc poſſint aliunde*, *ex* Ciceron. libr. 3. de legib. *cet. de vna eademque illa*, *quae immenſa plane fuit et* δεσποτικὴ, *patria poteſtate agere*, *quaeſo*, *quid inde tamen ſequitur*? *Quaero*, *qui dixit*, *vnam eamdemque rem*, *inductam primum ex lege regia*, *repetitam poſtea in* 12. *tabulis*, *ſed et moribus ſiue conſuetudine receptam*, *an ſimul is dicat*, mores, legem regiam, *vel* tabulas *appellari poſſe*? *Mihi contra magis videtur* : *ſed* (5) *quare vis*, *ICtiſſime vir*, *per* τὸ moribus, *in* d. l. 8. *intelligere* ſolum ius conſuetudine *inductum*, *vel quod olim regio tempore obtinuit*, *poſteaque Romanus populus conſuetudinis inſtar*, *habuit*? *Atqui enim*, *vox* mores, *inter alia*, *etiam ius gentium atque naturae dicit*. *Quare ſic praeſtat*, *allegata a te loca ſignificemus* : vt ius poteſtatis patres in liberos habeant, hoc moribus ſiue iure gentium, ſed et iure naturae inductum eſt, d. l. 8. *Vt vero pater* liberos, ad deformitatem inſignes, cito, aqua igneque necet; *ſed et*, endo liberos ius vitae necisque habeat, *NB. talis*, *tam immenſa*, *tam infinita poteſtas*, *eſt ex* 12. *tabulis*, *Dionyſ. Halicarnaſſ. Conſentiunt a te allegata. loca. Conſentit omnibus ſimul ſupra allegata* §. 2. Inſtit. de patr. poteſt. *ibi* : proprium, nulli alii homines talem. *Id ille probat textus*, *talem poteſtatem ex iure Romano eſſe*, *et non iuris gentium*, *ſed ſic ſimul dicit*, *poteſtatem patriam in genere*, *ex iure gentium moribuſue*, *tamen eſſe*. *Sed et* mores, *in* d. l. 8. *quare non intelligere liceat*, ipſos *poſt* 12. *tabulas* vtentis populi mores *quare*, *inquam*, *non eodem melioriue iure*, *ac quidem tu intelligere vis*, *leges*, *quibus morum inſtar ante* 12. *tabulas vſus fuit populus Romanus*? *Ita vt ego dixi*, *ſit potius*, *ſuadet*, τὸ receptum; *ita probat verbum ſequens* : ſolent, *hoc tempore praeſenti ſcilicet*. *Ex dictis ſimul nunc poteſt reſponſio etiam peti*, *ad exemplum quod ſecundo loco adducis*, *ex* l. 10. D. de iur. codicill. *collata tabula* : paterfamilias vti legaſſit, *cet. vid. ſupr. pag.* 61. *Praeterea autem adhuc*, *liceat*, *nec diffiteri ipſe libenter velim*, *notionem illam in allegato* 12. *tabb. loco* : legare, *patere latius*; *etiam*, *idem quod* mittere, *vnde legatus h. e. miſſus*; *etiam*, *vt omnem in genere diſpoſitionem vniuerſorum bonorum ſignificet*, *vnde et* Λῆξις, hereditas; *et noſtrum iam fecimus circa intellectum difficilem aliis*, *intelligo* l. 6. D. de inſt. leg. *At*, vnice *tamen*, *hanc*, heredis, *inquam*, inſtitutionis teſtamentarii, *notionem*, *hic ſignificaſſe*; (6) *non conſtat*,

nec (7) *quo vtuntur decemuiri, verbum* : vti, *conuenire huic videtur* : *cum magis vox haec arbitrii liberi ſolet eſſe index* , vti, *h. e.* quocumque modo *legaſſit*, *ergo et alio*, *quam* ſola factione teſtamenti. *Vt et* (8) *vltimas voluntates latius debemus non interpretari ſtrictius*, l. 12. D. de reg. iur. *ac* ratione, *tibi nota*, *ex* l. 1. C. de SS. eccleſ. *Cui nox longa illa dormienda eſt*, *liberum debet habere loquendi arbitrium. Sed nec* (9) *quidem etiam*, *vt* manu *quaſi* palpare *id debeam*, *ex allegata* l. 10. *manifeſtum adeo mihi conſtat* : per *mores* , introductum fuiſſe , vt abſque teſtamento hereditas dari non potuerit ? *Vocem* : manus : *mihi dextra euoluit* : *at plura hanc denotare* , tralatitium eſt. *Etiam*, iureconſultos tradere , *ibidem Gothofredus ait. Id quis negauerit*, *vel potuerit*? *Ego addo*, *forte et ex mente Gothofredi*, *etiam* per manus. *Obſeruatione ſpeciali dicam. Sed adhuc* (10) *quod tibi acquieſcere nequeam*, *rationem omnino habet maxumam* , *in verſ. legis noſtrae* : ne NB. codicillus. *Quippe non tam eo* , regum , *tempore*, *frequens codicillorum vſus erat* , *ac tempore poſteriori quidem. Namque* , *ante Auguſti tempora conſtat codicillorum ius in vſu non fuiſſe. Sed primus Lucius Lentulus codicillos introduxit. Qui cum in Africa decederet* , *codicillos ſcripſit teſtamento confirmatos*, *quibus ab Auguſto petiit per fideicommiſſum* , *vt faceret aliquid. Sed habeas* ; *per vocem* : manus , *in* d. l. 10. mores *ſignificaſſe ICtum* ; *habeas etiam* , *in* 12. *tabulis cautum eſſe*, *ne codicillis dari poſſet hereditas* ; *non inde tamen vere concludi*, *quod vis*, *probant*, *ante dicta ad exemplum tuum primum. Et quae repeto etiam ad* , *quam tertio loco*, *exempli cauſſa adducis* , legem 2. D. de vulg. ſubſtit. *Ceu et aliis modis adhuc eam occupauimus in* Obſeruationibus criticis , cap. 15. *Sed quid* (11) *vir ICtiſſime* , *ſi tibi conceſſerim*, *in allegatis exemplis*, *per* τὸ: mores, *ſignificaſſe* , *auctores illos* , legem ſcriptam in 12. tabulis. *Quid enim ? Ergo et in noſtra* l. 5. D. de curat. furioſ. *Negatur conſequens. Quoniam enim et quid aliud*, *hic ſignificare potuit*, *ſic ergo vt ſolas* 12. *tabulas dicat* , *dicamus non opus erit. Sed*, *non probant quidem exempla illa* , *id quod tu vis. Vt ſic ſine ratione* , *nunc*, *in ipſam cauſſam inquiramus* , *quam allegas*, *quare* , illas 12. tabb. leges, mores , *ſignificauerunt noſtri? Cauſſam hanc allegas* : vt ita diſcernantur, in 12. tabb. occurrentia iura regia , ab illis adſcititiis. *Sed ad quid inquirere*; *ob quam cauſſam infrequenti et inconcinno modo locuti fuerunt noſtri*, *quos locutos eſſe ita* , *non conſtat? Quinimo*, *ita locutos non eſſe*, *claret. Atque ſic nunc probaui* , *argumenta tua quae habes* , *non probare* : interdictionem adminiſtrationis factam

 pro-

prodigis, iam ſub regibus obtinuiſſe, idque iureconſultum in verbo, moribus, in lege noſtra dicere. *Quin, argumenta tua contrarium probare, probaui. Sed quid nunc adhuc, ſi conceſſerim, ex lege noſtra ita te hactenus probaſſe, vel, verba huius dicere, conſuetudinem talem olim ante 12. tabulas obtinuiſſe, non tamen tibi ex hac ſola lege ita dicenti, fidem facere debeo.* Primo, *argumento tuo; ſed quod meum ita indiſtincte non fecerim, tum* ſecundo *meo, quod ex tuo, tamen fecerim. Argumentum tuum tale eſt:* id quod in vno ſolo loco narratur olim obtinuiſſe, ſed quod inauditum, vel cuius nulla vel vola vel veſtigium, apud antiquos occurrit, hoc obtinuiſſe apud veteres, ex vno illo ſolo loco etiam credere non debemus. *Hoc tuum fundamentum probas,* (1) *ſupra* pag. 56. *quando verbum* : minores, *in hac lege noſtra, ideo, ferre non vis,* quia inauditum, minores ante legem Laetoriam curatores accepiſſe. *Ita concludis: quia inauditum, minores ante legem Laetoriam curatores accepiſſe, ergo τὸ:* minores *in* d. l. *ſignificare non poteſt, ante legem Laetoriam curatores, minores accepiſſe. Ego itaque, te argumentante ita, hoc modo quoque, concludam: quoniam inauditum ante* 12 *tabulas prodigis interdictam fuiſſe adminiſtrationem, ergo etiam lex noſtra id ſignificare non poterit. Iuuabit nihil, ſi dixeris, illos, qui ex* l. 1. *noſtra probare volunt, ante legem Laetoriam ita obtinuiſſe, legem corrigere, loco:* moribus, minoribus. *Nil te iuuat, anteuerti dicere. Neque enim eſt quaeſtio, an recte illi inde ita ſignificent, an bonae fidei ſit illorum correctio; ſed an tua ratio illa legitima ſit:* quia inauditum eſt, olim minoribus curatores datos fuiſſe, ergo, *cet. Aut ergo haec tua ratio nullius erit plane ponderis; aut argumentum valebit,* id quod inauditum olim obtinuiſſe (*prodigis interdictam fuiſſe adminiſtrationem,*) hoc, ex vno ſolo loco (*hac noſtra* lege 1.) dicere non licet. *Valere tale argumentum, probas* ſecundo, *quod Tribonianum, et qui auctoritate Triboniani ita ſentiunt, dum ille in* pr. Inſt. quib. mod. tutel. fin. *dixit:* pubertatem veteres ex indecora inhoneſtaque inſpectione corporis iudicaſſe, *hac in parte erraſſe, ideo, exiſtimas; quod nulla illius indecorae inſpectionis, vel vola vel veſtigium apud veteres occurrit. Valet ergo tua ſententia, fundamentum:* id quod in vno loco tantum narratur, olim obtinuiſſe, ſed quod inauditum, *vel* cuius nulla vel vola vel veſtigium apud antiquos occurrit, hoc obtinuiſſe apud veteres, ex vno illo ſolo loco credere non debemus. *Hoc argumentum eſt, te probante. Et quod ſicuti, omnino facit; contra te in quaeſtione noſtra,* an ex ſola lege noſtra prima credere debeamus, apud veteres olim ante 12. tabulas obtinuiſſe, interdictionem adminiſtratio-

ſtrationis factam prodigis? *Ita vero, tuum hoc fundamentum, meum non faciam, quidem, ſed refutabo, vt videas modo, quam ſim liberalis in diſputando, contra te; atque mea ſententia bona nitatur cauſſa. Non poſſum autem ideo, hoc tuum fundamentum probare: (a) quia rationem nullam video, quare vni ſoli loco, in iuris noſtri corpore, ſine ratione, fidem non facerem? (b) Quin contra potius, dum omnia, quae ibi occurrunt,* IVSTINIANVS *ſua fecit, (c) compoſita a tot viris prudentibus, (d) et qui ſe antiquitatum ſtudioſos profitentur, vtique omnino, vni ſolo loco, de obſeruatione veterum teſtanti, ſi non alia obſtent, fidem faciendam eſſe, cenſeo, Ceu, tum tibi vir clariſſime, facile conſentiam, ſi illis, quae vnus ille locus dicit, adſint alia quae obſtant. Quare nunc, fundamentum illud tuum potius tale faciam:* quoties id quod vnus aliquis ſolus locus habet, aliunde non conſtat, ſed et alia adſunt, quae ei obſunt, toties illi vni loco fidem non faciam. *Hoc fundamentum valebit (I), quia ſicuti vnus ille locus ita habet, ita alia contra volunt; et ſic vnus ille locus fidem faciens, ita obtinuiſſe, deſinit talis eſſe. (II) Valebit argumentum te auctore ſine dubio, qui tu illud fundamentum indiſtincte admittis, etiamſi alia non obſtent. Aut ſi ita, vt ego dixi, vis mecum ita etiam intelligere, ſine dubio iterum illud probabis. Sed iam argumentor:* legi noſtrae ſoli primae, teſtanti: interdictionem factam prodigis olim ſub regibus ante 12. tabb. obtinuiſſe, obſtant omnia illa loca, quae originem huius interdictionis demum a 12. tabulis repetunt. Obſtant adhuc plura, quae paullo poſt videbimus. Quoties autem vni ſoli legi teſtanti aliquid olim obtinuiſſe, obſtant alia, toties fidem ei facere non debemus. *Sed noſtram legem primam ita non quidem teſtari, ſupra iam vidimus, atque videbimus infra latius. Vt ſic nullo modo te iuuare videas, quae hac in parte allegas quidem. Nil iuuat, quod maiorem tibi fidem vindicas, quam quidem* TRIBONIANO *vis tribuere, dum argumentaris ita:* TRIBONIANVS nullo nititur teſtimonio, ego VLPIANVM auctorem habeo. *Vid. ſupra* pag. 63. *Aſt enim vero, vis me dolo bono fallere, vir amiciſſime: non enim quaeſtio eſt, inter te et* TRIBONIANVM, *ſed, te inter atque me lis eſt, mecum vtique eam es conteſtatus. Aut, ſi mauis, inter* VLPIANVM *atque* TRIBONIANVM *ſit diſceptatio.* Ego, *ais*, VLPIANVM auctorem habeo, TRIBONIANVS nullo nititur teſtimonio. *Ita debuiſſes argumentari:* ego, *qui dico interdictionem factam prodigis obtinuiſſe olim ſub regibus, auctorem habeo* VLPIANVM; vos, *qui indecoram inſpectionem illam in terminanda pubertate obtinuiſſe olim, dicitis, nullo nitimini teſtimonio. Sed iam poſterius, non accipi po-*

 teſt:

teſt : nitimur enim, qui ita dicimus, teſtimonio dicti pr. Inſt. quib. mod. tutel. fin. *vel*, TRIBONIANVS, *in* dicto principio *ita teſtans, nullo nititur teſtimonio* ; VLPIANVS, *in dicta* l. I. *ita dicens, habet tamen teſtimonium. Atque iam poſterius accipi iterum non poteſt. Praeter enim* VLPIANVM *illum, nullum huc vſque adduxiſti, qui ita dicit. Et quae ſicuti ipſe quidem recte antea videris, ſed quod ideo,* VLPIANO *contra* TRIBONIANVM *potiorem eſſe dandam fidem, atque ſolius* VLPIANI *teſtimonium eſſe locupletiſſimum, et ita quidem ex hac ratione* primo, *exiſtimas, quod eius tempore* : adhuc exſtarent et ius Papinianum et Granii Flaccii commentarii, *cet.* ex quibus facilius diſcere VLPIANVS potuit, quam nos hodie quid regum tempore obtinuit ? *Vide ſupra* pag. 62. *Ita vero nec hoc tuum argumentum ego maiori ponderis ratione auſcultandum reor. Namque* (2) VLPIANVS *ſcire* potuit, *ergo* ſciuerit ? *Haec eſt alia quaeſtio. Ita* ſciuiſſe VLPIANVM, *ſi placet, proba. Ex noſtra autem ſola* lege I. *probari id non poteſt. Quia de ea diſputamus ; quia multa ei obſtant ; ſi dixiſſet,* VLPIANVM *ita ſciuiſſe ; quia ita haec lex non dicit quidem. Quod autem* ſecundo, TRIBONIANO, *ideo adhuc, minorem fidem quam* VLPIANO *dandam eſſe putas, quod a pleriſque veteribus erroris conuincatur,* quum terminum pubertatis, quem a IVSTINIANO fixum refert, multo ante receptum vbique fuiſſe, D. CASSIVS ipſique ICti noſtri referant ; l. 2. pr. D. de vulg. ſubſtit. l. 5. D. l. 4. C. qui teſtam. fac. poſſ. et inprimis PAVLLVS noſter Sentent. recept. Libr. III. tit. 4. §. I. *hoc iterum nihil eſt. Namque* (*a*) *et ab* VLPIANO *alienum fuiſſe humanitatis nihil, exiſtimo.* (*b*). *Num allegata a te loca illa, tam feliciter vt tu ea ſcripſiſti quidem probent,* pubertatis tempus iam ita multo ante fixum fuiſſe, *quia euoluere non vacat nec opus eſt, neſcio? In allegata ſaltem* l. 2. D. de vulgar. ſubſtit. *parum praeſidium te habere, probaui* Obſeruationum criticarum, cap. 15. *In citatis legibus* 5. D. *et* 4. C. qui teſtam. fac. poſſ. *teneo memoria, annis* XII. *et* XIIII. *teſtamenta facere permiſſum fuiſſe quidem, ſed non, quod eo tempore* pubertatem *terminauerunt. Qui dicit* : anno aetatis XIIII. vel XII. potuiſſe fieri teſtamenta ; *non dicit* : eo tempore, incipere pubertatem (c). *Aut ſi ita, non de eiuſdem tamen pubertatis tempore ICtos illos agere, quo de* IVSTINIANVS *in dicto principio, inde claret ; quia, in dictis legibus, dies vltimus habetur pro completo, ſecus ac in dicto principio, vbi vltimum momentum eſſe debere elapſum, eſt ex ſententia interpretum* (d). *Inprimis autem ille* PAVLLVS *noſter dicto* Sentent. recept. *loco* §. 2. *dum tempori pubertatis, tempus quo teſtamenta fieri poſſunt, opponit, vtique negat, eum, qui dicit,* anno XIIII. permiſſum eſ-

ſe

ſe facere teſtamenta, *dicere quoque*, anno XIIII. pubertatem incipere (3). *Aut ſi vel maxime contendamus*, TRIBONIANVM *hac in parte errare, quod dicat eo demum tempore, pubertatem in maſculis, anno* XIIII. *terminatam fuiſſe, quid enim? Ergo et in eo errat, quod habet: veteres indecora inſpectione corporis, in terminanda pubertate vſos fuiſſe? Negatur conſecutio. Erras, enim ipſemet (te fatente) aliquando et vineta caedis; ergo ſemper et in reliquis erras. Nego iterum conſequentiam, ne alias meum de te apud auditores meos ſuſpectum fiat teſtimonium. Atque ſic iterum vides, vir clariſſime, te non probaſſe*, TRIBONIANI *conditionem, in cauſſa Q. D. A. ea* VLPIANI, *deteriorem eſſe, cum par ſit adhuc eorum conditio, in omnibus* (4). *Sed, vt ſoleo, vtut iam non opus eſt, probabo tamen iterum contrarium*, VLPIANI *conditionem, hac in cauſſa, ea* TRIBONIANI *multo deteriorem eſſe. Vel, tuam, aliorumque ex* d. l. I. *exiſtimantium*, regum tempore interdictionem bonorum factam fuiſſe prodigis, *conditionem, illorum conditione, qui ex dicto principio tenent:* in terminanda pubertate ventrem inſpexiſſe veteres, *deteriorem eſſe, probabo* (A). VLPIANO, *ſi ita vti tu vis, dixiſſet, obſtat, quod interdictio illa, originem debet* XII. *tabulis, plura alia adhuc, quae infra videbimus*, TRIBONIANO, *dicenti veteres impudica inſpectione nudi corporis, iudicaſſe pubertatem, obſtat nihil* (B). VLPIANI *tua verba, vir clariſſime, alium ſenſum habere poſſunt, quam quidem tu vis, vt iam vidimus, atque infra videbimus latius*. TRIBONIANI *verba, te fatente, alium ſenſum habere non poſſunt, quam:* veteres indecora inſpectione corporis iudicaſſe pubertatem (C). *Illud, quod vis*, VLPIANVS *dixit, praeter* VLPIANVM, *fatentibus aliis, ſed et te huc vſque, teſtis eſt alius nullus. Id quod vis*, TRIBONIANVS *habet, ex aliorum ſaltem ſententia, teſtatur etiam* VLPIANVS, Fragm. tit. XI. §. vlt. *et alii. Quare nunc, anteſtor ego*, aequi ac boni *libram tenentis aequiſſimi omnis iudicis animum; quid credamus potius*, an, *ex* l. I. *noſtra (quae aliam adhuc interpretationem admittit, aut ſi ita dixiſſet, cui obſtant alia,)* interdictionem bonorum factam prodigis, olim obtinuiſſe ſub regibus; an, *ex dicto* pr. Inſt. (*cui nullus locus obſtat, et qui aliam ſignificationem, fatente* HEINECCIO *et aliis, non admittit,*) nudi corporis inſpectione, iudicaſſe pubertatem veteres? *Sed dixi, ex* HEINECCII *atque aliorum ſententia; mihi enim non quidem videtur*, TRIBONIANVM *in* d. pr. *dixiſſe:* indecora corporis nudi inſpectione, *ex porrecto v. g. profectitio peculio*, aeſtimaſſe veteres pubertatem. *Quin contra potius, verba ibi:* caſtitate, impudicum, *praeter vulgatos ita interpretor; non, quaſi* TRIBONIANVS *ibi dixerit, impudica ſiue incaſta NB. tali*, nudi corporis inſpectione, *ſed*, exterioris

 potius

potius habitus corporis inſpectione, *vſos fuiſſe veteres; non dicit, impudicam* illam *inſpectionem habuiſſe veteres, qua,* nudum *corpus inſpexerunt, ad priapum v. g. attenderunt, num ſit vaſatus bene, peculium minoris an maioris, non ita; ſed NB.* quam *veteres habuerunt corporis inſpectionem*, habitus *ſcilicet* exterioris, *dum ex firmis v. g. lateribus iudicauerunt*, num potuit, num fuerit vnus ex illis, *cet. hanc inſpectionem, impudicam putauit imperator, et cum caſtitate ſuorum temporum minus conuenire. Et quae plura, hac in parte dixi iam in diſputatione* de ſolutione matrimonii. *Et dicam ex profeſſo ad* dict. princ. *latius. Sed habeas*, TRIBONIANVM *hac in parte erraſſe, nullamque plane fidem mereri; manebit enim, nihilo minus, verum etiam:* quoniam, ei quod vis, ſola noſtra lex prima dicit, *(ceu, vidimus, ita non dicit quidem)* obſtant alia, ſic ergo ei fidem facere non debemus. *Videſne nunc, vir clariſſime*, quo iure ſcribere ego potui, atque te proprio tuo gladio, *non quidem quod ais*, iugulare (*magis enim, ita viuam, te amo,) ſed iure optumo, tuo argumento, dicere potui:* conſuetudinem, qua de quaerimus, tempore regum obtinuiſſe, ex hac ſola noſtra lege prima te probare non poſſe. *Vtique ita ex ſola dicta* lege prima *dicere non audebimus; quemadmodum enim, illa ſola* lex prima *ita non habet quidem, vti vis, ſed et alia huic obſtant, ita vero, tu, ex dicto principio, licet nullus alius locus ei obſtet, ſed et ita dixerit;* iudicaſſe indecora inſpectione pubertatem veteres, *credere tamen ita, ex hac ſola cauſſa non vis, quia aliunde non de eo conſtat.* Ah! quid dixi? te nolle credere ſic iudicaſſe NB. pubertatem veteres. Imo dixi. Scripſiſti enim; etiam verum non eſſe in terminanda NB.* pubertate, *inſpectione impudica vſos fuiſſe veteres. Verba tua in editione mea* pag. 225. *haec ſunt:* deinde nec alterum eſt verius, quod veteres Romani maſculorum *pubertatem*, indecora obſeruatione, inhoneſtaque indagatione explorarint. *Placet ſcilicet vir clariſſime tibi, me accuſare, quaſi ego ſcripſiſſem*, te negaſſe veteres Romanos inſpectione τῶ αιδοιων vſos fuiſſe, *te autem excuſare, quaſi in ſola finienda* tutela, *non etiam in terminanda* pubertate, *id veteres feciſſe, negaueris. Sine, vir vtique es, me liberem. Quoad* prius, *vbi ego dixi, te ſcripſiſſe*, TRIBONIANVM *erraſſe, quod Romanos inſpectione* τῶ αιδοιων eſſe vſos ſcripſit? *Verba mea, ſupra* pag. 45. *ſcripta haec ſunt:* qua TRIBONIANVM ignorantiam ſuam, quod veteres ex indecora atque inhoneſta nudi corporis inſpectione pubertatem iudicaſſe dicit.* *Quoad poſterius, vtique negaſti, tam* in finienda tutela, *quam in terminanda* etiam *pubertate*, quin in ipſis nuptiis, *indecora corporis inſpectione, vſos fuiſſe veteres Romanos. Ceu ipſa tua verba in editione ad Inſtitutiones a.*

cIↄIↄCCXVIIII. p. 225. pubertatem, et quamuis, tamen ne quidem, *nominatim probant. Sed ita, credo, res eſt: quia poſterius non recte habuiſti, hinc, vt habeas, quod alleges, ſcribere mauis, prius me de te dixiſſe. Sed demus omnia, hac in parte de* TRIBONIANO *quae vis. Manebit enim verum nihilo minus tamen, fundamentum quod vidimus:* quoties, *cet. Atque ſic verum quoque manebit:* ex *ſola* lege *illa* prima *noſtra, probari non poſſe quod ais. Et quod ipſe, reor, poſtea videris, dum ſoli illi legi magis non acquieſcens, probationis loco adhuc adducis locum* PAVLLI Sentent. recept. libr. III. tit. 4. §. 7. *Sed videamus hunc nunc etiam. Probabo autem iterum, non tantum* (1) *hunc locum non probare*, interdictionem bonorum factam prodigis ſub regibus obtinuiſſe; *ſed et* (2) *ita non probare; quin* (3) *probare contra*, ſub regibus ita non obtinuiſſe. *In quo dum ſum, dic: quomodo probabis ex hoc loco, ita olim ſub regibus obtinuiſſe: an ex verbo:* moribus (1)? *Non potes. Non magis, quam ita ex* d. l. 1. *noſtra in verbo eodem ibi occurrente, id probare potes, vt vidimus* (3). *Imo, ex hoc* PAVLLI *loco, minus adhuc. Si non enim locutio plena, in* d. l. 1. moribus introductum, *ſignificant: ita ſub regibus obtinuiſſe, vt ſupra vidimus, longe minus enim illud vnum verbum:* moribus, *ita ſignificare poterit. Ita, minus ex* PAVLLI *loco, quam ex* lege prima *noſtra, probari poſſe, vides, id quo de agimus. Sed contra iterum, locum hunc* PAVLLI, tempus regium, *non ſignificaſſe, probabo. Vt probem, vel ipſa verba appoſuiſſe ſufficiet:* moribus per praetorem bonis interdicitur hoc modo: quando tibi bona paterna auitaque nequitia tua diſperdis, liberoſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico. *Quis, quaeſo, hic per τὸ:* moribus, tempus regium, *ſignificauerit? Ita* (a) PAVLLVS *haberet*, quo tempore, *ſed non* quibus *interdictum fuiſſet. Ita* (b) *dixiſſet*, quid *interdiceretur* (*ne quis bona adminiſtret*,) *et non* quibus. *Ita* (c) formulam *ſiue* quomodo *interdicitur, et non* quibus, *haberet* PAVLLVS. *Ita* (d) *ſignificaſſet* PAVLLVS, per quem (*praetorem*,) *et non* quibus *interdictum fuerit? Quis tam ineptum* PAVLLVM *dixerit, vt habeat*, quid, quo tempore, quo modo, per quem; *et non addidiſſet*, quibus *interdictum fuerit? Quod ſicuti abſurdum eſſet, ita, abſurda aliquem voluiſſe dici non debet, habet* GROTIVS *alibi. Volumus dicere*, PAVLLVM, *ſub verbo:* moribus, *ſiue* tempore regio, *ſimul* ipſos prodigos *ſignificaſſe? Sed eſt inconcinna loquutio. Sub verbo:* moribus, *tamquam moribus* ipſorum hominum, *prodigum indicare poterimus, ſed non ſub verbo*, moribus, *pro* regio tempore *ſumto. Id quod, vel ſequi tamen deberet, ſi per τὸ:* moribus, *hic velimus ſignificare*, regium tempus; *aut*, PAVLLVM *abſurda voluiſſe dicamus*

camus oportet vidimus." *Sed mihi talis loquutio nullibi occurrit, vbi per:* moribus, *ſiue* tempore regio, *denotatur*, prodigus. *Per:* mores, tempus regium *non ſignificaſſe* PAVLLVM (e), *probat verſiculus ſequens:* quando tibi. *Quae enim quaeſo haec relatio:* tempore regio interdicitur hoc modo: quando tibi? *Quid τὸ: tibi, ad* tempus regium *pertinet?* Perſonam (*prodigum*) *ſignificare poteſt, non* tempus (f). *Sed ipſum* PAVLLVM *tamquam verborum ſuorum interpretem, audiamus in ſequentibus:* tibi bona auitaque NB. nequitia tua diſperdis, liberoſque tuos ad egeſtatem perducis. *Quis, obſecro, dixerit, haec verba, in praecedenti commate*, tempus *regium, et non* perſonam *ſignificaſſe* (h). Perſonam *et non* tempus *regium ſignificaſſe* PAVLLVM *in verſ.* moribus, *probant paragraphi ibi praecedentes et ſequentes omnes, de* perſonis *agentes,* quibus, *et non*, tempore, *quando interdictum fuit* (i). *Probat id clare paragraphus praecedens proxima:* mulieri, quae luxurioſe viuit, bonis interdici poteſt. *Vbi enim cum caſum magis dubium decidiſſet, non quidem vt* CVIACIVS *putat, an* meretrici interdici bonis poſſit, *cum meretricia vita magis permiſſa fuerit*, (*certe ipſius* CVIACII *filiae, quae idem ſibi nomen per meretriciam vitam paraturam iactauerit, quam pater per libros*) *interdictionem nullam per praetorem factam fuiſſe, credo; neque etiam, an* mulieri indiſtincte omni *bona diſſipanti interdici poſſit, quis enim de hoc dubitaſſet, cum ſub lege generali* interdicente prodigis, *iam comprehenſa fuerit; ſed, num tali luxurioſe viuenti mulieri interdici poſſit, quae* maritum *habet, qui ſatis vxoris moribus proſpicere praeſumitur, hunc inquam caſum magis dubium, de prodiga muliere cum in paragrapho praecedente decidiſſet, hinc et iam* PAVLLVS *generali loquutioni de prodigis ſubiicit formulam, ſiue quomodo iis interdicatur:* moribus per praetorem bonis interdicitur hoc modo, quando tibi, *cet.* (k) Mores *neutiquam, hic ſignificare poſſe idem* tempus regium, *quod vis per τὸ:* mores, *in lege noſtra prima intelligere; ſed nec in* d. l. 1. *tempus idem regium illud intelligi poſſe, claret, dum tempus, quo de ibi agitur,* praetorium, *ad illud,* morum *refertur, hic contra illa ſibi opponuntur, argum.* v. ſed ſolent hodie (l). *Ipſe praetor apud* PAVLLVM *ita interdicens probat,* tempus regium *ibi accipi non poſſe. Neque enim tempore regum, vt quidem ego credo, praetores fuerint interdicentes adminiſtrationem bonorum prodigis. Sed, contra, praetoris hac in parte obtinentis, hodie demum ſiue poſt* 12. *tabulas mentionem facit* VLPIANVS *in* d. l. 1. (m) *Si lege* 12. *tabularum, ſiue vt tu vis, regio illo iure, redacto in tabulas, per praetorem hoc modo ita non interdicebatur, ſed demum poſt legem* 12. *tabularum, vt habet noſtra* l. 1. *quo pacto, dic ſodes, apud* PAVLLVM,

loquente

loquente de praetore ita interdicente, poterimus, tempus regium, relatum in XII. *tabulas, intelligere* (n)? *Et quis denique, formulam inductam per poſteriorem legem, a regio iure anteriori*, PAVLLVS *non, credo, recenſuerit? Vela contrahamus, omnemque rem quae dici etiam alias a te poſſet, abſoluamus compendio*: moribus, *dicit* PAVLLVS, tali formula interdicebatur per praetorem. Ius tale, tempore regio, non obtinuit. *Sed habeas*, PAVLLI *locum hunc, ita dicere; eſt enim de ſola noſtra* l. 1. *quaeſtio. ſequitur*, PAVLLVS *ita hic habet, ergo et lex, qua de agitur.* VLPIANVM *ita in lege noſtra prima dixiſſe, obſtant alia, quae vidimus. Sed locus* PAVLLI *ita non probat quidem, obtinuiſſe. Quin, ita non obtinuiſſe, probare, vidimus. Atque ita nunc probaui* (*quod ſufficit*) *legem noſtram primam non probare, ita obtinuiſſe olim, vt tu vis; ſed et probaui contrarium, legem illam non ſignificare tempus regium, vel regio tempore ita obtinuiſſe. Sed probaui, vlterius, nec quidem ipſam rem illam veram eſſe poſſe: prodigis tempore regum, curatione interdictam fuiſſe adminiſtrationem bonorum. Quoniam ita inductum primo per* 12. *tabulas, atque ſic ante eas obtinuiſſe non poteſt. Et quae ſunt argumenta adhuc alia, quae iam vidimus, et ſic non repeto.*

Ad alterum *diſputationis noſtrae caput, ad meas, inquam, duas coniecturas progredior. Earum* prima *haec eſt: per verbum:* illud, in lege prima noſtra: *moribus*, mores prodigorum ſignificare non poſſe; idque VLPIANVM voluiſſe: prae moribus, *ſiue*, propter mores, per mores, cum moribus, *vel in datiuo*, moribus, id introductum ita eſſe. *Summa*, mores hominum eo tempore diſſolutos, anſam huic iuri dediſſe; *vim eſſe legis coniicio. De* altera *mox*; hanc *primo diſcutiamus. Ferri eam non poſſe, hac re*, primo, *eſſe putas, quoniam verba*: moribus introductum, *eam aegre admittunt ſententiam. Idque putas* (1) *quia verba haec*, aliquid conſuetudine eſſe introductum, *ſignificant*; (2) *quod linguae Latinae natura, hanc* ablatiui *notionem meam plane reſpuat*; (3) *quaſi nullus ita ſenſus eſſet in lege.* Horreſcens ferme, accipio! *Ad* prius, *reſpondi iam, aliud nihil ſignificare, hanc notionem:* (1) veram *non eſſe*, (2) *perpetuo ita ſumitur in allegatis a te legibus, ergo non etiam alio modo ſumi poteſt in legibus aliis; nae! multum falleris vir clariſſime. Et hoc vidimus ſupra* pag. 82. *Quare etiam in lege noſtra non liceat alio modo interpretari, ſane volo, mihi probes.*

Neque enim ſecundo *quod adducis, eo facis*; quaſi linguae Latinae natura ablatiui hanc notionem non admittat. Primo *enim iterum, me fallere credo habes in mente tua, at perſuadere mihi, vt aſſumam, vis, id quod non dixerim, tamen; quaſi, inquam, caſum hic ſolum ab-*

latiuum *ego intellexiſſem. At vbi ego, ſcire cupio, mentem meam ita ſignificaui? Concedam ergo tibi totum tuum argumentum. Negem enim* ablatiuum *caſum me dixiſſe :* hunc *declinem,* datiuum *volo. Dic nunc, quare non valeat ſenſus? quid Latinae hic aures reſpuunt ;* moribus aliculus aliquid introducere. *Quid eſt differens inter ſenſum* PAVLLI, *dicto* Sententiarum receptarum *loco*, moribus interdictum, *et hic* VLPIANI, moribus introductum, *vel* interdictum. *Aut ſi NB.* tibi, *ibi*, interdicitur *apud* PAVLLVM, adminiſtratio, *quare non* et *hic* moribus? *Senſus, porro,* VLPIANI *in commate priori :* prodigo interdicitur, *qua vi differt a noſtro verſ. ſequ.* moribus introductum, *ſenſu? Atqui et alii ita Latine eumdem ſenſum efferunt. Si* Ciceroni meo (*vt tibi loca dicam, quae memoriae olim commiſi,*) omnia accidebant, quae homini accidere poſſunt : quare non et hic morbus accidere introduci aliquid, interdici adminiſtratio poteſt? Ecce me qui id faciam vobis, *cur non et* introducam vobis, TERENTIVS *dicit? Si* aetati *interdicitur, quare non et in datiuo* moribus *ita introducitur? Si* animi defectui *interdictum dicimus, quare non et ita* moribus *liceat interdicere? Quae denique differentia eſt, inter verba haec tua ſupra* pag. 59. *quae habes NB.* minoribus introductum, *atque haec mea :* moribus hoc prodigorum, introductum *eſſe? Eadem credo, quae inter duos medicos eſt, quorum vnus (verbo venia), clyſtere vomituque, alter vomitu clyſtereque purgari iubet. Abi praeceps clariſſime vir! Si :* minoribus introductum, *ſcripſere plures, ac Latinum tamquam recepere etiam, tu ipſe, omnes noſtri, qui ad meas ſaltem manus peruenerunt, interpretes ; quare non et* moribus introductum, *hoc ſenſu dicere mihi liceat? Ita vides, quod totum argumentum tuum tuto concedere* (1) *poſſim : neque aliis, immiſcere me, neceſſe habeam. Aſt libet tamen, aliis adhuc modis, ſignificare quod non illud tuum argumentum mihi obſtet. Largiar etiam* (2) nullam propoſitionem, *qualem forte tu velis,* qua cauſſa impulſiua externa exprimitur, caſum ſextum adſciſcere. *Ergo, ſi placet ſubaudi aliam praepoſitionem, v. g,* a, ex, prae, de, *cet. quaeque omnes in vno ſenſu conuenient, veluti duo iterum domini medici, quorum amuleto vnus, alter pharmaco febrim pellit ; ac ſignificabunt,* mores prodigorum anſam huic interdictioni dediſſe. *Eodem enim modo ;* quo ex ſuis doluit CICERO, *quoque* ex moribus dolere *potuiſſet.* Si nos amas de illa, *apud* TERENTIVM, *quare non et* de moribus? *Si* ab hoſtium ferocitate *quid inductum, in* l. vn. C. de SCto Claud. toll. *quare non et* a moribus? Pro eius peccatis ego ſupplicium feram, *ait* TERENTIVS. *Cur non et* VLPIANO *dicere liceat,* pro moribus id introductum eſſe?

Nullus

Nullus video. Cuius ſumma virtute, *porro*, *ac* ſingulari humanitate affectum CICERONEM, *quid aliud ſignificat, quam* ob ſummam virtutem; *ac quod ſequitur*, noſtra factum negligentia, *quare non et* moribus prodigorum *quid factum ſiue introductum admittet?* Amat eum CICERO merito eius, *h. e. ex merito, vel, ſi mauis*, ob meritum. Si eius culpa, quid fit, *apud* CICERONEM, *quare* non et moribus ſuis? *Aut*, mala conſcientia ſibi impias manus inferre *in* l. 3. D. de his, qui not. infam. *quid aliud ſignificat, quam*, malam conſcientiam *huius maleficii*, *cauſſam fuiſſe.* Si ex moribus datum TARQVINIO *Superbi* nomen, *quare non et hic* ex moribus introducta poſſet, *dici adminiſtrationis bonorum interdictio. Si* ex hoc iure gentium, contractus introducti ſunt, §. 2. de iur. nat. gent. et ciuil. *quare non et* ex moribus *hic* introductum quid eſſe *dixerim.* Vxorem his moribus, *dabit nemo apud* TERENTIVM, *h. e. ob eius mores. Addamus* POMPONIVM, *in* l. 1. de interdict. et relegat, auaritia, *habet* bona vindicata fuiſſe, *quare non et* moribus *ergo ita introductum dicamus? Si porro noſtri interpretes ibi legunt*: innocentia et ratione meorum temporum remiſi exemplum; *quare non et* moribus prodigorum *dixerimus aliquid interdictum eſſe, dixi ita interpretes legem legere*: *ego enim malim ſalua ſeruata lectione*: innocentiam, rationem, *per ellipſin*, ob *ſiue* propter, *intelligere. Conf. ſupra ad* d. l. *iunct.* l. 6. D. vt in poſſeſſ. legat. v. quod id, TERENT. in Hecyr. v. quid me accuſat. *Si* promiſſis aliquid inducimus *apud* CICERONEM, quare non et moribus prodigorum aliquid inducemus? *Si* prae ita, *apud* CICERONEM quid factum: *quare non et ille* VLPIANVS *noſter, quid* prae moribus introducere *potuerit. Si* qua re (*ob quam rem,*) *hac re* (*ob hanc rem*) *dicimus, qua re, non et ea re*, moribus *inquam, dicere licuit* VLPIANO? *Atque ita forte interpretor dictam apud* PAVLLVM *formulam* v. ea re *h. e. ob eam rem. Et ſic non opus erit chirurgiae* CVIACII *loco*: ea re, aere, *ſubſtituentis. Et quod placet etiam* MENANDRO, *qui id accipit*, de teſtamento per aes et libram. *Si et ita placere mihi poſſet, malim tum*: τὸ: aeris, *latius accipere, pro ipſis bonis. Conf.* XII. tabb. §. aeris confeſſi. *Sed correctione non indigemus. Senſus enim adeſt*: ob eam rem tibi (*tuae perſonae*,) ea re, (*ob eamdem rem,*) commercioque interdico. *Quid multis! Poſtquam enim ita in mentem mihi venit, clar.* GIPHAN. *ita mecum quoque, illa*: ea re, *pro*: ob eam rem, *interpretari vidi, ad dictum* PAVLLI *locum, in verbis*: perducis ob eam, *neque hactenus ab eo diſſentire clariſſimum* SCHVLTINGIVM *alioſque, quod magis eſt te illud hactenus probare, ani-*

maduerti. Nunc autem certiorem me facis, *quomodo differant*, ea re, (*h. e. ob eam rem,*) *et* moribus (*ob mores?*) *ſi* id *tibi*, *quare non et* hoc *mihi dicere liceat? Nullam*, *auguror*, *rationem habebis. Si* IVVENALI recte viuendum erat tum NB. propter crimina, tum NB. illis praecipuis cauſſis; *quare non et* moribus *vt aliter viuerent*, *id* introduci *potuit? Si in* ablatiuo, cauſſa *etiam* efficiens eſt, *vti* amore patris, *ſapienter* SANCTII Minerua *docet*; *quidni et in* moribus prodigorum *cauſſam efficientem agnoſcere liceat? Si* condictio *NB.* cauſſa data, *non* ſequuta, *non ſignificat aliud*, *quam NB.* ob cauſſam datam, ab altero non ſequutam, *ideo*, *hanc condictionem competere*; *coll.* tit. Dig. ſequ. de condictione NB. ob turpem cauſſam, *add.* tit. C. de condict. NB. ob cauſſ. dat. *quidni et hic*: moribus, ob mores, *ſignificare poterit? Adhuc clariſſime vir*, *paucis ſi placet. ICtus enim* POMPONIVS *noſter ſufficiat*, *ad probandum*: moribus *idem dici poſſe*, *ac* propter mores, *in* l. 5. D. de ſtat. Lib. v. *NB.* incerta cauſſa, *h. e. ob incertam cauſſam*, rationis. *Cum enim in propoſita ibi facti ſpecie aliquid adhuc NB.* obſcuri *ipſis rationibus*, *a ſtatulibero reddendis*, *ineſſe ICtus antea dixiſſet*; *cuius ipſe gratia*, *ſatiſdationem heredi obtulerat*, *in* v. ſatiſdare, *non obſtante poſt antedicta hac rationum* obſcuritate, liberum *nihilo minus futurum ſtatu liberum ex humaniori* ARISTONIS *et* NERATII *ſententia reſpondet*: *ne libertas ſcilicet omnibus praeterferenda rebus et longe fauorabilior*, l. 122. D. de reg. iur. *NB.* propter aliquam forte latitantem adhuc obſcuritatem rationis (*a ſtatulibero reddendae*, princ. ibid.) *h. e. NB.* ob incertam rationis (*reddendae*) cauſſam, incertumque huius modi negotii genus, ſufflaminata, periculum aliquod pateretur. *Nam et quae* obſcura *vulgo dicimus*, *eadem* incerta *etiam*, *iuxta receptam philoſophorum veritatem*, *iudicio ſemper noſtro haberi conſueuerunt. Adhuc recordor* l. 54. D. de legat. I. *ibi* turpia legata quae denotandi magis legatarii gratia ſcribuntur, odio ſcribentis pro non ſcriptis habentur. *Haec quid verba ſignificant aliud, aut poſſunt*; *quam* propter odium *ſeu* quoniam id non amorem (*qui alias legatorum cauſſa eſt*; pr. leg. *ibi* donatio,) ſed teſtatoris magis odium erga legatarium ſignificat, *ideo tale legatum pro non ſcripto habendum. Viſne fidem monumento*, *clariſſimi* HILDEBRANDII *noſtri Herbornenſis*, *et tuam addere: ibi* innocentia ſua Deo pretioſus *atque* probitate morum? *Requieſcat*, *quaeſo*, *vir ille celeberrimus atque doctiſſimus*, *in* ſaecula ſaeculorum. *Adhuc*; fauore libertatis multa introducta contra communes iuris regulas *in* §. vlt. Inſt. de donat. *quid ſignificat*, *aliud credo nihil*, *quam*, ob fauorem *libertatis id ita introductum eſſe.* Odio furum introductum

in

in §. 14. Inſt. de act. *quomodo interpretaris ſtudioſae tuae iuuentuti? credo vt ego ac alii, id* propter odium furum *introductum eſſe* MARTIALIS *adhuc ita alibi in Maximinam habet:*

Ride, ſi ſapis! o puella ride.
Pelignus puto dixerat poëta.
Sed non dixerat omnibus puellis.
Quamuis dixerit omnibus puellis.
Non dixit tibi; tu puella non es.
Et tres ſunt tibi Maximina dentes.
Sed plane piceique buxeique.
Qua re, ſi ſpeculo mihique credis,
Debes, *non aliter*, tenere riſum.

Verba: non aliter, *ſed et aliam probant abunde, verba*: qua re, *cauſſam ſignificare ſiue* ob quam rem *riſum tenere riſum tenere, Maximina debuerat*, ob dentes *ſcilicet* plane buxeos piceosque. *Sed quis omnia recenſeat? Ex Pareo id adhuc addam in hac voce ad Plautum*, prae: cauſſam impulſiuam notare; *at qualem caſum requirit? ſextum credo. Eodem tandem ſenſu, quo dicis*, moribus vtentium ius introduci, *dicas etiam*, moribus prodigorum introductum eſſe, vt ſit interdicta iis adminiſtratio. *Vt ſex ita iam habeas reſponſiones ad argumentum illud tuum* (1) moribus, *in* datiuo *ſignificem*, (2) *in* ablatiuo *idem erit, quod per* mores, (3) cum moribus, (4) ex moribus, (5) prae moribus, (6) ob mores. *Ne vnam iam quidem harum ferri poſſe, vt oſtendas, velim. Et ego gaudebo, eruditus:* mores prodigorum *non recte me in hac lege interpretari poſſe. Vt et illud (7) adhuc moneam (non te adeo, qui hoc ſcis, quam quidem alios; vel quod non cogitaſti forte, in memoriam tibi reuocem,) et omnem tui eneruabit argumenti neruum. Non ſequitur, id apud alios auctores Latinos non inueni, ergo Latinum non eſt. Non valet haec conſequentia. Ego contra exiſtimem, alios auctores potius ex noſtrarum Pandectarum Florentinarum archetypo, conſcripto tamquam a Latinae linguae purae ſtudioſiſſimis, conciliandos eſſe. Saltim huc faciet* l. 47. D. de rit. nupt. *v.* foeditatem. *Antiquos diſcimus, nomina in* itas *exeuntia, vt* ponderitas, ſceleritas, *in* us *ſubinde transmutaſſe. Vt non mirum ſit, et* foeditas *in* foedus, *mutaſſe illos, ſi ex Pandectis Florentinis probetur. Sed et* affinium, *apud Paullum in* l. 4. D. de grad. *ſignificare:* affinitatem, *ni fallor, probaui in* Obſeruationibus legum Iuſtinianearum in foro adhuc ho-

die obtinentium , cap. 39. §. 4. *Quamuis enim alii Latine loquentes , non illud dicant , tamen lex Vlpiani hoc verbo vtitur. Ita argumentante in iuris ſui grammatica , titulo, inquam* , l. 101. D. de verbornm NB. ſignificatione , *Iuſtiniano noſtro. Non ſequi: id quod noſtri ICti habent , apud alios non inuenio , ergo non eſſe Latinum , probat Dukerus in tractatu, quem* de ICtorum Latinitate elegantiori *ſcripſit integrum. Etſi de* Codice *cet. id non libenter affirmarim , tamquam conſcripto a non eiuſdem modi Latinitatis ſtudioſis. Vt tum ſimul inde* (1) *videas, quam parum ſtringet id, quod ex* l. vn. §. 5. *ais* , Codicem numquam moribus, ſed ſemper ob mores, propter mores retentionem dotis conceſſiſſe. *Praeterquam* (2) *quod iterum non ſequitur, lex dicit* , ob mores , *ergo negat* ; moribus *dici poſſe? Atqui vnius, putaui ſemper ego, incluſionem non ſtatim eſſe excluſionem alterius. Neque* (3) *conneniunt*, ob mores retentionem *concedere* dotis; *et* ob mores interdicere adminiſtrationem alicui. *Differunt*; *aliquid* retinere , *et* introducere *aliquid*, *verbotenus et ſenſu. Ne, quaeſo te vir clariſſime de nomine amemus triumphum. Hac lege* ICte! *ad tertiam tuam obiectionem progredior , quam facis coniecturae meae. Vide ſupra* pag. 68. v. quomodo enim cohaerent illa , *cet. Probabo autem* (1) *eadem lenitate textum legis noſtrae primae ex mea ſententia fluere, qua tu eam ex tua ſententia fluere putas.* (2) *Recte autem ita me* ; (3) *te minus recte verba Vlpiani ita connectere.* (4) *Quod humanum eſt , erraſſe te, in referendo meam ſententiam.* (5) *Senſum denique quem ego facio, legi noſtrae ineſſe, et ex illa debere fluere.* (1) *Ita vero et iuxta tuam hypotheſin, ad ſenſum quem ego in verbo:* moribus, *puto, verba connecto:* lege XII. tabb. prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio , *adeoque ipſo iure prodigus bonorum ſuorum adminiſtratione excidit. Id* quod moribus quidem , *talium luxurioſe viuentium hominum*, ab initio 12. *tabularum lege illa* , introductum; ſed ſolent hodie , *cet.* (2) *Recte autem ita ex mea ſententia*; (3) *male, quemadmodum tu intelligis, cohaerere , probo, quia* illi *obſtat nihil*, huic *multa. Obſtat tibi:* (a) *quod ita Vlpianus bis idem dixiſſet:* lege 12. tabb. prodigis interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio. Quod moribus (*h. e.* lege eadem 12. tabb.) *ex tua interpretatione* , ita introductum. *Obſtat* (b) *denuo , quod ita Vlpianus dixiſſet:* lege 12. tabb. interdictum fuiſſe prodigis ipſo iure , *ſimul ac , non ipſo iure interdictum iis fuiſſe , ſed praetores eis curatores dediſſe. Si quidem* v. ſed ſolent, *cet. etiam idem ius* 12. *tabularum intelligis. Vide ſupra* pag. 69. v. ſed et iisdem moribus; *item in* v. at curationem prodigorum

aeque

aeque ac interdictionem, (*qua de agis, et quam putaſ me intellexiſſe, faciendam* per praetorem.) *Sic autem iterum* (*c*) *obſtaret tibi, quod decemuirali tempore praetores tales nondum habuerint. Sic obſtaret* (d) *denuo adhuc, verbum, quo Vlpianus vtitur*: hodie. *Obſtat,* (e) *quod iuxta tuam explicationem, legi multa verba quae addis, ſed quae lex non habet, inſerere debeamus, v. g.* iiſdem moribus mutatum eſt: enim, *cet.* vid. dict. pag. *Contra, meae ſententiae obſtat nihil. Licet enim quidem tu dixeris vir clariſſime,* duas ita me propoſitiones eiusdem ſenſus inepte per aduerſatiuam particulam: *ſed,* coniunxiſſe, ſed et negaſſe me, olim ex 12. tabb. habuiſſe curatores prodigos; *attamen neutrum me dixiſſe, video. Quoad* prius *enim, vbi duas ego propoſitiones habeo, eiuſdem ſenſus?* Prima *mea propoſitio habet:* lege 12. tabb. ita interdictum fuiſſe; altera, quare, *ſiue,* quo modo, qua cauſſa, moribus *ſcilicet ipſis luxurioſe viuentium, ita lege 12. tabb. introductum fuit. Quae differunt; et quae quare per particulam:* ſed, *connectere non liceat? non video. Vbi autem, porro, ego negaui:* lege 12. tabb. prodigorum curationem nullam fuiſſe? *Verba mea haec ſunt*: lege 12. tabularum prodigis interdicitur adminiſtratio, idque propter mores eorum introductum ita eſſe ab initio (*dicta ſcilicet* 12. *tabularum lege.*) Si vero hodie talibus moribus inueniatur homo, ſolent tunc praetores ei curatorem dare. *Vel, vt poſteriora haec, in priori editione habui*: non bonis interdicitur tantum, ſed et curator ipſi datur. *Ex quibus hiſce verbis, dic ſodes ex animi ſententia, probari poterit*: me negaſſe curationem prodigorum ex 12. tabulis eſſe? *Ex innocenti verbo*: interdicitur? *non poteſt. Qui cum Vlpiano dicit,* prodigis bonorum adminiſtrationem interdictam fuiſſe, *non negat*: in curatione prodigos fuiſſe. *Contra, alios prodigo adminiſtratores atque curatores fuiſſe, fatetur cum Vlpiano. Quia alias id idem eſſet, acſi cum Vlpiano dixiſſet: quod prodigus nec ipſemet, nec curatores pro eo, de bonis ſuis diſponere potuiſſent, ſic autem nullo modo, ad neceſſitatem vitae ſuſtentandae ſuae, bona haberet prodigus. Sed quare magis ex verbo*: interdicitur, *ita ineptum concludere vis, ex* mea ſententia, *quam quidem ex tua? Contra, ex tua, ita poſſe iure potiori concludi vidimus iam. Sed nec ex verbis meis:* curator datur, *vti vis, concludere poteris, quaſi negauerim,* ex 12. tabb. curatores datos fuiſſe prodigis. *Neque enim emphaſin habui, in verbo*: curator, *ſed in illo*: datur. *Et quod quoniam tu non habes, ſic iuxta paraphraſin tuam concludam omnino, id, quod tu de me ponis, ex lege* 12. *tabularum curationem prodigorum non obtinuiſſe. Senſus verborum meorum hic eſt*: ex lege 12. tabularum prodi-

gis

gis tantum interdicebatur bonorum adminiſtratio, *h. e. erant* ex ipſa illa lege *in curatione agnatorum*; ſed ſolent hodie, praetores vel praeſides, eis curatores dare. *Emphraſis ſcilicet dixi, verborum meorum eſt, in verbo illo*: datur. *Vt ſic* (4) *nunc videas, meam, quae eſt, vere te non dixiſſe, ſententiam. Meam autem explicationem, ex verbis legis leniter fluere, probant verba, dum ita nulla alia inconcinna intermixtione vel ope verborum indigent. Ceu ex tua ſententia contra vidimus. Senſum quem in lege eſſe ego dico*, (6) *vult, omnino adhuc, ſi* τὸ talem, *relatum, ad* v. moribus, aduertas animo. *Sicuti ab initio*, mores *anſam dederunt, vt ex lege* 12. *tabularum, prodigis interdicta fuerit adminiſtratio, ſiue curatores ipſis ex lege fuerint, ita vero, hodie ſi* talem (*moribus*) *inuenerunt hominem, ſolent ei praetores curatorem NB.* dare. *Hunc ſenſum probat* (7) *nominatim eiſdem verbis*, §. 3. Inſt. de curat. *Et quomodo dixi, ſi attendiſſes*: τὸ dare, *in lege noſtra, non tantopere tanto verborum adhibitorum ſyrmate, de ſenſu quem fingis, fuiſſes ſollicitus, vt probare eum potueris. Atque ſic nunc probaui etiam, argumenta quae oppoſuiſti meae circa legem noſtram* primam de curat. furioſ. *ſententiae, ei obſtare nihil. Et quare* (1) *ſicuti nunc eſſe tu iterum contentus poſſis, ita vero vt plus ſatis tibi faciam, meam in leg. noſtram ſententiam veram eſſe probabo adhuc. Ita vero* (2) *ad hoc, nos Paullum ſua quaſi manu ducere* libr. 3. Sentent. recept. tit. 7. *ſupra vidimus per argumenta multa. Ceu et* (3) *huc facit* l. 3. D. ad SC. Maced. *dum eodem ibi ferme modo dicat*, mores *filiorum familias improbos anſam dediſſe* Macedoniano. *Nec deſinit eſſe, ideo quod* (a) *Paulli* illa lex non ſit, nec (b) *ibi dicatur* Macedonianum moribus inductum fuiſſe, *ceu tu mihi haec opponis quidem ſupra. Quoad* prius *enim, quia Paulli non, ſed Vlpiani lex eſt, ſic ergo magis faciat, ad alteram, eiuſdem Vlpiani, legem noſtram primam ſimili modo interpretandam. Quod* ſecundo, *in illa* l. 1. D. ad SC. Maced. *dicatur*: Macedonianum moribus inductum fuiſſe, *vbi hoc ego dixi? nullibi: ſed haec mea verba ſunt ſupra* pag. 47. quod ſimili ferme modo Macedonianum dicatur introductum. *Mens haec eſt*: ſicuti mores filiorumfamilias eo tempore anſam dederunt huic SCto, ita eodem modo, mores luxurioſe viuentium anſam dediſſe legi ſcriptae in 12. tabulis. *Quaeſo vir amiciſſime, non captando verba teramus tempus. Neque enim ego, ex illa ſola* l. 1. D. ad SC. Maced. *meam explicationem tam probare volui, quam firmare quidem, et quidni illo modo, quem dixi. Sed quare non, vir clariſſime, et in re-*

li-

liquas meas probationes omnes inſurgis? Quales fuerunt adhuc v. g. quod ipſe VLPIANVS *τὸ* : moribus, *in fine ibidem per* ipſos *prodigorum mores, per verbum :* mores, *nominatim explicat, et quae plura hac in parte adduxi ſupra* pag. 47. *Ita volunt alia, quae adduxi poſtea, et in ſequentibus paſſim. Ita vero palam adhuc iubet, non tantum ipſum illud in lege noſtra verbum :* mores, *vt dicere iam anteuerti, ſed omnino ita vult, ſi velimus attendere, dum, ab iiſdem moribus NB.* ceſſantibus, *finem curationis ibi* VLPIANVS *probat. Sicuti nimirum,* mores *luxurioſe viuentium hominum, anſam dederunt curationi, ſiue,* moribus *ita* introductum *eſt, vt ſint ſub curatione prodigi, ita ergo anſa illa vel cauſſa* ceſſante, ceſſare *quoque debebit effectus, curatio illa. Dum,* mores ceſſantes, VLPIANVS *dicit, cauſſam eſſe* ceſſantis curationis, *oportet vtique etiam habuerit,* mores tales exſtantes, *cauſſam* introductae dataeque *curationis fuiſſe. Quaeſo, quis, qui legem noſtram ita nunc vel obiter inſpiciat :*

> lege 12. tabularum *prodigo* interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio. Quod *moribus* quidem ita ab initio *introductum* eſt. Sed ſolent hodie praetores vel praeſides, ſi *talem* hominem inuenerint, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando et diſſipando profudit, curatorem ei dare exemplo furioſi. Et *tamdiu* erunt ambo in curatione, *quamdiu* vel furioſus ſanitatem, vel ille ſanos *mores* receperit. *Quodſi euenerit, ipſo iure deſinunt eſſe* in poteſtate curatorum.

Quis, inquam, quaeſo, qui ita legem vel obiter intuetur, et verum amat, dubitauerit, mores *ipſos hominum exſtantes luxurioſos, et anſam introductae curationis dediſſe, atque* ceſſantes, *cauſſam finitae curationis fuiſſe,* VLPIANVM *habere? Minus autem adhuc dubitaueris, ſi animaduertas, quod ſicuti in initio, vbi de* ſolo *prodigo agit, et ſic ſolo etiam verbo :* moribus, *vtitur, ita vero in altero commate, vbi tam de* furioſo, *quam de* prodigo *ſubiicit, verbo :* ſanitatem, *de* furioſo, *verbo :* mores, *de* prodigo *vtitur repetens. Ita vero magis adhuc tenueris, ſi attenderis, ad verbum illud :* talem; *quod enim verbum,* talibus moribus *hominem, ſignificare debebit. Adde, quod τὸ :* talem, *in ſequentibus, ſuis moribus explicat :* qui neque tempus, *cet. Minus autem dubitaueris; legem noſtram habere ita quemadmodum dixi, vel obiter intuens, ſi addideris, illam alias dubia habere maxima; ſique addideris reliqua argumenta, quae ſupra vidimus, illam ſententiam volunt. Et ſic nunc probaui, explicationem meam in lege, qua de agitur, veram eſſe; ſic autem probaui ergo inſimul, tuam quam putas, veram eſſe non poſſe. Et quod probaui aliis argumentis adhuc ſupra* pag. 45. iunct. *pag.* 84. *et* pag. 109. ſeqq. *cet. v. g. quod tibi refragantur omnes, (tu ais, nullus) veteres illi, qui dicunt :*

curationem illam debere primam originem 12. *tabulis. Nil iuuantibus te; argumentis, quae hac in parte adduxiſti*, pag. 58. ſeqq. *Quibus adde, quod adhuc in mentem venit, argumentum: dum inquam in lege prima noſtra* iidem *mores, qui apud* PAVLLVM *in* Sententiis receptis *intelligendi ſunt*, PAVLLVS *vero*, ſuos *quos habet mores, ad* praetorium *tempus referat*, VLPIANVS *contra*, moribus *ſuis praetorium tempus opponat, apparet vtique, quod* tempus *aliquod, per τῷ :* moribus *in noſtra lege intelligere non poſſimus*; *ſed* mores prodigorum, *ſignificare debeamus: quemadmodum illi ſcilicet ab* initio *anſam dederunt, vt curatio eſſet legitima agnatorum, ita* hodie *ſi* talem *inuenerint hominem*; *ſolent praetores ei curatorem* dare. *Tam inconueniens tua mihi videtur opinio, vt ſi prima mea explicatio non eſſet, de* ipſis *prodigorum moribus, malim tum* ſecundo, *per* mores, *ipſum* ius naturae *ſignificare. Non, acſi* hanc, priori illi *anteferrem, vt tu putas, credo, quia illam veram vidiſti, quin contra potius, ſi prior non eſſet, tum, me malle, dixi*, ipſum ius *naturae in noſtra lege ſignificare.*

Non inconcinne quidem, *ais, per* mores, *me* hic, ius naturae ſignificare, *at parum tamen id aduerſari, exiſtimas*, ſimul CVIACIO. Si enim, *ita argumentaris*, ex iure naturae et gentium *eſt* curatio prodigorum, procul dubio, ea iam ante 12. tabulas, ſub regibus inualuit. *Reſp. Negando, illud*: procul dubio. *Nego hanc conſequentiam*: hoc eſt iuris naturae, ergo, ſub regibus fuit cautum. *Non eam valere, hinc conſtat, quia ſub regibus inualuere multa, quae a iure naturae abhorruerunt. Atquin, non omnibus naturae ius, ſemper liquet.* CICERO *ait*: naturae iura a vulgari intelligentia remotiora ſunt. *Si tua conſequentia valebit, tum deberemus dicere: omnia illa, quae ſunt iuris naturae, ſub regibus etiam obtinuiſſe. Sic omnes leges in iuris noſtro corpore ſcriptae; ſic omnes aliae leges, quae cum iure naturae conueniunt, deberent etiam tempore regio ſcriptae fuiſſe. Vt videas, clariſſime vir, tuum*: procul dubio, *non eſſe, procul dubio. Vt et* tertio *conſequentia non valet*, quae ſunt iuris naturae, olim obtinuere ſub regibus, *ergo per* mores *in* dicta lege 1. VLPIANVS conſuetudinem *intellexit? Ego* quarto *ita argumentor potius: quoties vox*: mores, *occurrit, toties, naturae ius, ſi non alia obſtant, explicare licet.* VLPIANVS *vtitur in lege noſtra, voce*, moribus, *nec quidquam obſtat, quod tu allegas. Ergo, cet. Maiorem probo, quoniam paſſim noſtra iura hanc notionem ita efferunt. Addo autem praeter ſupra citata loca, non tantum quod et ita dixiſſe noſtros iuris interpretes poſtea videre mihi licuit, ad* l. 8. 30. D. de rit. nupt. *Sed et huc facit* l. 15. D. de condit. inſtit. *argument. ibi*, generaliter: *contra* bonos mores, *collat.* not. noſtr. ad leg. vlt. D. de rit. nupt. ad v. bene. *Forte et* MINVCIVM FELICEM *huc referre liceat, quando ex poëta*

canit:

canit : virgines ſine more rapuiſſe Romanos, *coll. ibi NB.* facinore, *et ibi* in notis *NB.* iniuſte. *Ex eo forte capite: quia bellum matrimonia ambiendi, inferre non licet aliter, quam ſi copia mulierum aliunde, quam ab iis, a quibus petita ſunt, haberi nequeant.* PVFENDORFIVS *III.* 3. 13. *Vt hactenus ergo peccauerit Romanus populus. Alias namque petendarum mulierum, ſunt permiſſa bella.* VITRIAR. *II.* 2. 46. *Itaque probaui vir clariſſime id quod volo; quod* liceat ius naturae *in lege noſtra per* mores *intelligere. Ita* debere *intelligi, ſi prior mea explicatio non eſſet, volunt antedicta. Sed et, quod, quae ex iure ſunt gentium ac naturae, dicuntur obtinuiſſe NB.* ab initio : *loquutione, qua noſtra lex vtitur. Conf.* §. 2. Inſt. de iur. nat. gent. et ciu. v. ab initio, *iunct.* §. 11. Inſt. de rer. diuiſ. v. cum humano genere. *Teſtor veritatis ſtudioſum, an non, dum* (1) moribus, ius naturae, *leges noſtrae ſignificant : ac* (2) *de iure illo naturali, aiunt*; quod *NB.* ab initio introductum illud ſit : *an non, dum* (3) *lex noſtra prima verbum :* moribus, *eadem locutione*, quod *NB.* ab initio introductum ſit, *efferat, ius ibi naturae explicare liceat? Inprimis, dum* (4) *id, quod ibi moribus eſt introductum, iuri ſit naturae conueniens; ac* (5) *lex alias, ſi per :* moribus, *vis* conſuetudinem *intelligere, falſum ideo narret, quoniam, id quod habet*, originem *debet, non* conſuetudini, *ſed* ſcriptis 12. *tabulis* (6) ; *ceu contra, ſi* ius naturae *vis ſignificare, dubium omne ſit ſublatum, dum dicere ita liceat :* quod quamuis aliquid caueatur 12. tabularum iure, recte tamen et idem iure naturae introductum eſſe; *vid.* §. 2. *Inſt.* de rer. diuiſ. *Quaero, an omnibus hiſce collatis, per τὸ:* moribus, *ſignificare* ius naturae, *non liceat, inquam, ſi prior noſtra, de* ipſis prodigorum moribus, *non adeſſet? Vt credo facilius ita nunc conceſſeris, τὸ:* moribus *idem hic eſſe, ac* iure naturae. Nam (1) *ita ratiocinaris, liceat*, eam vocem fruſtra *ex* l. 8. D. de rer. diuiſ. ego probem, vbi nec vocabulum quidem illud occurrit. (2) Si quod ſuſpicaris, memoria me fefellit, et in animo habuerim l. 8. D. de his, qui ſunt ſui vel al. iur. citare, neges tamen, ius patriae poteſtatis, quale apud Romanos obtinuit, ex iure naturae eſſe, *ſupra* pag. 70. *Sed heus vir clariſſime* (a)! Aut *es ſuſpicatus, me fefelliſſe meam memoriam, et prima tua propoſitio, tuum animum non adeo erga me beneuolum, ſed aſperum magis ſignificabit, eritque haec memoratio non niſi exprobatio cuius neſcio, putes, in me vitii; aut*, id non es ſuſpicatus, *ac tunc poſteriorem, nullus dubito, reſponſionem omiſiſſes. Sed es recte ſuſpicatus, vir celeberrime, et non recte tamen. Verum eſt, me non ad hanc rem, recte allegaſſe*, l. 8. D. de rer. diuiſ. *ſed allegaui illam, non lapſus memoria, ſed properans, vel quod rem ipſam attendi potius. Neque doleo propterea magnopere meas vices. Indicium namque id ipſum erit, et alias animi mei* rem *ſpectantis, non* verbum : *rei veritatem vnice animo*

quod diſputem; titulum an et quem citaui, ipſe ſaepe neſcius. Inſimul; quod non ex Lentulorum ſim natus alicuius familia, aut agonum inſtar ſtilum toties debeam vertere, verbumque anxie ſtillem poſt vnum aliud: non poſtilantium mihi placere adeo ſecta poteſt. Non explico, quod alii habent conſilium; vt hodie rem concipiam, die craſtina in chartam coniiciam; die ſequenti relegam, tum deponam iterum, poſtea recognoſcam ſemel. Quid eſt tempus perdere, ſi non hoc eſt? Non hoc permittunt mea negotia, quibus ſum occupatiſſimus in foro et in cathedra. Aut ſi permittant aliquando, non tamen id animus meus mihi permittit, vt faciam. Rogetur typographus, roga ſis collegas meos, interroga ipſos, quos ad menſam habeo aliquando amicos, quaere ex ipſis amanuenſibus, an vmquam vix ille integrum a me ſcriptum folium accepit, an non contra potius, per ſchedulas ſcriptas ſaepe in ipſo conſortio, in ipſo prandio, quin ſaepe verba quaedam typothetae apud memoriam deponam, quae ille typis edat. Non hic me mea memoria ſefellit: contra haec Deo g. precario mihi olim paruit ad arbitrium, ſine cunctatione reſtituit, quae apud eam ſemel depoſui, bonae fidei eſt. Quare, ſi qui eiuſmodi occurrunt errores, vertendi illi erunt, vel properationi nimiae, ac in rem magis inquirenti animo, vel typothetae negligentiae, vel ſtilo auditoris denique. Prius quidem tibi non obedire tuam memoriam, eo ſignificas; quando pag. 55. eodem modo tibi mecum agere placet, quod ego lapſus memoria, loco legis 28. legem citaui 20. D. de probat. At vbi ego citaui legem 20. Haec ſunt mea verba ſupra pag. 45. in lege credo vigeſima NB. ſeptima. Ergo te tua fefellit memoria, quod (1) dicas, me allegaſſe l. 20. cum legem 27. dixerim, magis (2) quam me mea: quia numerus 20. a 27. remotior eſt, quam hic a 28. (3) quoniam meam epiſtolam ante oculos habuiſti; ac illico, eius quod modo videras, in ſcribendo parum memor fueris: ſed et (4) corrigendo, praeſentia typographi, altera vice, legiſti, recognouiſti, cum contra (5) ego, legem illam, diu erat, quod non euolueram; nec (6) valetudine (hoc eſt, ex mente Heineccii, ob valetudinem) oculorum, eam quidem videre eo tempore poteram; atque (7) ob id ipſum, dixi; non eſſe illam legem 27.; ſed me id credere; conſequenter me meam memoriam feſelliſſe, dici non bene poteſt. Sed nec (8) abſentia typographi, iterum quae ſcripſeram recognoſcere, mihi licuit. Haud parum (9) adhuc memoriam labilem tuam indicas pag. 72. quando te mutare vnam non niſi litteram profiteris, cum duas tamen mutas (1) n in c (2), e in i, loco Non tEnere, ContIuere reſtituis (10). Idem facis pag. 57. dum legem citas 18. D. qui teſtam. tutor. dar. poſſ. cum, non totum quidem illum Pandectarum titulum: qui teſtamento tutores dari poſſunt, in mea editione iuris corporis, inueniam. Ceu nec ICtos illos, quos allegas in allegata ibi l. 4. C. qui teſtam. fac. poſſ. inuenire poſſum.

ſum. Non magis, quam VLPIANVM, *quem ſupra* pag. 57. *allegas, ita dicentem deprehendo, in allegato a te* tit. VII. *et quae adhuc plura non recte allegaſti. Vſque adeo vera eſt ea principis ſententia: omnium habere memoriam, et in nullo penitus errare, diuini magis eſt, quam humani iuris. Non haec attigiſſem quidem, vtut primo obtutu mihi obuenerint, quanto minus tantam eorum mentionem facere, niſi tu hic tertia nunc vice tanta memoratione ita me oppugnaſſes.* Τῃ ἐμῃ πιϛει! *Non autem me fefelliſſe memoriam, quantum ad hanc* l. 8. *quod attinet, typographus noſcit, teſtis erit, collega noſter* PASOR. *Cui cum in conſortio inter alias,* l. 8. D. de his, qui ſui vel al. iur. *contra te allegatam, proponebam, atque ſe hanc legem non a me allegatam non legiſſe aiebat, ſponſione cum viro contendere volui; me legem illam tamen citaſſe. Tam vere, inquam, perſuaſeram mihi, allegaſſe me* legem 8. *NB.* de his, qui ſunt ſui vel al. iur. *Aſt tua pace, venerande ſenex, quod* (1) *hic tuam auriculam tangam; molliter enim vellam* μνημονευε. *Si per noſtram amicitiam poſſes, clariſſime* HEINECCI, *faceres me ferme iracundum in te, quod hiſce tempus pretioſiſſimum, ita perdere debeam; rem nobis faciamus in ſequentibus* (2). *Nec in* d. l. 8. D. de his, qui ſui vel al. iur. τὸ: moribus, *ſignificare poſſe*, ius naturae, *ita argumentaris:* quia ius patriae poteſtatis, quale apud Romanos fuit, ex iure naturae non eſt. De ſola autem patria poteſtate iuris Romani, non de naturali parentum poteſtate, quae in directione actionum a liberis ſuſcipiendarum conſiſtit, VLPIANVM agere, inde probas, quia furioſus (*qua de ſcilicet dicta lex agit*) directionem actionum exercere nequit. *Ordine agamus denuo atque decenter* (A). *Nego,* VLPIANVM *in* v. *quo de eſt quaeſtio:* cum ius poteſtatis moribus ſit receptum, *de* furioſo *patre, deque* ſola *patria poteſtate* Romana *agere; quin contra potius, de* parente *in genere, eiuſque in genere* poteſtate, *illum ibi tractare video. Quia ſcilicet ius poteſtatis patribus competens ex* moribus *eſt, hinc, nec in furioſo illud deſinere debet. Vel, vt de iure Romano, furioſi poteſtatem patriam retineant, ratio eſt, quia* ex moribus *eſt* (B). *Recte autem ita* VLPIANVS *concludit, et ego contra te cum* VLPIANO *affirmauerim, ipſi quoque furioſo patri de iure Romano, quin et de iure naturae, ius dirigendarum actionum manere, ſed eo ſenſu, quo* VLPIANVS *id habet: non ita, acſi dum furioſus eſt, eas ipſo euentu dirigere poſſit, quod velle dicere ſtultum eſſet, ſed hoc ſenſu, vt ius dirigendi ipſi ſaluum maneat, atque dirigere ipſo effectu iterum poſſit, ſi compos mentis ſit factus, vel dilucida habeat fortean interualla. Conf. in* lege *noſtra:* deſinere, *item:* ius. *Licet furioſus pater, dirigere iam actiones non poſſit, tamen* ius *dirigendi* retinet (C). *Sed et alios iuris Romani patriae poteſtatis effectus, ex iure naturali ad patrem pertinere, contendo, v. g. quo de* VLPIANVS *agit, et in fine huius legis ſe explicat:* ius

acquirendi. (D). *Sed et in ipſo furioſo patre; in ipſo quoque exercitio, eo tempore dum furioſus eſt, ex iure naturae, ius illud* acquirendi, *ſaluum manere, tenuerim. Dum enim ius Romanum, hoc commodum, ſimul patri conceſſerit, quo modo, hoc ipſi ob ſuperuenientem furorem adimere poterit? Ideo, quia infelix eſt? Vel, quod ipſemet ſibi de commodo acquirendi magis iam non proſpicere poterit? Ego contra, hiſce argumentis puto* (E). *In genere autem ius poteſtatis patri in liberos competere, ita doctores probant, quia quod ex re mea (ſemine meo) ſupereſt, meum eſt, et ad me pertinere debet. Conſentientem ICtum* VLPIANVM *puto, quando de NB. iure reſpondens exacte ita ſcribit:* qui *NB.* ex me naſcitur, in mea poteſtate eſſe debet. *Vid.* l. 4. D. eod. tit. *Nec mutat, quaſi ſemen poſtquam a me abiectum eſt, non magis meum ſit; miſſis aliorum enim reſponſionibus, dico, a me abiici, non animo perdendi, derelinquendi, ſed acquirendi. Sed dicam de hoc alibi ex profeſſo* (F). *Si autem ita vis, habeas, ex* primo *iuris naturae decreto aliquo, patriam poteſtatem, eamque, qua de* VLPIANVS *agit, non competere; ſed, ergo nec ex remotioribus? Negatur conſecutio. Multa, omnia ferme, ius naturae agnoſcunt, non pro parente quidem primo, attamen pro auia, vel proauia, vlteriorique aliquo parente* (G). *Sed demus adhuc, patriam poteſtatem, vel eam, qua de* VLPIANVS *habet, nullo modo ex iure naturae fluere, quid enim, ergo et* VLPIANVS *ita ſenſerit? Scio, illum habere in* l. 3. D. eod. ius poteſtatis patriae, proprium eſſe ciuium Romanorum, *ſed quod in* Inſtitutionibus *a* IVSTINIANO *ita interpretatum legimus, quod ſcilicet nullae aliae gentes ſunt, quae NB.* talem *poteſtatem habent, qualem Romani ciues. Sed hac interpretatione non indigemus quidem. Ita adhuc* VLPIANVS *dixerit*, proprium eſſe *NB.* ciuium Romanorum, *vt ſciamus, NB.* non *ciuibus, hanc poteſtatem non competere, vid.* l. 5. D. ibid. *Numquam autem hoc ſenſu id eſſe dixerit*, proprium ciuium Romanorum, *quaſi*, iuris naturae *ita non eſſet. Contra, nihil a ICtis Romanis habitum pro iure puto, quod non illi etiam putauerunt, ex iure naturali manare. Ceu in ſpecie de illo poteſtatis patriae effectu, commodo acquirendi per filios, vt hoc ad patrem pertineat, ex aequitate naturali eſſe, et ab omni inuidia remotum, paſſim noſtrae leges habent. Vna erit ergo quaeſtio, an patria poteſtas, ex iure naturae ſit; alia, an non ita tamen* VLPIANVS *putauit? Dum* VLPIANVS *putat, qui ex illo et ſua vxore nati ſunt, de iure, in ſua poteſtate eſſe, quare id illum hic in noſtro verſu negaſſe dicemus? Et ſic ſatis iterum dedi* (H). *Probabo autem vlterius, in verſu noſtro, furioſum patrem ſimul et per* mores, *ius* 12. *tabb. intelligere nos non poſſe, quia de iure* 12. *tabularum ius patriae poteſtatis in vita neceque conſiſtebat.* Endo liberis ius vitae necis venundandique poteſtas eſto, *habent decemuiri. At non tamen id ſine ratione patri illos conceſſiſſe, conſtat. Vnde*

de et patres, magiſtratus domeſtici, *audiebant.* Domeſtici, *ego interpretor, propter patriam illam poteſtatem, quam, voce*, domus *ſignificare ſolebant.* Magiſtratus, *quia iuriſdictionem quidem in liberos habebant, ſed illam vt magiſtratus ſecundum iuſtitiam exercere debebant. Quo modo autem neſcio, pater furioſus, de cauſſae iuſtitia iudicabit, cui motum eſt cerebrum termino* (I). Ius naturae, *et non* 12. tabulas *in* v. moribus VLPIANVM *ſignificaſſe, ita probo, quia nauci eſſet decidendi ratio*: ius naturae poteſtatis ante ſub regibus, poſtea ex 12. tabulis competiit; ergo, furioſus illud retinere debebit. *O ſuauis* VLPIANI *ratio, ſi haberet animam! Ita valet*: quia ex iure naturae, eſt patriae poteſtatis ius, ergo, ob id, quod furoris calamitas ad illum peruenit, ipſi adimi non debet, ſed retinebit, quatenus per furorem retinere poteſt, *v. g. commodum acquirendi. Ratio decidendi, valet. Neque enim id, quod patri ſemel de iure naturae competiit, ſine voluntate ſua auferri poſtea ipſi debet*, l. 11. D. de rit. nupt. *ſed nec ius naturae patitur, ob ſuperuenientem calamitatem furoris, patri commoda acquirendi, aliaque auferri, quae ad illum vt furioſum pertinere poſſunt* (K). *Sed habeas, in lege hac* 8. D. de his, qui ſui vel al. iur. τῷ: mores *ius naturae non ſignificare, quid enim inde? Ergo in lege noſtra, qua de agitur, illa erit? iterum nego. Nec mutat, quod* (L) *ad hanc rem allegas*: aegre me interdictionem bonorum ex iure naturae demonſtrare poſſe. *Poſſum enim illud peroptume. Ita vult* (1) *amor ille, quem homini, homo debet, ne eum perire patiatur; ne cupidini deditus triſtem ille exitum ſentiat, qui poſt diſperſum patrimonium exſpectare alias eum ſolet. Conf.* l. vlt. C. de bon. quae liber. *Id* (2) *flagitat naturalis cognatio illa, quam inter omnes homines conglutinauit natura. Conf.* l. 3. D. de iuſtit. et iur. (3) *Ita vult, ſocietatis cuſtodia, ad quam tantum non valent, illi, qui bona ſua dilapidauerint. Ita* (4) *ſuadet, ſuprema lex naturalis illa*: conſeruationis, et incrementi (5). *Ita dicit, ſalus rei publicae, in eo conſiſtens, vt homines habeat, diuites, quos* aſſiduos *vocabant veteres, qui* aſſes *ipſi* duere (*dare*) *poſſunt, rei publicae neruum. Conf.* l. 1. §. 20. D. de quaeſt. *iunct.* §. 2. Inſt. de his, qui ſunt ſui vel al. iur. *Idem* (6) *denique, verbis probabo, vt ſuperuacuam mittam rei certae probationem*: iuri naturali eſſe conueniens, vt ſub poteſtate aliorum ſint, qui ipſi ſe tueri nequeunt, *in* §. penult. Inſt. de Attil. tutor. *Regeris quidem* (a), *paragraphum hanc mihi obſtare ideo, quoniam*, prodigi, ſi vellent, tueri ſe poſſent; (b) *quod* non tam prodigorum, quam agnatorum bono, inuecta ſit prodigorum curatio (c). Potius ius naturae, dominis rerum ſuarum liberrimam adminiſtrationem concedere. *Argumentum primum tuum, tribus iterum et vno qui abundat, laborat terminis.* Quicumque, *argumentaris*, tueri ſe poſſunt, non debent ſub poteſtate aliorum eſſe, §.

penult.

penult. Inſt. de Attil. tutor. *Atqui*, prodigi tueri ſe poſſunt, ſi volunt. *Terminus medius ille* : tueri ſe poſſunt, *aliter in maiore*, *aliter in minore ſumitur*. Ibi, *qui ſe* tueri poſſunt, *et* ſe tuentur re vera. Hic *qui ſe tueri poſſunt*, ſi velint. *Sed vt percipiamus vim argumenti tui*, *ecce* : *ſicuti non ſapiens*, *furioſus*, *atque pupillus tueri ſe non poſſunt*, *etſi velint*, *propter animi mentiſue defectum*, *ita et prodigus*, *propter hoc vitium animi ſui*, *ſe tueri non poteſt*, *etſi velit*. *Qui ſe tueri poteſt*, *non poteſt prodigus dici*, l. 6. D. de verbor. oblig. *Leges ſaltem noſtras ciuiles*, *de quarum ſenſu diſputamus*, *ita habere*, *vt prodigi tueri ſe non poſſint ſatis*, *probo*, *quia curatorem eis praeponunt*. *Atque ſic nunc etiam non magis mihi aduerſatur*, *quod* (2) *dicis*, non tam prodigorum, quam agnatorum bono, inductam illorum curationem eſſe, *quia*, primo, *ipſorum prodigorum cauſſa tamen*, *ita fieri vidimus*. *Atque palam ita habet* l. 12. D. de tut. et cur. dat. *ibi* : prodigos, proſpicere *NB.* eis. *Sed* ſecundo *quaeſo adhuc te liceat interrogare*; *quaero*, *ſi bono ita agnatorum fiat*, *an ergo poſſimus concludere*, *ita non eſſe iuris naturae*? *Quaſi vero*, *vt agnatis bonum ſit*, *contra ius naturae eſſet*. *Proh miſeras ita omnium tuorum agnatorum vices*! Tertium *vero tuum argumentum*, *quod mihi opponis* : quod ius naturae dominis liberrimam rerum ſuarum adminiſtrationem concedit, et ſic prodigis de iure naturae interdici adminiſtratio non poſſit, *nollem te excidiſſe*. *Quemadmodum enim nihil eſſe magis iuri naturae conueniens*, *ſcio*, *quam vt dominus rei ſuae ſit moderator et arbiter*, *ita vero*, (1) *de eodem iure naturae*, *limitandum hoc eſſe*, *cum* GROTIO *aliiſque cenſeo*, *ſi adminiſtrare NB. poſſint*. *Nec*, *ſibi*, *aut rei publicae*, *adminiſtratione noceant*. *Duo requirimus ad actus agentium* : voluntatem *et* facultatem. *Vt videas*, *argumentum tuum non procedere*, *habe* : *quod alias et impuberibus*, *furioſis*, *cet. vt rerum ſuarum dominis*, *interdicta eſſe non deberet adminiſtratio*, *quibus tamen adminiſtrationem recte interdici nemo ignorat*. *Conf.* pr. Inſt. quib. alienar. lic. v. accidit aliquando, *cet. Res haec tam clara eſt*, *vt credam te haec non ex animi ſententia dixiſſe*, *ſed vt me fallas modo*. *Oppugnes me*, *clariſſime vir* : quod ius naturae dominis rerum ſuarum adminiſtrationem concedit. *Vis*, *hoc negem*, *vt in promtu tibi ſit victoria*. *Itane vero ſane*, *gladiator*? *Sed* hoc *non refutabo*. Quod dominis rerum ſuarum adminiſtratio competit, *tibi habeas*; *ſed non*, *quod dominis* prodigis *ita competat*. (2) *Quid autem iterum ſi concedam quoque*, *ex iure naturae re vera non eſſe*, *vt prodigis interdicatur rerum ſuarum adminiſtratio*; *eſt enim et manet tamen alia longe quaeſtio*, *an non* VLPIANVS, (*de huius enim ſola mente diſputamus*,) *putauerit*, *ita ex iure naturae eſſe*? *Hoc*, *illum exiſtimaſſe probo*,

quia

quia putauit ita iuris eſſe. Hoc palam ſignificat, dum habet, hoc pium *eſſe, in* l. 4. D. eod. tit. v. pietas. *Verbis conſentit* : eligendus itaque erit, qui prodigos conſilio regat. Nam *NB.* aequum eſt, proſpicere nos etiam eis, qui, quod ad bona ipſorum pertinet, furioſum faciunt exitum, *in* l. 12. in fin. D. de tutor. et curat. dat. *Videſne nunc, vir clariſſime*, Vlpianvm *exiſtimare, iuris naturae eſſe, vt prodigis interdicatur adminiſtratio; ſed et re vera ex aequitate naturali eſſe, argumenta ſupra viſa probant.* (3) *Quare vehementer nunc etiam gaudeo, te ipſumet quoque confirmare tandem*, laxam eſſe iuris naturae ſignificationem, vnde Vlpianvm curationem prodigorum deriuaſſe dixeris. *Vide ſupra* pag. 71. *Itaque hoc accipio, atque rem endo via vti pacis orato. Sed ſua ſponte inde ſequitur, neceſſe magis non eſſe, vt dicamus*, Vlpianvm *per mores*, quibus prodigis bonorum adminiſtrationem interdictam habet, *ius regium duodecimue tabulas*, intellexiſſe; *quoniam, et ius naturae laxum liceat, ſignificaſſe tamen, te fatente, potuerit. Ceu non etiam ego dixi*, primum *eſſe iuris naturae principium* : prodigo interdicatur adminiſtratio; *ſed ex aliis iuris naturae principiis ita debere fluere. Gratulor ergo impenſe mihi, et effuſe laetor, quod hactenus te mihi conſentientem habeam. Sed nunc quaero, vir clariſſime, veritatis vindex, num poſthac magis dicere audeamus* :

> Vlpiani ſola lege prima Digeſt. de curat. furioſ. dand. in verbo ibi : *moribus*, conſtare ſatis, tempore regio olim interdictam fuiſſe adminiſtrationem prodigis?

(*I.*) *Debebas probaſſe; verbum illud* : moribus, *aliud ſignificare non poſſe, quam*, iura ſcripta in 12. tabb. et quae ante tempore regio obtinuerunt. *Vide ſupra* pag. 81. (*II.*) *Nullibi autem ita te probaſſe, vide* pag. 82. ſeqq. (*III.*) *Tantum abſit te probaſſe, τὸ* : mores, *aliud nihil quam hoc ſignificare, vt non probaueris quidem, ſignificare ita poſſe.* (*IIII.*) *Tantum abſit, te hoc probaſſe, vt argumenta, quae hac in parte adduxiſti, contrarium dicere, ego probauerim.* (*V.*) *Vt et ex aliis argumentis probaui, ſignificare ita non poſſe.* (*VI.*) *Aut ſi verbum* : mores, *ſignificare ita poſſet, (poteſt autem nullo modo,) attamen quid aliud ſignificare etiam poſſe, probaui. Et te fatente ipſomet*, pag. 83. (*VII.*) *Quin, non tantum quid aliud ſignificare* poſſe, *ſed* ius naturae *ſignificare* debere, *ſi non meliori modo intelligi adhuc poſſit, probaui* pag. 58. (*VIII.*) *Ceu potiori iure*, debere, *mores ipſos prodigorum ſignificare, argumenta volunt ſupra adducta.* (*VIIII.*) *Aut ſi non (profecto tamen,) ita; non tamen etiam poſſe ſignificare id, quod tu vis, ſed et quid aliud ſignificare poſſe, vidimus.* (*X.*) *Aut ſi lex ita dixerit, (vt quid minus nihil,) vt tu vis, non tamen huic ſoli legi ita dicenti fidem debere nos facere,*

vidimus, pag. 98. ſeqq. (*XI.*) *Sed nec aliunde ita tempore regio obtinuiſſe probas. Vid.* pag. 102. *ſeqq.* (*XII.*) *Tantum abſit, vt loca quae allegas, contrarium probent*, pag. 109. ſeqq. *Sicuti haec omnia ita ſe habent : ita vero ſi haec omnia ita ſe non haberent*, (*ceu tamen, vide ſis, quaero, an non vnum eorum verum eſſe dicere habeas.*) *Quod autem dum eſt, ſic nullo modo, conſequenter dicere tecum audeo*, τὸ : mores *in* l. 1. D. de curat. furioſ. dand. *ſignificare, et ſic conſtare ſatis tempore regio interdictam fuiſſe prodigis bonorum adminiſtrationem.*

Supereſt tertium *noſtrum, quo de quaerimus, caput : quomodo* PAVLLVS *in* l. 28. D. de probat. v. ἐν πλάτει enim poteſt hoc memoria non teneri, *et quae ſequuntur, intelligi debeat ? Sententia mea haec eſt:* ἐν πλάτει, *ex ſtilo veterum, idem hic ſignificare quod* non ad liquidum, *et ſic repetita altera negatione*, non, *affirmaſſe, quod voluit :* ad liquidum probari, quando ſit opus factum. *Probo meam ſententiam*, (1) *quod*, ἐν πλάτει, *ita veteres ſignificauerunt. Conf.* l. 3. D. de condict. tritic. l. 2. §. 8. D. de aqu. et aqu. pluu. arc. (2) *Sed et ſaepius ſtilo vſi fuerunt, quo Graeca cum Latina loquutione confuderunt.* (3) *Quod duae negatiuae, ex iuris noſtri grammatica affirmant.* (4) *Quod* PAVLLVS *affirmare voluit, id* (5) *ita nunc negatione duplici faciat :* ἐν πλάτει (*NB. non* ad liquidum) enim poteſt hoc memoria *NB. non* teneri ? *cet. Quod vero tu meam explicationem non admittere poſſis, mouet te*, (1) quod neſcias, quo tunc verba antecedentia referas, ſi, ἐν πλάτει pertineat ad comma ſequens ? *ſupra* pag. 72. *Referantur ad ea, quibus proxime cohaerent, hoc modo :* immo cum in arbitrio quaeritur, memoria facti operis, exſtet nec ne, non hoc quaeritur, num aliquis meminerit, quo die aut quo conſule factum ſit, ſed num hoc aliquo modo probari poſſit, quando hoc opus factum ſit. Et hoc ita, quod Graeci dicere ſolent. Ἐν πλάτει enim poteſt hoc memoria non teneri, intra annum puta factum ? *cet. Dicit* PAVLLVS, *debere inſpici, num aliquo modo probari poſſit*, quando *id opus factum, h. e.* quo anno. *Pergit, et ita hoc Graecos dixiſſe. Suam Graecorumque ſententiam probat, interrogando, et quia Graecos anteſtatur, hinc Graeca voce incipit :* ἐν πλάτει (*NB. non ad liquidum*) enim poteſt hoc memoria *NB. non* teneri, intra annum puta factum ? *Sed latius haec omnia probaui in* Griphorum magiſtro Paullo, iniuria vapulante, cap. 20. *Si autem mauis, verba illa* (*et hoc quod Graeci ita dicere ſolent*) *parentheſi committas, atque iterum recte cohaerebunt. Et duplici negatione affirmabit* PAVLLVS, hoc modo, ſi annus dicatur, probari ad liquidum, quando opus ſit factum. *Quod vero* (2) negas illi ἐν πλάτει proprie aliquam negationem ineſſe, niſi dicamus etiam in Latino, *late*, negationem latitare, quia idem ſit,

ac *non ſtricte ; ita vero ego, ἐν πλάτει negationem ineſſe ideo affirmauerim, quia et verbo illi Latino :* late, *negationem latitare dicere debemus, non quidem huic* verbo, *vt* verbo : late, *ſed vi ſua et ſenſu, quo idem eſt, te fatente, ac NB.* non ſtricte. *Dum* PAVLLVS, *de cuius mente diſputamus, ἐν πλάτει quod habet in* h. l. *noſtra*, ad liquidum, *in quaeſtione, qua de hic agit, opponit in* l. 2. §. 8. D. de aqu. et aqu. pluu. arc. *vtique, ἐν πλάτει, NB.* non ad liquidum, *ſignificare debebit. Vt ſic, quod* (3) *tu mihi opponis, ἐν πλάτει, proprie idem ſignificet, quod* non ad liquidum, non tam ſtricte, *atque, ἐν πλάτει* aliquid memoria tenere, *vere exprimit Germanicam phraſin*, ſich einer ſache nicht eigentlich weitlâeuftig erinneren, *vel vt patrio meo ſermone exprimunt*, niet ter deeg, niet eigentlyk. *Ex quo*, (4) *etiam, ita tua ceſſante obiectione, ſequitur, vt retenta lectione vulgari, nullus exſculpi poſſit ſenſus alius, quam :* non *ad liquidum* non, *ſiue* ad liquidum, *hoc ſcire poſſe, inter annum aliquid, factum eſſe, quod prorſus* PAVLLI *ſcopo conuenit. Nemo autem, collatis ante dictis, dubitauerit amplius, ita dixiſſe* PAVLLVM, *qui memor ſimul, griphorum illum magiſtrum luſitare ita et alias, pro more ſuo ſolere. Vt ita meae explicationi obſtat nihil, ita vero tuae aduerſantur multa.* Ex regula geminationis et vna mutata littera, textum ita (*ais*,) integritati ſuae reſtituo. Et hoc ita, quod Graeci dicere ſolent, ἐν πλάτει. Ἐν πλάτει enim poteſt hoc memoria contineri. *Scio, vir clariſſime, per ἀναδίπλωσιν nos debere ſaepius legere, atque textus ita plures, vt puto, integritati reſtitui. Vide* Obſeruationes noſtras legum Iuſtinianearum in foro adhuc hodie obtinentium, cap. 31. *Sed* (1) *hoc non tam crebro quidem quoad integra, tam magna verba, quam quidem, quoad litteras ſyllabaſque, admiſerim. Neque* (2) *vnam tantum litteram, quod ais, mutas, ſed duas.* (3) *Sed et duo ſeparata verba in vnum contrahis. N in C, E. in I. mutas; loco* Non tEneri, *ſubſtituis* ContIneri. (4) *Si etiam phraſis*, memoria continere, *Latina ſit, non credo tamen*, PAVLLVM *breuitatis ſtudioſum, eam breuiori alteri :* memoria teneri, *praetuliſſe.* (5) *Contra*, hac, *in eadem hac noſtra quaeſtione eum fuiſſe vſum, video in* d. l. 2. §. 8. D. de aqu. et aqu. pluu. arc. *(6) Plane tuae explicationi obeſt, vir clariſſime, quod ille qui annum in numerato dicit, v. g. vt habes* vigeſimum *vel* trigeſimum, *dici non poſſit, annum hunc*, cum quadam latitudine, *dicere. Ceu* PAVLLVS *aperte, tu etiam*, v. ἐν πλάτει, *ad annum certum refert. Verum eſt, quod in praecedenti commate, de incerto tempore et cum latitudine hactenus* PAVLLVS *agit, dum dicit neceſſe non eſſe, vt ipſum diem et conſulem dicant, ſed NB. hoc ibi dicit de ipſo* opere facto, *hic vero : ἐν πλάτει, ad* ipſum annum *refert. Verba tua, ſed et* PAVLLI,

 ſcripta

cripta ſunt clara, quae in hoc noſtro verſiculo, annum certum, veluti; vigeſimum ſextum,* *memorant. Sed qui annum in numero v. g.* vigeſimum ſextum *dicit, ille* annum, ad liquidum *dicit. Quomodo ille, qui annum* certum, *veluti* vigeſimum ſextum *dicit, annum* incertum, *vel annum* non ſtricte, *dixiſſe, dici poteſt? Annum ille dicit:* εν πλατει non, *ſiue* non ad liquidum non, *h. e.* ad liquidum. *Argumentum vir clariſſime ad liquidum faciens contra tuam ſententiam."* *Et pro mea adhuc faciens, praeter ea, quae ſupra vidimus.* (7) *Sed quare vis textum mutare, vbi non opus eſt. Atqui, explicationi meae, ſalua ſeruata lectione, vidimus, nihil obeſt. Aut ſi adhuc putas,* v. εν πλατει, *nullam* negationem *ineſſe, (ineſt autem re vera, ex* PAVLLI *mente profecto,) citra attamen tuam correctionem, idem ſenſus, quem tu vis, aderit, ſi interrogandi ſignum, poſt verbum:* factum, *ponas?* cum in arbitrio quaeritur memoria facti operis exſtet nec ne; non hoc quaeritur, num aliquis meminerit, quo die aut quo conſule factum ſit, ſed num hoc aliquo modo probari poſſit, quando id opus factum ſit. Et hoc ita quod Graeci dicere ſolent. (*H. e. Graeci idem putauerunt.* Εν πλατει (late) enim, poteſt hoc memoria non teneri, intra annum, puta, factum? cum interim nemo ſit, qui meminerit, quo die aut quo conſule factum ſit. *Nihil ita nos corrigere, vides. Per interrogationes, ita noſtros probaſſe, nouiſti etiam. Senſus autem ſic idem erit, quem tu vis. Sed quare ergo mutabimus textum. Aut ſi omnino,* εν πλατει, *repetere vis, certe, opus non tamen erit, modo hoc interrogandi adhibito, altera mutatione, loco:* non teneri, contineri. *Sed, nec* εν πλατει *repetitio ita neceſſaria eſt, vidimus. Plane, vir celeberrime,* ſi omnis ea correctio bona eſt, qua lex corrigitur, vt intelligi ea poſſit, *facilis tum cuilibet interpretandi ars patebit: quaeſo vnam mihi tunc legem dixeris, quam non corrigere potero, vt intelligi etiam a tardiſſimo poſſit. Sed piget,* v. εν πλατει, *non* εν πλατει, *magis proſequi.*

Quod vero Themis me reſalutat, eſt quod exſultet animus. Quod optet tecum, ne quid in poſterum meis luminibus officiat, *id recte audiuiſti, dum vult, vt tecum diſputem. Quod* etiam rogas atque etiam, ne aegre ego feram; meam vna cum tua eſſe recuſam epiſtolam, *miror! Qui enim poſſem, qui id ego auderem aegre ferre? Atqui, Themis eſt! Non me aegre id tuliſſe, hinc ſcias; quod eodem ego tempore, vbi tuas litteras contrectabam dextra, accepi illas ita, vt medius neſcio inter quot negotia eram, miſſis omnibus iis, ſine mora et legi eas, et ſimul, quaſi, tanta me earum oblectatio capiebat, qui exſpectare non diutius poteram, ad eas reſpondi ſtatim. Si quid et tibi noui naſcatur, nec eo meas carere Muſas*

pati-

pati velis, *itidem contendo*; *reddas illud mihi cum foenore*, *malim vnciario* amplius. *Vale. IIII.* Decembris, cIↄ Iↄ CCXXIIII.

E. A. Pagenstecher.

P. S.

Vt ſententiis meis magis adhaeream, *argumenta faciunt*, *quae pro eis in* Lipſienſibus eruditorum actis, menſe Ian. cIↄ Iↄ CCXXVI. *fecerunt cenſores. Quibus vero vel eo magis acquieſco*, *quod cenſores laudatiſſimi*, *mea nondum*, *ſuſpicor*, *ceu vix poteſt eſſe*, *lecta*, *qua tibi reſpondi*, *epiſtola*, *eorum*, *quae ibi adduxeram*, *argumentum vnum pro mea ſententia attulerunt. Sed et eo adhuc dominis cenſoribus fidem faciam*, *dum ibidem illos*, *id quod ego in* Paullo iniuria vapulante, cap. 20. *interim ante tentaueram*, *in* lege, *qua de agitur*, 28. D. de probat. *loco*: cum, tum *emendare videam. Non inſpecto etiam*, *ab iis*, *credo*, Paullo *noſtro*.

ACTA ERVDITORVM LIPSIENSIA

MENS. IAN. cIↄ Iↄ CCXXVI.

D*E* l. 1. D. de curat. furioſ. *mentem ſuam ita proponit Pagenſtecherus*, *pro* moribus *ſubſtituere quoſdam* minoribus. *Sed fieri id ait temere. Cuiacium recte retinere*, moribus: *id vero de moribus et conſuetudine ſub regibus adhuc et ante leges* 12. *tabularum introducta*, *perperam intelligere. De illa enim conſuetudine tam antiqua nihil nobis conſtare*, *et aliunde eam*, *niſi ex hac ſola lege Vlpiani*, *non poſſe probari. Adhuc autem ſub iudice eſſe quaeſtionem*, *an textum hunc ita exponendum crediderit Vlpianus. Sibi certe videri*, *ICtum non omnino loqui de aliqua conſuetudine*, *ſed de moribus prodigorum*, *quibus introducta ſit interdictio adminiſtrationis bonorum ſuorum. Sic enim loqui Paullum* Sentent. libr. 3. tit. 4. §. 1. quando bona paterna auitaque nequitia tua diſperdis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico, *i. e. propter mores tuos prauos. Eoſdem hos mores minime ſanos deſcribere Vlpianum, quod* talis homo neque tempus neque finem expenſarum habeat, ſed bona ſua dilacerando et diſſipando profundat. *Neque obſtare ſequentia*: ſed ſolent hodie. *Haec enim opponi non moribus iſtis peſſimis*, *ſed verbis*: lege 12. tabularum, *et*, ab initio, *quae coincidant. Vt ſenſus ſit*: *ab initio quidem lege* 12. *tabularum prodigo interdicebatur adminiſtratio propter mores eius. Si vero hodie inueniatur talis prodigus*, *non tantum ipſius bonis interdicitur*, *vt olim*, *ſed et curator ipſi datur. Simili modo malis moribus Macedo-*

nis introductum eſſe SC. Macedonianum, l. 1. pr. D. de SC. Maced. *Aut dici etiam poſſe, per* mores *hic intellexiſſe ipſum naturale ius. Sic enim* §. penult. Inſt. de Attil. tutor. *ipſe imperator, naturali iuri conueniens eſſe, vt ſub poteſtate aliorum ſit, qui ipſe ſe tueri nequeat. Sic ius patriae poteſtatis moribus dicitur receptum* l. 8. D. de his, qui ſui vel al. iur. *i. e. iure naturae et gentium. Ab initio igitur, iure naturali talibus prodigis ſuccurritur*, §. 11. Inſt. de rer. diuiſ. *Quamquam enim caueatur id ex lege* 12. *tabularum, tamen recte dicitur et iure gentium, id eſt, iure naturali, id effici*, §. 41. Inſt. eod. *Hic Heineccius, vt defendat Cuiacianam expoſitionem, dicit, Vlpianum hac* lege prima interdictionem bonorum manifeſto arceſſere a 12. *tabulis, et* tit. 12. §. 2. *Sed et* l. 18. pr. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. 5. §. 1. D. de acquir. vel omitt. hered. *Gaium etiam* l. 13. D. de curat. furioſ. *atque Iuſtinianum* §. 3. Inſt. de curat. *Addere autem Vlpianum, eamdem interdictionem* moribus quidem ab initio *introductam eſſe; eos ergo non poſſe eſſe poſteriores* 12. *tabulis, ſed vtique anteriores, i. e. iam ſub regibus inualuiſſe, et poſtea migraſſe in* 12. *tabulas. Locutio enim iſta perpetuo ſignificat ius conſuetudine et moribus vtentium; vel tacitis populi ſuffragiis receptum, vt diſtinguatur ab iis, quae aliunde ex Graecia adſcita ſunt. Sic Paullus* libr. III. Sentent. tit. 4. §. 7. moribus per praetorem bonis interdicitur. *Iulianus* l. 32. §. 1. D. de legibb. *De his ergo tenendam regulam* ἑρμηνευτικὴν: *quoties ea, quae in* 12. *tabulis locum inuenerunt, tribuuntur moribus, toties per* mores *leges regiae vel conſuetudines iam ſub regibus receptae intelliguntur. Ita enim Dionyſius Halicarnaſſ.* libr. II. in 12. *tabulis propoſitos eſſe omnes mores patrios et leges*, πάντας τοὺς πατρικοὺς ἐθισμούς τε καὶ νόμους, *et* libr. X. *decemuiros promulgaſſe leges compilatas ex iure Graecorum, ſuiſque moribus non ſcriptis*, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν. *Ita Pomponius* l. 2. §. 23. de orig. iur. *ius vetus, quod legibus regiis et moribus patriis iam erat inuectum, tranſlatum eſſe in* 12. *tabulas. Ita ius patriae poteſtatis moribus receptum*, l. 8. D. de his, qui ſui vel al. iur. *et tamen inter leges* 12. *tabularum locum habuit: et lex regia patri dedit hanc poteſtatem, Papinianus* l. 10. D. de iur. codicill. *Et fluit tamen ex lege illa decemuirali tabulae quintae; quia ex legibus regiis vel conſuetudine ſub regibus iam ante erat receptum. Adſtructa theſi ſua reſpondet Heineccius dubiis, contra Cuiacium allatis. Ad probandam hanc conſuetudinem ſufficere vel unici Vlpiani teſtimonium: multa enim in iure aeque ac hiſtoriis eſſe* ἅπαξ λεγόμενα. *Tum vero tempore Vlpiani extitiſſe etiam adhuc ius Papirianum, et allegare Paullum, aequalem Vlpiani, Granii Flacci librum de iure illo Papiriano*, l. 144. D. de verbor. ſignif.

gniſ. *Quid igitur regum temporibus obtinuerit, facilius inde diſci potuiſſe, quam hodie. Nunc etiam ad coniecturas Pagenſtecheri reſpondetur. Ingenium quidem ſapere eam, quae τὸ moribus intelligit de moribus ipſorum prodigorum, ſed ſolidam non videri. In arte iuris numquam id, quod moribus et conſuetudine introductum eſt, notare* propter mores: *quod per inductionem* 13. *textuum illuſtratur. Vtique dixiſſe Paullum, ob mores prodigi bonis interdici. De eo enim non eſſe quaeſtionem, ſed, an eum ſenſum admittant verba Vlpiani ſecundum artem iuris? In* l. 1. pr. D. de SC. Maced. *non dici, SC. Macedonianum moribus introductum, ſed Macedonem malis moribus materiam peccandi ſaepe praeſtitiſſe. Conditum ergo id fuiſſe ob peruerſos mores filiorum familias, non autem moribus introductum, ſtilo artis. Vlpianum porro non potuiſſe duas propoſitiones eiusdem ſenſus per aduerſatiuam* ſed *inepte iungere. Sed mentem illius hanc eſſe: lege* 12. *tabularum prodigo interdicitur bonis*, ſicut furioſo, *et ipſo iure excidunt adminiſtratione. Atque hoc iam ante* 12. *tabulas quidem moribus patriis ſub ipſis regibus, ab initio receptum erat. Sed et iisdem moribus mutatum eſt. Solent enim hodie prodigi non amplius ipſa lege adminiſtratione priuari, ſed curatorem*, exemplo furioſi, *a praetore vel praeſide accipere. Et hanc curationem prodigorum perinde, ac interdictionem bonorum, ex lege* 12. *tabularum eſſe, probaſſe verbis legitimis veterum, ac eamdem legem reſtituere Iacobum Gothofredum* tab. V. pag. 97. *probationum. Sed nec per mores ius naturae poſſe intelligi. Nam* in l. 8. D. de his, qui ſui vel al. iur. *non dici, ius patriae poteſtatis, quale apud Romanos, ex iure naturae eſſe. Conueniens eſſe iuri naturali, vt ſub poteſtate aliorum ſint, qui ſe tueri ipſi nequeunt, §.* penult. Inſt. de Attil. tut. *Sed prodigi poſſent, ſi vellent. Itaque bono magis agnatorum, inuectam iſtorum curationem. Dominis liberam adminiſtrationem concedere ius naturae, ius ciuile vero excipere prodigos, ne quis re ſua male vtatur*, §. 2. Inſt. de his, qui ſui vel al. iur. *Si quid hic addendum eſt, Iacobus Gothofredus non habuit veſtigium prodigi in ipſis legibus* 12. *tabularum, ſicut furioſi veſtigia reperit apud veteres, inprimis Feſtum*, v. nec. Sei furioſus exiſtit, aſt ei cuſtos nec eſit, *et Ciceronem. Neque Paullus* libr. 3. tit. 4. §. 7. *loquitur de* 12. *tabulis, ſed de moribus per praetorem. Lex enim non omnibus proſpexerat. Imo nec poterat omnibus ex lege curator dari, Vlpianus* tit. 12. *§.* 3. *Idem* d. l. 18. pr. *et* l. 5. *§.* 1. *meminit tantum eius, cui bonis interdictum eſt. Tum vero in* l. 1. D. de curat. furioſ. *extendit lex* 12. *tabb. de furioſo ad prodigum*, exemplo furioſi, πρὸς μίμησιν τȣ̃ μαινομένȣ, l. 6. D. de verbor. oblig. *Ita factum, vt ſubinde coniungerentur*, l. 13. d. t. *et*

l. 1.

l. 1. C. eod. §. 3. Inſt. de curat. *per analogiam iuris.* *In* l. 28. D. de probat. *non ſunt aeque copioſae hae litterae amoebaeae. Nam Pagenſtecherus reprehendit diuerſas emendationes a Roberto et Revardo tentatas, quibus opus non ſit, ſi ἐν πλάτει referamus ad comma ſequens:* ἐν πλάτει *(i. e. non ad liquidum)* enim poteſt hoc memoria non teneri*: ex duplici autem negatiua fieri affirmatiuam hanc*: poteſt hoc memoria teneri. *Ingenioſe iterum, ait Heineccius. 'Quaerit autem, quis tunc erit ſenſus verborum anteriorum:* num hoc aliquo modo probari poſſit, quando id opus factum ſit, et hoc ita, quod Graeci dicere ſolent. *Nullus vtique. Imo in Graeco*, ἐν πλάτει, *nullam proprie ineſſe negationem. Retenta igitur lectione vulgari non alium exſculpi poſſe ſenſum, quam hunc:* late hoc ſciri non poſſe, intra annum aliquid factum eſſe. *Id vero prorſus aduerſari ſcopo Paulli. Quaeri, num memoria operis facti aliquo modo probari poſſit, aut, quando id factum ſit? Non ergo quaeri, num aliquis meminerit, quo die aut conſule factum ſit. Sufficit enim, id aliquo modo tantum probari. Et hoc illud eſt, quod Graeci dicere ſolent* ἐν πλάτει. *Verſamur enim in antiquis. Euitare autem cupiens Heineccius,* τὸ enim *pro* nam, *repetit per geminationem de nouo*: ἐν πλάτει enim poteſt hoc memoria teneri, *puta*, intra annum aliquid factum eſſe. *Petrus Colulus, IC. in Adnot. ad Apuleii* libr. 4. Metamorph. pag. 59. *recte putabat, Paullum loqui cum priſcis, vt* enim *inchoet orationem, ſicut* enimuero. *Sed nobis magis adhuc iſtud placuit, quod noſter qualemcumque annum* trigeſimum, quadrageſimum, *adiecit. Omnino enim tale quid expectabamus, nec dubitamus, excidiſſe in textu ſignum alicuius numeri, inſtar ſigli: quod ſi ſuppleas, aperta ſunt omnia*: intra annum puta 40. vel 50. *etſi interim nemo ſit, qui meminerit, quibus conſulibus id viderit. Leuior eſt animaduerſio, an* contineri *ſcribendum pro* teneri. *Addemus potius vltima verba*: ſed cum (*quando*) *omnium haec eſt opinio, nec audiſſe, cum id opus fieret, neque ex eis audiſſe, qui vidiſſent, aut audiſſent, et hoc infinite ſimiliter ſurſum verſum accidat, tum* (*pro* tunc) *memoriam operis facti non exſtare. Sufficit autem, ſi quis ſciat, factum h. e. ſi factum eſſe non ambigatur: nec vtique neceſſe eſt ſupereſſe, qui meminerint. Verum etiam, ſi qui audierint eos, qui memoria tenuerint. Haec omnia recitat Paullus de Labeone ipſo* l. 2. §. 8. D. de aqu. et aqu. pluu. arc. *neque alter alterius epitomator hic vel ſcholiaſtes fuiſſe videtur, aut cenſor.*

* * * * * * * * * * *

III.

IACOBI CVIACII,

ICTI SVMMI,

OPERA OMNIA,

IN DECEM TOMOS DISTRIBVTA,
QVIBVS CONTINENTVR
TAM *PRIORA*, SIVE QVAE IPSE SVPERSTES EDI
CVRAVIT;
QVAM *POSTERIORA*, SIVE QVAE POST OBITVM EIVS
EDITA SVNT,
VEL NVNC PRIMVM PRODEVNT.
OPERA ET CVRA
CAROL. ANNIBAL. FABROTI, I. C.
EDITIO NOVA
CETERIS OMNIBVS, QVAE ANTE PRODIERVNT,
EMENDATIOR, ET ADSCRIPTIS LEGVM NVMERIS,
ALIORVMVE AVCTORVM SVPPLETIS TESTIMONIIS
AVCTIOR.
PRAEFATIONEM PRAEMISIT
IO. GOTTLIEB HEINECCIVS,
IC. ET ANTECESSOR.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIVS, IC.

QValis quantuſque fuerit IACOBVS CVIACIVS, quanta viri iſtius incomparabilis exſtent in iuris prudentiam merita, quot denique exaſciatiſſimis operibus ciuilem illam ſapientiam illuſtrarit locupletaritque, id ne illi quidem ignorare ſolent, qui aliis minorum gentium auctoribus, tamquam glebae, adſcripti, vel negotioſo vitae genere auocati, praeclara diuini iſtius ingenii monimenta ne a limine quidem vmquam ſalutarunt. Contigerat illi iam tum, quum praecipuas Galliae academias, et Bituriges inprimis, doctrinis ſuis illuſtraret, vt non modo incredibilis adoleſcentum optimorum concurſus ad eum fieret, ex eiuſque ſchola, tamquam ex equo Troiano, magnus quotannis praeſtantiſſimorum ICtorum numerus exiret, verum etiam eius ſcripta in foro, vbi alioquin purior iſta atque elegantior, quam profitebatur, iuris prudentia minore in pretio habetur, frequentiſſimo vſu tererentur, tantamque conſequerentur auctoritatem, vt quum alii peculiari quiſque nomine ſuo citarentur, iſte per excellentiam, teſte Thuano, *iure conſultus* adpellaretur. Id quod tanto videtur admirabilius, quanto minus eius famae ſubſeruiret vel eorum temporum conditio, vel oris ac orationis ſuauitas. Primum enim in illa tempora inciderat, quibus vt quiſque magis delectaretur illa Bartoliſtarum illuuie, ita iureconſultus videbatur praeſtantiſſimus, adeo vt Tholoſates Cuiacii, ciuis ſui, rationem nullam haberent, eique in honorum contentione praeferrent Forcatulum, homini ſimiam, non aliam ob cauſſam, quam quod illum ſola caeleſtis ingenii ope, nec vllis praeterea magiſtris adiutum, intima iuris antiquitatiſque penetralia aperire, atque ab illitteratiſſimis iſtis gloſſatorum litteris alieno animo eſſe animaduerterent. Deinde non erat Cuiacius ex eorum doctorum genere, quos eloquentiae flumen ac diſſerendi facilitas imperitis rerum adoleſcentibus commendat, quibuſque indocta turba tamquam luctatoribus adclamat: *χαῖρε παράδοξε, νίκας νικήσεις ἀπ' αἰῶνος, θαυμάσιε νικᾷς*: ſed voce vtebatur parum ſonora, et

 parum

parum explicata, in dictando varius et paullo perturbatior, oratione modo citata, modo remiſſa, nec raro interrupta, vt pronunciantem auditores neque ſtilo, neque auribus commode adſequerentur. Et tamen haec obſtacula perrupit feliciſſimum Cuiacii ingenium, ad eamque connixum eſt eruditionis laudem, vt, qui ſemel viam, qua itur ad iuris prudentiam, viderunt, eo ſe magis proficere ſentiant, quo ſibi magis placere intelligunt Cuiacium. Equidem ſi nihil orbi dediſſet, praeter PITHOEOS, CHESNAEOS, FABROS, MARANOS, et, qui primo loco ponendus erat, IOSEPHVM IVSTVM SCALIGERVM: vel in his profecto ſolis, eorumque ſcriptis, viueret ac ſpiraret Cuiacius. Sed praeterea et ipſe operibus relictis quampluribus ſibi exegit monimentum aere perennius, et quod nec inuidia vmquam abolebit, nec vlla oblitterabit vetuſtas. Plura enim ſcripſit, quam multi legant, et tot quidem volumina non rebus protritis et aliunde corraſis, ſed plane egregiis et vulgo incognitis impleuit. Primus fere omnes iuris ciuilis partes commentariis eruditiſſimis illuſtrauit: primus VLPIANI, PAVLLI, *aliorumque veterum iureconſultorum fragmenta* ab interitu atque obliuione vindicauit: primus, quantum e Graecorum interpretum libris, et comparatione fragmentorum vnius iureconſulti, luminis accedere poſſit iuris prudentiae, poſteros docuit. Vt compendii faciamus orationem, non opera dedit Cuiacius, ſed bibliothecam inſtructiſſimam, omni iſti gregariorum turmae, quae iureconſultorum pluteos onerare ſolet, in tantum praeferendam, in quantum tenebrae luci, et humanitati poſthabenda videtur barbaries. Sed quamuis haec omnes, quibus aliquid mentis ineſt, vera eſſe agnoſcant: non tamen omnibus facile hanc licet Corinthum adire, quamuis ſaepiſſime Cuiacii opera Galliae Germaniaeque praela exercuerint. Prima, quae viuo adhuc auctore prodiit, editio eſt Pariſina anni 1584. quae non niſi quatuor voluminibus conſtat, et ea tantum, quae *ad Inſtitutiones*, VLPIANI *et* PAVLLI *fragmenta*, *et ſelectiores Pandectarum titulos*, *Nouellas*, et *ius feudale* ſcripſit, nec non *Paratitla Digeſtorum* et *Codicis*, *Africanum*, *Conſultationes*, et *Obſeruationum* libros vere aureos complectitur. Ea editio deinde ſaepius repetita, veluti Lugduni anno 1606. Coloniae Allobrogum anno 1609. et Francofurti 1623. quamuis interea alia eius opera poſtuma, puta *Recitationes in Digeſtorum praecipuos titulos* Francofurti anno 1596. eiuſdem *Papinianus* ibidem 1595. *Iulius Paullus* 1616. ac denique opus Παρεγκλειτμένων 1598. in forma, quam vulgo *quartam* adpellitant, prodierint. Haec omnia vna cum aliis quibuſdam in vnum corpus coaluerunt, recuſaque ſunt Pariſiis anno 1617. *tomis ſex*, eaque editio

editio diu habita fuit praeſtantiſſima, donec eius luminibus officeret abſolutiſſima illa Caroli Annibalis Fabroti, Pariſiis anno 1658. *tomis decem* maioris ſtaturae excuſa, in qua ſummo ſtudio conquiſita, recognita, et publicae luci reddita videmus, quaecumque vmquam enixum eſt capaciſſimum atque incomparabile Cuiacii ingenium. Splendidae huic operum Cuiacianorum editioni dici non poteſt, quantum pretii ſtatuerint, quicumque Fabrotum nouerant, et, quam ſolus ille dignus Cuiacianis editor eſſe potuerit, expenderant paullo adcuratius. Non ſane eſt cuiuſuis, obſtetricari ſcriptis Cuiacii, quae tot recondita, ac ex vltima antiquitate depromta continent, vt non poſſint non monſtra dare pro Cuiacianis, qui praeter tritos iureconſultorum minorum gentium libellos nihil viderunt. Cuiacium neminem mirari, niſi qui capit, acute, vt ſolet, ait Iuſtus Lipſius. Capiunt autem eum pauciores, quam reprehendunt, exagitant, ac paene rident. Nemo autem rectius cepiſſe videtur Carolo Annib. Fabroto, qui quum in Graecorum interpretum lectione et omni elegantiore litteratura eſſet verſatiſſimus, iiſdem, quibus Cuiacius, inſtructus praeſidiis ad eius operum editionem ſeſe accinxit, nihilque fecit reliqui, vt quemadmodum Cuiacius iuris prudentiam nobis pro latericia marmoream effeciſſet, ita ipſe auream eius operum editionem pro marmorea relinqueret. Enimuero iam pridem bibliothecae celebriores publicae ac priuatae ſuam iſtam editionem fecerunt, et, ſi quod forte in diſtrahendis bibliothecis exemplum ſupereſt, id tanto, ac, prope dixerim, tam immenſo pretio venire ſolet, vt emtores mediocris fortunae facile deterreat. Quae quum ita ſint, iam pridem eam editionem repetitam oportuiſſet, niſi ſumtuum magnitudo id conſilium reddidiſſet difficilius. Quemadmodum autem eo nunc viuimus ſaeculo, quo Belgium noſtrum opera omnibus venturis ſaeculis admirationi futura, veluti *antiquitatum Romanarum Graecarum*que et *iuris ciuilis theſauros*, Gruterianam marmorum collectionem, *theſaurum antiquitatum Italiae*, et plura huius generis rei publicae litterariae ſumtibus immenſis reſtituit: ita vir integerrimus, et ſeruandis iuris prudentiae theſauris natus, Ioannes van der Linden, iunior, cui et theſaurum iuris ciuilis, aliaque ad artem noſtram pertinentia accepta ferimus, conſilium cepit pulcherrinium, recudendi Cviacii *Opera*, qualia a Fabroto *Pariſiis* 1658. *tomis decem* excuſa diximus, ſed caſtigatiora, et additis legum numeris, ſuppletiſque auctorum teſtimoniis aucta; dummodo tantus ſubſcribentium futurus ſit numerus, vnde ipſi ſpes aliqua indemnitatis adfulgere poſſit. - - - Bibliopolam nihil admodum lucri captare, ſi calculum poſueris,

ſueris, facile animaduertes. Inſigni tamen in lucro ponet, ſi ipſe id conſilium tibi probauerit, et te quoque conſultum velle rei publicae litterariae commodis, ex re ipſa intellexerit. Tu vero, lector, vale.

* * * * * * * * * * *

IIII.

PROGRAMMA

DE

VARIIS SATVRNINIS,

IVRECONSVLTIS.

INter alia, quae florentiore aetate ad illuſtrandam iuris prudentiam comparata meditatus ſum, locum profecto haud poſtremum ſibi vindicant, quae ad veterum ICtorum vitas ac ſcripta pertinent, quippe nec a BERNARDO RVTILIO, nec a IOANNE BERTRANDO, nec a GVILIELMO GROTIO, nec ab vllo alio ita exhauſta, vt non illorum meſſi permagnum ſpicilegium accedere poſſe videretur. Quum itaque et aliis occaſionibus quaedam earum meditationum ἀποσπασμάτια dederim: iam quoque ſeruabo inſtitutum, et obſeruationes quaſdam de VENVLEIO SATVRNINO, ICto eximio, communicabo. De eo enim tam incerta omnia ſunt atque ambigua, vt nec aetatem eius, nec nomen, nec libros quos ſcripſit, quiſquam ea, qua par eſt, ἀκριβείᾳ prodiderit. Fraudi fuit viro, ſua aetate procul dubio celeberrimo, quod plures eiuſdem ordinis ac profeſſionis SATVRNINI in vaſto Pandectarum opere laudantur. Primo enim VLPIANVS *L.* 13. *§.* 5. *D. de iure iur.* et *L.* 19. *§.* 7. *D. de aur. arg. leg.* meminit QVINTI SATVRNINI, eiuſque *librum decimum ad edictum* citat, quales libros Venuleium noſtrum ſcripſiſſe, nemo veterum memoriae prodidit. Deinde celebratur CLAVDIVS SATVRNINVS, e cuius libro *de poenis paganorum* fragmentum bene longum ſupereſt *L.* 16. *D. de poen.* et elegantiſſimum illud quidem, et

Graecae

Graecae litteraturae floſculis paſſim diſtinctum. Denique et VENVLEII SATVRNINI ſcriptis nihil eſt celebrius, ex quibus loca ſupra ſeptuaginta fato eripuit Tribonianus. Hos tres cum cura diſtinguit GVILIELMVS GROTIVS in *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 2. Sed qui tam malam gratiam eo ipſo iniit a viris doctiſſimis, EV. OTTONE in *Praefat. Tom. I. Theſaur. iur. ciuil.* et ABR. WIELINGIO in *Iuris prudent. reſtit. Tom. I. pag.* 93. vt ei dicam eo nomine ſcribere non dubitent. His ergo duo tantum ſunt ICti veteres, Saturninorum cognomine celebres, CLAVDIVS et VENVLEIVS, quorum huic et QVINTI praenomen tribuunt. At hos duo quoque confundunt Io. BERTRANDVS *de iuris perit. Lib. I. cap.* 21. et EM. MERILLIVS *Obſeruat. Lib. VIII. cap.* 1. quin ante hos ANTON. AVGVSTINVS *de nominib. propr. Pandectar. pag.* 196. vbi ICtum noſtrum pleno nomine Q. CLAVDIVM VENVLEIVM SATVRNINVM vocatum cenſet, et ipſe *indicis Florentini auctor*, qui Claudii Saturnini librum *de poenis paganorum* Venuleio noſtro diſerte adſcribit. Ita iam vnus vir prodit, ex tribus illis conflatus, naſciturque, vti apud OVIDIVM *Heroid. Epiſt. VIIII. v.* 91.

Prodigium triplex, armenti diues Iberi,
Geryones, quamuis in tribus vnus erat.

Et tamen certiſſimum eſt, tres illos omnino a ſe inuicem diſtinctos eſſe, quum nec eadem aetate vixerint, nec idem tulerint praenomen. CLAVDIO SATVRNINO reſcripſiſſe legimus diuum Pium in *L.* 4. *pr. D. de legation.* nec non in *L.* 1. §. 2. *D. quae res pignor. vel hypoth.* Eumdem Claudium ſub Marco et Lucio imperatoribus, vel, vti in iure noſtro vocantur, ſub diuis fratribus, praeturam geſſiſſe, inſignis illa quaeſtio forenſis in *L.* 6. *§.* 7. *D. mandat.* de Paullo Mario pro Daphnide fideiubente, quippe quae coram eo praetore diſceptata eſt, euincit. Floruiſſe itaque Claudium Saturninum oportet ſub diuo Pio et diuis fratribus, nec certum eſt, an Marci imperatoris tempora attigerit. MARCI vero praenomen illum habuiſſe colligimus ex marmore apud GRVTER. *Inſcript. pag.* 1150. *num.* 8.

M. CLAVDI. SATVRNINI
FECIT
CLAVDIA. TYCHE. PATRONO. BENEMERENTI.

At multum ab his temporibus remotus eſt VENVLEIVS SATVRNI-

NVS,

NVS, quippe quem non ſub Antoninis, (quem errorem ipſe erraui in *Element. ad ordin. Pandectar. Part. I. §. 83.*) ſed ſub Caracalla, immo et ſub Elagabalo et Alexandro vixiſſe conſtat, idque recte iam olim animaduertit GVIDO PANCIROLVS *Lection. variar. Lib. I. cap. 79. §. 3. pag. 1086.* [*Tom. II. Iuris prud. Roman. et Attic.*] Caracallam ſane aeque ac Alexandrum ei reſcripſiſſe, adparet ex *L. 1. C. quib. non obiic. long. temp. praeſcript.* et ex *L. 1. C. de excuſat. veteran.* Quumque priore loco VENVLEIVS, altero SATVRNINVS adpelletur; dubitari nequit, pleno nomine hunc vocatum VENVLEIVM SATVRNINVM, illumque adeo a Claudio Saturnino diuerſiſſimum eſſe. Idque et ex eo colligimus, quod, quum in titulo digeſtorum *de poenis* duae leges, ex Saturninorum libris depromtae, ἀμέσως coniungantur, puta quinta decima et decima ſexta: prior inſcribitur, VENVLEIVS SATVRNINVS *Libro I. de officio proconſulis*, poſterior, CLAVDIVS SATVRNINVS *libro ſingulari de poenis paganorum.* Non autem ſollemne eſt Triboniano ſociiſque, quando fragmenta ex vnius ICti libris decerpta accumulant, circa nomen auctoris variare, et e. gr. iam *Vlpianum*, mox *Domitium*; iam *Iulianum*, mox *Saluium* laudare: ſed, poſito ſemel nomine, inſequentibus legibus praeſcribere inſcriptionem: *idem.* Iam ſi verum eſt, M. Claudium Saturninum et Venuleium Saturninum ICtos diuerſiſſimos eſſe: non poteſt non ab vtroque differre Q. SATVRNINVS, quum nemo vmquam dubitauerit, quin nomina ſint vel maxime διακριτικά, adeoque Quintus, Marcus, et Venuleius Saturnini non magis poſſint pro vna perſona haberi, quam M. et Q. Tullii Cicerones. Et quis, quaeſo, vmquam audiuit legitue, vel Claudium vel Venuleium Saturninos *Commentarios ad edictum* ſcripſiſſe: quod de Q. Saturnino certiſſimum eſt?

In *Indice Florentino* laudantur VENVLEII SATVRNINI *ſtipulationum Libri XVIIII.* quamuis ex quinto, octauo, decimo, decimo quarto, decimo quinto, denique decimo octauo et vndeuiceſimo nulla fragmenta ſuperſint: *Actionum Libri X. de officio proconſulis libri X. Publicorum Libri III. de interdictis Libri VI.* Sed ſcripſiſſe eum praeterea oportet *libros Diſputationum*, ſaltim *ſeptem*, in *Indice* illo non memoratos, ſi recte ſe haberet inſcriptio *L. 18. D. iudicat. ſolu.* At genuinam illam eſſe, noſtrumque vmquam huius modi diſputationum libros ſcripſiſſe, negat IAC. LABITTVS in *Vſu indicis Pandectar. cap. 6. §. 5. pag. 118. edit. Wieling.* Nec veroſimilitudine deſtituta eſt ea coniectura, quum facilis ſit lapſus vel collectoris, vel librarii, *Diſputationum* libros fingentis pro libris *Stipulationum.* Multo minus probabile

babile eſt, Venuleium ſcripſiſſe *libros ad edictum*, ab VLPIANO *L.* 10. §. 7. *D. de aur. arg. legat.* laudatos. Fuit enim Venuleius Vlpiano συγχρονος, et in Alexandri imp. conſilio eiuſdem collega, ceu patet ex LAMPRID. *Alexandr. cap.* 68. nec facile quiſquam crediderit, Vlpianum collegae libros ſententiaſque perſtringere, ac veluti explodere voluiſſe, quod manifeſto tamen facit in *L.* 1. *D. de ſenator.* Ex quo colligo, quoties Vlpianus, Marcianus, et Modeſtinus SATVRNINO denunciant teſtimonium, quod hunc in *L.* 14. §. *vlt. D. de cuſtod. et exhibit. reor.* illum in *L.* 1. §. 2. *D. quae res pignor. vel hypothec. oblig.* et in *L.* 1. §. 4. *D. de obligat.* iſtum denique in *L.* 1. *D. de ſenator.* *L.* 13. §. 5. *D. de iureiur.* *L.* 6. §. 7. *D. mandat.* et in *L.* 1. *pr. D. de effractor. et expilator.* feciſſe animaduertimus, toties vel Quintum, vel Claudium Saturninum, numquam vero Venuleium noſtrum, eſſe intelligendum.

* * * * * * * * *

V.

AD
PERILLVSTREM IVVENEM
CAROLVM SIGFRIDVM
A PLESSE
EPISTOLA GRATVLATORIA.

SI meo res ageretur arbitrio, haberentque vota, quo caderent: iam tecum ipſe eſſem, perilluſtris iuuenis, te dulce decus meum, amplecterer, tuam illam praeclaram facundiam, quae ſe iam veluti in publico quodam theatro profert, coram mirarer, denique mixtus adplaudentium turbae, fructum auribus oculiſque caperem multo vberrimum. Sane iam vaſa conclamaueram, iam iter meditabar, geſtiebat-

que animus, et te exoſculari, et eximium iſtud Lipſiae tuae ornamentum, Io. Iac. Mascovivm, coram venerari, et ipſam almam phyluream, in qua ante hos triginta quinque annos prima honeſtioris doctrinae veluti rudimenta poſueram, cum incredibili voluptate, quam iam animo praecipere mihi videbar, aliquando reuiſere. Sed ita ſe habent res mortalium, vt multa praeter opinionem eueniant, et quam te felicitatem preſſis veluti manibus tenere putes, ea momento elabatur, et quanto maiore antea ſpe animum impleuerat, tanto triſtius atque acerbius ſui deſiderium relinquat. Id equidem mihi iam accidit, perilluſtris iuuenis. Dum enim diem, quo cathedram conſcendere decreueris, conſtitutum mihi iri ſpero, interea adpetit tempus, quo ſcholae apud nos inſtaurandae, nouaeque praelectiones hibernae auſpicandae ſunt, quo ita diſtringi ſolemus, quotquot Halae docendi munere fungimur, vt nulla nobis indulgeatur induciaria quies, ſed dies nocteſque propemodum de ornanda hac Sparta ſit cogitandum. Quod itaque vnum reſtabat ſpe illa deiecto ſolatium, vt publicis his litteris te abſentem compellarem: id mihi iam praetermittendum haud putaui. Vnde vero initium capiam, perilluſtris a Plesse, et quae verba ſatis idonea reperiam, ad incredibilem laetitiam, qua iam tui cauſſa perfundor, non dicam exprimendam, ſed quodammodo ſaltim ſignificandam? Equidem quum quarto abhinc anno in Viadrinam ad me audiendum profectus, non modo contubernio, ſed et conuictu meo vtereris: fieri non potuit, quin ſtatim exoſcularer ingenium rectum ac docile, animum virtutis ſtudioſiſſimum, mores denique ſub fauſtis illuſtriſſimi patris penetralibus ita formatos, vt nihil tibi, niſi quod cum vera laude coniunctum eſſet, expetendum exiſtimares. Hinc iam eo tempore te, tamquam Viadrinae decus, non ſolum amare, ſed et diligere, aliiſque tui ordinis adoleſcentibus, tamquam abſolutiſſimum aliquod eius virtutis, quae in illam aetatem cadit, exemplar proponere coepimus omnes, qui tum in academia illa regia docebamus. At ego potiſſimum, qui te potiore veluti iure poſſidebam, et cui intra Penates quotidiana erat in indolem iſtam tuam penitius introſpiciendi occaſio, non ſolum te incredibili amore complectebar, ſed et ſaepe augurabar, ac praedicebam multis, talem te futurum, qualem iam pridem cognitum iudicaram. Quamuis vero non adeo diuturna eſſet conſuetudo noſtra, et me Halam iuſſu potentiſſimi regis migrante, teque Lipſiam eodem tempore profecto, praeter ſpem atque exſpectationem diuelleremur: non tamen aliquid de ſpe, quam ſemel de te conceperam, deminutum eſt, maxime, quum et praeclara omnia de incredibili diligentia tua nunciaret

fama,

ſama, et te duce vti ſcirem amiciſſimo mihi Buchholſio, quem, qua religione munere ſuo fungitur, nihil reliqui facturum noueram, vt praeclarum illum, quem naturae tuae debes, ad quaeuis laudanda impetum nouis quotidie veluti igniculis inflammaret, et currenti, quod in prouerbio eſt, calcar adderet. Hoc vero augurium meum exitu iam quodammodo comprobante, non poſſum profecto, quin incredibilem capiam voluptatem, laetuſque laetitiis omnibus veluti triumphem. Solet patribus familias vix vllum eſſe ſpectaculum iucundius, quam ſi arbuſculam, ſua manu conſitam, primo flore conueſtiri videant, quamuis haec nondum fundat fructus, ſed eos ſola ſpe, ex ipſo laetiore flore concepta, tantum praecipiat. Et mihi perinde, qui olim in te formando aliquam operam conſumſi, nihil iucundius accidere poteſt, quam praeclarum iſtud ſtudiorum ſpecimen, quod edidiſti, ex quo tanta ad ſpem de te iam pridem conceptam acceſſio facta eſt, vt vel ex eo flore de fructuum futurorum praeſtantia augurer, et iam non ſperem, ſed confidam, te, vti adhuc alios tui ſimiles, ita in poſterum te ipſum ſuperaturum. Quare facere non poſſum, quin has ingenii ac diligentiae academicae primitias et inclytae patriae, et illuſtriſſimo parenti, et ſplendidiſſimae familiae; et denique tibi mihique ex animo gratuler. Patriae tuae, Daniae, niſi me non obſtrictiſſimum faterer, nae ego eſſem hominum ingratiſſimus. Sunt mihi ibi amici, quibus olim in hac academia familiariſſime vſus ſum; ſunt cum in illuſtriſſimo regii conſilii conſeſſu, tum extra illum patroni, qui mei cauſſa omnia volunt; quia, quod praefiſcini dixerim, ipſe rex potentiſſimus, quam inuſitata clementia in me hominem peregrinum feratur, ante hoc triennium argumento fere ſtupendo oſtendit, dum me lautiſſimis, et ſplendidioribus, quam vlli alii mei ordinis homini oblatas memini, conditionibus in regnum atque academiam ſuam euocarit. Et quamuis tum ita res diſponeret Deus O. M. vt fructum ex inuſitata illa regis incomparabilis clementia capere mihi non liceret: adeo tamen ex eo tempore animo meo inſedit Daniae amor, vt eam veluti alteram patriam habuerim, et ſaepe ibi habitarit animus, quo me corpore venire prohibuit vis illa fatorum, qua rerum humanarum ordo ſeritur. Quum vero patriam quiſque ſuam, ciuitatemque, in qua vel Penates ac domicilium conſtituit, vel maioribus auctus eſt beneficiis, quam feliciſſimam eſſe optet: non poſſum profecto, quin Daniam beatam praedicem, cuius futurae quoque felicitati tot erectiora ingenia, quae in ſpem poſteritatis quotidie adoleſcunt, praeludere veluti videntur. Non ſane tam opum ac potentiae magnitudo florentes ac beatas reddit res publicas, quam vi-

rorum regendi parendique arte bene atque adcurate inſtitutorum copia. Haec vera ſunt regum praeſidia, haec rerum publicarum columina, haec pignora felicitatis publicae, quibus ſublatis, non poteſt non rerum omnium conſequi perturbatio. Periiſſe Troiam aiunt, quum ea dii exceſſiſſent: at nos, qui Chriſtiana pietate imbuti ſumus, vanam illam fiduciam, a miſeris hominibus in ſimulacris ſenſu carentibus collocatam, merito iudicamus, et primum quidem Deum O. M. rerum publicarum praeſidem, ac felicitatis omnis ſtatorem; ab hoc proximos principes bonos et rei publicae amantes, denique iuxta hos maxime viros praeclaros, et cum regnatrice illa ſapientia, longoque rerum vſu, tum virtute ac pietate eximios rei publicae ornamento ac praeſidio eſſe, contendimus, atque ideo inde merito augurium capimus futurae felicitatis, ſi et horum ſuppetat copia, et in eorum locum adoleſcentes eminentioris fortunae atque indolis feliciter quotidie ſuccreſcant. Itaque iure meritoque Daniae tuae te, talem ciuem, gratulor, non modo in id omni ſtudio atque induſtria incumbentem, vt aliquando de tam inclyta patria, prout occaſio fuerit, bene mereri poſſis, ſed etiam praeſidia illa, quae ad beatitudinem rerum publicarum tuendam amplificandamque pertinere videntur, iam aliqua ex parte conſequutum. Quam incredibili porro laetitia nunc illuſtriſſimum patrem tuum perfundi credibile eſt, quum iam votis perfrui, et inſignis illius curae ac ſollicitudinis, qua egregiam filiorum trigam educauit, fructum capere coeperit? Nonne opinabile eſt, eum hac filii optimi virtute magnopere delectari, ſeque ſibi veluti *poſteritati intereſſe videri*? Quare et huic quippe de me optime merito, talem filium vehementer etiam atque etiam gratulor, Deumque veneror, vt faueat porro muneribus ſuis, tantoque bono et incrementa addat, et, quod vel maxime ad ſolidam felicitatem pertinet, perpetuitatem. Quid vero dicam de ſplendida familia tua? Eſt ea ex flore iſto delibato nobilitatis Germanicae, qui ſe longe lateque diffudit per Europam, viroſque protulit pace belloque magnos, et qui meritis in rem publicam immortalem ſibi gloriam apud poſteros pepererunt. Memoriae proditum eſt, Q. Maximum, P. Scipionem, et alios ciuitatis Romanae praeclaros viros ſolitos ita dicere, quum maiorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in ſe habere putabant, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequarit. Scio tibi, perilluſtris a Plesse, has maiorum imagines non minus ſaepe ſomnum excuſſiſſe, quam Themi-

ſtocli

ſtocli tropaea Miltiadis: neque dubito, quin identidem cogitaueris, non eſſe eam veram nobilitatem, quam quis á maioribus iure hereditario acceperit, ſed cui accedat maiorum exemplis excitata virtus, quaeque decus illud iiſdem artibus ac facinoribus, quibus primum partum eſt, tueatur. Et ſane quid reſpondebunt illi maioribus ſuis, qui nobilitatem ſuam opeſque, maiorum virtute partas, incitamento ſibi eſſe patiuntur ad luxum et inertiam? qui turpi otio tranſigunt vitam, veluti pecora, numerus tantum, et fruges conſumere nati? qui denique tantum ignominiae reddunt maioribus, quantum ab his dignitatis veluti per manus traditum acceperunt? Noluiſti autem tu, perilluſtris a Plesse, iis te ſimilem praeſtare, ſed maiorum tuorum, ac domeſtico maxime illuſtriſſimi patris et patrui tui exemplo excitatus, id egiſti omni animi contentione, vt per eorum veſtigia pleno gradu incederes, teque dignum tam ſplendida familia, dignum illis maioribus, quos iam pridem fama veluti conſecrauit, praeſtares. Quam ob rem vti mactum te hac virtute eſſe iubeo, perilluſtris iuuenis: ita et genti Pleſſiae hoc nouum decus etiam atque etiam gratulor, et vt ei in poſterum maximo ornamento ſis, et opto, et, fretus praeclara tua indole, id futurum auguror. Non miraberis, tam tarde me ad praecipuum officium, tibi ipſi gratulandi, accingi. Non enim noſtra ſunt, quae nobis vel fortunae beneficio, vel ſtudio noſtro obtigerunt, bona: ſed ſibi praecipue ea cum Deus, bonorum omnium largitor, tum maxime patria, parentes, cognati, atque amici vindicant, niſi quis forte, in *Epicuri hortulis inſtitutus*, omnia ad ſe referat, nihilque ſe, niſi ſui cauſſa, facere debere exiſtimet. Itaque prius illis gratulandum fuit, ad quos fructus vigiliarum tuarum in poſterum vel maxime pertinebit, nec eſſet, quod gratularer tibi, ſi nihil vtilitatis ex bonis tuis ad quemquam mortalium pertingeret. Dixiſſe olim aiunt philoſophum, ſe, ſi a Deo id beneficii impetraret, vt caeleſtia illa corpora, eorumque motum concentumque ſuauiſſimum coram intueretur, parum tamen inde capturum eſſe voluptatis, ſi in haec inferiora remiſſus, neminem, quem harum rerum participem facere poſſet, reperiret. Perinde tibi ipſi, qui non tibi ſoli, ſed patriae tuiſque te natum eſſe intelligis, parum iucunda futura eſſent omnia, quae tibi tot vigiliis peperiſti, decora, niſi aliis perinde, ac tibi ipſi, ſalutaria atque vtilia eſſent. Quae quum ita ſint, tibi ego non tam doctrinam, quamuis et illa ſit omni laude digniſſima, gratulor, quam eam mentem, qua omnia refers ad ſalutem rei publicae, nihilque diſcere vel infigere animo cupis, niſi quod patriae aliquando emolumento ornamentoque ſit futurum. Faueat vero Deus et

huic conſilio tuo, occaſionemque tibi oſtendat quam primum; praeclaras illas animi dotes litterarumque ſeueriorum praeſidia in vſum publicum proferendi. Denique et mihi gratularer, cui breuis illa opera, quam formando ingenio tuo impendi, tam feliciter ceſſit, niſi verendum eſſet, ne, quidquid de me dixero, paullo iactantius dixiſſe videar. Itaque hic abrumpam potius filum orationis, quam vt quidquam, quod cum mea laude coniunctum ſit, attexam. Priuſquam tamen id fiat, Deum O. M. precor veneror que, vt te, confecto ſtudiorum curſu, ſaluum ac ſoſpitem patriae ac illuſtriſſimi patris amplexibus reſtituat, meque eum diem videre patiatur, quo te, illuſtri loco poſitum, colant amentque boni omnes, ciuem patria ſua digniſſimum, illuſtriſſimi parentis delicium, gentis Pleſſiae ornamentum, denique, ſi et hoc addere liceat, praeſidium et dulce decus meum. Vale. *Halae XI. Kalend. Nouembris* cIↃ IↃ CCXXXV.

* * * * * * * * * *

VI.

DISSERTATIO DE TVTELA PACTITIA SEV CONVENTIONALI.

---

§. 1. *Inſtituti ratio.* §. 2. *Quid ſit* tutela pactitia? §. 3. *Eam ius Romanum ignorare probatur* primo argumento, *quod nuſquam plures, quam tres, tutelae ſpecies recenſentur.* §. 4. *Vis huius argumenti.* §. 5. *Itemque* ſecundo, *quod de munere publico paciſci non licuerit.* §. 6. *Id quod probatur.* §. 7. *Cui non obſtat, quod pater teſtamento, ſuo arbitrio, de tutela ſtatuere potuerit.* §. 8. *Nec, quod fas fuerit tutela in iure cedere.* §. 9. Tertium *argumentum, quod*

quod eadem ſit iure Romano hereditatis, ac tutelae ratio. §. 10. *Tutela ergo non magis poteſt eſſe pactitia, quam hereditas.* §. 11. Quartum *argumentum, quod priuatis per ſolum teſtamentum tutores dare licuit.* §. 12. *An tutela pactitia ſaltim per confirmationem conualuerit?* §. 13. *Argumentum* quintum, *ab ipſa pactorum natura.* §. 14. *Diſſentientium effugia.* §. 15. *Ex* l. 15. §. 1. D. de excuſat. *fruſtra probatur tutela pactitia.* §. 16. *Viri docti argumentatio ex hac lege.* §. 17. *Nec* §. 9. Inſt. eod. tit. *hanc tutelam confirmat.* §. 18. *Vana iactatio demonſtrationis.* §. 19. *Sed et* l. 29. D. de teſtam. tut. *tutelae pactitiae quam maxime obſtat.* §. 20. *Viri docti ex hac ductum argumentum.* §. 21. *Argumentum eiuſdem ex* l. 18. §. 1. D. de leg. Cornel. de falſ. *depromtum.* §. 22. *Eius examen.* §. 23. *Reliqui textus, qui pro tutela pactitia adferuntur.* §. 24. *Iis non probatur, licita fuiſſe pacta de tutela ſuſcipienda.* §. 25. *Multo minus Romanos fuiſſe tutores pactitios.* §. 26. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Inſtituti ratio.

QVum tot viri iuris peritiſſimi noſtra hac aetate *de tutela pactitia ſeu conuentionali* non modo dixerint ſententiam, ſed et argumenta omnia, quibus illa vel probari et defendi, vel oppugnari ſolet, adcuratius expenderint, oportebat profecto cauſſam hanc iam pridem eſſe peroratam et vindicatam. Sed ea eſt nonnullorum et doctiſſimorum ingenii conditio, vt praeiudicatis, quae ſemel animo inſederunt, opinionibus, tamquam naufragi nantibus in gurgite vaſto tabulis inhaereant, et cum ſexcentis argumentorum gyris luctentur, vt, ſi non ſalua ſententia ſua, ſaltim cum aliqua ingenii laude ex illis doctrinarum ſuarum fluctibus euadant. Hoc ſane quibuſdam, qui nuper admodum *tutelam pactitiam* in iure Romano non minus, quam Germanico praeſidium reperire, ex inſtituto, et ſingularibus diſſertationibus non modo ſtatuere, ſed et demonſtrare conati ſunt, contigiſſe videtur. Ne quis ergo incautior paralogiſmis illis deceptus a iuris analogia, quae in arte noſtra primum, ſecundum, vltimum eſt, aberret, *de tutela* hac *pactitia vel conuentionali* binis diſſertationibus agere conſtitui, ordinis et perſpicuitatis cauſſa ita partituris hanc materiam, vt priore iuris Romani, poſteriori Germanici principia paullo diligentius excutiam, expenſiſque, quae huc facere viden-

tur

tur, omnibus, rationibuſque ſubductis, id genus tutelae Romanis ignotum, Germanis notiſſimum ac paene quotidianum fuiſſe, oſtendam.

§. II.

Quid ſit tutela pactitia?

Quod ad ius Romanum attinet, in illo praeſidium non reperire tutelam illam pactitiam, tot poteſt argumentis demonſtrari, vt, ſi omnia hic adferre, et pro eo, ac decet, exornare coner, vix finem repertura videatur oratio. Vt ergo ſelectu vtar, praecipua tantum conſectabor. At ſtatim in ipſo diſſertationis limine paucis praemittam, per *tutelam pactitiam* intelligi illud tutelae genus, quam quis ex promiſſione vel pacto ita ſuſcipit, vt nullam aliam cauſſam, cur tutelam adminiſtret, allegare teneatur, nullaque alia ratione indigeat. Id ideo monendum duxi, quod in ipſa definitione pleroſque a ſcopo aberrare animaduerti. Neque enim quaeritur, an non aliquando patri vel magiſtratui quis promiſerit, ſe tutelam ſuſcepturum? iſque ex promiſſo ſuo ad illam ſuſcipiendam obſtrictus ſit? Sed an ille ex ſolo iſto titulo tutelae adminiſtrandae ius ſit conſequutus? Prius ſane nec illi inficiantur, qui ipſam negant tutelam pactitiam: poſterius vero eſt, quod iuris Romani principiis et analogiae omnino refragari, contendunt. Neque enim, qui ſe tutorem futurum promiſit, ſtatim ex pacto tutor eſt, ſed qui ex pacto illo iuſtam cauſſam, iuſtumque titulum habet ſuſcipiendae adminiſtrandaeque tutelae. Quemadmodum ideo nemo ſtatuit tutelam *petititiam*, quia quidam tutores petebantur, ſiue ex voluntate, ſiue ex neceſſitate (*a*), nec *nominatitiam*, vt ita loqui liceat, quia ſolebant quidam vel vltro, vel a magiſtratibus interrogati tutores per ſe alioſue nominare (*b*), quia vtrique non a poſtulatione et nominatione, ſed a datione magiſtratus ius tutelae conſequebantur: ita recte exiſtimant viri docti, eam, quae ex promiſſione vel pacto oritur, tutelam non eſſe pactitiam, ſed ad quam ſuſcipiendam adminiſtrandamque initum cum patre pactum ſolum ſufficiat, ſicuti ſolum teſtamentum teſtamentario; ſola agnatio legitimo, ſola denique magiſtratus auctoritas datiuo ſufficit ad munus illud recte et ordine obeundum.

§. III.

(*a*) *L. 2. §. 1. et 3. D. qui pet. tutor. vel curator.*

(*b*) *L. 2. D. de fideiuſſor. et nominator.*

§. III.

Talem vero tutelam pactitiam numquam innotuiſſe Romanis, vel ex eo intelligitur, quod veteres iuris auctores, etiam vbi ex inſtituto et δογματικῶς tutelae ſpecies enumerant, nuſquam *pactitiae* vel verbo meminerunt. In *Inſtitutionibus* Iuſtinianus *de tutelis* ait (*a*) : *permiſſum eſt parentibus, liberis impuberibus, quos in poteſtate habent*, TESTAMENTO *tutores dare.* Hinc porro (*b*) : *quibus autem teſtamento tutor datus non eſt, his ex lege duodecim tabularum agnati ſunt tutores, qui vocantur legitimi.* Denique ſubiicit imperator (*c*) : *ſi cui nullus omnino tutor fuerat, ei* DABATVR, *in vrbe quidem a praetore vrbano et maiore parte tribunorum plebis, tutor ex lege Atilia, in prouinciis vero a praeſidibus ex lege Iulia et Titia.* Et de his tribus tutelae generibus etiam ſingulares titulos cum in Inſtitutionibus, tum in Pandectis et Codice reperimus: de *pactitia* tantum abeſt, vt ex inſtituto actum eſſe videamus, vt eius ne verbo quidem in tutelarum recenſione mentionem fieri animaduertamus. Similiter omnes tutelae ſpecies coniungit Vlpianus (*d*), dum diſquirens, cui recte ſoluatur? *Siue autem*, inquit, LEGITIMI *ſint*, *ſiue* TESTAMENTARII, *ſiue ex inquiſitione* DATI, *recte vel vni ſoluitur* : non omiſſurus profecto *pactitios*, ſi quos eius generis exſiſtere ex iuris analogia poſſe crediſſet. In Caii, quae adhuc exſtant, fragmentis, peſſime quidem ſiue ab Aniano, ſiue ab alio exceptis, initio parum adcurate dicitur (*e*): *tutores aut* LEGITIMI *ſunt, aut* TESTAMENTARII : attamen quibuſdam interiectis ſuppletur, quod in illa enumeratione omiſſum eſt, additurque (*f*) : *quod ſi nec* TESTAMENTARIVS *tutor fuerit, nec* LEGITIMVS: *tunc inquiſitione iudicis pupillis tutores* DANTVR. De *pactitia* ne γρῦ quidem. Idem et in Vlpiani fragmentis, vbi ex inſtituto de tutelis agitur, obſeruamus. In eis enim primo diſſerit de tutelis *legitimis* (*g*), deinde de *teſtamentariis* (*h*), denique de tutoribus, qui ex lege Atilia, Iulia et Titia, Iunia Norbana, lege Iulia de maritandis ordinibus, itemque ex SCtis, et moribus a magiſtratibus *dabantur* (*i*) : *pactitiae* vero toto eo capite nec volam, nec veſtigium exſtare voluit. Nec veroſimile eſt, hanc tutelae ſpeciem ab Aniano in Caii et Vlpiani libris eſſe expunctam, quum illa vel maxime conſentanea eſſet moribus Gothorum, aliarumque originis Germanicae gentium, vt nulla illis ratio fuerit, eam inuidendi Romanis, vel illorum auctores truncandi, expungendique id, a quo ipſi minime abhorrebant. Denique iterum Iuſtinianus, vbi

Eam ius Romanum ignorare, probatur primo argumento, *quod nuſquam plures, quam tres, tutelae ſpecies recenſentur.*

epiſcopos et clericos ab omni tutelarum onere immunes eſſe iubet, non alia habet, quae recenſeat, tutelarum genera, quam illa tria, ac proinde ſancit (*k*), *vt immunitatem ipſo iure omnes habeant tutelae*, *ſiue* TESTAMENTARIAE, *ſiue* LEGITIMAE, *ſiue* DATIVAE. An non intererat, et *pactitiae* mentionem fieri, quum de immunitate ab eius generis tutela vel maxime dubitari potuiſſet? Non dicam de aliis vetuſtis ſcriptoribus, e quorum numero Boëthius (*l*) *tutelam aut* CONSANGVINITATIS *gradu*, *vel* PATRONATVS *iure deferri*, *aut* TESTAMENTO *patris eligi*, *aut* PRAETORIS *iuris dictione formari* ait, nullo alio praeter hos modos tutelam conſequendi admiſſo.

(*a*) §. 3. *Inſt. de tutel.*
(*b*) *Pr. Inſt. de legit. agnat. tutel.*
(*c*) *Pr. Inſt. de Atilian. tutor.*
(*d*) *L.* 14. §. 5. *D. de ſolution.*
(*e*) CAII *Inſtit. Lib. I. tit.* 7.
(*f*) *Ibid.* §. 2.
(*g*) VLPIAN. *Fragm. tit.* 11. §. 3. *ſeqq.*
(*h*) *Ibid.* §. 14. *ſeqq.*
(*i*) *Ibid.* §. 18. *ſeqq.* ad §. 24.
(*k*) *L.* 52. *pr. C. de epiſcop. ac cleric.*
(*l*) *Commentar. ad Ciceron. Topic. Lib. III.*

§. IIII.

Vis huius argumenti.

Deſumtum hoc a veterum ſilentio argumentum non leuis omnino ponderis eſſe, facile mihi largientur illi, qui non fingendam eſſe nouam Romanorum iuris prudentiam, ſed veterem ac genuinam ex iuris iſtius auctoribus, tamquam ex limpidiſſimo fonte, hauriendam eſſe exiſtimant. An enim veroſimile eſt, veteres omnes, qui ius ex inſtituto in artis formam redegerunt, nobiliſſimam illam tutelae ſpeciem, veluti ex compacto, fuiſſe omiſſuros, eiuſque ne obiter quidem fuiſſe facturos mentionem, ſi illam vel legibus, vel moribus atque vſu probari ſciuiſſent? Quemadmodum ergo recte veteribus credimus, homines eſſe vel *liberos*, vel *ſeruos* (*a*), illos vel *ingenuos*, vel *libertinos* (*b*), alios porro eſſe *ſui iuris*, alios *alieno iuri ſubiectos* (*c*), illos vel *in parentum*, vel *in dominorum poteſtate* eſſe (*d*): hereditatum duplicem eſſe conditionem, eaſque vel *ex teſtamento*, vel *ab inteſtato* ad nos pertinere (*e*), ac proinde non alia eſſe hominum, poteſtatum, ſucceſſioniſque hereditariae genera merito exiſtimamus: ita non eſt, cur noua tutorum genera inferre velimus in veterem Romanorum iuris prudentiam, cum antiqui illi ſcriptores, a quibus ciuilem iſtam ſapientiam, veluti per manus traditam, accepimus, plura, quam tria iſta tutelarum genera numquam agnouerint.

uerint. Non equidem ignoro, partiri et diuidere non auctoritatis eſſe, ſed merae artis, ac proinde diuiſiones non eſſe legibus adſtrictas, nec quemquam, qui rectius et magis διαλεκτικῶς poſſit genus in ſuas ſpecies diducere, legum terriculamentis eſſe ab eo inſtituto dimouendum. *Corpus* enim *iuris*, inquit Thomaſius (*f*), *eſt ſyſtema, plurima alia, quae leges non ſunt, continens. Definitiones enim, diuiſiones, differentiae, et regulae doctrinales inde deductae, ſunt doctrinae intellectum informantes.* At ſcio etiam, eum, qui diuiſionem, tamquam minus adaequatam, impugnat, oſtendere debere, eſſe ſecundum illius artis principia et alias ſpecies ea diuiſione non comprehenſas. Quum vero oſtendi non poſſit, exſtitiſſe vmquam apud Romanos tutores, qui ex ea ſola cauſſa, quod ſe tutelam ſuſcepturos promiſerint, ad ſuſcipiendam adminiſtrandamque tutelam fuerint admittendi, merito praeſumendum eſt, veteres ius in quo verſati ſunt, non ignoraſſe, nec plures ipſis notas fuiſſe tutelarum ſpecies, quam *teſtamentariam*, *legitimam*, et *datiuam*: maxime quum nulla idonea poſſit reddi ratio, cur diſſimulare voluerint *pactitiam*, cum nec ſub teſtamentaria, nec ſub datiua, poſſit comprehendi.

(*a*) *Pr. Inſt. de iur. perſonar.*
(*b*) §. 5. *Inſt. eod.*
(*c*) *Pr. Inſt. de his, qui ſunt ſui vel al. iur.*
(*d*) *Ibid.*
(*e*) §. *vlt. Inſt. per quas perſon. cuiqu. adquir.*
(*f*) *Diſſ. de rite formando ſtatu controuerſiae: an legum iuris Iuſtinianei, ſit frequens, an exiguus vſus practicus in foris Germaniae*, §. 5. *pag.* 10.

§. V.

Deinde ſatis inter omnes conſtat, tutelam ex ICtorum Romanorum ſententia fuiſſe munus publicum. Et *tutelam*, inquit Iuſtinianus (*a*), *placuit munus publicum eſſe*, id eſt, vt apud Theophilum ibi λειτούργημα explicat ſcholiaſtes Graecus (*b*): λειτούργημα γάρ ἐστιν δημόσιον πρᾶγμα, διδόμενόν τινι, οἷον σιτωνικὸν, ἐφορικὸν: *munus publicum eſt curatio alicui publice collata, qualis eſt eorum, quibus cura frumenti vel ephoria demandata eſt.* Hermogenianus (*c*): *atque perſonale* MVNVS *eſt tutela, cum adulti furioſiue*, cet. Idem porro et Arcadius Chariſius (*d*), et Calliſtratus (*e*), et maxime Pomponius (*f*), a quo tutela aeque, ac magiſtratuum functio, PVBLICIS CAVSSIS diſerte adnumeratur, ſatis manifeſto confirmant. Iam nemo ſibi temere perſuadebit, ideo id nomen tribui tutelae, quod eius finis vel ob-

Itemque ſecundo, quod de munere publico paciſci non licuerit.

 iectum,

iectum, vti vocant philoſophi, ad rem publicam pertineat. Id enim diſerte negat Modeſtinus, dum ſcribit (*g*): *tutela non eſt rei publicae munus, nec, quod ad impenſam pertinet, ſed ciuile: nec prouinciale videtur tutelam adminiſtrare.* Ac proinde ſupereſt, vt cum Vlpiano (*h*), aliisque viris doctis dicam, tutelam ideo cenſeri munus publicum, *quod illud neceſſario obire teneamur lege, more, imperione eius, qui iubendi habeat poteſtatem* (*i*); adeo, *vt non videatur leuis culpa, contra iuris auctoritatem mandatum tutelae officium detrectare* (*k*). Sed quum haec omnia talia ſint, vt ne ab iis quidem ignorentur, qui aliud ſciunt nihil: religioni mihi duco, rei vulgo notiſſimae diutius immorari.

(*a*) *Pr. Inſt. de excuſat.*
(*b*) Apud FABROTTVM in *Not. ad Theophil. pag.* 133.
(*c*) L. 1. §. 4. *D. de muner. et honor.*
(*d*) *L. vlt.* §. 1. *D. eod.*
(*e*) L. 17. §. 2. *D. de excuſat.*
(*f*) L. 9. *D. de his, qui ſunt ſui vel alien. iur.*
(*g*) L. 6. §. 18. *D. de excuſat.*
(*h*) VINN. *ad pr. Inſt. eod.*
(*i*) L. 214. *D. de verbor. ſignif.*
(*k*) L. 39. §. 6. D. *de adminiſtrat. et peric. tutor. vel curat.*

§. VI.

Id quod probatur. Iam vero inde merito firmiſſimum duxi argumentum, non potuiſſe tutelam vlli ex pacto cum patre inito ex iuris Romani principiis deferri. *Ius publicum* enim, vti tradit Papinianus (*a*), *priuatorum pactis mutari non poteſt.* Et in ſumma id obſeruandum eſſe monet Paullus (*b*), *ſi pactum conuentum a re priuata remotum ſit, illud non eſſe ſeruandum.* Si ergo circa ea, quae publicam cauſſam habent, nullum priuatis paciſcendi arbitrium, nullum ſtatuendi ius, nulla facultas fuit, fruſtra etiam procul dubio fuit pactio de muneribus publicis, atque adeo et de tutela ſuſcipienda adminiſtrandaque, quae nemini, niſi publica auctoritate, deferebatur. Et hoc ipſum eſt, quod definitione ſua expreſſit Seruius, dum non quamuis *vim et poteſtatem in capite libero*, quam ſibi quis fortaſſis ſuo arbitrio ſumſerit, vel a patre priuatim ſibi decretam ſuſceperit, ſed IVRE demum CIVILI *datam* ac *permiſſam*, adeoque publica auctoritate ſuſceptam, TVTELAE nomine venire docuit (*c*). Atqui tutori pactitio non *iure ciuili data eſt illa vis ac poteſtas*, ſed priuata auctoritate: nec illud ius vſquam priuatis *permittit*, vt de tutela pactis ſtatuere poſſint: immo, vt dixi, rationi iuris ciuilis refragantur

pacta

pacta quaelibet, quae de publicis cauſſis et muneribus ineuntur. Ergo ita tutela pactitia ex iuris Romani principiis non eſt tutela, ac proinde falſum eſt, vllum ex iſtius iuris principiis ideo tutorem fuiſſe, quod patri, ſeſe tutorem liberorum eius fore, promiſiſſet.

(*a*) L. 88. *D. de pact.*

(*b*) L. 27. §. 4. *D. eod.* vbi ſine ratione textum ſollicitat, et pro *re priuata*, *re publica* legi iubet IACOBVS CVIACIVS *Obſeruat. Lib. I. cap.* 24.

(*c*) §. 1. *Inſt. de tutel.* L. 1. *pr. D. eod.*

§. VII.

Cui non obſtat, quod pater teſtamento, ſuo arbitrio de tutela ſtatuere potuerit.

Obuertere equidem hic mihi aliquis poſſet tutores teſtamentarios, quippe qui et ipſi priuato patris arbitrio fuerint tutelam conſequuti, ac inde colligere, nullam fuiſſe cauſſam idoneam, cur, cum licuerit patri teſtamentum condituro optimum conſilium pro liberis capere, iiſque tutorem ſupremo iudicio dare, non aeque licere debuerit cum viro bono paciſci, vt liberorum ſuorum tutelam, ſi quid ſibi humani acciderit, ſuſciperet, et cur illa conuentio huic ad conſequendam tutoris poteſtatem non aeque ſuffecerit, ac ipſa vltima patris voluntas. Enimuero, qui paullo adcuratius poſuerit calculum, illico animaduertet, inter vtramque illam ſpeciem permultum intereſſe. Primo enim tutela teſtamentaria eſt iure ciuili permiſſa, lege nimirum illa vetuſtiſſima decemuirali, quae, tamquam carmen aliquod neceſſarium, ICtis toties in ore eſt: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIA, PECVNIA, TVTELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO (*a*): ac proinde tantum abeſt, vt priuata auctoritate quis hanc tutelam adipiſcatur, vt eam ipſi legi debeat, ac proinde Vlpianus (*b*) et teſtamento datos tutores *legitimos* vocare non dubitet, quod, vt ipſe ait, *ex lege deſcendant.* Vbi vero ſimilis, quaeſo, exſiſtat ſanctio de pactis ſuper tutela ineundis? Qua vmquam vel lege, vel plebis ſcito, vel SCto, vel conſtitutione principum cautum eſt, vt, quomodocumque paterfamilias cum aliquo pactus eſſet ſuper tutela liberorum ſuorum, ita ius eſſet? Talis profecto lex neque vſquam, neque vmquam exſtare potuit, quum, vt iam monui, omnis de cauſſa publica priuatorum pactio potius a legibus infirmetur. Ergo nec argumentum ab vltima patris voluntate recte duci poteſt ad tutelam pactitiam. Deinde nec id praetermittendum eſt, teſtamenta ipſa, quippe olim populi ſuf-

fragiis in comitiis calatis condita (c), non fuiſſe priuatam teſtatorum, ſed publicam ipſius populi voluntatem, ac proinde tutorem, ſupremo patris iudicio datum, non priuata, ſed publica auctoritate, vera nimirum lege conſtitutum eſſe: quod et de tutore pactitio adfirmare velle abſurdiſſimum mehercule videretur. Denique quamuis exiſtimare quis poſſit, vetuſta haec eſſe, et quia iam pridem abolita ſint (d), ad ius Iuſtinianeum nihil facere: nam poſtea ſaltim vnicuique facultatem datam eſſe de tutela non minus, quam de pecunia rebuſque ſuis, quaecumque placuerit, ſupremo iudicio ſtatuendi: illi tamen merito in memoriam reuoco notiſſimum, quod Papinianus (e) inculcat, principium, *teſtamentifactionem non priuati, ſed publici iuris eſſe.* Teſtes enim quinque, quos intereſſe oportebat teſtamentifactioni per aes et libram, ipſum populum, cuius olim ſuffragiis ſuprema iudicia firmabantur, repraeſentabant, et ſollemnitates omnes, quas et nouiſſima iure requirunt, veteres illas et hodie adumbrant, eoque fit, vt et mutato vetuſto illo teſtamenta ordinandi ritu, ſaluum tamen ſit vetus principium, *Teſtamentifactionem eſſe iuris publici.* Hoc vero poſito quis, quaeſo, dixerit, tutelam teſtamentariam priuati fuiſſe arbitrii? quiſue ſine manifeſto paralogiſmo colligat, licuiſſe priuatis teſtamento de tutela ſtatuere, ac proinde nec pacta ſuper illa eſſe potuiſſe illicita?

(a) Auctor ad Herenn. *Lib. I. cap.* 13. Cicer. *de inuent. Lib. II. cap.* 50. *L.* 53. *L.* 120. *D. de verbor. ſignif.*

[b] *Fragment. tit.* 11. §. 3. et ibi Schvlting. *pag.* 594.

[c] §. 1. *Inſt. de teſtament. ordin.* Theophil. *Paraphraſ. ibid.* Gell. *Noct. Atticar. Lib. XV. cap.* 27.

[d] Vlpian. *Fragment. tit.* 20. §. 2.

(e) *L.* 3. *D. qui teſtam. fac. poſſ.*

§. VIII.

Nec, quod fas fuerit, tutela in iure cedere.

Ne vero quidquam, quod lectorem morari poſſit, praetermittere videar, fateor, mihi, pacta omnia de ſuſcipienda tutela, tamquam cauſa publica, inita profliganti non ſine ſpecie obuerti poſſe *tutelam ceſſitiam*, cuius meminit Vlpianus (a). Ait enim, legitimos tutores aliis tutela olim in iure cedere potuiſſe, eumque, cui illa ceſſa eſſet, *ceſſicum* vel *ceſſitium* tutorem adpellatum, quo ſiue mortuo, ſiue capite minuto, ſiue tutelam alii cedente, tutelam ad legitimum tutorem rediiſſe: ſed et, ſi legitimus deceſſerit, aut capite minutus fuerit, ceſſitiam illam tutelam exſtinctam eſſe. Addit tamen, ceſſionem iſtam tutelae ſua aetate non amplius proceſſiſſe,

ceſſiſſe, quum et feminarum tutelam legitimam, in qua aliquamdiu ceſſio illa in vſu permanſerit, lex Claudia ſuſtineat. Iam, qui cedit, tutelam procul dubio mandat, et ius ſuum, intercedente conuentione, in alium transfert: ac proinde perperam negare videbor, licere priuato de tutela ſuſcipienda cum alio conuenire. Sed ſalua res eſt. Primo enim ea ceſſio non fiebat priuato arbitrio, ſed in iure. *In iure ceſſio*, vt ait Caius noſter apud Boëthium (*b*), fit hoc modo: *apud magiſtratum populi Romani, veluti apud praetorem vel apud praeſidem prouinciae, is, cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat:* HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. *Deinde, poſtquam hic vindicauerit, praetor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet? Quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit, eam rem* ADDICIT, *idque legis actio vocatur.* De quo ritu plura monent viri docti, qui Caii *Inſtitutiones* animaduerſionibus ſuis illuſtrarunt, Alexander Oiſelius et Schultingius (*c*). Quis vero priuato arbitrio in ceſſionarium tranſlatam eſſe dixerit tutelam, quae ei a magiſtratu, penes quem erat legis actio, *addicebatur*? Deinde ex Vlpiano conſtat, ſolam tutelam legitimam, et ne hanc quidem omnem, ſed feminarum, eo ritu cedi potuiſſe. Quod ſane argumento eſt, ſingularem fuiſſe huius tutelae indolem, ex qua id ſequeretur, vt alii cedi poſſet. Nimirum haec ſola tutela, vti recte obſeruat laudatus Schultingius (*d*), ſemel delata erat ita in tutoris legitimi dominio Quiritario, vt quaſi partem patrimonii conſtitueret, ac proinde non minus ceſſione in alterum transferri poſſet, quam legitima hereditas (*e*). Quod vero ex ſingulari vnius alicuius tutelae natura ac indole fluit, id non poteſt ad tutelam in vniuerſum proferri. Vt iam dixi, perperam illos compoſituros eſſe rationem, qui, quod in certa tutelae iam delatae ſpecie leges permiſerint, id ad tutelam etiam deferendam pertinere exiſtiment, quum de ea, quam habemus, paciſci ſemper liceat, non ſemper de ea, quam non habemus, ſi vel maxime illam ſpe ſatis certa nobis deſponderimus (*f*). Maneat ergo fixum et firmum, tutelam, tamquam munus publicum, non fuiſſe obiectum pactionis, eatenus ſcilicet, vt quis ob eam ſolam, non intercedente vel teſtamento, vel cognationis neceſſitudine, vel auctoritate magiſtratus, eam vim et poteſtatem in capite libero conſequeretur.

(*a*) *Fragment.*

(*a*) *Fragment. tit* 11. §. 6. *ſeqq.*
(*b*) *Commentar. in Ciceron. Topic. Lib. III.*
(*c*) *Iuris prud. vet. ante-Iuſtin. pag.* 84. *ſeqq.*
(*d*) *Ad* VLPIAN. *Fragment. pag.* 595.
(*e*) VLPIAN. *Fragment. tit.* 19. §. 11. *ſeqq.*
(*f*) Exemplum eſt in hereditatis venditione: nam venire poteſt iam delata, non futura. *L.* 1. *L.* 7. *D. de hered. vel action. vendit.*

§. VIIII.

Tertium argumentum, quod iure Romano eadem ſit hereditatis, ac tutelae, ratio.

Progredior ad tertium, idque fere palmarium argumentum, quod niſi ſolide ſtabiliretur, fruſtranea erit omnis, quae de tutela pactitia ſuſcipitur, diſputatio. Nititur hoc analogia, quae inter hereditatem ac tutelam ex iuris noſtri principiis obſeruatur, et quae tanta eſt, vt vtraque eodem iure cenſeatur, et fere ab vna ad alteram ducatur argumentum. Vt rem ab ouo ordiar, primi, qui hanc analogiam ſtabiliuerunt, fuere decemuiri, quos in legibus 12. tabularum hereditatem et tutelam vbique coniunxiſſe nouimus. Quemadmodum enim iam ſupra oſtendi, eos permiſiſſe cuiuis patrifamilias ſupremo iudicio diſponere cum *de pecunia familiaue*, tum *de tutela ſuae rei*, i. e. liberorum ſuorum, qui patris contemplatione non perſonae, ſed res in eius dominio Quiritario conſtitutae erant: ita et de eo caſu, quo ſiue penitus, ſiue, quod ad tutelam attinet, pater inteſtatus deceſſerat, ſanxerant, *vt ſi inteſtatus moreretur, eique impubes heres eſſet, agnatus proximus tutelam nanciſceretur* (*a*). Quemadmodum itaque heres teſtamento ſcriptus, ita et datus teſtamento tutor reliquis omnibus videbatur anteferendus. Et ſicuti, non exſtante teſtamento, ſanguine proximi ad hereditatem, ita iidem ad tutelam vocabantur, et ita quidem, vt aeque, ac in hereditate, propior excluderet remotiorem, plures vero eiuſdem gradus ſimul admitterentur (*b*). Quumque iure illo antiquo ſoli agnati et gentiles, non aeque cognati, hereditatis legitimae eſſent participes, ad eoſdem etiam ſolos pertinebat tutela legitima. Hinc perpetua ab hereditate ad tutelam, et ab hac ad illam conſequutio. Quemadmodum enim qui proximus eſt ad ſucceſſionem, is non minus ad tutelam proximus eſſe dicitur (*c*): ita inuerſo ordine Q. Mucius (*d*): *quo, inquit, tutela redit, eo hereditas peruenit, niſi quum feminae heredes intercedunt*; et Caius (*e*): *is, qui proximus fuerit ad tutelam, ipſe proximus eſt ad hereditatem.* Quam regulam licet vtroque loco ſollicitent viri docti, veluti Franc. Balduinus (*f*), Franc. Hotomanus (*g*), et Iac. Oiſelius (*h*), qui exemplo

exemplo Graecorum, nec non Accurſii et Placentini, verba vtrobique traiicienda eſſe cenſent: eam tamen rectiſſime ſe habere argumentis tam ſolidis demonſtrauit Iac. Gothofredus (*i*), vt cauſſam peroraſſe omnino videatur. Quin ideo pari paſſu ambulare viſae veteribus ſunt tutela et hereditas, vt Paullus (*k*) tutelas legitimas eadem ratione, ac hereditatem, interuerti obſeruet: et generatim ICti, ſperata tutela teſtamentaria, locum non eſſe legitimae contendant (*l*), non ex alia ratione, vt recte vidit Chriſtian. Thomaſius (*m*), quam quod non magis, quod ad tutelam, quam quod ad hereditatem attinet, quiſquam pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere poſſit. Hactenus ergo omnia eadem ſunt in hereditate, vt tutela teſtamentaria et legitima. Acceſſerunt vero poſt 12. tabulas quaedam noua: *primum*, vt teſtamentarii tutores, non rite dati, ac veluti vitio creati, a magiſtratu confirmarentur; *alterum*, vt pupillis, nec teſtamentarium, nec legitimum habentibus, tutor in vrbe a praetore cum maiore parte tribunorum plebis, in prouinciis a praeſidibus daretur; quorum prius conſtitutionibus principum (*n*), poſterius legibus, tum Atilia, tum Iulia et Titia primum inuectum (*o*), ac nouis conſtitutionibus ſubinde immutatum eſſe nouimus (*p*). Enim vero ne in his quidem nouis iuribus a vetere illo principio, quod tutelae et hereditatis eamdem eſſe indolem oporteat, diſceſſerunt. Quemadmodum enim iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus eo iure gaudebat praetor, vt ſi minus iuſte heres quis teſtamento ſcriptus eſſet, illi tamen poſſet, poſitis certis requiſitis, poſſeſſionem ſecundum tabulas dare (*q*): ita vere ac re ipſa praetor dabat tutorem veluti ſecundum tabulas, quoties teſtamento non recte et ordine datum, vel cum inquiſitione, vel ſine eadem confirmabat. Quumque et in poteſtate praetoris eſſet, bonorum poſſeſſionem dare perſonis quibuſdam, quas nec ſupremum defuncti iudicium, nec lex ad ſucceſſionem vocabat (*r*); non abſurdum videbatur, eidem et ius eſſe dandi tutores non habentibus, quamuis nec ex teſtamento, nec ex lege ad tutelam vocatos. Adeo perpetua eſt hereditatis ac tutelae analogia, tantaque vtriuſque ſimilitudo, vt ſi ab vna ad alteram ducatur argumentum, nihil fiat, quod ſit a veterum iuris auctorum more ac conſuetudine alienum.

(*a*) *L. 5. pr. D. de legit. tutor. L.* *ad 12. tabb. pag. 95. ſequ.* [*Tom III.*
1, L. 9. D. eod. Add. Iac. Gothofred. *Theſaur. iur. ciuil.*]

(b) L. 8. L. 9. D. de legit. tutor.
(c) §. vlt. Inſt. eod. L. 4. C. eod. L. 2. C. de curat. furioſ. Nouell. CXVIII. cap. 4. 5.
(d) L. 73. pr. D. de reg. iur.
(e) Inſtitution. Lib. I. tit. 7. §. 1.
(f) Iuris prud. Mucian. [pag. 506. Tom. I. Iuris prud. Roman. et Attic.]
(g) Obſeruation. Lib. VI. cap. 5.
(h) Ad Caii Inſtit. Lib. I. tit. 7. §. 1.
(i) Commentar. ad tit. de reg. iur. [pag. 921. ſeqq. edit. Trot.]
(k) L. 7. §. 2. D. de cap. min.
(l) L. 11. pr. et §. 1. D. de teſtam. tut.
(m) Schol. ad Huber. Praelect. Inſt. Lib. I. tit. 14. §. 3.
(n) L. 1. §. 1. in fin. D. de confirm. tut.
(o) Pr. Inſt. de Atil. tutor.
(p) §. 3. Inſt. eod.
(q) Vlpian. Fragment. tit. 28. §. 5. 6. pr. Inſt. de bonor. poſſeſſ.
(r) §. 2. Inſt. eod.

§. X.

Tutela ergo non magis poteſt eſſe pactitia, quam hereditas.

Quae cum ita ſint; manifeſtum profecto eſt, nullam omnino iure Romano eſſe tutelam pactitiam, eamque potius iuris iſtius analogiae plane refragari. Nam quum ex eius iuris prudentiae principiis eodem ordine deferatur tutela, quo hereditas: conſequens eſt, vt non deferatur pacto vel conuentione. De hereditate enim futura conuentio omnis irrita habebatur apud Romanos, ſiue de ſua (*a*), ſiue de tertii non conſentientis hereditate (*b*) quis cum altero paciſceretur: quin pacta haec turpia, boniſque moribus contraria, et plena triſtiſſimi euentus veteribus videbantur (*c*). Qui fieri ergo potuiſſet ſalua iuris analogia, vt, qui ab hereditate pactitia tantopere abhorrebant, ii tamen concederent tutelam pactitiam? Aut ergo analogia illa tutelae atque hereditatis deſtruenda, (quod ne fiat, plane non vereor,) aut concedendum erit, non potuiſſe tutorem pacto ita conſtitui, vt ſolum illud pactum illi ſufficeret ad tutelam rite capeſſendam adminiſtrandamque.

(a) L. 19. C. de pact.
(b) L. vlt. C. eod.
(c) Dict. L. vlt. C. eod. L. 6. D. de verbor. obligat. L. 29. §. vlt. D. de donat.

§. XI.

Quartum argumentum, quod priuatis per ſolum

Accedit aliud, idque ſatis magni ponderis, argumentum, ex quo non fuiſſe priuati arbitrii tutoris dationem, liquido probatur: nimirum, quod nemini mortalium licuerit alio modo, quam legitimo teſtamento, liberis tutores conſtituere. Hinc, *quum dicitur,*

citur, SVPER PECVNIAE TVTELAEVE SVAE, *tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt*; vt ait Paullus noſter (*a*). Quae verba dici non poteſt, quam torſerint interpretes, inter quos Hotomanus (*b*) illa ad pupillum referre non dubitat, quaſi ſenſus ſit, non poſſe patrem filio, niſi ſimul heredi ſcripto, tutorem dare: inuita profecto Themide, quae et exheredato tutorem a patre dari diſertis verbis permittit (*c*). Potior ergo eſt Paulli ſententia, quam recte iam vidit Gerardus Noodtius (*d*), non valere tutoris dationem, niſi teſtator ſimul de tutela, ſimul de pecunia, id eſt, hereditate ſua diſponat, ac proinde non aliter, quam ſi tutorem det iuſto teſtamento, cuius caput et fundamentum ſit heredis inſtitutio (*e*). Idem enim et Modeſtinus (*f*) monet, dum ſcribit: *pater filiis vel nepotibus, quos habet in poteſtate, recte dat. tutorem*, *ſed* IN TESTAMENTO. Idque adeo verum eſt, vt ne imperfecto quidem teſtamento tutor recte datus videretur (*g*), multoque minus codicillis (*h*): niſi quod eo demum deuentum, vt dati in codicillis teſtamento confirmatis perinde, ac ſi teſtamento dati eſſent, acciperentur (*i*). Denique et per epiſtolam dari tutorem non poſſe, indubitati iuris erat (*k*). Quamobrem iure inde colligimus, non potuiſſe patrem vllo alio legitimo modo tutorem liberis conſtituere, quam vel teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis. Ex eo vero manifeſto conſequitur, vt pacto conſtitutus tutor non iure datus videri potuerit, adeoque Romanis ignota fuerit tutela pactitia. Si enim non alio modo, quam teſtamento perfecto, tutorem recte dabat: quomodo pacto dare potuit? Immo ſcire vellem, quid mouere potuerit veteres, vt pactis tutorem dari permitterent, epiſtolis, quibus aeque, ac viua voce, inter ſe paciſcuntur homines, non permitterent? Aut ergo reddenda erit ratio, cur tam male conſtiterint ſibi Romani, aut verum erit, pactis tutores non magis, quam codicillis et epiſtolis, dari iure potuiſſe.

teſtamentum tutores dare licuit.

(*a*) L. 53. pr. D. de verbor. ſignificat.
(*b*) Obſeruation. Lib. VI. cap. 5.
(*c*) L. 4. D. de teſtam. tutel.
(*d*) Commentar. ad Pandect. eod. tit. Tom. II. Oper. pag. 542.
(*e*) §. 34. Inſt. de legat.
(*f*) L. 1. §. 1. D. de confirm. tutor.
(*g*) L. 2. C. eod.
(*h*) L. 3. D. de teſtament. tutel.
(*i*) L. 1. §. 1. D. de confirm. tutor.
(*k*) L. 2. C. eod.

§. XII.

An tutela pactitia ſaltim per confirmationem conualuerit?

Sunt equidem, qui ſtricto iure nullius momenti fuiſſe tutelam pactitiam non inficiantur, eam tamen conualeſcere potuiſſe per confirmationem, ſtatuunt (*a*). Sed primo, dum id largiuntur, ſimul fatendum illis eſt, tutelam pactitiam iure non ſubſtitiſſe, neque apud Romanos ſpeciem tutelae fuiſſe ſingularem, quae ex conuentione deſcenderit. Confirmatione enim non indigebat tutor recte, et ex legum praeſcripto, ſed vitio datus (*b*). Ergo vitio datum eſſe agnoſcere debebant tutorem pacto datum, adeoque illa tutela non erit ſingularis et legitima tutelae ſpecies, niſi etiam ſingulares ſpecies tutelae *maternae*, *extraneae*, et *codicillaris* fingere velis, quandoquidem et a matre, vel ab extraneo, vel a patre codicillis teſtamento non confirmatis datos confirmari, indubitati iuris eſt (*c*). Si ergo abſurdum eſſet, has tamquam ſingulares et legitimas tutelae ſpecies obtrudere: qui minus abſurdum erit, fingere tutelam pactitiam, quia tutor, ex pacto ſuſcepturus tutelam, poſſit a magiſtratu confirmari? Praeterea iuſtiſſima dubitandi cauſſa eſt, tutelam pactitiam vmquam fuiſſe a praetore confirmatam. Confirmatio enim ad tutelam teſtamentariam tantum pertinebat. Quis vero pactitiam dicebat teſtamentariam. Deinde omnes caſus, quibus tutores confirmandi ſint, adcurate recenſentur in iure noſtro (*d*), puta, ſi talis ſit perſona, quae non poſſit teſtamento tutorem dare, veluti mater, aut patronus, aut extraneus; aut ſi ſit perſona, cui dari non *poſſit*, veluti ſi pater filio filiaeue, non exſiſtenti in patria poteſtate; (ita enim legendum eſſe illum textum, luculenter oſtendit Antonius Auguſtinus (*e*), aut verbis indirectis, aut denique codicillis teſtamento non confirmatis tutores dederit. Atqui nullus horum caſuum comprehendit tutelam pactitiam: ac proinde recte colligere nobis videmur, ne confirmatione quidem conualuiſſe tutelam iſtam, quippe analogiae iuris plane contrariam, et, ſi dicendum, quod res eſt, plane σιδηρόξυλον.

(*a*) Strykius *in Vſu hod. Digeſtor. Lib. XXVI. tit.* 1. §. 4.

(*b*) *L.* 1. *pr. et* §. 1. *D. de confirmat. tutor.*

(*c*) *L.* 4. *D. eod.*

(*d*) *L.* 1. *D. eod.*

(*e*) *Commentar. ad* Modestin. *de excuſat. Tom.* IIII. *Theſaur. iur. ciuil. pag.* 1560.

§. XIII.

Argumentum

Porro ſi ipſam pactorum naturam conſideramus paullo adcu-

ratius, numquam Romani illis tantum tribuerunt virtutis, vt credibile ſit, eos tutelam pactitiam admiſiſſe. Simplices promiſſiones non producebant obligationem perfectam et ciuilem, ac proinde nec tutor, qui ſe tutelam ſuſcepturum promiſerat, cogi poterat ad illam ſuſcipiendam, nec praetor ad tutorem iſtum confirmandum: adeoque omnis illa tutela imperfecta fuiſſet, nulliusque effectus, niſi et ipſe, qui promiſerit, ſponte hoc ſubiret onus, et praetor eum ſua ſponte confirmaret. Quae omnia tutelae naturae ac indoli quam maxime repugnare tanto apertius eſt, quanto minus quiſquam ignorat, eam eſſe munus publicum, ac proinde non niſi ratione quam maxima et ſufficiente, iuridice dicam, iuſtiſſima excuſatione detrectari; quin ab eo tempore, quo datus eſt, quoue pupillus tutela indiget, ipſo iure aliquem tutorem eſſe (*a*). Quae omnia ſi quis pactis effici potuiſſe exiſtimet: nae illum ego, quid pactum fuerit Romanis, vix ſatis intelligere crediderim. *quintum ab ipſa pactorum natura.*

(*a*) L. 31. *pr. D. de excuſat. tutor. et peric. tutor.* L. 1. *C. ſi tutor vel curat. vel curat.* L. 38. §. 6. *D. de adminiſtrat. falſ. allegat.*

§. XIIII.

Diſſentientium effugia.

Hic varia illi, quibus huic tutelae ius ciuitatis Romanae adſerere cura eſt, quaerunt effugia. Alius enim promiſſionem cum effectu, id eſt, ſtipulationem, procul dubio interpoſitam eſſe ponit. Alius ſubtilem illam inter pacta et ſtipulationes differentiam iam a Leone imp. ſublatam eſſe (*a*) vrget. Aliis id non nudum pactum fuiſſe videtur, quod auctor ille doctiſſimus ſuo more hoc argumento firmat, quod quae pacta ſine plena obligatione ciuili intelligi nequeant, ad pacta nuda non ſint referenda. Sed ſunt haec omnia ita comparata, vt vel ſola documento eſſe poſſint, peſſimam cauſſam defendere eos, quibus tot latibulis opus eſt. Stipulationem interpoſitam fuiſſe, nulla lex, cuius praeſidio vtantur, dicit, et, ſi fuiſſet interpoſita, illi non plus momenti infuiſſet, quam pacto nudo, quia inutilis eſt de rebus, quae non arbitrii noſtri, ſed publici iuris ſunt, interpoſita ſtipulatio (*b*). Conſtitutione, quam laudant, Leonis imp. omne ſtipulationum ac pactorum diſcrimen ſublatum eſſe, nemo facile crediderit: quum eum potius ſolam illam verborum in interrogatione et reſponſione congruentiam, ſalua ipſius interrogationis ac reſponſionis neceſſitate, videamus ſuſtuliſſe (*c*). Sed ſi fingamus, Leonem

imp. tantam mutationem inuexiſſe: conſequens tamen erit, vt demum a Leonis iſtius temporibus inualuerit haec tutela, adeoque loci omnes, ex pandectarum opere decerpti, quibus talem tutelam Romanis notam fuiſſe, probant, fruſtra ab iis ad partes vocentur. Denique non nudum eſſe pactum, quod plenam obligationem ciuilem producit, facile largimur. Sed dum clariſſimi huius argumenti auctor, tale eſſe pactum de tutela, ſubſumit, manifeſto petit id, quod eſt in principio, et quod ab ipſo prius demonſtratum eſſe nemo dixerit, etiam, qui magna animi ingeniique contentione ſectiones illas ἐν παρενθέσει citatas expenderit. Quid multis? Qui oſtendere conatur, pactum aliquod non nudum eſſe, ei probandum eſt, aut legem exſtare, quae tali pacto obligandi vim tribuit, vti donationi Conſtantini M. lex adſiſtit (*d*); aut praetorem, ſe illud ſeruaturum, ſpeciali edicto promiſiſſe, quemadmodum Seruium hypothecam edicto ſuo iuuiſſe nouimus (*e*): aut pactum tale in continenti acceſſiſſe bonae fidei contractui, ex eoque vim obligandi accepiſſe, quo ſenſu pacta adiecta non nuda vocantur, (*f*). Horum trium capitum ſi vnicum probauerit laudatus auctor, tum demum victas dabo manus, eumque magnum quid praeſtitiſſe fatebor, quin ei gratulabor, cuius iam tirocinia iuris inuſitatum atque eximium quid rei publicae litterariae promittant.

(*a*) L. 10. *C. de contrahend. ſtipulat.* Io. Georg. Daries *Diſſ. de tutel. pactit.* §. 39.

(*b*) §. 2. *Inſt. de inutil. ſtipulat.* L. 83. §. 5. *D. de verbor. obligat.* L. 27. *D. de reg. iur.*

(*c*) Ev. Otto *ad* §. 2. *Inſt. de verbor. obligat.*

(*d*) L. 4. *et* L. 35. *C. de donat.*

(*e*) §. 7. *Inſt. de action.* Ger. Noodtivs *Commentar. ad Pandect. pag.* 432. *Tom. II. Oper.*

(*f*) Idem *de pactis et tranſact. cap.* 11. *pag.* 509. *Tom. I. Oper.*

§. XV.

Ex l. 15. §. 1. D. de excuſat. fruſtra probatur tutela pactitia.

Quamuis vero in tot argumentis, ex legibus, ipſaque tutelae ac pactorum indole depromtis, merito mihi videor fiduciam aliquam poſſe collocare: nihil tamen fortaſſis aliis egiſſe viderer, niſi et fulcra illa, quibus alii hic ſeceſſionem facientes nituntur, ſubruam. Nimirum in prima ſtatim acie locant teſtimonium Modeſtini (*a*), cuius ex *ſexto excuſationum libro* et hoc in Pandectis enunciatum occurrit: *qui patri promiſit, ſe fore tutorem liberorum, excuſari ab hac tutela non poteſt, etſi aliter habet ius ex-*

cuſationis. Nihil eorum hic dicit Modeſtinus, quae iis, qui tutelae pactitiae patrocinium ſuſcipiunt, erant probanda. Non docet, tutorem pacto non minus, quam teſtamento, poſſe dari: non tradit, illud promiſſum tutoris obligationem ciuilem perfectam produxiſſe, multo minus ex eo loco intelligimus id, quod praecipuum erat, pactum hoc illi promittenti ſuffeciſſe ad tutelam capeſſendam adminiſtrandamque. Sed id num ibi agit Modeſtinus, vt doceat, excuſationem eius, qui ſe tutorem liberorum fore promiſit, ob pactum iſtud non admitti, ſi vel maxime ei non deſint cauſſae excuſandi iuſtiſſimae. Eius vero deciſionis ratio non eſt, quod quis per pactum tutor fiat, ſed quod omne pactum, quamtumuis nudum, et ad excipiendum, et, quum replicatio etiam exceptionis loco ſit, ad replicandum proſit (*b*). Fingamus ergo, tutorem ſiue teſtamento creatum, ſiue legitimum, ſiue a magiſtratu datum, ſeſe profeſſione, poteſtate, numero liberorum, vel alia quacumque iuſta cauſſa, excuſare velle: obſtabit illi replicatio pacti, quo minus illi hae proſint exceptiones, quia his exceptionibus voluntariis valide renunciauit. Paucis: non ibi Modeſtinus agit de modis, quibus quis tutelam adquirat, ſed de excuſationibus, quae admittendae vel repudiandae ſint, ac ne verbo quidem indicat, pactum ſufficere ad tutelam conſequendam.

(*a*) L. 15. §. 1. D. *de excuſation.* NOODTIVS *de pact. et tranſact. cap.* 6.
(*b*) L. 7. §. 5. D. *de pact.* GER. *pag.* 498. *tom.* I. *Oper.*

§. XVI.

Viri docti argumentatio ex hac lege.

Sed quum nihil tale illi textui ineſſe fateri cogantur, illud omne inde argutiſſime eliciunt per iuſtam argumentorum ſeriem (*a*), eamque catenam ſuam quamuis *nimiae ſubtilitatis exceſſum* ipſi fateantur, tanti faciunt, vt ſe eam ab omnibus, *quas praeuidere potuerint, diſſentientium argutiis tutam praeſtari* exiſtiment (*b*). Operae pretium ergo erit, auream illam catenam parumper excutere. *Qui ſe*, inquiunt, *non poteſt excuſare, ad munus in ſe ſuſcipiendum tenetur.* Recte ſane. *Qui ergo patri promiſit, ſe fore tutorem liberorum, ille tenetur ad tutelam in ſe ſuſcipiendam, et ſe non poteſt excuſare.* Et hoc bene ac ſapienter, niſi quod medius terminus, quem vocant, contra veteris logices praecepta ingreditur concluſionem. Concedamus tamen, vt liberales ſimus, vtrumque, et quod tutor ille, qui patri ſe

ſe tutorem fore, promiſit, obſtrictus ſit ad tutelam ſuſcipiendam; et quod excuſari non poſſit, quia non poſſit excuſari. *Dum vero*, (ita iam procedit ἀπόδειξις,) *ad impoſſibilia non datur obligatio, excuſationes, de quibus hic dicitur, ex fauore a lege tutori conſtituendo conceſſo deducendas eſſe, ſequitur. Qui ergo patri promiſit, ſe fore tutorem liberorum, ad hanc in ſe ſuſcipiendam tutelam tenetur, nec poteſt vti excuſationibus, ex fauore a lege aliter tutoribus conſtituendis conceſſo, dum promiſſione hunc fauorem remiſit.* Sunt haec quidem numeris Platonicis obſcuriora: Sed quia nihil aliud innuit auctor, quam per excuſationes, quas per pactum illud amittat tutor, non neceſſarias, ſed voluntarias tantum, intelligendas eſſe; nihil ſubeſt periculi, vt non et id auctori cum plauſu largiri poſſim. *Tutor ergo*, (ita pergit auctor), *de quo lex dicit, non poteſt eſſe ille, cui ius excuſandi ex fauore legum tutori conceſſum competit.* Hic vero merito aures arriget lector. Non enim poteſt, qui non excuſatur, idem indiuiduum eſſe cum illo, qui excuſatur: at poteſt eiuſdem generis eſſe. Exempli cauſſa: ſi vnus tutor teſtamento datus patri promiſerit, ſe tutorem fore, alter non promiſerit, prior oleum et operam perdet, ſi hoc onus excuſatione a ſe amoliri conetur: poſterioris excuſationes admittentur. Iam is, qui non excuſatur, non eſt idem indiuiduum cum illo, qui excuſatur: at eiuſdem tamen generis ſunt tutores, puta teſtamento dati. Quis vero hic manibus non palpat vel paralogiſmum, vel ſophiſma? Propoſitio haec tantum de idemtitate indiuiduali vera eſt, et tamen auctor ſubſumit de idemtitate generis, atque ita pergit: *competit vero ius* (puta excuſandi,) (*tutori teſtamentario* (*c*), *legitimo* (*d*), *datiuo* (*e*). *Ergo tutor, cuius in hac lege ſit mentio, non eſt tutor teſtamentarius, nec legitimus, nec datiuus. Ergo ab illo diuerſus*, puta *pactitius*. Quae ſi in faſcem colligas, eo redeunt vniuerſa: qui ſe excuſare poteſt, non eſt idem indiuiduum cum eo, qui ſe excuſare non poteſt, ergo eum nec eiuſdem, ſed diuerſi generis eſſe oportet. Nam ſi praemiſſam ſe de indiuiduo accepiſſe negat auctor, falſa illa erit propoſitio, ceu iam oſtendi, ac proinde et totum eius argumentum in fumum abibit. Quod vt eo clarius oſtendam, age veluti παρῳδίᾳ quadam compoſita, totam eius demonſtrationis ſeriem, ipſaque verba retinebimus, eademque ratione oſtendam, quod vnuſquiſque nouit falſiſſimum, dari et quintum genus tutelae, diuerſum a te-

ſta-

ſtamentaria, legitima, et datiua, puta quae liberto in patroni liberis competat. Quidni ergo et ego faciam interpretandi periculum? Ait Alexander imp. (*f*), *libertos a tutela vel cura liberorum patroni ſeu patronae nullam excuſationem impetrare poſſe, ampliſſimus ordo, auctore diuo Marco, cenſuit.* Iam audi: *qui ſe non poteſt excuſare, ad munus in ſe ſuſcipiendum tenetur. Libertus ergo ad tutelam liberorum patroni patronaeue in ſe ſuſcipiendam tenetur, et ſe non poteſt excuſare. Dum vero ad impoſſibilia nulla datur obligatio, excuſationes, de quibus hic dicitur, ex fauore a lege tutori conſtituendo conceſſo deducendas eſſe, ſequitur. Libertus ergo ad hanc ſuſcipiendam tutelam tenetur, nec poteſt vti excuſationibus, ex fauore a lege aliter tutoribus conſtituendis conceſſo, dum SCto ab hoc fauore excluditur. Tutor ergo ille libertus, de quo lex dicit, non poteſt eſſe ille, cui ius excuſandi, ex fauore legum tutori conceſſum, competit. Competit vero hoc ius teſtamentario, legitimo, et datiuo. Ergo tutor libertus, cuius in hac lege fit mentio, non eſt tutor teſtamentarius, nec legitimus, nec datiuus. Quamobrem, quum vi SCti ſpecialiter ad tutelam in ſe ſuſcipiendam ſit obligatus, non vero ex teſtamento teſtatoris, nec mandato magiſtratus, nec ex iure ſucceſſionis, tutor ille erit tamquam libertus.* Quemadmodum vero haec concluſio manifeſto falſa et abſurda eſt: ita auctoris erit cogitare, in qua parte demonſtrationis meae latitet vitium. Non vero vllum oſtendet, vt non ſimul ſua ipſius vineta caedat, quia eius eſt, quam dicis cauſſa meam feci, demonſtratio.

(*a*) Daries *ibid.* §. 39.
(*b*) Idem *ibid.* §. 46.
(*c*) L. 32. L. 33. D. *de excuſat. tutor.* L. 25. C. *de legat.*
(*d*) L. 4. C. *de legit. tut.*
(*e*) L. 2. §. 5. D. L. 9. C. *de iis, qui dant tutor. vel curat.*
(*f*) L. 5. C. *de excuſat. tutor.*

§. XVII.

Progreditur auctor ad aliud teſtimonium, quod ipſe *locum parallelum* vocat, verba nimirum iſta Iuſtiniani (*a*): *ſi propter inimicitias aliquem teſtamento tutorem pater dederit, hoc ipſum praeſtat ei excuſationem: ſicut per contrarium non excuſantur, qui ſe tutelam adminiſtraturos patri pupillorum promiſerunt.* Hic primum, quid ſit *propter inimicitias tutorem dare*, diſquirit auctor, ſed id ad nos non pertinet, quibus perinde eſt, quae illis verbis ab eo notio

Nec §. 9. Inſt. eod. hanc tutelam confirmat.

notio ſubiiciatur. Deinde vero ſuo more inde hoc ducit argumentum: *tutor propter inimicitias teſtamento datus, ob fauorem legis, inimicitiis hiſce ſe excuſare poteſt. Ponamus vero, hunc, ſe tutelam adminiſtraturum, patri pupillorum promiſiſſe, hac promiſſione fauorem legis remiſit: conſequenter etiam inimicitiis hiſce ſe excuſare non poteſt. Ad tutelam ergo ſuſcipiendam tenetur, non vi teſtamenti, ſed promiſſionis. Ergo erit tutor pactitius.* At ego ſcire velim, ſi haec non eſt, quid ſit cauillatio. Complectuntur Iuſtiniani verba partim regulam, partim exceptionem. Regula eſt *tutori propter inimicitias* teſtamento *dato, hoc ipſum praeſtat excuſationem.* Exceptio: *per contrarium non excuſatur, qui, ſe adminiſtraturum, patri pupilli promiſit.* Si ergo hanc exceptionem ad regulam pertinere dixeris, non poteris non ponere caſum, quod quis, inimicitiae cauſſa tutor teſtamento datus patri, antequam id fieret, ſe tutelam adminiſtraturum, promiſerit. Quo poſito, habebimus tutorem teſtamentarium, non pactitium. Teſtamentarius enim, cuius ob pactum reiicitur excuſatio, procul dubio manet teſtamentarius. Deinde ignoratione elenchi tota illa laborat demonſtratio. Non enim probandum erat, tutores aliquos, ad ſuſcipiendam tutelam vi promiſſionis teneri, (id enim non facit tutorem pactitium), ſed eſſe, *qui ob ſolum pactum tutores fiant.* Vidimus, libertos ad ſuſcipiendam tutelam vi conditionis ſuae, non teſtamenti, teneri: eos tamen non ideo eſſe tutores, quod liberti ſint, ſed quod vel a teſtatore, vel a magiſtratu ad tutelam ſint vocati. Omnia ergo ad hanc ſpeciem redeunt: qui inimicitiae cauſſa tutor teſtamento datus eſt, permultas adducit excuſationes, rationeſque grauiſſimas, quae alioquin ad amoliendum iſtud onus ſufficiunt, maxime vero, ſe inimicitiae cauſſa tutorem datum eſſe. Praetor, illis reiectis exceptionibus hominem ad ſuſcipiendam adminiſtrandamque tutelam adigit, ex ea ratione, quod ſe ad tutelam ſuſcipiendam promiſſo obſtrinxerit: quaeritur, ſitne poſtea hic tutor teſtamentarius, am pactitius? Credo, vel dupondium reſponſurum, eum nihilo minus teſtamentarium eſſe, quia non quaeratur, *cur teneatur tutelam,* omni reiecta exceptione, *ſuſcipere? ſed cur tutor ſit?* Hoc enim illum teſtamento, illud pacto debere.

(a) *§. 9. Inſt. de excuſat.*

§. XVIII.

Vana iactatio demonſtrationis.

Quam leuia, et paene ficulnea haec ſint argumenta, iam

vnus quiſque, opinor, intelligit. Et tamen clariſſimus auctor in illis tantam collocat fiduciam, ut pluribus ad ſententiam ſuam in tuto collocandam ne quidem opus eſſe exiſtimet. *Multis quidem aliis*, inquit, *legibus idem hoc principium noſtrum corroborari poſſet, v. g. ex* L. 29. D. de teſtam. tut. L. 18. §. 1. D. ad leg. Cornel. de falſ. *cet. ſi veritatem rei a multitudine, et non a grauitate argumentorum dependere nouiſſem* (*a*). Itaque fretus hac argumentorum ſuorum grauitate demonſtrationi ſuae hunc colophonem imponit: *quidquid ex legibus iuris ciuilis Romani bona deduci poteſt conſequentia, in iure ciuili Romano fundatum eſt. Tutela vero pactitia ex legibus iuris ciuilis Romani deduci poteſt. Ergo et tutela pactitia in iure ciuili Romano ſuum adgnoſcit fundamentum.* Enimuero quum adſumtum manifeſto falſum ſit, et clariſſimus auctor tutelam pactitiam ne per mediocrem quidem, nedum bonam conſequentiam, ſed per mera ſophiſmata ex legibus iuris Romani infelici conatu elicuerit: quam firmo talo ſtet concluſio, nemo non animaduertit.

(*a*) Daries §. 43. *in ſchol.*

§. XVIIII.

Sed et L. 29. D. de teſtam. tut. tutelae pactitiae quam maxime obſtat.

Sed iam iam provehitur vir clariſſimus ad ea, quae ſibi ab aduerſariis obuerti dicit, examinanda. Haec vero, quia me non feriunt, merito praetermitto, nec tanti videtur illud examen, vt aduerſarii ob illud vadimonium deſerturi videantur. Hinc potius, quid roboris inſit argumentis, quae ille tantum obiter attigit, paucis expendere iuuabit. Elegans eſt locus hic Papiniani (*a*): *ex ſententia SCti Liboniani tutor non erit, qui ſe teſtamento pupillo tutorem ſcripſit. Quum autem patris voluntas, hoc ipſum manu ſua declarantis, ambigua non eſſet, eum, quamuis alii tutores eſſent, curatorem dandum reſpondi: nec admittendam excuſationem, quam iure publico habebat: quoniam promiſiſſe videbatur: nec vt ſuſpectum remoueri.* Manifeſta eſt ſpecies, ad quam hoc Papiniani reſponſum pertinet. Lucius Titius liberis ſuis plures dederat tutores, et in his Seium quoque, quem ſcribendis tabulis adhibuerat: incidebat quaeſtio, an huic pars aliqua adminiſtrationis committenda eſſet? et quum ipſe Seius mallet ea tutela carere, an admitti eius excuſationem, quantumuis iuſtam, oporteret? Iam quod ad priorem quaeſtionem pertinet, plures

 Seio

Seio obſtare videbantur rationes, cur eſſet ab omni adminiſtratione repellendus, et primum quidem, quod *ex ſententia SCti Liboniani tutor non ſit, qui ſe teſtamento pupillo tutorem ſcripſerit.* Cautum enim erat SCto Liboniano, vt teneatur, quaſi falſarius, quamuis falſarius non ſit, poena legis Corneliae is, qui alienum teſtamentum ſcripſerit dictante teſtatore, ſi *hereditatem*, vel *legatum*, vel *fideicommiſſum* ſibi adſcripſerit, quamuis id iuſſu teſtatoris fecerit (*b*). Quamuis ergo id SCtum non meminiſſet, niſi hereditatis, legati, et fideicommiſſi: latius tamen patebat *eius ſententia*, quippe quae ad omnia reliqua, quae ſibi quis ipſe adſcripſiſſet, porrigebatur, veluti ſi ſibi quis liberorum teſtatoris adſignationem liberti (*c*), vel mortis cauſſa capionem (*d*), vel aliud quid, adeoque et tutelam, quae hereditati in iure noſtro aequiparatur, adſcripſiſſet (*e*). Quum ergo in fraudem legis faciat, qui, saluis verbis legis, *ſententiam eius* circumuenit (*f*), dubitandum profecto non videbatur, quin Seius *ex ſententia SCti Liboniani tutor eſſe non poſſet, quia ſe teſtamento tutorem pupillo ſcripſiſſet.* Deinde et id obſtabat Seio, quod ſe ipſe ingeſſiſſe videretur, ac proinde tamquam ſuſpectus eſſet remouendus (*g*), ſi vel maxime tutelam ſuſcipere vellet. Sed vtramque rationem nullius ponderis eſſe, probe animaduertebat Papinianus, qui priorem ita refellit: *quum autem patris voluntas, hoc ipſum manu ſua declarantis, ambigua non eſſet: eum, quamuis alii tutores eſſent, curatorem dandum reſpondi.* Neque enim locus eſt poenae legis Corneliae, ſi teſtator, teſtamentarium talia ſe volente ac iubente ſcripſiſſe, manu ſua adnotaſſet (*h*). Ad alteram rationem paucis reſpondet: *nec eum vt ſuſpectum remoueri*, non addita deciſionis cauſſa, quam tamen ſatis luculentam reperimus in iure noſtro (*i*), *ſuſpectum* nimirum *eſſe, qui operam ſuam ingerat inuito*, non ergo, qui eam *volenti* offerat: ceu recte obſeruauit maior omni laude mea Cuiacius (k). Denique alteram quaeſtionem, an Seius excuſatione vti poſſit? ita decidit, vt id ab eo fieri poſſe neget, addita ratione, *quoniam promiſiſſe*, adeoque excuſationibus ſuis renunciaſſe, *videretur.* Haec eſt vera huius legis ἀνάλυσις. Iam vnumquemque iudicem fero, an ea vel in ſpeciem faueat iis, qui tutelae pactitiae patrocinium ſuſcipiunt. Seius ſane tutor non fuit ex pacto, ſed ex teſtamento. Excuſari autem, vt alii teſtamentarii, non poterat, quoniam promiſiſſe videbatur. An teſ-

tamentarium ideo eſſe deſiiſſe dicemus, quod, eius excuſationes replicatione pacti excludantur: Mera haec erit μεταμόρφωσις, quin ipſis Ouidianis mirabilior, ſaltim vniuerſi iuris principiis contraria, quae tutorem non ab ea cauſſa, ob quam eius excuſationes non admittuntur, ſed propter quam tutor eſt, denominare ſolent.

(*a*) L. 29. *D. de teſtam. tut.*

(*b*) *Collat. legum Moſaic. et Rom. tit.* 8. §. 7. CVIAC. *Paratit. Codic. ad tit. ad leg. Cornel. de falſ.* PETR. FABER *Semeſtr. Lib. I. cap.* 25. *pag.* 143. SALMAS. *ad ius Attic. pag.* 877.

(*c*) L. 22. §. 8. *D. ad leg. Cornel. de falſ.*

(*d*) Dict. L. 22. §. *penult. D. eod.*

(*e*) CVIAC. *in* PAPINIAN. *Reſponſ. pag.* 566.

(*f*) L. 29. L. 30. *D. de legib.*

(*g*) L. 21. §. 6. *D. de tutor. et curator. dat.* L. 28. §. 1. *D. ad leg. Cornel. de falſ.*

(*h*) L. 1. §. 8. *D. ad leg. Cornel. de falſ.* L. 15. §. 1. *D. eod.*

(*i*) L. 25. *D. de procurat.*

(*k*) CVIAC. *in* PAPINIAN. *Reſponſ. pag.* 567.

§. XX.

Viri docti ex hac dictum argumentum.

At vir clariſſimus hoc Papiniani reſponſum adeo non obſtare ſibi exiſtimat, vt illo ſuam corroborari ſententiam contendat. Audiamus ipſa viri docti verba: *caſus*, inquit, *ex hac lege ita formari debet. Aliquis ſe teſtamento pupilli tutorem ſcripſit: nunc quaeritur, an ille etiam ad promiſſum ſeruandum obligatus ſit, et an ſe poſſit excuſare? Reſpondet lex, ex ſententia SCti Liboniani non tenetur; ſed ex lege tenetur, et ſe non poteſt excuſare, quia promiſiſſe videtur.* Vbi vero, obſecro, haec omnia lex dicit? Non ſane ait Papinianus, eum ex SCti ſententia non teneri, ſed refellit potius eos, qui eum ex ſententia SCti tutorem eſſe poſſe negant. Et ex qua, quaeſo, lege teneri potuit, ſi eum repulit SCtum? An non animaduertit auctor tam ſagax, illud SC. Libonianum ad quaeſtionem, an excuſari poſſit talis tutor, nihil facere, ſed ad aliam plane quaeſtionem, an nempe tutor eſſe poſſit, pertinere? An non ei ſuboluit, eſſe hanc rationem dubitandi, ex qua iura probari non oporteat, ſed ex decidendi rationibus? Et tamen ille ſubiicit: *dicis, tutorem eſſe teſtamentarium.* Ego vero et dico, et adſero, et contendo. Quid auctor. Ex qua ratione? inquit, *quia ſe ſcripſiſſet tutorem teſtamento? Minime. Ad tutorem enim teſtamentarium requiritur, vt*

a teſtatore in teſtamento ſit denominatus tutor (*a*) : *non vero qui teſtamento ſe tutorem ſcripſerit : hoc enim tantum ad promiſſionis probationem fieri primo intuitu intelligitur.* At ego Dauus ſum, non Oedipus, qui id, non dicam primo intuitu, ſed ne lege quidem iterum iterumque perlecta expenſaque intellexi. Aio ergo, tutorem hunc fuiſſe teſtamentarium. Ex qua ratione, an, quia ſe ſcripſit tutorem teſtamento? Abſit, vel me, vel quemquam alium tam ſtolidum eſſe. Immo, ob eam cauſſam tutorem aliquem eſſe, negauerim. Ideo enim ille, qui ſe tutorem teſtamento ſcripſit, tutor eſt teſtamentarius, *quia patris voluntas, hoc ipſum manu ſua declarantis, ambigua non erat*, eaque adnotatione omnis euaneſcebat falſi ſuſpicio. Quum ergo ob hoc ipſum tutelae pro falſis non amplius haberentur: quidni et tutoris dationem valuiſſe dicamus? Reliqua, quae ſubiicit auctor clariſſimus, mihi offerunt telum, quod in eius iugulo, ſi tam truculentus eſſem, iure defigere poſſem. En enim argumentum: ad tutorem teſtamentarium requiritur, vt a teſtatore in teſtamento denominatus ſit tutor, non vero vt ſe teſtamento tutorem ſcripſerit. Seius vero ille, cuius cauſſam Papinianus reſponſo defendit, fuit a teſtatore in teſtamento denominatus, non ſe teſtamento ſcripſerat, *quia patris voluntas, hoc ipſum manu ſua declarantis, non erat ambigua.* Seius ergo ille fuit tutor teſtamentarius. Falſum ergo etiam eſt, quod primo intuitu intelligi putat vir oculatiſſimus, hanc patris adnotationem tantum ad probationem promiſſi pertinere: non enim pater adſcripſerat margini, Seium ſe ad tutelam ſuſcipiendam obſtrinxiſſe, ſed *voluntatem ſuam*, quod Seium tutelam ſuſcipere velit, *manu ſua declarauerat.* Ac proinde nihil in hac lege eſt, quod non viri doctiſſimi cauſſam aperte et manifeſto iugulet.

(*a*) L. 3. *pr. D. de teſtam. tutel.*

§. XXI.

Argumentum eiuſdem ex L. 18. §. 1. D. de leg. Cornel. de falſ. *deprom*-*tum.*

Eſt et altera lex, ex qua ſe ſuum principium corroborare potuiſſe ſcribit auctor clariſſimus, *ſi veritatem rei a multitudine, et non a grauitate argumentorum dependere ſtatuiſſet*, quam praeterire religioni mihi duco. Ait nimirum Paullus (*a*): *qui ſe filio teſtatoris impuberi tutorem adſcripſit, etſi ſuſpectus eſſe praeſumitur, quod vltro tutelam videbitur adfectaſſe, tamen, ſi idoneus eſſe* ad-

adprobatur ; non ex teſtamento, ſed ex decreto *tutor dandus eſt. Nec excuſatio eius admittetur, quia conſenſiſſe videtur voluntati teſtatoris.* Decerpta eſt haec lex ex Paulli *Sententiis* (*b*), in quibus illa et hodie, ſed alio plane ſenſu ita legitur: *qui ſe filio teſtatoris impuberi tutorem adſcripſit, vt ſuſpectus a tutela remouendus eſt, ad quam vltro videtur adfectaſſe.* Sed ego non ideo dicam ſcripſerim vel Aniano, quod Paulli ſententiam corruperit, quod eruditiſſimus Schultingius ſuſpicatus eſt (*c*), vel Triboniano, quod haec, quae in Pandectis occurrunt, de ſuo adiecerit. Vtrumque enim et genuinum eſſe poſſe, facile vnus quiſque intelligit. Anianus regulam tantum retinuit, puta, ſuſpectum eſſe tutorem, qui ſe ipſe tutorem pupillo adſcripſit, quia ad tutelam vltro adfectaſſe videatur. Tribonianus vero ſimul exceptionem ſubiunxit, eum nimirum admittendum, ſi idoneus adprobetur. Ex quo vero titulo tutor erit? an *ex teſtamento*? Negat Paullus. Nam illud vitio laborat. Ergo procul dubio ex pacto. Ita collegiſſet laudatus tutelae pactitiae patronus, ſi hanc legem examine dignam ſtatuiſſet: maxime ſi verba poſtrema expendiſſet: *nec excuſatio eius admittetur, quia conſenſiſſe videtur voluntati teſtatoris.* Procul dubio ergo ei ſub manu natum eſſet argumentum: qui tutelam ſuſcipere tenetur non ex teſtamento, ſed quia conſenſiſſe patris voluntati videtur, is tutor non teſtamentarius, ſed pactitius eſt. Is, cuius Paullus meminit, tutor non ex teſtamento, ſed, quia patri conſenſiſſe videtur, tutelam tenetur ſuſcipere. Eſt ergo tutor non teſtamentarius, ſed pactitius.

(*a*) L. 28. §. 1. *D. ad leg. Cornel. de falſ.*

(*b*) *Lib. III. tit.* 6. §. 15.

(*c*) *Iuris prudentia vet. ante-Iuſtinian. pag.* 358. *ſequ.*

§. XXII.

Sed id quoque argumentum primo eſt ἀπροσδιόνυσον. Neque enim tutor denominatur ab eo, quod efficit, vt cogatur tutelam ſuſcipere, e. gr. quia promiſit, ſe tutorem fore, vel quia libertus eſt: ſed a titulo, quo tutela illi delata eſt. Deinde nemo non videt, duas et hic quaeſtiones tractare Paullum, alteram, an admittendus ſit, qui ſe ipſe tutorem adſcripſit? alteram, an excuſari poſſit? Priorem adfirmat, ſi idoneus adprobetur: poſteriorem negat ex ea ratione, quod conſenſiſſe patris voluntati videa- *Eius examen.*

deatur. Priori deciſioni obſtare videbatur, tutoris dationem ob praeſumptam teſtamenti falſitatem nullam eſſe, adeoque hunc tutorem nullum titulum, ex quo tutelam ſuſcipiat, pro ſe allegare poſſe. Quid ad haec Paullus? an ex pacto tutorem eſſe tradit? Minime vero. *Non ex* teſtamento, inquit, *ſed ex* decreto *tutor dandus eſt.* Non ergo ex pacto, ſed *ex decreto*, puta magiſtratus, ſiue hic illum, tamquam minus recte teſtamento datum confirmet, ſiue tamquam idoneum ſibi nominatum, tutorem ſuo arbitrio conſtituat. Priore ergo caſu erit tutor *teſtamentarius*, a praetore confirmatus, poſteriore *datiuus*, neutro *pactitius*, quamuis pactum, quod ex adſcriptione praeſumitur, efficiat, vt excuſatio illi nulla proſit, tutelam detrectare poſtea volenti.

§. XXIII.

Reliqui textus qui pro tutela pactitia adferuntur.

Sunt hae illae leges, quarum clariſſimus, cuius hactenus doctrinam expendi, auctor facit mentionem. Sed cum alii iuſtum earum agmen veluti cum ſubſidiis collocent: non committendum putaui, vt, dum res ad triarios redit, acie exceſſiſſe videor. Attamen, quum iam alii viri doctiſſimi et ICti omni exceptione maiores, praecipue autem meritiſſimus ill. Fridericianae profeſſor, Chr. Gottl. Knorrius (*a*), in hac arena ita verſati ſint, vt fere nihil mihi reliquiarum voluerint ſupereſſe: tanto ſane mihi licebit in poſterum eſſe breuiori. Sunt vero omnes illae leges, ad quas me remittunt, vnius generis, ac proinde eas vno veluti faſciculo comprehendere licebit. Prima (*b*) ita ſe habet: *ſi non erit a teſtatore electus tutor, aut gerere nolet: tum is gerat, cui maior pars tutorum tutelam decreuerit.* Altera (*c*) talis eſt: *quod ſi quis tutelam mandauerit gerendam, geſtaue fuerit ab eo, cui mandatum eſt: locus erit tutelae actioni, videtur enim geſſiſſe, qui per alium geſſit.* In tertia (*d*) Tryphoninus ita diſſerit: *tres tutores pupillo dati ſunt. Vnus tutelam geſſit, et ſoluendo non eſt, ſecundus Titio gerendam mandauit, et Titius quaedam adminiſtrauit; tertius nihil omnino geſſit. Quaeſitum eſt, quatenus quiſque eorum teneatur?* Et quibuſdam interiectis (*e*): *non ſolum geſſiſſe tutelam is creditur, qui alii gerendam mandauit, ſed et, qui ſatis a contutore accepit, rem ſaluam pupillo futuram, eique permiſit adminiſtrationem totius tutelae, nec poteſt ſe defendere conſtitutionibus, quae iubent conueniri eum, qui geſſit.* Addunt teſtimonium Vlpiani (*f*), qui, quum monuiſſet, eſſe quoſdam tutores

tores honorarios, eſſe, qui notitiae cauſſa dati ſint, eſſe denique, qui ad hoc dentur, vt gerant, de his porro ait: *et hoc vel pater adiicit, vt vnus gerat, vel voluntate tutorum vni committitur geſtus, vel praetor ita decernit?* Videntur et impp. Carinus et Numerianus (*g*) ſuccinere, quippe quorum haec verba ſunt: *ſin ipſi tutores inter ſe res adminiſtrationis diuiſerunt, non prohibetur adoleſcens vnum ex his in ſolidum conuenire, ita, vt actiones, quas aduerſus alios habet, ad electum transferat.* His per omnia ſimiles ſunt et reliqui, quos ad partes vocant, textus (*h*), vt iis ſimiliter adſcriptis diutius morari lectorem paene pudeat. Ex his vero omnibus duo, quae ſententiam meam ſubuertere poſſint, enunciata elicere videntur: primum, licere priuatis, ſuper tutela paciſci, eamque non modo vni ex contutoribus decernere, vel eam inter ſe diuidere, verum etiam tertio, qui tutor non ſit, mandare, eique geſtum committere. Alterum, quod is, qui ex mandatu ac voluntate alterius tutelam adminiſtret, per conuentionem conſequatur tutelam, adeoque vere ſit tutor pactitius. Niſi enim ita argumenta ſua inſtruant, ego quidem, quid illi ſibi hac legum turma velint, non intelligere me, fateor.

(*a*) Singulari *Programmate de tutela pactitia.*
(*b*) L. 3. §. 7. *D. de adminiſtrat. et peric. tutor. et curat.*
(*c*) L. 5. §. 3. D. *eod.*
(*d*) L. 55. *pr. D. eod.*
(*e*) Dict. L. 55. §. 2. *D. eod.*
[*f*] L. 14. §. 1. *D. de ſolution.*
[*g*] L. 2. *C. de diuid. tutel.*
[*h*] L. 5. *D. de magiſtrat. conuen.* §. 1. *Inſt. de ſatisdat. tutor.*

§. XXIIII.

Sed neutrum profecto conſectarium in tot legibus praeſidium reperit. Nulla enim earum ſpeciem vel exemplum profert pactionis ſuper tutela interpoſitae. Aliud enim eſt, de tutela alicui deferenda paciſci, aliud adminiſtrationem vel geſtationem eiuſdem alteri mandare, committere, res adminiſtrationis cum contutore petere partiri. Qui prius pactum init, paciſcitur de re non ſui arbitrii, ſed quae publicam cauſſam habet, eaque pactio iure non poteſt ſubſiſtere. Qui poſterius: de eo paciſcitur, quod iam habet, et quod adeo omnino tali conuentione in alium transferre poteſt. Quis, quaeſo, ignoret, magiſtratus iu-

Iis non probatur, licita fuiſſe pacta de tutela ſuſcipienda.

iuriſdictionem ſuam non modo collegis (*a*), verum etiam privatis (*b*) mandare potuiſſe? An vero vlli mortalium in mentem veniat, magiſtratibus de honoribus ſuis paciſci, vel transferre illos potuiſſe? Privatus ſane manebat ille praetoris mandatarius, tantumque abeſt, vt ideo praetor factus ſit, vt, ſi vel maxime antea eſſet praetor, qui alienam iuriſdictionem exſequebatur, non tamen pro ſuo imperio ageret, ſed pro eo, cuius mandatu ius dicebat (*c*). Idem de tutela obſeruandum. De illa paciſci nemo poterat, eius vero geſtionem vel adminiſtrationem ei licebat alii, ſiue contutori, ſiue extraneo mandare, ſed ita, ut hic ideo non fieret tutor, ſed omnia nomine eius, cuius mandatu gerebat, gereret. Vnde nec mandatarius, qui tutor non erat, ſed mandans tutelae actione erat conueniendus, ceu omnes, quas pro ſua ſententia viri docti adducunt, leges perſpicue probant.

[*a*] L. 3. D. *de offic. eius, cui mandat. eſt iuriſdict.*

[*b*] L. *vlt.* §. 1. D. *eod.*

[*c*] Dict. L. 5. D. *eod.*

§. XXV.

Multo minus Romanos fuiſſe tutores pactitios.

Sed tametſi fingerem, fas fuiſſe tutoribus de ipſa iam ſuſcepta tutela paciſci, inde tamen non conſequeretur, vt quemquam ex his omnibus tutorem pactitium dici poſſe fateamur. Prima, quam adduxi, lex diſerte ponit, plures *a teſtatore* datos eſſe tutores, et *non electum* ex iis vnum, qui gereret. Fuere ergo omnes illi tutores teſtamentarii, et ne ii quidem, cui reliqui tutelam, puta eius adminiſtrationem, decreuerunt, id munus ob pactum cum contutoribus primum conſequebantur, ſed adminiſtrationem tantum. De contutore enim, non de extraneo, loqui ICtum, ex reliquis teſtimoniis ſatis adparet. In altera lege extraneo mandatur geſtio, ſed tantum abeſt, vt is tutor fiat pactitius, vt ne tutor quidem ſit, ſed tutoris procurator, quia *ipſe* non tamquam *tutor geſſiſſe videtur*, *qui per alium geſſit.* Id quod et de tertio loco dicendum, nec non de quarto, vbi diſerte negatur, eum tutorem fieri, cui geſtio mandatur, *ſed eum geſſiſſe credi tutelam* adſeueratur, *qui alii gerendum mandauit.* Vlpianus in quarto textu aperte loquitur de tutoribus, quos pater teſtamento dederat. Monet enim, ſi is *non adiecerit, vt vnus gerat*, tunc vel voluntate contutorum, vel praetore

tore ita decernente, vni geſtum committi. Num vero, qui iam ex teſtamento tutor eſt, ideo pactitius ſit, ſi illi geſtus committitur? Poſtrema conſtitutio, *ipſos tutores res adminiſtrationis diuiſiſſe*, refert. Tutores ergo fuerunt, antequam res illas administrationis, interueniente pacto, diuiderent. Qui iam antea tutores fuerunt, tales non demum fiunt per pactum: ac proinno non ſunt tutores pactitii.

§. XXVI.

Et haec ſunt, quae *de tutela pactitia* diſſerenda putaui: quae ex humaniore iuris prudentia, ipſiſque veterum ſcriptorum monimentis paſſim illuſtrare licuiſſet, niſi argumentorum et ſyllogiſmorum argutiae, quibus mihi noua iuris prudentia obtruditur, logicam exigere viſae eſſent analyſin. Ne ergo mirare ſyllogiſmos paſſim inſperſos, quibus ornamentis alias in hoc ſcribendi genere doctores vti vix ſolent. Iuvenalis (*a*) olim eo ſe ſaeculo natum eſſe credebat, quo *difficile* eſſet *ſatyram non ſcribere*: alioque loco (*b*) lepide canit: *Concluſio diſſertationis.*

Si natura negat, facit indignatio verſum,
Qualemcumque poteſt, quales ego, vel Cluuienus.

Sed mihi certe, eo ſaeculo nato, quo omnia demonſtrationibus, ſyllogiſmis, ac ſoritibus perſtrepunt, difficile etiam fuit, non ſcribere ſyllogiſmos. Quos vero natura, ingenium, priſtinaque ſcribendi ratio mihi negant, facit indignatio ſyllogiſmos,

Qualeſcumque poteſt, quales ego, vel Duarenus.

[*a*] *Sat. I. v.* 30. [*b*] *Sat. I. v.* 79.

VII.

VII.

DISSERTATIO DE EO, QUOD IN ARTE TYPOGRAPHICA ADMIRANDVM EST.

QVamuis ita comparatum ſit hominum fere omnium ingenium; vt magnopere delectentur *prodigiis*, eaque quotidie et vbique veluti aucupentur: tanta tamen plurimorum oculis caligo offuſa eſt, vt ea, quae maxime ſtupenda, et prodigiis ſimillima ſunt, vel non videant, vel indigna attentione ſua arbitrentur. Nimirum, ſi quid in hac rerum natura contingit, quod a pluribus annis a nemine obſeruatum eſt, ſi minax in caelo fulget cometa, ſi noua quaedam ſtella aliquamdiu reſplendet, ſi plures vel ſoles vel lunae pallida luce mortalium oculos fallunt: id vero tamquam mirabile ac prodigioſum omnium aduertit atque adficit animos, quin et futuri ſollicitos homines ad varias promendas diuinationes excitat, vt alii canant bella, horrida bella, alii miſerandam luem hominibus, animalibus, arboribus, ſatiſque minentur, alii ipſum decretorium illum diem adeſſe, deierent, quo interibit hoc vniuerſum,

totaque diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi (*a*).

At ea omnia, quae quotidie oculis obuerſantur, quamtumuis mirabilia, vel ipſa frequentia euileſcunt, et vix digna paullo adcuratiore contemplatione exiſtimantur.

Neſcio,

[*a*] LVCAN. *Pharſal. Lib. I. v. 79. ſeq.*

Neſcio, an illa ingenii humani labes luculentiore exemplo demonſtrari a quoquam poſſit, quam *arte illa incomparabili*, cuius origines ac feliciſſimos progreſſus hodierno die recolimus, et feſto ritu publice celebramus. Quotus quiſque enim eſt, qui in illa chalcographica arte contemplanda admirandaque haereat? Quotus quiſque in ea ſibi admirandum quid ac prodigioſum deprehendere videtur? Quotus quiſque ad praeſtigiatorum acetabula non multo magis, quam ad typothetarum celeritatem, obſtupeſcit? Et tamen, ſi recte ponamus calculum, nulla vmquam ars reperta eſt a mortalibus, quae et admiratione, & prodigii nomine dignior videatur, *typographica*, in qua, ſi vſquam alias, τὸ θεῖον iſtud, quod in artibus quaeritur, tamquam in exterſiſſimo quodam ſpeculo relucet.

Qui *Sibyllae foliis* aliquid tribuunt, id praecipue mirantur, fatidicam iſtam mulierem huius artis inuentionem, imminentemque ab illa antichriſto ruinam, tamquam vatem ceciniſſe. Eo enim pertinere putant verſum decantatiſſimum (*a*):

Αἰλῖνος ἔκτοτε καιρὸς, ὅτι λίνος αὐτὸν ὀλεῖται:
Miſerum inde tempus, quia linum *perdet eum*:

quem viri quidam doctiſſimi de charta, ex lino minutatim contuſo confecta, in qua libri excudi ſolent, interpretantur, et praedici exiſtimant, „his demum armis lineis, id eſt, libris impreſſis confoſſum „periturum eſſe antichriſtum, nullo antea tormentorum genere ex„pugnabilem". Enimuero, vt iam de oraculorum iſtorum fide nihil dicamus: quid eſt, quaeſo, quod nos verſum illum de arte typographica potius, quam ſimplici arte ſcriptoria accipere cogat? Vt ergo non immoremur huic vaticinio, alia ſunt in ea arte, quae non mireris tantum, ſed et ſtupeas.

Deus O. M. ita hominem condidit, vt eum non modo facultate illa inaeſtimabili, quam *rationem* adpellamus, ſed et *ſenſibus*, quibus ea, quae extra eum contingunt, percipiat, exornarit. Harum porro ſentiendi facultatum fines ita regere placuit ſapientiſſimo Numini, vt nulla harum alterius vicem obiret, nulla alterius officio fungatur, ſed ſuo quaeque decore contenta, ſe ab alterius functione religioſe

[a] *Lib. VIII. v.* 59. et ibi *notae* SERVATII GALLAEI, *pag.* 686. *ſeq.*

abſtineat. Sic omnia extra ſe poſita videt oculus, deque eorum quantitate, ſitu, figura, colore adcuratiſſime iudicat: at nihil ille audit, nihil olfacit, nullius rei guſtu, duritie, mollitieue adficitur, quemadmodum nec auribus videmus, nec tactu olfacimus vel audimus, nec nares aurium oculorumque miniſterio vmquam funguntur. Quamobrem ſi hominem produceret natura, ita a Deo efformatum, vt, oculis licet orbus, omnia tamen viſibilia auditu, alioue ſenſu callide diſcerneret, quales aliquando exſtitiſſe, magni auctores memoriae prodiderunt (a): quis non iſtum ſtuperet, totamque illam naturae ſollertiam, qua oculorum iacturam tam mirifice penſauit, prodigiis accenſendam eſſe fateretur? Et id tamen quotidie contingere, ſine omni ſtupore atque admiratione animaduertimus. Quotieſcumque enim quis animi ſui ſententiam litteris in charta exprimit, quoties vel epiſtola abſenti quid ſignificat, vel libro ſcripto diſciplinam interpretatur, vel aliquid, quod ſcire poſterorum intereſt, in acta monimentaue publica refert: toties ea re efficit, quod omni prodigio videtur mirabilius, vt, quod auribus percipiendum erat, id oculis vel noſtris, vel alienis cernamus: quin et poſteri velut coram poſitas hominum iam pridem mortuorum non modo verba, verum etiam cogitationes contemplentur. Quis vero id neget prodigio ſimile eſſe, videndo percipere alterius ſermonem, contemplarique cogitationes, etiam defuncto cogitante ſuperſtites? Id ſane tam mirabile ac ſtupendum viſum eſt viris doctiſſimis, vt *ſcribendi artem* non aliunde, quam ab ipſo Deo immortali proficiſci potuiſſe crederent. Vt enim iam non dicam de veteribus, qui litterarum originem ad Hermetem τρὶς μέγιςον [b], id eſt, ut Iuſtinus Martyr [c] interpretatur, ad *Deum ter maximum* referunt, neminem ignorare credo, fuiſſe noſtra memoria virum magna doctrinae laude inſignem, qui ipſum Deum primum ſcripturae ſpecimen in tabulis legum decalogi edidiſſe, hominesque adeo ſcribendi artem docuiſſe, exiſtimarit. In quam profecto ſententiam ille eo potiſſimum argumento adductus eſt, quod maius atque admirabilius illi videretur hoc inuentum, quam vt ab humano ingenio proficiſci potuerit.

Si itaque tantum prodigii ineſt ipſi ſcribendi arti, vt in ea θεῖόν τι manifeſto ſibi deprehendere videantur viri doctiſſimi: quid dicamus de *diuina* illa *arte*, quae artem illam incomparabilem ad ſummam,

quae

[a] Io. Andr. Schmidtii *Diſſert.* inſcripta: *caecus de colore iudicans.*

[b] Cassiodor. *Variar.* *Lib. VIII.* *epiſt.* 1.

[c] Ivstinvs Martyr *Apolog.* II. *pag.* 67.

quae ſperari potuit, perfectionem perduxit? Scribitur hic, ſed ſine calamo: ſcribitur non vni aut alteri, ſed omnibus: quumque alias ſcribendo magno ac aerumnoſo labore non niſi vnum exemplar perficiamus: typotheta una eademque opera, ac intra multo minus temporis ſpatium, aliquot eorum millia, nulla litura, nulla litterarum diuerſitate deformia, nec, (quod in pleriſque ſcripturis contingit), lectu difficilia, ſed elegantiſſima, perſpicua, ſibique per omnia ſimilia, abſoluit. Praeterea quum raro quis recte atque adcurate ſcribat, quod non intelligit: talia quotidie ſcribunt typothetae, Latina, Graeca, Hebraica, Syriaca, Arabica, Indica, quin et mathematicorum ſubtiliſſimos libellos ita quotidie exprimunt, vt ea omnia ab hominibus omnium linguarum artiumque callentiſſimis, magno adhibito iudicio, ſcripta excuſaque eſſe crederes. Denique in ſcribendo ſi quando aberrauit manus, aut aliquid ſuperfluum, omiſſum, traiectumue eſſe adparet: non aliter procedit emendatio, quam vt lituram inducas aliis, alia ſcalpello eradas, alia vel lineis ſuperſcribas, vel adiicias margini. Quae omnia et deformiorem reddunt ſcripturam, et lectu tanto difficiliorem, quanto magis oculis modo huc, modo illuc, diuagandum eſt ad verba diſiecta, tamquam diſperſa Hippolyti membra colligenda. Horum nihil in libellis, qui praelo exeunt, euenit, dum typothetis fortuna adiungat hominem doctum ac diligentem, qui emendandi operam ſuſcipiat. Hic enim ſi recte fungatur officio, omnes naeuos facile tollent artifices, et ita tollent ſuperflua, ita omiſſa ſupplebunt, ita denique traiecta ſuo ordini integritatique reſtituent, vt nullum priſtini erroris exſtet veſtigium. Iam eat quis, perfricet frontem, et haec omnia digna admiratione, digna prodigii nomine eſſe, neget. Sane ſi quis ante aliquot ſaecula praedixiſſet, excogitatum iri artem, qua freti pauci homines ea, quae vix mille homines plurimis annis calamo exſcriberent, intra totidem menſes decies millies, et multo quidem nitidius atque emendatius, ſine calamo ſint deſcripturi: non minus profecto incredibile id viſum eſſet hominibus, quam ſi quis in fatis eſſe dixiſſet, vt aliquando plures vno ſole vices temporum regerent, vel vt maria ſine nauibus tranſmitterentur. Poſtquam vero id re ipſa eueniſſe animaduertimus, id non adeo prodigioſum videtur pleriſque, nec quiſquam fere eſt, qui in diuino iſto inuento magnum quid aut admirabile ſibi deprehendere videatur.

At ſi nihil omnino eſſet aliud, quod, artem hanc admirabilem ac paene ſtupendam eſſe, demonſtret, vel admirabiles illi atque vberrimi

fructus, quos inde cepit eccleſia ac res publica litteraria, id abunde demonſtrarent. De vtilitate, quam *eccleſiae* typographia attulit, iam alios tam copioſe ac erudite huius diei feſti occaſione diſſerentes audiuimus, vt ocium nobis factum videamus. Nec defuerunt, qui de *rei publicae litterariae* incrementis, quae arti typographicae debet, tanta cura dixerunt ſcripſeruntque, vt ſi quid addere coner, videri poſſem Iliada poſt Homerum ſcripturus. Quare pauca tantum, quae calamum ſua ſponte ſubeunt, ne plane ἀσύμβολος diſcedam, addere iuuabit.

Primo mirata eſt antiquitas ſplendidiſſimas veterum quorumdam regum bibliothecas, quas ciuium bono immenſis, ac plane regiis impenſis inſtruxiſſe dicuntur. Et fuere ſane in his diffuſiſſimae Ptolemaei Philadelphi *Alexandrina*, Attali *Pergamena*, et imperatorum *Byzantina*. *Prima* enim, ſi Ioſepho (*a*) credimus, ducenta; ſi Senecae (*b*), quadringenta; ſin Gellio (*c*), ſeptingenta voluminum millia pluteis ſuis complexa eſt. *Alteram* ad ducenta librorum millia excreuiſſe, tradit Plutarchus (*d*). In *tertia* centum et viginti millia Cedrenus (*e*) numerauit, ſed ἁπλᾶ βιβλία, *libros ſingulares*, vti ait Plutarchus, id eſt, vt ſinguli libelli, etiam minimi, quorum plures hodie vno volumine comprehendimus, in cenſum venirent. Solebant enim veteres ſingulos vnius operis libros ſingularibus membranis vel chartis inſcribere, eaſque ita conglutinare, vt vnum volumen ligno circumuolutum conſtituerent. De vetere librorum ſacrorum diuiſione ex inſtituto egit Richardus Simon (*f*), ipſique, qui ſuperſunt, veteris teſtamenti codices manu ſcripti ſatis oſtendunt, Iudaeos raro, vel numquam vniuerſum ſacrorum librorum corpus vno volumine comprehendiſſe. Id vero et in aliis auctoribus grandioribus factum, quorum vel ſinguli libri, vel breuiorum librorum tetrades, enneades, vel decades ſeorſim ſcribebantur, ceu exemplis operum Platonis, Plotini, Liuii, aliorumque poteſt demonſtrari. Iis vero poſitis, facile decima pars immenſo illi librorum numero decedet, vt in *Alexandrina* libri circiter ſeptuagies mille, in *Pergamena* vicies mille, in *Byzantina* duodecies mille fuerint. Quae quidem multitudo tam mediocris eſt, vt primam hodie haud paucas bibliothecas publicas, poſteriores et priuatas quaſdam non modo attingere, ſed et ſuperare videamus. Quod ergo olim vix potentiſſimi reges immenſis ſumtibus adſequebantur, id hodie et

(*a*) *Antiquit. Iudaic. Lib. XII. cap.* 2.
(*b*) *De tranquillit. anim. cap.* 9.
(*c*) *Noct. Attic. Lib. VI. cap. vlt.*
(*d*) In *Anton.*
(*e*) In *Hiſtor. Baſiliſc. pag.* 288.
(*f*) *Hiſtor. critic. veter. Teſtam. Lib. I. cap.* 9.

et mediocris fortunae principes et res publicae, immo et priuati paullo opulentiores, facile adſequuntur ſolo typographiae beneficio, quae adeo ſingulorum librorum numerum amplificauit, vt et maxima opera, quae olim aliquot aureorum millibus veniſſent, hodie tolerabili pretio vel in tabernis librariis proſtent, vel auctionis lege poſſint comparari. Si itaque Oſymanduas, rex Aegypti, bibliothecae a ſe inſtitutae recte praeſcripſit: ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ, *medica animi officina* (*a*): quam admirandam ſtupendamque dicemus artem typographicam, cui tot fere ψυχῆς ἰατρεῖα, quot eruditorum muſea numerantur, debemus?

Alterum, quod hic non duximus praetereundum, eſt praeſtantiſſimorum operum *aeternitas*, ex eo demum tempore, quo ars illa viguit, arceſſenda. Quot eminentiſſimorum ingeniorum monimenta olim vel tota, vel maximam partem interciderint, nemo, niſi rei litterariae vniuerſae plane ignarus, ignorat. Quanto pretio hodie redimeremus tot opera *veterum eccleſiae doctorum*, quorum Hieronymus ſeruauit memoriam, tot volumina veterum *ICtorum*, ex quibus Pandectas decerpſit Tribonianus, tot denique *philoſophorum* diatribas, quas Diogenes Laërtius recenſuit? Quantum theſaurum nobis acceſſiſſe diceremus, ſicubi integra reperirentur Polybii, Diodori Siculi, Dionyſii Halicarnaſſenſis, Dionis Caſſii, Nicolai Damaſceni, Salluſtii item, Ciceronis, Liuii, & Cornelii Taciti opera, quibus ob praeſtantiam aeternitas vel maxime debebatur? At ea ſpes iam pridem euanuit. Quum enim nec ſufficeret tot monachorum induſtria omnibus veterum voluminibus deſcribendis, nec eo pollerent iudicii acumine, vt optima quaeuis ac praeſtantiſſima ſeligerent: fieri profecto non potuit, quin ſaepe in rebus minimi momenti, quin aliquando in nugis et quiſquiliis occupati, meliora negligerent, eaque vel muribus et tineis eſcam relinquerent, vel relegarent ad piper et tus, atque adeo illa miſere perire paterentur. Perierunt ergo optima quaeuis, atque ita perierunt, vt vix fractae quaedam tabulae commune iſtud naufragium euaſerint, quin vt quaedam eorum exſtitiſſe hodie ignoraremus, niſi eorum memoriam veteres nobis ſeruaſſent. Tam fatale orbi litterario diluuium in poſterum vix metuendum videtur, poſtquam incomparabilem illam artem poſtremis ſaeculis conceſſit Deus. Eſt enim illa veluti *altera iris*, gratiae ſignum, quod poſteris denunciat, Deum orbem litterarium non iterum perditurum. Quidquid praeclarum, lectuque dignum eſt, in tam multa exemplaria a typographis diffunditur, vt nullum illi facile periculum interitus immineat. Et ſi forte tale

(*a*) Diodor. Sicvl. *Lib.* I. *pag.* 45.

opus ſemel iterumque excuſum in tabernis librariis diſpareat: non deſunt, qui nouas, eaſque multo nitidiores curent editiones, illudque orbi litterario reſtituant. Si quid typis impreſſum plane euaneſcit, illud fere eius generis eſt, vt nullius pretii habeatur, & magis interſit rei publicae litterariae, illud vel numquam exſtitiſſe, vel interiiſſe propediem. Quod itaque nec aes, nec marmora, nec caelo minantes columnae ac coloſſi praeſtare potuerunt: id typothetae praeſtant ingeniorum monimentis, puta *aeternitatem*. Qui quid bene ac erudite ſcripſit, nactuſque eſt diligentem, qui illud typis exſcribat, typographum, is demum multo certiore ſpe, quam olim Horatius (a) ſibi operique ſuo promittit immortalitatem, et iure quodam ſuo canit:

Exegi monimentum aere perennius,
Regalique ſitu pyramidum altius:
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, et fuga temporum.
Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam; vſque ego poſtera
Creſcam laude recens.

Sed non licet iam indulgere calamo, neque tantum mihi iam ocii eſt, vt omnia, quae *de diuinae artis praeſtantia, iiſque, quae in illa admiranda ſunt,* in chartam coniicere poſſim. Quare portum reſpicio, viriſque ornatiſſimis, qui apud nos hanc artem cum laude faciunt, ipſique arti *tertium* hunc *annum ſaecularem* laetus laetitiis omnibus gratulor. Faxit ſummum Numen, vt perpetuo floreant eorum officinae, et typorum nitor, emendationiſque cura noua quotidie tantaque capiat incrementa, ut exacto *quarto ſaeculo*, nepotes pronepoteſque noſtri aliquando Belgicam ac Gallicanam elegantiam in Germanorum, et Halenſium in primis, typographiis mirentur. Seruet Deus eccleſiam, ſeruet litteras, iiſque ſempiternum in vrbe noſtra domicilium conſtituat. Seruet bibliopolia et typographias, praecipuum illud litterarum praeſidium! Faueat porro muneribus ſuis, totque, quibus nos cumulauit, bonis addat perpetuitatem!

VIII.

[a] *Carmin. Lib.* III. *od.* 30. *v.* 1. *ſeqq.*

VIRO
MAGNIFICO, ILLVSTRI,
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
NICOLAO HIERONYMO
GVNDLINGIO,
IVRIS CONSVLTO,
POTENT. REGI BORVSSIAE
A CONSILIIS SECRETIORIBVS
ET ECCLESIASTICIS,
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM, ANTIQVITATVM,
ET ELOQVENTIAE
PROFESSORI PVBL. ORD.
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
H. T. PRO-RECTORI. *

QVamquam mihi maximopere verendum ſit, illuſtris *Gundlingi*, vt oculos tuos, ſine rubore, ferat libellus, quem iam pridem auditorum meorum deſtinaueram vſibus, et extemporali paene opera in chartam conieceram: fretus tamen humanitate tua, atque incre-

 dibili

(*) [*Praemiſſ. edit. prim. Fundam. ſtil. cult.*]

dibili erga omnes, in quibus eſt aliqua non alieni a Muſis ingenii ſignificatio, beneuolentia, celeberrimum nomen tuum, tamquam hederam, illi praefigere ſuſtinui. Quemadmodum enim de poëmate, aut tabula aliqua, non, niſi poëtae atque artifices, Ioue aequo, iudicare ſolent: ita, an quidquam petii his *cultioris ſtili fundamentis* ſtatuendum videatur, tuum potiſſimum, vir illuſtris, erit arbitrium, quem non ſolum politioribus litteris, in hac academia, praeeſſe, iuſſit regis ſapientiſſimi auctoritas, verum etiam publica fama, ob ſingularem eloquentiam, incorruptis laudibus iam dudum ad caelum extulit. Deinde, quum, quanti te ſemper fecerim, quantumque praeclaram illam eruditionem atque adcuratum iudicium ſuſpexerim, ego mihi optime conſcius ſim: mea intereſſe, putaui, vt etiam publice exſtet aliquod obſeruantiae in te meae monimentum. Denique id ipſum debere beneuolentiae tuae viſus ſum, qua tibi me, quauis occaſione, ita obſtringis, vt, niſi teſtatam apud omnes eſſe vellem grati animi ſignificationem, vix viderer ingrati ſuſpicione abſoluendus. Suſcipe itaque, vir illuſtris, hunc libellum, ea humanitate, qua ſoles, quidquid a bonis proficiſcitur, ſuſcipere, tibique perſuade, quaeſo, ſi vllo vmquam tempore eueniat, vt officiis meis, quantum te in oculis feram, oſtendere poſſim, nemini me, qui id promtius, animoque alacriore faciat, conceſſurum. Vale. *Halae VIII. Kal. Octobr.* cIↄIↄCCXVIIII.

ILLV-

* * * * * * * * *

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO

MARQVARDO LVDOVICO

L. B. DE *PRINZEN*,

POTENT. PRVSS. REGIS ADMINISTRO

STATVS INTIMO,

SVPREMO AVLAE REGIAE MARESCHALLO,

CONSISTORII PRAESIDI

RERVM ECCLESIASTICARVM

ET FEVDALIVM

DIRECTORI,

ORDINIS NIGRAE AQVILAE

EQVITI,

ACADEMIAE FRIDERICIANAE

CVRATORI PERPETVO.

QVum ante hoc quinquennium libellum hunc primum in publicum prodire paterer, illuſtriſſime *Marquarde Ludouice* : maximum ei ſplendorem a nomine tuo acceſſurum, non vano augurio coniiciebam. Et tunc quidem affectus erumpebat in calamum, vt hac te epi-

(*) [*Praemiſſ. edit. ſecund. Antiquit. Roman. et quidem Part. I.*]

ſtola, ſi non comta ſatis ac polita, fida tamen animi mei interprete, adloquerer. *Quod aliis, libellos ſuos emancipaturis, contingere ſolet, illuſtriſſime* Prinzeni, *vt quem iis potiſſimum patronum, ac veluti tutorem, inueniant, ancipiti ſecum deliberatione diſquirant: illud neque iam accidit mihi, neque vmquam accidere poſſe videtur. Ecquis enim eſt, cui me meaque omnia potiore iure debeam, quam tibi, cui id naturae bonitas, paritque tanto ſtudio virtus attribuit, vt tuendis prouehendiſque optimarum artium ſtudiis omnes mei ordinis homines ſuauiſſimo tibi vinculo obſtringeres? Cui potiore iure hunc qualemcumque ingenii mei foetum conſecrarem, quam tibi, qui a tot annis, in me ornando adſerendoque a maleuolorum inſultibus, tam luculenta dediſti inuſitatae benignitatis argumenta, vt ob mirificam illam tuorum in me meritorum magnitudinem ingrato mihi viuendum moriendumque videatur? Cui denique potiore iure otii mei conſtaret ratio, quam tibi, qui iuſſu potentiſſimi regis non ſolum tot eccleſiis et prouinciis, verum etiam academiae noſtrae ſingulari cura atque prouidentia inuigilas, nihilque facis reliqui, vt ea excelſiſſime floreat, et maioribus ſubinde auctibus ad ſummam, quam ſperare licet, amplitudinem proueh atur? Hae ſunt, illuſtriſſime vir, tum communes illae, tum propriae mihi rationes, quae omne, ſi quod fuiſſet, anceps conſilium excuſſiſſent animo, neque paſſae eſſent, cuiuſquam nomen huic opuſculo praeſcribi, quam tuum, quod omnibus litterarum amantibus veluti ſacrum eſt atque auſpicatiſſimum. Leue eſt, quod offero, fateor, et cuiuſuis potius, quam tuo, conſpectu dignum: ſed non protritum tamen, et, quod caput rei eſt, ſtudioſae iuuentutis, cuius me vſibus auguſtiſſimi regis voluntas conſecrauit, ſtudiis deſtinatum. Ex quo enim docendi munus clementiſſime mihi demandatum eſt: illud ſemper obnixe egi, vt publicis praelectionibus non vulgaria quaedam ac tralatitia, ſed ſelecta et omnibus profutura proponerem. Hinc non modo praecipuas philoſophiae partes, modo iuris prudentiam naturalem, modo hiſtoriam iuris Romani et Germanici, modo antiquitates Romanas, quae ad illuſtrandam iuris prudentiam faciunt, adcurate expoſui. Et inter poſtremas iſtas lucubrationes natus mihi eſt tenuis, cuius priorem nunc partem offero, libellus, qui ſi nulla alia re, certe illuſtriſſimi nominis tui ſplendore ſeſe legentibus commendabit. Quare accipe, quaeſo, vir illuſtriſſime, eo vultu, eaque fronte, qua ſoles bonos omnes excipere, et incredibili illa benignitate, qua fortunam meam adhuc prouexiſti, etiam in poſterum me ad quoſuis labores rei publicae litterariae cauſſa ſubeundos alacriorem redde. Sane tu es fortunae meae praeſidium, tu mihi in aduerſitatibus aſylum tutiſſimumque perfugium praebuiſti. Per te hic viuo, per te doceo, per te honeſtiſſimo loco atque otio perfruor. Hunc vnum, obſecro,*

cro, innumerabilibus hiſce in me beneficiis adiice cumulum, vt et in poſterum me haud indignum iſta gratia atque benignitate tua exiſtimes. Ego, quod mearum erit partium, numquam committam, vt te conceptae de me opinionis, collatorumque in me tot ornamentorum poeniteat. Adſiduè potius precabor moderatorem rerum omnium, Deum, vt te, bono publico natum, quam diutiſſime ſoſpitem, florentem, ſuperſtitem eſſe velit, ac ſero demum intereſſe iubeat beatiſſimae illi, ad quam omnes actiones tuas referre ſoles, aeternitati. Vale, illuſtriſſime Prinzeni, *iterumque vale.* Ita vero eo tempore te compellaui, cum tuo potiſſimum ſuffragio, tuaque auctoritate Halae docendi munere functus, nouos quotidie tuae in me clementiae caperem fructus, tuque nullam me ornandi prouehendique elabi occaſionem patereris. Ex eo tempore tanta iſtorum beneficiorum tuorum facta eſt acceſſio, vt, cui per omnem vitam plus, quam tibi, debeam, ſciam omnino neminem, tua enim potiſſimum commendatione, tuoque ſuffragio factum nuper eſt, vt rex potentiſſimus me nihil tale cogitantem, luculentiore oblato ſtipendio, in Viadrinam euocaret, meque ibi iura interpretari iuberet multo clementiſſime. Quid ergo, in nouo hoc conſtitutus theatro, prius mihi aut antiquius exiſtimem, quam vt partim pro hoc tuo de me iudicio publice me tibi aeternum fatear obſtrictum, partim in id enitar vnico, vt ne vmquam ſpem, quam de me concepiſti, deſtituiſſe videar. Age itaque, vir illuſtriſſime, recipe libellum, animi tibi deuinctiſſimi obſidem, ea fronte, qua ſoles, quodcumque a bono viro proficiſcitur, recipere. Recipe opuſculum, pignus tibi futurum, me nihil, quod muneris ratio, et ſtudioſae pubis exigit vtilitas, vmquam praetermiſſurum. Sane quum libellus olim in vſum auditorum meorum concinnatus non ſine plauſu exceptus ſit a quamplurimis, et hinc tam breui tempore inuenerit emtores, vt iam altera vice exercuerit operas: ego tamen omnibus omnium iudiciis, quamuis honorificentiſſimis, facile anteponam tuum, quod et rectum adcuratumque eſſe ſolet, et mihi ad maiora erit incitamento. Ceterum vota, quae olim concepi, ſoluo, concipioque noua, vt Deus te, bono rei publicae, diutiſſime ſaluum fortunatumque intereſſe rebus humanis: illuſtriſſimaeque genti tuae eam fortunam laudemque iubeat eſſe propriam ac perpetuam, quam tu a maioribus acceptam tuis innumerabilibus in rem publicam meritis mirifice amplificaſti. Vale. *Halae Magdeburg. Kal. Sextil.* CIↃ IↃ CCXXIII.

VIRO

* * * * * * * * * * *

VIRO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
CHRISTIANO THOMASIO,
ICTO CONSVMMATISSIMO,
POT. PRVSSOR. REGIS CONSILIARIO
INTIMO,
FRIDERIC. ACADEM. DIRECTORI,
ET
FACVLT. IVRID. PRAESID. ORDIN. *

EX quo me diuinum, quod res noſtras moderatur, Numen in hac bonae mentis ſchola, tamquam in ſtatione, collocauit: neſcio, an cuiquam plus debeam, quam tibi, vir illuſtris, quem mihi et ducem et auctorem ad *ſolidioris* doctrinae cultum, et patronum certiſſimum exſtitiſſe, non poſſum non publice profiteri. Equidem quantum ex lucubrationibus tuis eruditiſſimis quotidie proficiam, quantumque olim ex publicis tuis praelectionibus fructum ceperim, ingratus eſſem, ſi diſſimularem. Sed ſunt tamen et alia, quae in me gratam beneficiorum tuorum excitant memoriam. Numquam mihi in quibuſcumque difficultatibus conſilium, numquam auxilium tuum defuit: ſemper mihi ex bibliotheca tua inſtructiſſima quodcumque expetii, animo lubentiſſimo ſuppeditaſti, et, vt paucis me expediam, tu ſane in iuuando me facilior, quam ego in exigendo poſtulandoque, fuiſti. Patere itaque, vir illuſtris, et, quod cognomen non adſpernaberis, *integerrime*, vt hoc venerationis erga te meae, ſimulque grati animi publice exſtet monimentum. Patere, vt, quae adhuc mihi ſuauiſſima fuit, beneuolentia tua, eam vt in poſterum quoque mihi integram ſeruari, maximopere a te contendam; maxime quum Deo viſum fuerit, me ex hac ſtatione

* [*Praemiſſ. edit. ſecund. Antiquit. Rom. et quidem Part. II.*]

ſtatione in Viadrinam euocare. Ego ſane quemadmodum te praeſens ſemper obſeruaui, et non fortunam, ſed virtutem doctrinamque tuam quam maxime colui: ita et abſens, vbicumque terrarum fuero, tam iucundum venerabor nomen, et ſerio ſummum precabor Numen, vt te in orbis eruditi emolumentum, decuſque Fridericianae quam diutiſſime ſoſpitem praeſtet ac incolumem, meque eum diem videre patiatur, quo luculentiore argumento teſtatius fieri poſſit, quanta te veneratione proſequar. Vale. *Halae Kal. Sextil.* cIɔIɔccxxiii.

* * * * * * * * * * *

ILLVSTRI
AC
SPLENDIDISSIMO
VIRO
SICCONI
A GOSLINGA,
AGRI FRANEQVERANI PRAETORI,
MVLTIS LEGATIONIBVS SPLENDIDISSIMIS,
ET OMNIVM IN RE PVBLICA REGVNDA
DIGNITATIBVS CVM LAVDE
PERFVNCTO,
ACADEMIAE FRISIORVM ILLVSTRIS
CVRATORI
OPTIME MERITO.

Deſtinaui tibi libellum, cui forſan a ſolo hoc ſplendidiſſimo nomine tuo decus aliquod acceſſerit: et eo quidem conſilio de-

(*) [*Praemiſſ. edit. prim. Elem. iur. ciuil. ſecund. ord. Inſtit. adorn.*]

ſtinaui, vir illuſtris, vt, ſi non alia re, certe hoc munuſculo, quanta te veneratione colam, quamque ſancta mihi ſit tuorum in me beneficiorum memoria, publice demonſtrarem. Equidem ſi virtutes, quibus eniteſcis, ſi immortale decus, quod tibi perpetuis pro re publica laboribus peperiſti, ſi innumerabilia, quae in academiam noſtram exſtant, merita tua, ornata et copioſa oratione enarrare conſtituiſſem; nae ego mihi et modeſtiae tuae vim facere, et rem (quae aliud ingenii flumen, maioremque dicendi vim et copiam deſiderat), temere in me ſuſcepiſſe viderer. Quemadmodum enim omnia refers ad conſcientiam, et beatam illam, quae praemia incorrupta rependit, aeternitatem: ita non mirum eſt, te malle facere laudanda, quam a mei ordinis hominibus collaudari. Praeterea mihi, ſi me recte noui, nec tantum ingenium ſupereſt, nec iſtud litterarum praeſidium, quod par ſit, non dicam exornandis, ſed enarrandis tot praeclaris virtutibus, quas in te omnium laudandarum rerum auctor, Deus, cumulatiſſime contulit. Id vnum ergo mihi, haec ſcribenti, conſilium eſt, vt publice exſtet hoc qualecumque venerationis erga te meae, gratique animi, quem per omnem vitam ſeruabo, monimentum. Quamuis ſane, qui virtuti tuae iuſtum ſtatuant pretium, habeas quam plurimos: velim tamen tibi perſuadeas, me nulli mortalium in te admirando colendoque quidquam conceſſurum. Accipe itaque, quod offero, pignus, et conatum meum, ipſumque libellum aequi bonique conſule. Id enim ſi fuero conſequutus, *fructum me vigiliarum*, quas huic opuſculo adornando inſumſi, cepiſſe vberrimum arbitrabor. Vale, vir illuſtris, et rem publicam noſtram quam diutiſſime orna. *Franequerae* XII. *Kal. Mart.* cIↃ IↃCCXXV.

NOBILIS-

* * * * * * * * *

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQVE

VIRO

CORNELIO

VAN

BYNKERSHOEK,

ICTO SVMMO,

ET SVPREMAE HOLLANDORVM, ZEELANDORVM, ET OCCIDENTALIVM FRISIORVM CVRIAE, QVAE HAGAE COMITVM EST, PRAESIDI GRAVISSIMO. *

EX quo praeclara illa, quae publice exſtant, ingenii tui monimenta diurna nocturnaque manu verſare coepi, praeſes ampliſſime, tanta illico nominis tui veneratio intimo pectori meo inhaeſit, vt eius nullam vmquam acceſſionem fieri poſſe exiſtimarem. At quum nuper nihil tale cogitanti ea mihi obtingeret felicitas, vt ſuauiſſimo congreſſu tuo Amſtelaedami apud communem amicum frui, illudque os venerandum, quo ciuibus oracula quotidie fundis, illud admirabile ingenium, ex quo tantas doctrinae opes depromis, denique candidum illud, et ab omni arrogantia alieniſſimum, pectus coram intueri liceret: ad ſummam, qua te antea proſequutus fueram, venerationem tantus, mihi crede, cumulus acceſſit, vt iam demum amare videar, antea dilexiſſe. Et ſane quum mihi iuris prudentia, non illa quidem vmbratilis, et e variis interpretum ſomniis male conſuta, ſed vera ac maſcula, et e ſuis fontibus hauſta, vnice cordi ſit, et, quantum in me eſt,

(*) [*Praemiſſ. edit. prim. Commentar. ad leg. Iul. et Pap. Popp.*]

ita rationes meas componere ſoleam, vt ne mihi bene de illa merendi voluntas deeſſe videatur: quid te ipſo carius, cui contigit, quod neſcio an hodie nemini, vt, quod in arte noſtra ſummum eſt, incredibili ingenii bonitate cum ſummo ſtudio coniuncta, adſequereris? Nulla profecto fuit aetas, quae vberrimum dederit iureconſultorum eximiorum prouentum. Tullius, cuius temporibus ingeniis ad maiora nitentibus ampliſſima praemia, cum ad honores, tum ad diuitias, propoſita erant, iuris ciuilis magnum quidem vſum et apud Scaeuolam, et apud multos alios fuiſſe ait: artem tamen in vno Ser. Sulpicio. Et quamuis deinde diuina illa Iuliani, Celſi, Neratii, Papiniani, Vlpiani, Paulli, aliorumque ingenia magno numero illuxiſſent: Theodoſius tamen iunior paucos ſemper raroſque exſtitiſſe conqueritur, qui plena iuris ſcientia fuerint ditati, et in tanto lucubrationum triſti pallore vix vnum aut alterum recepiſſe ait ſoliditatem perfectioris doctrinae. Quid de inſequentibus ſaeculis dicam, quibus triſtiſſima caligo iuris prudentiae incubuit? Quid de aetate Cuiacii, cuius ſumma eruditio vix paucos ad eamdem doctrinae gloriam ſectandam inflammauit? Quid de noſtris temporibus, quibus omnis ad veram laudem impetus propemodum oblanguit? In tanta vero eximiorum iureconſultorum raritate quis iuris paullo ſtudioſior te non ferat in oculis, ampliſſime praeſes, qui ſolus fere hodie te ad veterum exemplum componis, noſtroque ſaeculo Cuiacium, ipſo Cuiacio, ſi viueret, fatente, reſtituis? Equidem maximus hic vir, viſo Biturigis Ioanne Haſteno, Iuliacenſi, eius ingenium, tamquam Phidiae ſignum, ſemel adſpectum *ita probauit*, vt in terſa ad Gregorium Lomellinum epiſtola fateatur, tantam in Haſteno eluxiſſe animi probitatem, tantam iuris peritiam, vt, eo loquente, ſibi ſaepe viſus ſit parum aut nihil in iure ciuili profeciſſe: ita ſaepe ſibi ab eo pudorem iniectum, aliter ſentienti, quam ipſe voluerit, ita ſaepe admirabilem illum eruditionem oſtentaſſe, vt dicere deinceps non dubitaturus ſit, vnum ſe noſſe Germanum iureconſultum, eximiae ſcilicet et ſpectatae eruditionis, Ioannem Haſtenum: vnum Italum, Gregorium Lomellinum. Magnifica ſane laus, et fere inuidenda, a laudato quippe viro, Iacobo Cuiacio, profecta, eoque ſincerior, quod ad hominem Italum ſcribens omnes Germano iuueni adulandi cauſſas procul habuiſſe videatur.

Et tamen Ioannem illum Haſtenum, qui ipſum Cuiacium in admirationem rapuit, fata oſtendiſſe tantum terris videntur. Saltim nec lucubrationibus vllis, quod ſciam, nec eximiis quibuſdam in patriam meritis tam immortalem ſibi gloriam peperit, vt hodie illum inter homi-

nes

nes fuiſſe neſciremus, niſi Cuiacius ipſi monimentum hoc aere perennius poſuiſſet. Quid vero de te iudicaturum fuiſſe dicamus Cuiacium, praeſes ampliſſime, ſi in ſaeculum hoc, quod te tulit, feliciſſimum incidiſſet? ſi humanitatem tuam cum incredibili vitae elegantia coniunctam cominus perſpexiſſet? ſi praeclara, et veluti ſub aſcia dedicata ingenii tui monimenta euoluiſſet, et tot obſcuris deſperatiſque iuris locis lucem a te tam feliciter animaduertiſſet redditam? Quid illi animi futurum fuiſſe credamus, ſi diffuſam eruditionem, diuinamque in critica εὐστοχίαν, et reliqua, quae in te ſunt, reconditarum litterarum praeſidia, a te tamen cum vita negotioſa et forenſi ita coniungi intellexiſſet, vt ſiue doctis ſcribas, ſiue e ſupremo tribunali promas exerceaſque iuſtitiam, id vnum per omnem vitam egiſſe videaris? Quid dicturum denique fuiſſe exiſtimemus, ſi tam prope, ac nos, abfuiſſet ab illo plauſu et congratulatione, qua te tua virtute, tuis meritis ad ampliſſimam dignitatem euectum non modo ciues tui, ſed boni vbique omnes nuper ſunt proſequuti? Fateretur profecto, iam demum ſe ſibi parum profeciſſe videri: fateretur, te ſibi aliquando pudorem aliter ſentienti iniicere: fateretur denique, iam vnum ſe noſſe iureconſultum, eximiae ſcilicet ac ſpectatae eruditionis, *Cornelium van Bynkerſhoek*, qui tantum inter reliquos caput efferat,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Huius modi elogium ferres, praeſes ampliſſime, ſi vel te Cuiacio, vel hunc tibi fata aequalem eſſe voluiſſent. Iam quum felicitati tuae id vnum deeſſe videatur, quod non, vt olim Haſteno et Lomellino, ita et tibi Cuiacius aliquis encomiaſtes contingat, non indignaberis, ſpero, mei ſaltim ordinis homines teſtatum ad poſteritatem facere, quanta admiratione proſequantur virtutes tuas, ſaeculis etiam venturis incitamento ad ſolidiorem iuris prudentiam futuras. Et eo quidem conſilio ampliſſimo nomini tuo hoc opuſculum inſcribere ſuſtinui. Cui enim potius? quum et aequiſſimum eſſe iudicauerim, exſtare aliquod amoris in te mei monimentum, et in eam ſpem atque opinionem ingreſſus ſim, ſi libellus tibi non plane diſplicuerit, non fore, vt vllius obtrectatoris inuidiam iudiciumque iniquius reformidet. Accipe itaque, quod offero, ea fronte, qua me ipſum nuper excipiebas, tibique perſuade, quaeſo, nihil vmquam a me magis ex animi ſententia ſcriptum, quam quod mihi de tuis laudibus non minus veritatis ſtudium, quam affectus flagrantiſſimus expreſſit. Vale, o Belgii decus. *Franequerae Friſiorum Kalend. Octobrib.* CIↃ IↃ CCXXV.

VIRO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
IOANNI PETRO
A LVDEWIG,
IVRECONSVLTO CELEBERRIMO,
POTENT. PRVSSOR. REGIS A CONSILIIS
SECRETIORIBVS,
ACADEMIAE HALENSIS CANCELLARIO,
ET
IVRIVM AC HISTORIARVM
PROFESSORI EXIMIO,
DYNASTAE
IN BENDORFF ET GATERSTEDT. *

IAm pridem tibi hoc officium debeo, vir illuſtris, vt, quanti praeclara tua, quae in vtramque rem publicam exſtant, merita, quanti inuſitatam, qua polles, eruditionem, ac ſinceram in primis amicitiam, qua raro exemplo et abſentem me proſequutus es, et faciam, et facturus ſim perpetuo, publico quodam monimento teſtarer. Quemadmodum enim ex priſtinae conſuetudinis noſtrae memoria incredibilem capio voluptatem, neque vmquam iſtius temporis ſine oblectatione recordor,

(*) [*Praemiſſ. edit. prim. Elem. iur. ciuil. ſecund. ordin. Pandect. adornat.*]

cordor, quo te collegam ſalutare, et non modo amore ac conſiliis tuis, ſed et aliquando bibliotheca illa locupletiſſima, et quae iam pridem priuati ſortem exceſſit, quin et in ſecretiore illo muſeo tuo colloquiis iucundiſſimis frui licuit: ita non potui, quin abſens magnopere delectarer teſtimonio illo praeclaro, quo ſtudia mea in palatio regio es proſequutus, et cui praecipue acceptum fero, quod rex potentiſſimus me in academiam ſuam ſplendidioribus, quam quiſquam praeuidiſſet, conditionibus reuocare decreuerit. Quum itaque de conclamandis vaſis, ac ſuſcipiendo in patriam itinere hoc ipſo tempore cogitem, quo hic libellus praelo exit, neque iam aliud prae manibus ſit, quo animum erga te meum teſtatum ad poſteros faciam: hunc ipſum libellum, vel hoc ſolo ornamento commendabilem futurum, illuſtri nomini tuo ex veteri formula, *dare, dicare, conſecrare* ſuſtinui. Cui enim potius? quum et ego totus in aere tuo ſim, et tu ipſe ſoleas meas eſſe aliquid putare nugas. Tuum erit, vir illuſtris, leue, aridaque pumice expolitum munuſculum aequi bonique conſulere, meque, te amantem, redamare. Quod vt facias, non quod de voluntate tua dubitem, ſed, quia mos eſt ita rogandi, etiam atque etiam rogo. Vale, vir illuſtris, rei publicae litterariae bono, quam diutiſſime. *Franequerae Friſiorum* x. *Kal. Sextil.* CIↃ IↃCCXXVII.

REVE-

* * * * * * * * * *

REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMO,
ATQVE EXCELLENTISSIMO
FRIDERICO ERNESTO
S. R. I. BARONI
IN CNIPHAVSEN,
POTENT. PRVSSOR. REGIS ADMINISTRO
CONSILII SANCTIORIS,
RERVM ECCLESIASTICARVM DIRECTORI,
CONSISTORII PRAESIDI,
REGIARVM ACADEMIARVM CVRATORI,
SACR. ORD. EQVESTR. IOANNIS EQVITI,
ET LIZENANAE DYNASTIAE
COMMENDATORI,
MAECENATI INCOMPARABILI. *

PRimum hoc eſt opuſculum, quod in lucem prodit, ex quo rex potentiſſimus, te potiſſimum auctore, me ex Belgio in hanc Viadrinam longe clementiſſime euocauit. Quod dum oculos tuos ſubit, cauſſam ſimul intelliges procul dubio, cur in eius fronte ſplendidiſſimum illud nomen tuum praefulgeat. Quemadmodum enim auſpiciis tuis factum, excellentiſſime vir, vt tam praeclara regiae munificentiae exempla in me

* [*Praemiſſ. edit. prim. Elem. philoſ. ration. et moral.*]

me exſtent : ita dies noctesque mihi in id elaborandum eſſe animaduerto, primum, ne vlli parti muneris mei defuiſſe videar, deinde, vt huius officii ac laborum meorum omnium rationem tibi ita probem, ne te ſpei de me meiſque ſtudiis conceptae, vmquam iure poeniteat. Et eo quidem conſilio iam has lucubrationes tibi conſecrare ſuſtinui, vir excellentiſſime. Neque enim tam rerum ignarus ſum, vt vel eas perſona tua dignas exiſtimem, vel me tanta facundia ac ſcribendi facultate praeditum arbitrer, qui tuam virtutem, ac ſpectatam inter cultiſſimas Europae gentes prudentiam, merita denique in rem publicam innumera, quibus nouus quotidie cumulus accedit, non dicam ornare laudibus, ſed vel enarrare tantum poſſim. Et te, excellentiſſime vir, ſcio reliquis virtutibus tuis et illam inprimis adiungere, vt facere laudanda, quam laudes tuas legere, et conſcientiam actionum tuarum teſtem, quam quemquam mei ordinis laudum tuarum praeconem, habere malis. Quare ampliſſimo hoc campo eminentioribus relicto ingeniis, te, vir excellentiſſime, vt hunc libellum, primum Viadrinarum lucubrationum ſpecimen, explicata, vti ſoles, fronte recipias, neque gratia ac praeſidio tuo in poſterum quoque non indignum iudices, vehementer etiam atque etiam rogo. Erit ſane, niſi me fallit augurium, quum incredibilem, qua te proſequor, venerationem diligentiamque, qua Spartam meam ornare contendo, indefeſſam luculentioribus argumentis teſtatam poſteris faciam. Quam votorum meorum ſummam vbi fuero conſequutus, tum demum fructum vigiliarum mearum ac totius ante actae vitae cepiſſe mihi videbor multo vberrimum. Te vero, vir excellentiſſime, rerum omnium arbiter, Deus, regi, rei publicae, familiae ſplendidiſſimae, academiae noſtrae, ac mihi denique, quam diutiſſime ſeruet! Scribebam e *Viadrina a. d. V. iduum April.* CIƆIƆCCXXVIII.

* * * * * * * * * *

VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO,
LVDOVICO OTTONI
NOBILI DOMINO DE
PLOTHO,
POTENT. PRVSSOR. REGIS IN SANCTIORE
CONSIL. ADMINISTRO,
ET
SVPREMORVM TRIBVNALIVM
PRAESIDI,
DYNASTAE IN PAREY, GERBSTAED,
REESEN, GVTTER, ET ILENBVRG,
PATRONO
LITTERARVM LITTERATORVMQVE
COMMVNI. *

QVem libellum, ante hoc decennium primum in lucem prodeuntem, viro illuſtriſſimo, Marquardo Ludouico de Prinzen, more maiorum conſecraueram, eum nunc, tertium praelo exeuntem, non alii me debere arbitratus ſum, quam tibi, quem inſignis non minus re-

* [*Praemiſſ. edit. tert. Antiqu. Rom.*]

rum ſcientia, quam natalium ac munerum ſplendor omnibus mei ordinis hominibus venerabilem reddit. Non potui ſane ego, quum ex Belgio euocatus in hanc prouinciam veniſſem, tuoque conſpectu ac colloquio coepiſſem frui, quin vel maxime mirarer incredibilem illam, quam tibi peperiſti, non modo rerum ciuilium, ſed et omnis elegantioris litteraturae notitiam, bibliothecam omni librorum rariſſimorum genere inſtructiſſimam, ipſam denique domum tuam, commune tot prouinciarum oraculum, ad quam non modo ciues litibus impliciti, rerumque ſuarum incerti, verum etiam litterarum paullo ſtudioſiores omnes quotidie confluunt, nec vnquam inde redeunt, niſi laetiores. Sane, ſi recte olim indicauit Plinius, eſſe hanc ſapientiae pulcherrimam partem, agere negotia publica, cognoſcere, iudicare, promere atque exercere iuſtitiam, quaeque noſtri ordinis homines docere oportet, in vſu habere: nemo, vt opinor, facile dubitauerit, quin tu, vir illuſtriſſime, id, quod in maſcula illa ac ciuili ſapientia ſummum eſt, iam pridem fueris adſequutus. Quibus cauſſis communibus, quae bonos omnes in tui admirationem rapiunt, quum et propriae accedant, inuſitata nimirum, qua ſtudia mea qualiacumque proſequeris, beneuolentia, Muſaſque meas a maleuolorum inſultibus tuendi ſtudium: occaſionem hanc mihi non praetermittendam eſſe putaui, hoc qualecumque meae in te venerationis monimentum ſtatuendi, concipiendique ſimul voti, vt Deus te vtriuſque rei publicae bono in multos annos ſoſpitem ſeruet atque incolumem. *Id enim eſt, quod a Deo immortali precibus ardentiſſimis* quotidie efflagito.

 VIRO

* * * * * * * * * *

VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
SAMVELI
LIB. BAR. DE
COCCEII,
POTENT. PRVSSOR. REGIS SANCTIORIS
CONSILII ADMINISTRO,
SVMMI TRIBVNALIS ET CONSISTORII
PRAESIDI,
RERVM ECCLESIASTICARVM
DIRECTORI,
OMNIVMQVE ACADEMIARVM REGIARVM
CVRATORI SVPREMO;
NEC NON VIRO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
FRIDERICO
DE *REICHENBACH*,
POTENT. PRVSSOR. REGIS CONSILIARIO INTIMO,
CONSISTORII
ET DIRECTORII RERVM ECCLESIASTICARVM
PRO-PRAESIDI,
REGIARVM ACADEMIARVM CVRATORI,
MAECENATIBVS INDVLGENTISSIMIS. *

QVamuis, ex quo me vitae academicae totum conſecrare coepi; nihil omnino mihi reliqui feciſſe videar, vt Spartam hanc pro

viril-

* [*Praemiſſ. edit. prim. Hiſtor. iur.*]

virili quotidie ornarem: tamen, poſteaquam in illuſtrem hanc Fridericianam redire iuſſus ſum, nouo me veluti ſacramento adactum exiſtimaui, vt munere hoc multo maiore cum cura, omnique animi contentione fungerer. Nam ſicuti hoc antea ipſa exiſtimatio mea exigere videbatur, ne tot laboribus quaeſitam otio ac torpore amitterem: ita iam mihi operam dandam video, primum, ne longe clementiſſimum potentiſſimi regis de me ſtudiiſque meis iudicium vmquam fefelliſſe videar: deinde, vt apud vos, academiarum conſtituendarum duumuiros, otii mihi conſtet ratio: denique, ne ipſius ſtudioſae iuuentutis opinionem, ſpemque de me conceptam turpiter deſtituam. Sane, niſi ipſa natura mea mihi ad colendum hoc officium boni viri incitamento eſſet, vel hae ſolae rationes non poſſent non me multo ad id reddere alacriorem, ac igniculos veluti quoſdam ſubiicere, vt nullos labores, nullaſque vigilias, quibus illuſtri huic academiae prodeſſe vllo modo poſſim, defugiam. Huius vero incitatiſſimi ſtudii mei primum hoc ſpecimen vobis, viri excellentiſſimi, offerre iam ſuſtineo, vt ſimul pignus ſit deuoti vobis obſtrictiſſimique tot beneficiis veſtris animi, quem quidem ego, quoad vixero, numquam, mihi credite, deponam. Vobis enim cum alia quamplurima, tum et id in primis debere me fateor, vt, migrationem ex Viadrina in hanc illuſtrem Fridericianam nullum rei meae familiari detrimentum adlaturam, non ſolum ſperare, ſed et confidere poſſe videar. Eſt quidem hoc omnium noſtri ordinis hominum fatum, vt quum virtus fortunaque vos, Maecenates, aliis omnibus antetulerit, *non niſi chartaceo aliquo munuſculo* referendae gratiae officio poſſimus defungi: at ego tamen cum illo coniungam animum tantorum in me beneficiorum perpetuo memorem; neque vmquam, dum ſpiritus hos reget artus, veſtra de me merita laudibus concelebrare, Deoque optimo maximo vitam atque incolumitatem veſtram flagrantiſſimis votis commendare deſinam. Valete, viri excellentiſſimi, remque publicam feliciter gerite. *Halae Magdeburg. ipſis Kal. Octobrib.* cIↄIↄCCXXXIII.

* * * * * * * * * * *

VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
SAMVELI
LIB. BAR. DE
COCCEII,
POTENT. PRVSSOR. REGIS IN SANCTIOR.
CONSIL. ADMINISTRO,
SVPREMORVM TRIBVNALIVM ET CONSISTORII
PRAESIDI,
RERVM ECCLESIASTICARVM ET FEVDALIVM
DIRECTORI,
REGIARVM ACADEMIARVM CVRATORI
SVPREMO. *

MAgnopere peccare mihi viderer in humanitatem tuam, vir illuſtriſſime, ſi te aegre laturum ſuſpicarer, quod iterum iterumque idem tibi praeſtare officium, et illuſtriſſimum nomen tuum, vti aliis, ita huic etiam, quem nuper adornaui, libello praefigere non dubitem. Quum enim beneficiis tuis tibi me iam pridem totum obſtrinxeris, et etiamnum nihil, quod ad me ornandum tuendumque aduerſus maleuolorum inſultus pertinere videatur, praetermittas; mei autem

* [*Praemiſſ. edit. prim. Tom. I. Elem. iur. Germ.*]

autem ordinis hominibus, praeter chartacea huius generis munuſcula, nihil prae manibus ſit, quo gratum animum patronis teſtentur, malo ego et hoc qualecumque meae erga te venerationis gratique animi exſtare monimentum, quam immemoris beneficiorum animi ſuſpicionem turpiſſimam apud ipſos poſteros incurrere. Et munuſculi quidem leuitatem facile penſabit inſignis animi tui magnitudo, quae non aliud ſibi virtutis praemium, quam ipſam bene actorum conſcientiam, magnopere depoſcit, & hanc ſolam omnibus encomiis laudibuſque, quae tamen virtuti numquam deeſſe poſſunt, longe putat anteponendam. Id vnum autem vereri poteram, vir illuſtriſſime, ne ipſum hoc meum iuris patrii reliquias colligendi conſilium, tibi parum gratum ſit futurum, adeoque nec libellum accepturus a me ſis fronte ſerena, qui totus in iſto inutili, vti videri poterat, argumento verſatur. Neque enim ignoro, te magnopere abhorrere ab eorum ſententia, qui, exploſa iuris prudentia Romana, veterem illam Germanicam in uſum reuocandam, id eſt, pro frugibus repertis glandibus iterum veſcendum eſſe, arbitrantur. Enimuero a conſilio iſto, quo nullum capi poſſet ſtolidius; ſi quiſquam alius, et ego profecto vel maxime abhorreo, ſatis quippe gnarus, iura, a maioribus noſtris conſtituta, nec legum aequitate, nec auctoritatis pondere, nec vtilitatis vbertate cum Romanis eſſe vlla ex parte comparanda. Et ſi quis forte maleuolus, cui ne perſpecta quidem fuit inſtituti mei ratio, tam male ominatus fuerit de conſilio meo: nae eum et ipſe libellus, et ſatis verboſa, quam illi praemiſi, praefatio erroris facile convincent. Regnat omnino in foris noſtris Themis Romana, et regnabit, niſi nos fallit augurium, quoad res Germanica ſteterit. Ac praeter illa, quae legibus Romanis definiuntur, in foris Germaniae ſuperſunt quaedam iuris patrii reliquiae, quae, tantum abeſt, vt ex iuris Romani principiis poſſint explicari, vt Romani ne ſimile quidem quidquam in re publica ſua habuiſſe videantur. Et hae vero ſunt, quas hoc libello potiſſimum ſum conſectatus, quaſque ex fontibus ſuis deriuare pro virili mea parte ſtudui. Quod quum et alii viri docti ante me facere conati ſint, et in primis olim in hac academia vir celeberrinus, Samuel Strykius, quem ego praeceptorem veneror, praeſtare voluerit in *Vſu Digeſtorum*, ceteroquin ad demonſtrandam legum Romanarum vtilitatem unice comparato: nec mihi ſane vitio quiſquam vertet, quod, paullo maiore inſtructus adparatu, rem eamdem adgreſſus ſim, operamque hanc rei publicae litterariae nauarim, nec vlli noxiam, et multis haud iniu-

cundam

cundam fortaſſis futuram. Verum ea excuſatione mihi apud te non opus eſt, vir illuſtriſſime, qui non ſoles in his rebus alienis oculis vti, nec ad aliorum ſententiam iudicium tuum attemperare, ſed ipſe, quid diſtent aera lupinis, mira ingenii ſagacitate diſquirere conſueuiſti. Itaque et hoc vel maxime me impulit, vt librum hunc tibi conſecrare decernerem, quoniam alterius nullius memineram, qui de eo et adcuratius poſſet, et aequius vellet iudicare. Suſcipe ergo tenue munuſculum, vir illuſtriſſime, ea humanitate, qua alia, quae a me profecta ſunt, olim ſolebas, tibique perſuade, me vota pro ſalute tua quotidie concipere, Deumque O. M. precari, vt diutiſſime te ſeruet incolumem, iuris prudentiae decus, iuſtitiae ſtatorem, ciuium ſuorum oraculum, et tutiſſimum bonorum omnium, in quibus aliqua non alieni a litteris animi ſignificatio eſt, praeſidium. Ita vale, vir illuſtriſſime, et nec in poſterum me gratia tua indignum iudica. *Halae Magdeburg. V. idus Septemb.* CIↃIↃCCXXXV.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
CHRISTOPHORO FRIDERICO
LIB. BAR. DE
SECKENDORFF,
MAGN. ORDIN. AQVIL. NIGR. PRVSSIC. EQVITI,
CONSILII SANCTIORIS ET PALATINI SERENISSIMI
PRINCIPIS MARCHIONIS
BRANDENBVRGICI ONOLDINI
PRAESIDI,
IVDICII PROVINC. BVRGGRAVIAT. NORIBERG.
IVDICI,
TRACTVVM VFFENHEIMENSIS, MAYNBERNHEIMENSIS,
PRICHSENSTADIENSIS, CASTELLENSIS,
ET STEPHANSBERGENSIS
PRAEFECTO SVPREMO,
DYNASTAE IN
VNTERN-ZENN, EGENTHAVSEN,
ROCKENBACH. *

Miraberis procul dubio, vir illuſtriſſime atque excellentiſſime, me hominem, ne oculis quidem tuis familiarem, id ſibi ſumere, vt
Heineccii Opuſc. Syllog. IIII. T libello,

* [*Praemiſſ. Tom. II. Elem. iur. Germ.*]

libello, ſi ex tua dignitate ſpectetur, perexiguo, ſin ex viribus meis, vix mediocri, illuſtriſſimum nomen tuum, tamquam vnicum ac praecipuum ornamentum praefigere mecum conſtituam. Et tantum ſane abeſt, vt ego, id tibi mirum videri, mirer, vt, ſi hoc impune feram, id mihi vel maxime videretur mirandum. Enimuero ſi hanc epiſtolam meam ea, quae illuſtriſſimae genti tuae propria eſt, humanitate perlegere volueris: argumentis quibuſdam haud leuibus ſpero me effecturum, ne damnes hoc conſilium meum, ſed iuſtiſſimas mihi illius rationes fuiſſe, ipſe, pro aequitate tua, vltro fatearis. Permultae nimirum ſolent eſſe cauſſae, propter quas ii, qui quid rerum ſuarum ſcriniis ſuis elabi patiuntur, ſummorum atque illuſtrium virorum patrocinium expetunt, ac proinde iiſdem ingenii ſui monimenta veluti conſecranda exiſtimant. At ſi recte ponas calculum, neſcio an omnes ad duas potiſſimum referre poſſis, quarum altera honeſta ac laudabilis, altera indigna honeſtorum ingenuorumque hominum perſona eſſe videtur. Quemadmodum enim olim Alexander Magnus eorum, qui ſe colerent, duo eſſe genera dicebat, alioſque φιλοβασιλέας, alios φιλαλεξάνδρους adpellare ſolebat: ita et eorum aliqui, qui libris ſuis magnorum virorum nomina praeſcribunt, horum fortunam; aliqui ipſos viros, eorumque virtutem colere ac ſuſpicere videntur. In his vero, vir illuſtriſſime, et ego, mihi crede, nomen meum profiteor, qui nulla vel honorum ambitione, vel alia inhoneſtiore cupiditate, ſed ſola Seckendorffiani nominis veneratione, *tuiſque meritis* adductus, libellum tibi inſcribo, nihilque aliud expeto, quam vt exſtare patiaris hoc qualecumque φιλοσεκκενδορφίου animi monimentum. Equidem quoad longiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpacium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari vltimam, etiam tum, vix puer, tanta gentis tuae veneratione imbui coepi, vt maiore non potuiſſem, et me poſtea facto adultiore, tanta ad illam facta eſt acceſſio, vt nec de litteris, nec de re publica, nec de eccleſia cogitare vmquam poſſem, quin Seckendorffiorum merita, ſine exemplo maxima, animo meo adſidue obuerſarentur. Memini, me puerum ſaepe admirari maſculam illam ac flexanimem *Viti Ludouici Seckendorffii* eloquentiam, qua et optimos principes ad legenda maiorum veſtigia, et ciues ad obſequium et fidem grauiter inflammabat, quotieſcumque in publico ordinum prouincialium principatus Altenburgici concilio verba publice, exigente id muneris ratione, faciebat, idque me verae eloquentiae iam tum amantiſſimum adeo adfecit, vt mihi nouum Germanorum Periclem, qui oratione

ſua

ſua totam prouinciam moueret, et facile in quamcumque partem adduceret, audire, ac coram intueri viderer. Quemadmodum igitur iam illo tempore me, harum rerum vix intelligentem, in admirationem rapiebat venerandi ſenis oratio: ita multo magis ſuſpicere ac ſtupere coepi viri incomparabilis ingenium, quum ea eſſem aetate, qua de illo quodam modo iudicare, fructuſque vberrimos ex aeternis eius operibus capere poſſem. Siue enim hiſtoriam ſacram atque eccleſiaſticam, qua iuuenis magnopere delectabar, luſtrarem, ſiue in vniuerſam rei publicae atque eccleſiae recte gubernandae rationem, ad quam ſtudium omne atque induſtriam meam illo tempore conferebam, inquirerem, ſiue denique diuinae veritatis, quam a maioribus quaſi per manus traditam accepimus, praeſidia, quorum ſane neminem oportet eſſe incurioſum, cui beata illa aeternitas curae eſt, indagarem: vbique regnare vidi Seckendorffium, vt in illo Germaniae noſtrae et Euſebium aliquem, et Solonem, et Athenagoram vel Lactantium quemdam reuixiſſe exiſtimarem. Quid dicam de illuſtri hoc bonae mentis domicilio, in qua iam docendi munere iuſſu atque auſpiciis regis potentiſſimi fungor? Sane quum huc primum me conferrem: tam recens erat eximiorum illuſtriſſimi illius viri meritorum in academiam noſtram memoria, vt nullus eſſet virorum doctiſſimorum, qui tum eamdem Spartam mecum ornabant, quin Seckendorffium primum academiae cancellarium, eiuſque bene de illa merendi ſtudium quotidianis ſermonibus celebraret, eumque laudibus incorruptiſſimis in caelum ferret, eius denique incredibile deſiderium multis poſt annis omni occaſione oſtenderet. Qua re quanta de nouo iniecta mihi ſit Seckendorffiani nominis veneratio, facile intelligent, qui me norunt, quamuis ab illa virtutis ἀκμῇ remotiſſimum, maximi tamen ſemper facere ingenia illuſtria, in quibus natura, efficere quid poſſit, videtur experta. Accedit, quod poſtea, eodem tempore, quo Francofurti iuxta Viadrum docendi munere fungebar, ab auguſtiſſimo imperatore ad palatium regium legatus mitteretur vir ſagi togaeque artibus excellentiſſimus, *Fridericus Henricus*, *S. R. I. Comes de Seckendorff*, iſque me, quamuis de facie ignotum, ſua gratia non indignum exiſtimaret, nec quidquam omitteret eorum, quae tunc ad dignitatem meam tuendam pertinere videbantur. Cuius quidem inſignis voluntatis argumenta producere poſſem non leuia, niſi verendum mihi eſſet, ne de iis obiter dicendo, de tanti viri laudibus aliquid detriuiſſe potius, quam eas pro dignitate exornaſſe videar. Haec vero ſunt, vir illuſtriſſime, quae me, alioquin verecundiſſimum, impulerunt, vt nomen Seckendorffii, id eſt, tuum, ipſi libelli mei atrio praeſcriberem. Ne-

mo enim eſt eorum, qui virtutem tuam inſpexerunt propius, quin admirabilem prudentiam tuam, ac in rebus gerendis promtitudinem, et, quae genti veſtrae fere propria eſt, humanitatem, perpetuumque bonas litteras iuuandi ſtudium mirifice laudet ac admiretur. Nemo, qui non praeclaras ingenii dotes. quas boni omnes in Vito Ludouico et Frederico Henrico venerantur, in te quoque eniteſcere fateatur. Nemo denique, qui, dum Seckendorffios Germaniae noſtrae, tamquam in eius decus atque ornamentum natos, gratulatur, tui quoque non honorificam faciat mentionem, qui et potentiſſimi regis noſtri, et celſiſſimi principis tui, animos ita tibi ſola virtute et fide deuinxiſti, vt vterque te in oculis ferat, hic etiam ſplendidiſſimis muneribus te exornarit, dignumque exiſtimarit., quem ſummae rerum in palatio ac prouinciis ſuis praeficeret. Quod ſane tantorum principum teſtimonium omnibus etiam ornatiſſimis aliorum laudibus ac praeconiis longe eſſe anteponendum, nemo non intelligit. Quae quum ita ſint, non ſine verecundia quadam, et alacri tamen animo, hoc dedicandi officio defungor, quo et pietati meae, qua Seckendorffianum nomen a puero colui, ſatis facio, et tibi eam venerationem teſtatam facio, qua te iam pridem, abſens licet et ignotus, ſum proſequutus. Eſt enim ita natura comparatum, vt adfectus migret in calamum, nec impetrare a nobis poſſumus, vt non in eorum laudes excurrat ſtilus, quorum virtutem animus, pro eo, ac decet veneratur. Equidem, quod ad me attinet, neminem me *imbecillitatis ſuae ſibi magis conſcium* eſſe arbitror, neque de ſcriptis meis magnopere *laboro*, *quae nec rerum* vbertate, nec verborum elegantia cum aliorum eiuſdem generis operibus vlla ex parte comparanda eſſe, facile intelligo. Attamen vel hunc libellum meum ideo vellem apud poſteros exſtare, vt ſimul ſempiternum exſtet venerationis erga te meae monimentum. Id vero non tui cauſſa opto, quem vna cum gente tua immortalem facile praeſtabit virtus, ſed mei cauſſa, cuius vel maxime intereſt, poſteros non ignorare, quanti mihi fuerit Seckendorffius, quantumque geſtiuerim in eorum eſſe numero, qui eius merita ac virtutem pro eo, ac decet, venerantur. Ceterum iam nihil ſupereſt, quam vt ex vetere formula hunc libellum tibi dem, dicem, dedicem, teque vehementer etiam atque etiam rogem, vt eum ea fronte eaque humanitate recipias, qua ſoles recipere omnes, in quibus eſt aliqua bonae mentis, animique a litteris elegantioribus non alieni ſignificatio. Equidem vt in euoluendo illo aliquot bonas horas perdas, nec a te petere ſuſtineo,

neque id me ſperare patitur negotiorum, quibus quotidie diſtringeris, moles; At crediderim tamen, te in libello tenui quaedam non omnino iniucunda reperturum. Verſatur enim ille in veterum Germanorum moribus ac inſtitutis, pro quibus et maiores tui iam inde ab antiquiſſimis temporibus, tamquam pro aris et focis, contenderunt. Animaduerteres, in eo ex ipſis antiquitatis Germanicae parietinis erui iura patria, quibus tam diu res Germanorum ſtetit, eorumque veſtigia, quae in ipſis Germanorum foris et hodie deprehendimus, non ſine adparatu indagari. Denique non pauca vel non animaduerſa ab aliis, vel perperam explicata, hic in luce meridiana poſita eſſe obſeruares, indeque colligeres mecum, non ſolo iuris Romani ambitu circumſcribi ciuilem illam ſapientiam, quam iuris prudentiam vocamus, ſed eos demum facere operae pretium, qui ius iſtud peregrinum in ſubſidium tantum a Germanis receptum eſſe cogitant, ac proinde cum illo et ius Germanicum ita coniungunt, vt pares ſint in vtriuſque facultate. Enimuero quamuis, vt in rem praeſentem venias, ſperare nequeam: non dubito tamen, quin aequo animo libello locum daturus, in bibliotheca tua, eiuſque auctorem gratia tua haud indignum ſis iudicaturus. Ego, quantum in me eſt, efficere conabor, ne me illa vmquam indignum praeſtem, Deumque optimum maximum precabor, vt te, ſplendidiſſimamque gentem tuam, omni felicitatis genere beet, et rebus humanis, vtriuſque rei publicae bono, diutiſſime intereſſe iubeat. Vale, vir illuſtriſſime atque excellentiſſime, et auctori, tibi deuotiſſimo, faue. *Halae Magdeburg. prid. Non. Sextil.* cIↄIↄccxxxvi.

* * * * * * * * * *

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO,

REGNORVM DANIAE ET NORVAGIAE,
RELIQVARVMQVE PROVINCIARVM
HEREDI,
PRINCIPI IVVENTVTIS, DOMINOQVE
LONGE CLEMENTISSIMO. *

SI in ſummo illo natalium ſplendore, eminentiſſimaque, quam Deo optimo maximo debes, fortuna, eo eſſes animo, vt te tibi ſoli natum eſſe exiſtimares: erubeſcerem omnino, libellum tibi oblaturus, meque ipſe temeritatis accuſarem, qui purpuram tuam, non ſplendidiore aliquo, ſed litterario, munere venerari ſuſtineam. At quum et adcuratiſſimae inſtitutioni, et incomparabili potentiſſimi patris exemplo, et ipſius ingenii tui bonitati, id feras acceptum, vt iam in tenerrima hac aetate, in quantam ſpem adoleſcas, et quid a celſitudine tua non modo tot regna, ſed et vniuerſus Chriſtianus orbis, exſpectet, identidem cogites: non vereor, ne tibi taedio futurus ſit liber, qui, quid recta ratio, id eſt, eius auctor, Deus, cum ab aliis hominibus, tum maxime a bono principe, exigat, perſpicue oſtendit. Sunt hae illae leges, quibus religioſe ſeruatis, maiores tui, rebus maximis pace belloque feliciter geſtis, immortalem ſibi gloriam pepererunt: illae regulae, ad quarum normam potentiſſimus pater tuus ſe totum componit: illud denique ius, cui et reges omnes, et potentiſſimi populi, quoties de bello, pace, foederibus diſceptant, vnice reguntur. Quaenam vero

* [*Praemiſſ. edit. prim. Elem. iur. nat. et gent.*]

vero digniora ſint herede tot regnorum rudimenta, quam hoc iure imbui, eaque inde diſcere, quae, ſi quando auguſtum maiorum ſolium conſcenderit, in vſu ſit habiturus? Patere itaque, celſiſſime princeps, vt ſplendidiſſimum nomen tuum in fronte libelli, qui de ſempiterna illa ac immutabili iuſtitia agit, fulgeat, ſimulque exſtet hoc deuotiſſimi gratiſſimique animi, quo potentiſſimo patri tuo me aeternum deuinctum fateor, monimentum. Ceterum a ſummo, quod omnia moderatur, Numine caſtis quotidie precibus contendam, vt regi, patriiſque et auitis regnis et prouinciis, te ſeruet incolumem, teque ita adoleſcere iubeat, vt vere ſis generis humani delicium, et quemadmodum tu adhuc pietatis, virtutis, iuſtitiaeque regulas ex potentiſſimi patris vniuerſa vita petis; ita poſteri eaſdem aliquando ex tuis actionibus, tamquam perfectiſſimo quodam exemplo, petant! *Halae Magdeburg. idib. Octobr.* CIↃIↃCCXXXVII.

* * * * * * * * * *

ILLVSTRISSIMO COMITI

HENRICO VI.

IVNIORIS STIRPIS COMITI

ET DOMINO RVTHENO,

DOMINO CLAVIAE, GRAITZIAE,

CRANICHFELDAE, SCHLEIZAE,

ET LOBENSTEINII,

POTENTISS. DANIAE ET NORVAGIAE REGIS

CVBICVLARIO,

COMITI AC DOMINO CLEMENTISSIMO. *

NOn credo, illuſtriſſime S. R. I. comes, te, qua es magnanimitate, vel adſpernaturum eſſe hunc libellum, vel hoc obſeruantiae gratique animi monimentum indignum perſona tua exiſtimaturum. Alia enim

* [*Praemiſſ. edit. ſecund. Hiſtor. iur.*]

enim eſt indoles illuſtriſſimae gentis tuae, quae iam a multis ſaeculis vniuerſae Germaniae eximia pietatis, virtutis, prudentiaeque exempla praebuit, quam vt tu, illo ſanguine cretus, poſſis quidquam, quod ad ornandas litteras pertinere videatur, a te alienum putare. Alia, multoque maior clementia tua, quam vt me de litteris aliquando bene mereri cupientem, illius participem eſſe nolis. Plures iam circumacti ſunt anni, ex-quo tibi vna cum illuſtriſſimo fratre, et illuſtriſſimo Linariae comite Halae ſtudiis operam nauante, plenoque gradu ad praeclaram, qua iam emines, doctrinam, rerumque ciuilium intelligentiam enitenti, ego tum hoſpes innoteſcere, tuiſque humaniſſimis frui colloquiis coepi. Quamuis vero ab eo tempore te, et grauioribus magni regis negotiis admotum, et ipſi Germaniae noſtrae ereptum iam pridem mei memoriam depoſuiſſe crediderim: aliud tamen et litteris ad me humaniſſime ſcriptis, dum libello celſiſſimo Danicae iuuentutis principi conſecrato viam ad palatium regium munire non dubitaſti, re ipſa teſtatus es, illumque clementiſſime exceptum eſſe, nunciaſti. Quantopere litterae iſtae tuae me, neſcio quid metuentem, recrearint, quantamque ex iſta humanitate tua voluptatem ceperim, hic ipſe libellus, qui iam multo, quam antea, auctior nitidiorque praelo exit, pro me teſtimonium perhibeto. Eum enim tibi, comes S. R. I. illuſtriſſime, tuoque nomini ex veteri formula do, dico, dedico, vt ſi qua his litterulis perpetuitas ſperari poſſit, perpetuum aliquod exſtet venerationis meae, gratique animi monimentum. Suſcipe itaque explicata fronte litterarium hoc munuſculum, quumque aliud a mei ordinis hominibus proficiſci nequeat, perſuade tibi, quaeſo, tibi me ſimul me ipſum totum conſecrare, nullum abire paſſurum diem, quin vota cum pro te, tum pro vniuerſa gente tua illuſtriſſima, concipiat, quam vt Deus optimus maximus ad illum vſque decretorium diem, qui hoc hauriet aeuum, ſaluam florentiſſimamque Germaniae noſtrae ſeruare velit, flagrantiſſimis precibus, quoad viuam, exoptabo. Vale, comes S. R. I. illuſtriſſime, et res tuas feliciter gere. *Halae Magdeburg. ipſis idib. Mart. anni Dionyſiaci* CIↃIↃCCXXXX.

FINIS OPVSCVLORVM MINORVM.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
Quae
In SYLLOGE III. ET IV. OPVSCVLORVM
continentur.

Numerus III. *tertiam*, IIII. *quartam Syllogen deſignat.*

A.

ABOTVS (Guil.) *Cuiacii obtrectator*, III. 218. 229.
Adoptionis *ſymbola in numis deſcripta*, III. 410. ſeq.
Adorari *dicuntur reges*, III. 123. *Quid* adoratio *iuxta Grotium*, ibid. *et alios*, 134.
Adulatio *aularum peſtis*, III. 144.
Adulterum *occidendi poteſtas antiqua*, III. 147.
Aegyptii: *de illis* Spanhemii *obſeruatio*, III. 41. 42.
ALCIATVS (And.) *ius docet*, III. 172.
ALTESERRA (Ant. Dad.) *de fictionibus in iure citatus*, III. 192. ſeq.
Analigearius *quid*, III. 54.
Andium Dux *in Regem Poloniae electus*, III. 313.
Anteſtati *officium ex numis*, III. 412.
Antiquitates: *de earum ſtudii vtilitate in iuris prudentia*, III. 3. ſeqq. *hoc commendatur*, 88.
Antiquitatis *cognitio in iuris interprete neceſſaria*, III. 362.
Antiquitates Romanae *cui dicatae*. IIII. 125. 128. 138.
Antonius Borbonius *rex Nauarrae*, III. 296.
AQVILLIVS (C.) *ICtus*, *in concipiendis formulis peritiſſimus*, III. 194.
Arbor *Chriſtum adorans*, III. 373.
ARISTONIS (T.) *Digeſta*, III. 76.
Auaritiâ *nullum vitium tetrius nec fœdius*, III. 146.

AVGVSTI *genius in imperatorum numis deſcriptus*, III. 419.

Aula, *ſeu* Olla, *quid?* IIII. 7.

B.

BALDVINI (Fr.) ICti Iuſtinianus, III. 175. 268. *De eius vita, fatis ac ſcriptis*, 267. ſeqq. *quando natus*, 269. *eius patria*, ibid. *ſtudia*, 270. ſeq, *Proteſtantium partes amplectitur et defendit*, 272. *Ad Pontificios redit*, 274. 278. *Publicam iuris profeſſionem a Bituricenſibus impetrat*, 275. *Galliâ excedit*, 280. *eius factio ob caedem damnata*, 281. ſeq. *eius opera*, 283. 284. 285. 288. 290. 292. 293. 294. 295. 298. 302. 303. 304. 306. 311. 313. 314. *Eius iter in Germaniam*, 283. ſeqq.. *Ad Proteſtantes iterum reuertitur*, 284. 285. Ecebolius *cognominatur*, 284. *Argentorati iura docet*, ibid. *Heidelbergam migrat*, 293. *Lutheranis ſe adiungit*, ibid. *in Galliam redit*, 298. *Colloquium Poſſiacenſe turbat*, 299. *Geneuenſium et Heluetiorum apertum hoſtem ſeſe profitetur*, 306. *eius reditus in patriam*, 309. *In Galliam rurſus ſe recipit*, 310. *Andegaui docet*, 313. *In Poloniam transferre ſe cogitantem Lutetiae mors illum opprimit*, 315. *Eius epitaphium*, 316. *eius figurae*, *indolis ac ingenii deſcriptio*, ibid. ſeq. *eius doctrina*, 318.

BARO (Eguinarius) *apud Bituricenſes iuris profeſſor*, III. 275. ſeq.

Bibliothecae *quaedam illuſtriores*, IIII. 120. 121.

BODINVS (Io.) *Cuiacii obtrectator*, III. 208. 210. ſeqq.

BOEKELMANNVS: *de eius libello*; *ſeu compend. iuris*, *iudicium*, III. 35.

BONAPARTE (Nic.) *IC. a* Cheſio *laudatus*, III. 333. 334. 362.

BRENKMANNI (Henr.) *in* Modeſtini *Heurematica*, III. 187.

BYNKERSHOEK (Corn. van) *IC. et eius ſcriptorum elogia*, III. 7. ſeqq. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Eius de eruditione Latina locus*, 77. *Citatus et laudatus*, 121. *Eius* praetermiſſa, 123. 325. *De* Triboniani emblematibus, 154. 324. *de* Wiſſenbachio *citatus*, 181. *Eius defenſio*, 319. *Eius* obſeruationes iuris ciuilis, ibid. ſeqq. 323. *de pubertate citatus*, IIII. 24. Commentar. ad leg. Iul. et Pap. Popp. *illi dicatus*, 131.

C.

CAII *verba de manumiſſione in eccleſiis facta explicat* Spanhemius, III. 45. *de edicto prouinciali*, 51. *potiſſimus dux in compilatione Inſtitutionum*, 165. *quid de emancipatione?* 411. ſeqq.

CAROLI Nothi Borbonii *obitus*, III. 309.

CASSANDER (Georg.) *Theologus Belga*, III. 294. 297.

Caſſiae *gentis numiſmata*, III. 404.

Caſtren-

Caſtrenſiani *qui?* III. 370.
Cautiones *ac* Cautelae *in iure quid?* III. 197.
Chesii (Barth.) *vita, fata ac ſcripta*, III. 331. *Piſis iura docuit: eius* Differentiae iuris, 332. 337. Nic. Bonaparte *habuit praeceptorem*, 333. *eius* Interpretationes iuris, 336. *de eius interpretandi genere*, 348. 356. ſeq. 361. *eius ſtilus*, 367. *eius definitio legis naturae*, 368. *illi defuit Stoicae philoſophiae cognitio*, 371. *eius ſollertia in ſpecie ſingularum legum inueſtiganda*, 372.
Chriſtiani *an aliquando in Pandectis perſtringantur?* III. 42.
Cisnervs (Nic.) *iuris profeſſor, et Balduini collega*, III. 280. ſeq. 297.
Clauſula codicillaris *quid?* III. 195.
Cniphavsen (Frid. Ern. *Baroni in*) Elem. philoſ. ration. et moral. *ei dicata*, IIII. 136.
Cocceii (Sam. *lib. Bar.* de) Hiſtor. iur. *ei dicata*, IIII. 140. *nec non* Elem. iur. Germ. *Tom. I.* 142.
Coeliae *gentis denarius*, III. 405. ſeq.
Color *quid in iure?* III. 190. ſeq.
Columnae *et* ſtationes, *quid ſit circa illas, creditoris euitandi cauſſa, latitare?* III. 226. ſeq.
Comitium, *quomodo in denariis deſcriptum?* III. 407.
Commentarius ad leg. Iul. et Pap. Popp. *cui dicatus?* IIII. 131.
Compendiorum *iuris defenſio*, III. 32.
Concubinatus *apud veteres licitus*, III. 150.
Conringii (Herm.) *de origine iuris Germanici*, III. 251.
Conſecrationis *ſymbolum*, III. 413.
Conſilia *in iure quid?* III. 195. ſeqq.
Contivs (Ant.) *ICtus*, Balduini *obtrectator*, III. 289. ſeq. 304.
Corneliae *gentis numi*, III. 414. 415.
Criticae *artis vtilitas in iuris prudentia, et boni critici officium*, III. 7. ſeqq. Criticorum *genera duo iuris prudentiae periculoſa*, 8. *Tria* Criticae *capita*, 10. *interpretandi*, ibid. *emendandi*, 11. *diiudicandi ſecernendique*, 15.
Cviacivs (Iac.) *ſtudii antiquitatum vtilitatem in iuris prudentia inter alios demonſtrat*, III. 4. *a Fabroto laudatus*, 24. *eius de iure Italico ſententia*, 52. *Eius notae in* Pomponii Enchiridion, 114. Triboniani *defenſor*, 173. ſeqq. *Eius* Obſeruationes iuris ciuilis, 182. 241. *De* Modeſtini Eurematicis, 187. *De fictionibus in iure*, 193. *Eius obtrectatores et aduerſarii*, 203. ſeqq. *Eius obſeruationes atque emendationes*, ibid. *Eius anagramma*, 231. *De illo* Maianſius *citatus*, 320. *De eius* Coniecturis, 321. Cuiacius *de* Papirio *citatus*, IIII. 6. *Eius ſententia de adminiſtratione bonorum, tempore regum, prodigis interdicta, a* Pagenſtechero *refutata*, 33. ſeq. *Eius opera in praefatione his praemiſſa, commendata*, 73. ſeqq.
Cvlpisivs (Io. Georg.) *cum* Ser. Sul-

Sulpicio Rufo *comparatus* III. 326. *Eius libellus commendatus*, 330. ſeq.

D.

DONELLVS (Hug.) Cuiacii *inimicus*, III. 217. 217. 219. 241.

DOSCHIVS, vid. NEVELLETVS.

DVARENVS (Fr.) Cuiacii *obtrectator*, III. 208. *et aduerſarius*, 214. ſeqq. *vt et* Balduini, 275. 287. ſeq. 291. 296. 304.

DVCKERVS (Car. Andr.) Pomponii *defenſor aduerſus* Laur. Vallam, III. 83. ſeqq.

E.

EDictum perpetuum. *De eo agit* Spanhemius, III. 46. ſeqq. Pomponii *opus ad edictum*, 96.

Elementa iur. ciuil. ſecund. ord. Inſtit. *cui dicata?* IIII. 129.

Elementa iur. ciuil. ſecund. ord. Pandect. *cui dicata?* IIII. 134.

Elementa philoſ. ration. et moral. *cui dicata?* IIII. 136.

Elementa iur. Germ. *cui dicata?* IIII. 142. 145.

Elementa iur. nat. et gent. *cui dicata?* IIII. 150.

Eloquentiae (*de*) *Graecae Latinaeque contemtu*, III. 242. ſeqq.

Emancipationis *ſymbola*, III. 411.

Embola *quid?* III. 370.

Erciſcundi *qui?* III. 94. 95.

F.

FABER (Ant.) Cuiacii *aduerſarius*, III. 236.

FABROTTVS (Car. Hannib.) *de vtilitate Graecorum interpretum ad libros iuridicos intelligendos, citatus*, III. 23. *in* Theophilum, 28. 29. Cuiacii *operum editor*, III. 73. 77.

Faetialis *deſcriptio in numis*, III. 421. ſeq.

FENESTELLA (L.) *de magiſtratuum origine*, III. 67.

FERRERIVS (Arn.) Cuiacii *praeceptor*, III. 205.

Fictio *in iure quid?* III. 191. ſeq.

FISCHERI (Io. Chr.) politioris humanitatis miſcellaneis *praefatio praemiſſa*, III. 242 -- 246.

Formulae *in iure quid?* III. 193. ſeq.

FORNERIVS (Guil.) Cuiacii *aduerſarius*, III. 208. 229.

FREHERVS (Marqu.) Cuiacii *aduerſarius*, III. 236.

FRIDERICVS *Daniae Princeps*: *Ei dicata* Elem. iur. nat. et gent. IIII. 150.

FVFIDIVS (L.) *ICtus*, *a Cuiacio ab obliuione vindicatus*, III. 225.

Fundamenta ſtili cultioris, *cui dicata*, IIII. 123.

Furtum *quibus poenis expiabatur apud antiquos*, III. 63.

G.

GALVANVS (M. Aur.) *IC. Piſanus, a* Cheſio *laudatus*, III. 334.

GENDRAEVS

Gendraevs (Cl.) Cuiacii *aduerſarius*, III. 237. *eius* Ars Digeſtorum *citatur*, 238.
Germanorum *antiquorum laus, recentiorumque vituperium*, III. 248. ſeq.
Geſtatio *quid in legibus noſtris?* III. 370.
Glariani (Fr.) *de* Graciano *opus laudatum*, III. 55.
Gloſſatores: *de iis differens* Muretus, III. 26.
Gordonivs (Fr. Marſius) Cuiacii *et* Ant. Fabri *aduerſarius*, III. 232. *de* Roberto *citatus*, ibid.
Goslinga (Siccomo a) *dicata* Elem. iur. ciuil. ſecund. ord. Inſtit. adorn. IIII. 129.
Gothofredvs (Iac.) *eius ſcripta laudata*, III. 10. *de regulis iuris citatus*, 104. *In Codicem Iuſtinianeum*, 160. ſeq. *et Theodoſianum*, ibid. ſeqq. *De illo* Maianſius, 320. *Eius* Coniecturae *iuridicae*, 321.
Goveanvs (*Ant.*) *ICtus Luſitanus*, III. 237.
Graciani (Balt.) Aulicus, III. 55. *eius alia opera*, 56.
Graeca *lingua Romanis quaſi vernacula*, III. 86. *nunc fere omnino neglecta*, 125.
Graecae (de) Latinaeque eloquentiae contemtu, III. 242. ſeqq.
Graecorum *iuris prudentiae et iuriſconſultorum praeſtantia*, III. 23. ſeq.
Grotii *definitio et origo vocis adorare*, III. 133.
Gvndlingivs (Nic. Hier.) *IC. Eius de* Theophilo *iudicium*, III. 29. Balduini *quorundam operum editor et praefator*, 268. *Eius* Exercitationes Academicae, 389. 391. 423. *Illi dicata* Fundam. ſtil. cult. IIII. 123.

H.

Hebraeorum *ex legibus aliae plurimae leges originem duxerunt*, III. 61. 62.
Hereditas, *ſicut et tutela, poteſt eſſe pactitia*, IIII. 98.
Heroldi (Baſil. Io.) *liber de legibus veterum Germanorum laudatur*, III. 249.
Heurematica *iuris prudentia*, III. 183.
Hiſtoria iuris *cui dicata?* IIII. 140. 151.
Hiſtoriarum atque antiquitatis ſtudium commendatur, III. 88.
Hospitalivs (Mich.) *ICtus*, III. 175. 176.
Hotomanvs (Fr.) Iuſtiniani *Manibus inſultat*, III. 130. *Ius docet*, 175. *Eius libellus nomine* Tribonianiſmus, ibid. ſeq. *Eius fama ac celebritas*, 176. Cuiacii *inimicus*, 222. ſeqq. Balduini *aduerſarius*, 291. 304. 307. 308. *Eius* Franco-Gallia, 308.
Hvbervs (Vlr.) *de* I. Iac. Wiſſenbachio *citatus*, III. 179.

I.

IMperatores *adorabantur*, III. 133. aeterni, ſacri, diuini *vocabantur*, 134.

Inſtitutiones Iuſtiniani; *In illas* Vinnii *Commentar.* III. 28. *Earum doctrina a* Boekelmanno *in compendio diſpoſita*, 35. *quando adornatae?* 147. *In eis fere nihil placet cenſoribus*, 165. *Earum ſtilus*, 168.

Interpretandi *legum genus*, III. 348. ſeqq. 1°. *In critica atque arte emendandi conſiſtit*, 356. 2°. *in comparandis fragmentis ex eodem libro decerptis*, 361. 3°. *in antiquitatis cognitione*, 362. 4°. *in accurata Graecae Latinaeque linguae notitia*, 367. 5°. *in accurata Stoicae philoſophiae cognitione*, 371. 6°. *in ſpecie ſingularum legum inueſtiganda*, 372. 7°. *in indaganda legum ratione*, ibid.

IOANNIS *Pont. Rom. I. et* Iuſtiniani *imp. Epiſtolae amoebeae*, III. 223. ſeqq.

IOSEPH. AVREL. A IANVARIO *de* Hotomano *citatus*, III. 176.

Iuris *compendiorum defenſio.* III. 32.

Iuriſconſulti *iuſtitiae ſacerdotes*, III. 395.

Iuriſconſultorum *plurimorum ridicula quaedam citata*, III. 21. 22. 27.

Iuriſdictionis *deſcriptio ſymbolica*, III. 416. ſeq. *ſigna*, 417. ſeq.

Iuris elementa, *vid.* Elementa iuris.

Iuris Graecorum praeſtantia, III. 17. 23. ſeqq.

Iuris Hiſtoria cui dicata? IIII. 140.

Iuris Hiſtoriae delineatio, *autore* Thomaſio, III. 1.

Iuris prudentia: *ad eius cognitionem antiquitatum ſtudium vtile*, III. 3. ſeqq. *vt et ars critica*, 7. *Duo hominum genera illi periculoſa*, 8. *De vtilitate litterarum orientalium in illa*, 57. *De* Iuris prudentia *heurematica*, 183. ſeqq. *eius diuiſio*, 186. Iuris prudentia *Romana et Attica*, *cum* Bart. Cheſii *et* Guid. Panciroli *operibus edita*, 331. 374. Iuris prudentia *diuinarum humanarumque rerum notitia*, 374. ſeqq. 399. *Quid ſint res diuinae? quid humanae?* 385. *Plurimas iuris ſpecies producit, et quas?* 388. *Vſus et praeſtantia numiſmatum in iuris prudentia*, 389. ſeqq. *Eius ſymbolum Themis*, 396. ſeqq.

Iuris Romani compilationis defenſio, III. 126. ſeqq.

Ius *ciuile Papirianum quid?* IIII. 1. ſeqq.

Ius gentium et ciuile, quae inter vtrumque ſit differentia? III. 354.

Ius Italicum quid, et in quo conſtiterit? III. 52.

Ius naturae quid? III. 368. ſeq.

Ius Papirianum quid? III. 114. IIII. 1. ſeqq.

Ius patriae poteſtatis quid? IIII. 39. ſeq. 61. ſeq.

Ius quatuor potiſſimum modis ad aequitatem inflectere ſtudebant ICti, III. 189. 1°. *colore*, 2°. *fictione*, 191. 3°. *formulis*, 193. 4°. *conſiliis ſeu cautelis*, 195. ſeqq.

Ius tripertitum, naturale, gentium, ac ciuile, III. 385.
Ius (de in) vocatione, doctrina, in veteribus numiſmatibus illuſtrata, III. 418.
Ius vetus quid? IIII. 37.
IVSTINIANI *opus a criticis fere omnino deformatum*, III. 9. *De prohibita ab illo imperatore leges interpretandi illuſtrandique facultate*, 17. ſeqq. *Eius tituli et nomina*, 26. *In eum* Vinnii *Commentar.* 28. *Eius temporibus floruit Theophilus*, 29. *Eius Inſtitutionum compendium*, Boekelmanno *autore*, 35. *Corporis iuris conditor*, 126. 128. ſeq. *Eius modeſtia*, 131. *Diuinos honores illum ſibi arrogaſſe falſum eſt*, 132. 133. *De eius vxore Theodora*, 134. ſeqq. *Eius habendi cupiditas*, 138. ſeqq. *Eius ignorantia, iuxta quoſdam auctores*, 142. ſeqq. *Secundum alios viuus ac ſpirans in coelum iturus erat*, 144. *Eius codex quando compilari cœpit?* 147. *Eius belliſſima cautio, quam patri de ſalute filii impuberis anxio, commendat*, 199. *Eius ad Ioannem Pont. Rom. I. epiſtola*, 223. ſeqq. *Quid ille de tutelis*, IIII. 89.
Iuſtinianei *codicis collectores*, III. 154.
Iuſtitia *quid ſit?* III. 26. *Eius deſcriptio emblematica*, 394. 395. ſeqq. 412. 417.

K.

KOEHL[illegible] (Henr.) *laudatus*, III. 424.
KVCHENBECKERI (Io. Phil.) *commentatio in vitam* Herm. Vulteii, III. 177.

L.

LABEO (Antiſtius) *laudatus*, III. 23.
Lares *in veteribus numiſmatibus quomodo deſcripti*, III. 420.
Late. *Huius aduerbii explicatio*, IIII. 29. 66. ſeq.
De Latinae *Graecaeque eloquentiae contemtu*, III. 242.
Legare *quid ſit?* IIII. 23.
De Lege Salica, *eiuſque auctoritate et vſu*, III. 247. ſeqq. *Eius origo*, 252. *Vid.* Salica.
Leges *ex numiſmatibus deſcriptae*, III. 407.
Leges interpretari Critici officium, III. 10. *eas emendare*, 11. *vt et diiudicare, ſecernereque in eis quae ſpuria ſunt*, 15. *Eas interpretandi illuſtrandique facultas a Iuſtiniano prohibita*, 17.
Leges Hebraeorum aliis legibus originem dederunt, III. 61. 62.
Legis *Ripuariae origo*, III. 254.
Legum antiquarum commentatores, III. 6.
Legum Germanicarum collectioni praefatio praemiſſa, III. 252.
De Legum interpretatione, III. 348. ſeqq.
Lex Iul. et Pap. Popp.; *ad illam Commentar. cui dicatus?* IIII. 131.
Lex tribunicia, III. 113. 115.
Lex Cornelia, III. 119.
L. 1. D. de acceptil. *explicatio a* Cheſio *data*, III. 361.
L. 24. D. de ſtatu hom. *interpretatio*, Vlpiano *autore*, III. 367. ſeq.

L.

L. 1. D. de curat. furioſ. *ſenſus*, IIII. 12. 20. ſeqq. 33. ſeqq.

L. 28. D. de probat. *explicatio*, IIII. 12. ſeqq. 28. 33. 66. 72.

LIBANII *odium et inuidia in iuris conſultos*, III. 377. ſeq.

Liberorum, *quos pater exheredes ſcripſerat, miſera conditio*, III. 190.

Libertas *publica in numiſmatibus deſignata*, III. 409.

Libri; *de illis iudicium*, III. 32. 33.

Liciniae *gentis denarius*, III. 405. ſeq.

LINDENBROGII (Fridr.) *iurium veterum Germanicorum collectio*, III. 250.

Linguae *Graecae Latinaeque notitia ab interpretatione legum non ſeiungenda*, III. 367.

Litterarum *orientalium vtilitas in iuris prudentia*, III. 57.

LVDEWIG (Io. Petro a) *IC.* Elem. iur. ciuil. ſecund. ordin. Pandect. adornat. *ei dicata*, IIII. 134.

M.

MACROBIVS *de* Papiriano *iure citatus*, IIII. 7.

MAIANSIVS (Greg.) *citatus*, III. 320. ſeqq.

MARCELLINI (Ammiani) *iudicium de certo genere iuris peritorum*, III. 19. ſeq. *De iureconſultis, et iudicibus citatus*, 128.

Maris *imperium Romanorum emblematibus deſcriptum*, III. 414. ſeq.

MARSIVS. *vid.* Gordonius.

MATTHAEI *ICti celebres*, III. 78.

MATTHAEI (Ant.) *de* Triboniani *flagitiis ſententia*, III. 178. ſeq.

Menſa auguſta *quid*? IIII. 7. *Quid* menſa anclabris? ibid.

MERILLIVS (Emund.) Cuiacii *defenſor*, III. 173. *De* Modeſtini Eurematicis *citatus*, 188. Cuiacii *compilator*, 209. *et aduerſarius*, 239. 241.

MODESTINI *Heurematica*, III. 187.

MOLINAEVS (Car.) *ICtus.* III. 272. 284.

MVCIVS (Q.): *in eum* Sex. Pomponii *lectiones*, III. 98.

MVRETVS (M. Ant.) *de gloſſatoribus citatus*, III. 26. 167.

N.

NAuticae et maritimae rei ſcriptorum *collectio de nouo edita*, III. 388.

NEVELLETVS DOSCHIVS (Pet.) *de* Hotomanno *citatus*, *III.* 175. 222. *de* Balduino *citatus*, 307.

Nobilitas *vera quid ſit*? IIII. 85.

NOODT (Gerhardus) *laudatus*, III. 12. 14. 48.

Numiſmatum *veterum vſus et praeſtantia in iuris prudentia*, III. 389. ſeqq. *et in aliis ſcientiis*, 393. ſeq.

O.

OLla, *vid.* Aula.

De Orbe Romano *Ezech.* Spanhemii *iudicium*, III. 36. ſeqq.

P.

De PActis *doctrina denariis illuſtrata*, III. 421.
PAGENSTECHERI (E. A. O C.) *ICti*, *de ſenſu* legis 1. D. de curat. furioſ. IIII. 9. 12. ſeq. 33. *et genuina lectione* l. 28. D. de probat. *ad ill. auctorem epiſtolae* 9. ſeqq. 28. 33. 66. Cuiacium *refellit*, 33. *Quid de illo Acta erud. Lipſ.* 69. ſeqq.
PANCIROLI (Guid.) *IC. vita*, *fata*, *ac ſcripta*, III. 331. *eius patria*, *parentes*, *et tempus quo illuxit*, 337. *eius praeceptores*, 338. ſeqq. *Laurea doctorali ornatus*, 340. *Iuris cathedram obtinet*, 341. *Eius obitus*, 343. *Eius ſcripta*, 337. 343 — 348. 363. 373. *Eius interpretandi genus*, 348. ſeqq. *eius ingenii fertilitas*, 369. *Parum in philoſophiae Stoicae cognitione exercuit ingenium*, 371. *In Hiſtoria verſatus*, 372.
Pandectae *ex Florentino canae vetuſtatis codice manatae*, III. 9. *Quando adornatae*? 147. *Ex operibus variorum ICtorum*, *diuerſis addictorum ſectis*, *compilatae*, 164.
Papiae *gentis denarius*, III. 405.
PAPINIANVS *de tutela citatus*, IIII. 107. 109.
PAPIRIVS *iuris Papiriani auctor*, III. 114. *quis erat?* IIII. 1. *de illius iure*, ibid. ſeqq. 70.
PAVLLVS *ICtus*; *quid de illo* Pagenſtecherus? IIII. 13. 14. 21. *ab ill. autore citatus*, 28. *De interdictione bonorum prodigis facta*, 47. 50. *de probationibus*, 66. ſeq.
Penates *Dii quomodo in numiſmatibus deſignati*? III. 419.
Peregrinus *quid*, *ſecundum* Spanhemium? III. 53.
PERIZONIVS (Iac.) *de legibus antiquis ſcripſit*, III. 5. 6.
Philoſophia, *eadem ac rerum diuinarum humanarumque notitia*, III. 375. 385. ſeq. *Quanta eius deterioratio?* 380. ſeq.
Philoſophi *ſe Deos iactati ſunt*, III. 376. *Eorum odium in iuris conſultos*, 377. ſeq.
Pileus *libertatis ſymbolum*, III. 409.
PLAVTIVS: *in eum* Sex. Pomponius, III. 98.
Plebiſcita *quomodo ferebantur*, *ex numiſmatibus cognitum*, III. 407.
PLESSE (Car. Sigfrid. a); *ad illum epiſtola gratulatoria*, IIII. 81. ſeqq.
PLOTHO (Lud. Ottoni Dn. de) Antiq. Rom. *ei dicatae*, IIII. 138.
PLVTARCHVS *de* Sex. Pomponio *citatus*, III. 69. *refert peregre mortuos*, *non per portas*, *ſed per tectum*, *in domum admiſſos eſſe*, 88. *de Roma condita*, 91.
POMPONIO (*de* Sex.) *ICto*, III. 66. ſeqq. *Quo tempore floruit?* 78. 79. *De eius ſtudiis*, *et ſecta cui ſeſe addixerat*, 82. ſeqq. *In eo quaedam* Laur. Valla *reprehendit*, 83. *Eius philoſophia*, 92. ſeq. *Eius eximia ingenii monimenta*, 96. *Eius commentaria in* Sabinum, 97. *Eius* lectiones ad Q. Mucium, 98. *de* Plautio, ibid. *Eius* Variarum lectionum *opus*, 99. 102. Epiſtolae, 101. 102. *Eius* Fideicommiſſorum *libri V.* 102. Senatuſconſ. *libri V.* ibid. Regularum *liber*, 103. 107. Digeſta,

geſta, 108. *De* ſtipulationibus, ibid. *Eius* Enchiridion, 109. ſeqq. 171. *a* I. Lud. Vhlio *et* Cuiacio *illuſtratum*, 114. *de lege Tribunicia*, 113. 115. *de Tribunis Celerum*, 115. *de Dictatoribus et Magiſtris equitum*, 118. de ſucceſſione prudentum, 171. *de muneribus et dignitatibus antiquorum Romanorum*, 401. ſeqq. *Quid de Papirio ac eius iure?* IIII. 1. ſeq.

Praetorum *negotium circa ius ciuile*, III. 189.

PRINZEN (Marqu. Lud. L. B. de); *illi dicata* Antiquit. Rom. *Pars I.* IIII. 125. 138.

PROCOPIVS *de adoratione citatus*, III. 133. *de* Iuſtiniani *auaritia*, 139. ſeq. *de eiuſdem in coelum aſſumtione*, 144. *de Triboniani auaritia*, 146.

Prudentia *quid, iuxta Ariſtotelem?* III. 186.

Pubertatis *tempus*, IIII. 44.

PVLVEVS (Hadr.) *Cuiacii obtrectator*, III. 218. 220. 229.

R.

REICHENBACH (Frid. de); Hiſtor. iur. *illi dicata*, IIII. 140.

REINESIVS (Thom.) *in* Rupertum, III. 120.

Ripuarii *qui? et vnde ſic nominati?* III. 253. ſeq.

ROBERTVS (Io.) Cuiacii *aduerſarius*, III. 208. 217. 229. ſeqq.

Romani *abominabantur per oſtium ingredientes*, III. 89. *Eis ignota erat tutela pactitia*, IIII. 89. 91. 99. 114.

De Romano *Orbe* Ez. Spanhemii *iudicium*, III. 36. ſeqq.

Roſtra *ad quid deſtinata?* III. 407.

RVDIGERI (Andr.) *de* Balt. Graciani Aulico *iudicium*, III. 55.

RVPERTI (Ch. Ad.) *commentarius in* Pomponium *et alios auctores*, III. 119. ſeqq.

S.

SABINVS: *in eum Pomponii commentaria*, III. 97.

Salicae legis *auctoritas et vſus*, III. 247. 264. *origo*, 252. 253. ſeq. *quando lata?* 254. ſeqq. 262. *qua lingua ſcripta fuerit?* 262. *a quibus emendata?* 263. 264.

Sapientiae *definitio ſecundum veteres Philoſophos*, III. 375. ſeq.

SATVRNINI. *De variis ICtis huius nominis obſeruationes*, IIII. 78. ſeqq. Venul. Saturnini *ſcripta*, 80.

SCHWARZIVS (Chr. Gosl.) *laudatus*, III. 41.

SCHVZIVS *redarguitur*, III. 104. *Autoris collega, non aſſentator*, 166.

Scribendi *artis origo*, IIII. 118.

SECKENDORFF (Chriſtoph. Frid. *lib. Bar. de*) *Ei dicatus* Elem. iur. Germ. *Tom. II.* IIII. 145.

SECKENDORFFII (Viti Lud.) *eloquentia*, IIII. 146. ſeq.

SECKENDORFF (Frid. Henr. *Comitis de*) *laudes*, IIII. 147. ſeq.

SELDENI (Io.) *operi* de ſynedriis et praefecturis Hebraeorum *praefatio praemiſſa*, III. 57.

Sella curulis *magiſtratuum inſigne*, III. 417.

Senatuſconſulta *ex numis cognita*, III. 407. ſeq.

SCtum

SCtum Macedonianum ; *quid de eo ex iure naturali?* IIII. 70. ſeq.
SPANHEMIVS (Ezech.) *De eius meritis in rem litterariam, deque eius* Orbe Romano *iudicium,* III. 36. *Eius varia ſcripta*, ibid. ſeq. *Eius de Aegyptiis obſeruatio,* 41.42. *Refellit* Voetium, 44. Caii *verba de manumiſſione in eccleſiis facta explicat*, 45. *Agit de edicto perpetuo*, 46. *de iure Italico*, 52. *de vocabulo* peregrinus, 53. *Eius tractatus de vſu et praeſtantia numiſmatum laudatus*, 391. ſeq. 401. 402. 403. 405. 406. 407. 410. 416. 421. 422.
STECKIVS (Io.) Cuiacii *aduerſarius*, III. 239. ſeq.
De Stili cultioris fundamentis, III. 243. ſeq.
Stoicae *philoſophiae cognitio boni legum interpretis praeſidium*, III. 371.
STRVVIVS (Burc. Gotth.) *in ius Iuſtinianeum iniurius*, III. 132.
STRYKII (Sam.) *cautelae contractuum*, III. 184. 201. *Eius laus et functiones*, 185.
SVERIN (Henr. a) Cuiacium *oppugnat*, III. 234. ſeq.
SVLPICIVS (Ser.) RVFVS *cum* Io. Georg. Culpiſio *comparatus*, III. 326. Ciceronis *condiſcipulus*, 328.
SVLPICII (Io. Ge.) *de ſtudio iuris publici recte inſtituendo, et de ſcriptoribus eo pertinentibus libellus*, III. 327.
Sulpiciae *gentis denarius, cum epigraphe*, III. 404.

T.

TEſtamentifactio *iuris publici erat*, IIII. 94.
Theodora *Iuſtiniani vxor*, III. 134. ſeqq.
THEOPHILI *iuris praeſtantia*, III. 17. *Eius paraphraſis a* Vinnio *collata*, 28. Triboniani συνεργος, 29. *Iuſtiniani* συγχρονος, 30. 44.
THOMASII (Chriſt.) *ICti delineatio hiſtoriae iuris*, III. 1. *Ei* Antiq. Rom. *Pars II. dicata* IIII. 128.
TRIBONIANI *erga Iuſtinianum obſequium et opinio de illius in coelum aſſumtione*, III. 144. *Leges ipſas venales habebat*, 145. *Eius auaritia*, 146. ſeqq. *Eius quaeſtura*, 147. *obitus*, ibid. *impietas*, 148. *Eius emblemata, ſeu* Tribonianiſmi, 154. 172. 324. *Eius ſcientia*, 156. ſeq. *A* Wybone *contra* Wiſſenbachium *defenſus*, 172. *Quid de illo* C. van Bynkerſoek? 324. *A* Pagenſtechero *de pubertate citatus*, IIII. 43. ſeq.
Tribonianomaſtigum *ſecta*, III. 171.
Tribunus Celerum *quis?* III. 115.
De Tutela *pactitia ſeu conuentionali Diſſertatio*, IIII. 86. ſeq. *Quid ſit?* 88. *eam non norunt Romani*, 89. 91. 99. *Tres* tutelae *ſpecies*, ibid. Tutela *munus erat publicum*, 91. *Pater teſtamento, ſuo arbitrio de* tutela *ſtatuere poterat*, 93. Tutela *ceſſitia quid?* 94. Tutelae *eadem ratio ac hereditatis, ſecundum ius Romanum*, 96. ſeq. Tutela *non magis poteſt eſſe pactitia quam hereditas*, 98. *Priuatis per ſolum teſtamentum tutores dabantur*, 98.

An tutela *pactitia ſaltim per confirmationem conualuerit?* 100. *De excuſationibus a* tutela, 102.ſeqq. *De* tutela *pactitia quidam textus adferuntur*, 103. 105. 107. 109. 110. 112. *Licita non erant pacta de* tutela *ſuſcipienda*, 113. *Romanis non fuerunt tutores pactitii*, 114.
Typographicae *artis inuentae pretium*, III. 32. *De eo quod in illa admirandum eſt*, IIII. 116. ſeqq.

V.

VAILLANTIVS (Io. Foy) *de numiſmatibus*, III. 393. 402. 405. 406. 407. 413. 416. 421.
VALLA (Laur.) Pomponii *reprehenſor*, III. 83.
VHLIVS (I. Lud.) *in* Pomponium, III. 114. 120. 125. Cuiacii *editor*, 241.
Victoriata *ſeditio quid?* III. 147.
VIGELII (Nic.) *Examen ICtorum*, III. 177.
VINNIVS (Arn.): *de illius commentario in Inſtitutiones iudicium*, III. 28. 30. 31.
VLPIANVS *de lege naturae*, III. 368. *Iuriſprudentiam diuinarum humanarumque rerum notitiam; iuſti iniuſtique ſcientiam eſſe adfirmat*, 374. ſeqq. 386 ſeq. *de iuſtitia citatus*, 395. *Quid de illo* Pagenſtecherus? IIII. 15. 16. 43. ſeqq. 54. 55. 56. ſeqq. 64. ſeqq. *Quid ille in* l. 1. D. de curat. furioſ. 20. 21. ſeqq. 71. *de tutela?* 89. 94. 95.
VOETIVS (Io.) *a* Spanhemio *refutatus*, III. 44.
Vrbs *quid ſit?* III. 90.
VRSINVS (Fulu.) *de Numiſmatibus*, III. 404. 410. 414. 416. 420. 421.
Vſura *quid, et quando licita?* III. 191.
VVLTEIVS (Herm.) Hotomannum *viſendi audiendique deſiderio flagrans*, III. 177.
WISSENBACHII (Io. Iac.) *de emblematibus* Triboniani, III. 172. 179. 181.
WYBO (Io.) Triboniani *aduerſus* Wiſſenbachium *defenſor*, III. 172. 181.

Z.

ZOARIS (Emman.) *Iudaiſmus*, III. 58. 233. Cuiacii *obtrectator*, 233.

F I N I S.

00078545

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 26 June, 2018